THE LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
NORTH CAROLINA

LUX LIBERTAS

ENDOWED BY THE
DIALECTIC AND PHILANTHROPIC
SOCIETIES

V783
G36d
v.1
Music Library

Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/decantvetmvsicas01gerb

H. Wynne Finch

32 *GERBERT, MART.* De Cantu et Musica Sacra a prima
praesens tempus. Typis San-Blasianis. 1774. 2 vols. 4to.
old MSS. with music, musical instruments, etc., some music s
end of Vol. II., 112 pages of music. Half bound.

Standard work on Music dealing with every aspect of its relation t
the very earliest days of Christianity, splendidly printed on thick
Blasius in the Black Forest, and illustrated with fine engraved pl
the most part reproductions of early MSS. with musical notation, and
instruments. Many composers and their works are mentioned in the t
Fine copy; printed ex-libris and library stamp

The famous old abbey was completely destroyed by the French revo

This book must not be taken from the Library building.

OCT 14 1968

LIBRARY UNIV. OF NORTH CAROLINA

DE CANTV ET MVSICA SACRA A PRIMA ECCLESIAE AETATE VSQVE AD PRAESENS TEMPVS.

AVCTORE

MARTINO GERBERTO

MONASTERII ET CONGR. S. BLASII IN SILVA NIGRA ABBATE

S. Q. R. I. P.

TOMVS I.



SVPERIORVM PERMISSV.

TYPIS SAN-BLASIANIS MDCCLXXIV.

M. Poinsignon, Curé de la ville et du canton de Haguenau,

Te mente pura & ſimplici,
Te voce, Te cantu pio
Rogare curuato genu,
Flendo & canendo diſcimus.

PRVDENT. CATHEMER.
Hym. II.



FRIDERICO CAROLO IOSEPHO

SACRAE SEDIS MOGVNTINAE

ARCHIEPISCOPO,

SACRI ROMANI IMPERII

PRINCIPI ELECTORI

ET

ARCHICANCELLARIO,

NEC NON

EPISCOPO WORMATIENSI.

369434

SALVTI REIPVBLICAE VTRIVSQVE

SVFFRAGANTE VNIVERSO POPVLO

VNANIMIQVE VOTO

CAPITVLI METROPOLITICI MOGVNTINI

DIE XVIII. IVLII

CATHEDRALIS WORMATIENSIS

DIE XXVI. EIVSDEM MENSIS ET ANNI

MDCCLXXIV.

ELECTO

FELICITER !

IN FORTVNATVM VLTIMVM HVIVS SECVLI IVBILAEVM

AVSPICIVMQVE FVTVRI.

EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME ARCHIEPISCOPE, CELSISSIME PRINCEPS ELECTOR!

Quod vota publica dudum, famaque undique a morte ſtatim f. r. Anteceſſoris ferebat, id, vel eo etiam nomine felix fauſtumque accidit, ut ſummus *Romano-Germanici* imperii, eccleſiæque hierarcha, ac Princeps Elector renunciareris, dum in lucem publicam aſpirans iſthæc *de cantu & muſica ſacra a prima Eccleſiæ ætate uſque ad præſens tempus*, commentatio, in TE iam clientelam illam eſt conſecuta, quam antea pro inſtituto S. Ordinis togatus, ſperare haud poteram.

Reſumſi vero animum, religioſæ congratulatus cauſæ, cum primum TE MAXIME METROPOLITARUM! ad clavum Eccleſiæ aſſumtum cognovi, memor comitatis humanitatisque, quam ante aliquot annos expertus fueram, cum *Viennæ*, gratiſſimus aulæ Cæſareæ legatus degeres, eo munere ampliſſimo iam *Francofordi* in inauguratione IOSEPHI II. Auguſtis FRANCISCO Patri, ac Filio tunc *Romanorum* Regi commendatiſſimus, inter actuales intimos etiam connumeratus conſiliarios. A ſummo enimvero uſque ad infimum omnium TIBI INDULGENTISSIME PRINCEPS! animos conciliat magnitudo animi, cum mira morum facilitate coniuncta, qua TE ad omnes demittere ſoles, promteque indulſiſti, ut hoc excelſo nomini TUO inſcriberem opus, quo nihil mihi tum ad teſtificationem devotiſſimi animi, cum ad argumenti etiam præſidium, exoptabilius eſſe potuit.

Ipſa narrationis ſeries palam facit, cantum eccleſiæ a ſua ſimplicitate, quam mille & ultra annis religioſe conſervaverat, paullatim deſciviſſe ſequiore ævo: Lentis quidem per non pauca ſæcula greſſibus, muſica, quam figuralem appellant, in eccleſiam admiſſa, cui inſtrumentalis noſtra ætate demum, memoria fere hominis conſociata, quotidie magis magisque luxurians, ac inſoleſcens, diſcrimen iam omne muſicæ ſacræ a profana ſuſtulit.

Probe reminiſcor damnaſſe TE irreligionem iſtam, cum adhuc dignitate Cantoris cathedralis eccleſiæ *Bambergenſis* perfungereris, perinde ac Cuſtodis præcelſæ *Moguntinæ*, cui nunc præſides, PASTOR VIGILANTISSIME! ſedis: quæ ſcilicet munera ſacram attinent liturgiam, cuius pars eſt cantus & muſica ſacra non modica. Nec abludit Rectoris Magnificentiſ-

ſimi

ſimi almæ academiæ *Moguntinæ* officium, quod ornaſti ANTISTES LITTERATISSIME. Fuerat quippe etiam muſica pars doctrinæ publicæ præcipuis in ſcholis haud longo abhinc tempore, cum adhuc ſuus huic diſciplinæ haberetur honos, ut ſunt hodieque alicubi, in *Anglia* præſertim, doctores, profeſſoresque muſicæ in præcipuis academiis. Olim vero ſanctiſſimi, ſpectatiſſimique viri, etiam principes ſacrum concinnabant melos; quam nunc ſpartam quisque ſibi aſſumit ludio, ſuasque nenias ſacrario temerarie infert.

Ad hanc tollendam ſanctæ religionis noſtræ contaminationem, cum conſilio opus ſit & opera, ad quem potius quam ad TE, SACRORUM PRÆSUL PRÆCIPUE! me convertam? qui pietate, auctoritateque perinde præſtas, ut valeas inveterato equidem remedium afferre malo, honeſtatem vero ac decorem noſtris reſtituere templis, divino dignitatem cultui: ut agatur, quod agitur ad concelebrandum Divum Numen, nobisque propitium reddendum precibus, gemitibusque. Neque committendum eſt, ut ad eccleſiam veluti ad theatrum lenocinii aurium diemque luculentum, ut aiunt, ſeu hilarem habendi cauſa concurratur; cantus ac muſica ſacra ſic ſit compoſita, ut mentem avocet potius ac diſtractam reddat, quam in ſe colligat; ſancta verba ſuffocet & confundat, dum ſuaviter animo inſinuare debuerat.

Quod vero dolendum maxime eſt, continue ingraveſcit malum. Qui ſtatum muſicæ eccleſiaſticæ præſentis ſaltem, aut etiam præteriti ſæculi ſub oculos poſuerit, quin imo luſtra tantum aliquot elapſorum proxime annorum cogitatione ſibi repræſentaverit, obſtupeſcet, tam brevi tempore ad tantum exceſſum rem devenire potuiſſe, ac quotidie in peius

ruere

ruere; ut niſi ſiſtatur licentia, Vertumni inſtar immutandi muſicæ faciem, actum ſit de publico religionis cultu, qui magnam partem apud nos muſica transigitur: cum nec rempublicam ſalvam eſſe poſſe exiſtimaverit PLATO, mutata muſica.

Vides EMINENTISSIME ARCHIPRÆSUL! quæ me ardenter quidem præprimis flagrantem devinctiſſimi animi hoc edere argumentum, graviſſimæ porro cauſæ impulerint, ut lucubrationem hanc de viciſſitudine cantus ac muſicæ ſacræ a prima eccleſiæ ætate uſque ad præſens tempus TUÆ committerem fidei, patrocinioque potenti, quo eget, ut finem propoſitum ab auctore nanciſcatur, quem TUO dudum haud dedignatus es favore, ſupplicem iam, ut deditum hierarchico TUO pedo clementer accipias ac tuearis

ARCHIEPISCOPALIS ET
ELECTORALIS
EMINENTIÆ TUÆ

Dabam apud *D. Blaſii* menſe *Dec.*
in feriis Nat. D.

obſequentiſſimum ſervum
MARTINUM GERBERTUM
Abb.

PRÆFATIO.

Amorem muſicæ, quem cum lacte matris bibi, quodque ei diſciplinæ haud ſegniter a teneris annis conſecravi ſtudium, ſeverioribus addictus Muſis, non depoſui penitus, ſed mutavi. A iuvenilibus annis propoſitum ſemper habui de muſicæ aliquid conſcribere hiſtoria. Inflammatum fuit deſiderium incomparabili codice Mſc. mea memoria Bibliothecæ *San-Blaſianæ* illato, eo ipſo, quo olim uſus GLAREANUS in edendis *Sever.* BOETIJ operibus, eum ſtatim in fronte *aureum* vocat; iterumque ad finem præfationis DODECACHORDI dilaudans: *qui,* inquit, *omnium ſcientiarum tractatus varios habebat*, ἐγκυκλοπαιδίαν *vocant Græci. Inerant quinque divi* SEVERINI *volumina de muſicis: præterea* GUIDONIS ARETINI *quædam,* BERNONIS, VUILEHELMI, OTTONIS, THEOGERI *epiſcopi, &* IOANNIS, *qui poſtea Pontifex Max. XXII. eius nominis fuit.* Per hos libros audaciorem ſe factum profitetur: quod & mihi in ſuſcipiendo hoc opere acciderat; dum ecce codex iſte fato acerbiſſimo in conflagratione monaſterii huius an. 1768. facta, perit cum omni apparatu, quem feceram adornando huic operi *Italiam, Galliam, Germaniam* perluſtrando, tum aliis quibusvis ſtudiis, ac opera etiam amicorum ſolerti.

Id unum ſolatio erat, quod, qui nunc prodit, tomus primus tunc fere typis expreſſus eſſet, exemplaque ſcriptorum de re muſica ex laudato codice deſcripta iam in aliorum manibus fuerint, præſertim P. *Io. Bapt.* MARTINI *Bononienſis* Mi-

noritæ, quocum amice conveneram, ut dum ipſe in eadem muſices veteris hiſtoria a multis annis deſudat, duobus iam editis tomis (tardius nunc demum Cl. Doctor BURNEY *Anglus* certiorem me reddit, de hiſtoria muſices univerſa abs ſe in lucem edenda, ſuſceptis, deſcriptisque etiam eam in rem per *Italiam*, *Galliam*, *Germaniam* itineribus) ego peculiarem partem muſicæ ſacræ illuſtrandam ſumerem, a prima ſcilicet eccleſiæ ætate uſque ad præſens tempus.

Muſica *Hebræorum*, quantum ſcire intereſt, ſatis, ut opinor, ab aliis eſt pertractata. Quos inter *Mar.* MERSENNUS lucubrationem ſuam ea de re ab iis ſcripturæ locis exponendis orditur, quæ prophetiam vi concentus muſici prophetis contigiſſe vel inſinuant, vel affirmare videntur. Inde ego veriſimilius veniſſe autumo, ut apud ethnicos etiam, *iidem muſici & vates & ſapientes iudicarentur*, teſte QUINTILIANO *Inſtit. Orat. l. I. c.* 10. quam quod aliis videtur, muſicam ſacram a *Iudæis* ad alias gentes *Latinos*, *Græcos*, *Syros &c.* tranſiiſſe. Ante DAVIDEM, & SALOMONIS inaugurationem templi muſica in uſum publici officii divini ordinata dici nequit; cum tamen vel teſtimonio LABAN *Gen.* XXXI. 27. muſica inſtrumenta adhibita fuerint alio uſu, forte in conviviis potiſſimum. Atqui vero mos antiquiſſimus fuit, quem loco citato QUINTILIANUS refert, inter regalia convivia laudes heroum ac deorum ad citharam canendi, de quo iam PLATO *Dial. II. de republ.* itemque lib. III. de legibus teſtatur, fuiſſe cantus, *ad deos precibus placandos, quos hymnos vocabant*; & lib. VII. *rectiſſimum fore*, ait, *ſi hymni & laudes* DEI *precibus mixtæ canantur*. Extant etiamnum hymni antiquiſſimorum poetarum:

tarum: quorum verſus cani ſolebant, utque canit THEOCRITUS *Idyll.* 16.

Semper id eſt cordi muſis, ſemperque poetis,
Ut divos celebrent, laudes celebrentque virorum

Ὑμνεῖν ἀθανάτυς, ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν.

Suo loco oſtendimus SS. Patres, quando fideles ad DEUM hymnis concelebrandum excitant, exemplo Chriſti & Apoſtolorum uti, qui hymno dicto exiiſſe in montem *Oliveti*, PAULUSque & SILAS vel in carcere, media nocte ſurgentes, DEUM hymnis celebraſſe in Actibus leguntur. Quod & alii deinceps Martyres ſunt æmulati, ut ſingulari diſſertatione de hymnis Martyrum in primitiva Eccleſia, *Ienæ* an. 1700. edita, oſtendit *Io. Georg.* OSTIUS: quem quidem ſi audimus, omnia prope hymnus ſunt, quæ SS. Martyres aut dixerunt, aut in PRUDENTII hymnis περὶ ϛεφάνων, ſive *de coronis*, dixiſſe, ſeu ceciniſſe inducuntur.

Nihilominus id ille præterit, quod ex actis martyrii S. POLYCARPI, diſcipuli S. IOANNIS, colligitur apud EUSEBIUM *lib. IV. hiſt. eccl. c.* 15. *Iacobi*que USSERII append. *Ignatiana* p. 25. in oratione a tortoribus interrupta, POLYCARPUM iisdem pene verbis doxologiæ etiamnum uſitatæ comma αἰνῶσε, εὐλογῶσε, δοξάζωσε expreſſiſſe: uti eius initium *Gloria in excelſis &c.* ex *Lucæ I.* 14. LIBERATUM & ſocios Martyres per plateas una voce decantaſſe, VICTOR *Africanus* in hiſtoria *Vandalicæ perſecutionis* lib. IV. narrat: paſſimque pſalmos, aut eorum ἀκροϛίχια, ſeu verſiculos, in eccleſia præcini ſolitos, intonaſſe leguntur. TERTULLIANUS teſtis eſt, qua animi contentione,

 atten-

attentioneque fideles, quæ in eccleſia audiebant, perceperint: in libro *de Anima* cap. 9. ſororis cuiusdam revelationes enarrans, *Iam vero*, inquit, *prout Scripturæ leguntur, aut pſalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur; ita inde materiæ viſionibus ſubminiſtrantur.* Sunt hæ divini officii partes apud Chriſtianos, quas EUSEBIUS in Vita CONSTANTINI *lib. IV. cap.* 45. de reſtituto per CONSTANTINUM publico DEI cultu commemorat, *orationes, & pſalmorum cantus univerſo populo communes, ſacrarum ſcripturarum lectiones, Paſtorum conciones, benedictionem & participationem Sacramentorum.*

Hæc autem qua celebritate exultationeque celebranda ſint exiſtimata, ZONARAS & BALSAMON inde declarant, quod luctuoſo quadrageſimæ tempore, ut iam in Concilio *Laodiceno can.* 49. ſtatutum legitur, ab Euchariſtiæ celebratione abſtineretur. *Sacrificare* DEO *feſtivæ celebritatis eſſe putabant, eamque celebritatem hilaritatis atque lætitiæ, at nullo pacto mærori quempiam ac lacrymis indulgere, ſimulque lætitia exultare & triumphare gaudio poſſe exiſtimabant.* Hæc ZONARAS in can. *Trull.* LII. qui eſt de Miſſa præſanctificatorum in Quadrageſima. Viciſſim vero notandus eſt ſexageſimus ſextus eiusdem quiniſexti Concilii canon de ſolemnitate paſchali rite concelebranda: *A ſancta Chriſti* DEI *noſtri reſurrectionis die uſque ad novam diem Dominicam tota ſeptimana vacare fideles iugiter oportet pſalmis & hymnis, & ſpiritualibus canticis, in Chriſto gaudentes, feſtumque celebrantes, & divinarum ſcripturarum lectioni mentem adhibentes, ac ſanctis myſteriis iucunde & laute fruentes.*

Aberat

Aberat nihilominus antiquioribus Eccleſiæ temporibus a ſimplici illo cantu, experte modulatiori muſica vel vocum vel inſtrumentorum, omnis incantatio ille, ut ita dicam, quam S. Leo M. Serm. LXXXVII. qui eſt quartus *de ieiunio ſeptimi menſis*, proſcribit: *Inſidioſo*, inquit, *etiam ſono & mollibus ictibus pulſantur auditus, ut animi ſoliditas illecebroſa modulatione ſolvatur, & lethalium conſuetudine ſuavitatum, incauta & parum ſobria corda capiantur.* Agit nempe ibi de diverſa tentationum arte, qua nobis adverſarius noſter inſidiatur, vocatque *tela dæmonis*; neutiquam vero de divina pſalmodia ſeu pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, quibus pie animus in cœtibus eccleſiaſticis commovetur. *Dæmoniaca cantica*, ſunt verba Evagrii apud Cotelerium T. III. *Monument. Eccleſiæ Græcæ* p. 281. *cupiditatem noſtram cient, animamque in fœdas imaginationes iniiciunt: contra pſalmi & hymni, & cantica ſpiritalia, ſemper ad recordationem virtutis provocant, ferventem animum noſtrum refrigerant, ac deſideria extinguunt.* Cum tamen proclive ſit, ut hic etiam ſeſe inſinuet delectationis quidam nocivus ſenſus, retulimus ſuo loco, quam ſtudioſe SS. Patres id præcavendum allaboraverint. Unum hic addo S. Io. Chrysostomi locum, qui quidem ad noſtrum argumentum de cantu & muſica ſacra pertinere haud videatur, cum de ſermonibus in Eccleſia haberi ſolitis ſit; ad propoſitum tamen noſtrum apprime facit. *Hoc*, inquit, *Hom. XXX.* in Act. Apoſtol. *ſubvertit eccleſias, quod & vos non quæritis audire ſermonem, qui compungere poſſit, ſed qui oblectet, & tinnulo ſtrepitu & verborum compoſitione, quaſi citharœdos & cantores audientes.* Invehitur mox in ipſos

ſacros oratores: *Floſculos verborum & compoſitionem, & harmoniam curioſius ſectamur: ut exhilaremus, non ut proſimus: ut ſimus in admiratione, non ut doceamus: ut oblectemus, non ut compungamus: ut plauſu & laudibus obtentis abeamus, non ut mores componamus.* Proh! quam apte hæc in muſicos noſtros, muſicamque etiam eccleſiaſticam ævi noſtri valent, a fine ſuo ſacro prorſus abeuntem, abhorrentemque ab inſtitutis Patrum, ac Eccleſiæ ſententia tot ſanctionibus prodita.

Id quidem perſpicuum fore exiſtimo ex hoc opere *de cantu & muſica ſacra a prima Eccleſiæ ætate uſque ad præſens tempus:* ſcilicet quibus initiis ætate prima (quam ad tempora uſque GREGORII *Magni* extendo) progreſſuque per medium ævum, quo ſimplici cantui muſica polyphona & menſurata ſeu figurata addita demum eſt, ad tantum exceſſum pervenerit a ſæculo decimoquinto potiſſimum, quo muſica hodierna, quam figuratam dicimus, olim infucata, ſemper magis magisque aberrat a ſuo ſancto ſcopo; numquam tamen tanta, quam noſtra memoria præſentique hoc tempore exorbitatione, auſu muſicorum laſcivientium luxuriantiumque in templis temerario, ac intolerabili: quo eo uſque iam ventum, ut nec nomen cantus ac muſicæ eccleſiaſticæ ſuſtineat, nec adeo modus quidem poni poſſe videatur, niſi abſoluta ſummarum poteſtatum auctoritate interpoſita, in integrum reſtituatur divini cultus decor profligatus, ſacraque noſtra profanata, maximo apud nos piaculo, qui iugem in altaris ſacrario præſentiam Chriſti incarnati contra Proteſtantes acatholicos, minus hac in re culpabiles, agnoſcimus; nec ſatis tamen, ne irreligioſiores, irreverentioresque videamur, ſatagimus.

Paſſim

P R Æ F A T I O.

Paſſim oſtendemus altero huius operis tomo, quanta quidem contentione id egerit BENEDICTUS XIV. in epiſtola encyclica data ad omnes epiſcopos ditionis eccleſiaſticæ an. 1749. *de anno Iubilæo, de cultu templorum, de cantu & muſica eccleſiaſtica*, religioſe ſcilicet ac decenter inſtituenda, reformandaque. His pie incitata monitis Auguſta M. THERESIA inſtrumenta muſica bellica ac venatoria e templis excluſa dudum voluit. Narrat ipſe ſummus revera Pontifex in noviſſima editione inſignis de ſynodo diœceſana operis lib. XI. c. 7. (ubi iterum agit *de cantoribus eunuchis, ac de muſica & inſtrumentis muſicalibus in Eccleſia tolerandis, vel prohibendis*) comperiſſe ſe, quæ in illa epiſtola encyclica tractavit, plerisque piis viris probata fuiſſe; id vero ab epiſcopis cavendum vult, *ne theatrales modi ad eccleſiaſticos concentus transferantur, neve theatralibus inſtrumentis eccleſiæ perſonent.*

Fruſtra vero omnia eſſe, vel in ipſa ditione eccleſiaſtica atque adeo *Romæ* an. 1762. & 1763. prioribus annis ſcilicet CLEMENTIS XIII. ſucceſſoris BENEDICTI XIV. diverſatus, didici: nec quicquam obtinebitur, quamdiu circumforaneam quamcunque muſicam, a quibusvis quocunque modo concinnatam promiſcue eccleſiæ inferre, ac typis etiam edere licet: muſicaque ſacra eandem ſemper cum profana mutationem ſubire permittitur: ac ſi hæc perinde ac illa ad curioſitatem tantum & oblectationem auditorum, vel gloriolam muſicorum, auctorum etiam novitati ſtudentium atque admirationi eſſe cupientium conſtituta ſit. Sed ut cantus planus, quem choralem nominamus, idem ſibi ſemper ſimilis eſt, ita etiam curandum eſſet, ut harmonicus gravi decentique habitu incedat, ſibi haud

diſſimilis

diſſimilis, aut diſſonans a ſanctitate religionis, cui conſecratus eſt: remoto omni ornatu extraneo, qui divinum dedecoret cultum. Quodque in aliis artibus liberalibus hodie egregie fit, ut antiquatis ſequiorum temporum *Gothicis* farturis, verus ad prototypon naturæ, præſtantiſſimorumque magiſtrorum, reſtituatur ornatus, ita ſaltem muſicam eccleſiaſticam cohoneſtari condeceret, operibus probatiſſimorum auctorum, quæ ſeligenda eſſent, ſtudioſe examinata a peritis, probis & ſagacibus viris, maturo religioſoque iudicio, ac congerenda vetera & nova ad eandem dignitatem compoſita, quæ ſola fas eſſet uſu ſacro in eccleſia audiri, nefaſtis exeſſe iuſſis. Auctoritate legitima, typographiæque ope haud adeo difficulter ita rem poſſe expediri, ordinarique, non obſtante cœtuum eccleſiaſticorum diverſitate, ſecundum perſonarum copiam & qualitates, locorumque & temporum circumſtantias, ad me nunc non attinet, nec opus eſt, pluribus docere. Rei momenta proſequor, ex ipſa argumenti ſerie ponderanda, converſione a prima Eccleſiæ ætate uſque ad præſens tempus ſtupenda.

SYLLA-

SYLLABUS TOMI I.

DE CANTU ET MUSICA SACRA A PRIMA ECCLESIÆ ÆTATE, USQUE AD PRÆSENS TEMPUS.

LIBER I.

DE CANTU ET MUSICA PRIMA ECCLESIÆ ÆTATE.

CAPUT I.

De perenni Muſicæ, ac cantus a prima humani generis origine in Sacris uſu, eiusque ortu, & progreſſu a prima Eccleſiæ ætate.

1. Finis primarius Cantus, & Muſicæ laus DEI. 2. Quo a prima origine relata. 3. In veteri Teſtamento a *Iudæis*. 4. Etiam inſtrumentalis a tempore Davidis. 5. Muſica in Sacris gentilium. 6. De Therapeutarum, & primorum Chriſtianorum hymnodia teſtimonia extranea. 7. De pſalmis, hymnis & canticis præcepta apoſtolica. 8. Exempla ex Scriptura. 9. Teſtimonia a prima Eccleſiæ ætate. 10. Cantorum munus a primordiis Eccleſiæ. 11. Munus populi in cantu eccleſiaſtico. 12. Cantus alternus, ſeu antiphonus in Oriente. 13. Et Occidente. 14. Aut populi ſuccentu, ſeu reſponſorius cantus. 15. Reſponſio populi *Amen*. 16. Doxologia *Gloria Patri*. 17. Cantus *Alleluia*. 18. Pſalmorum cantus frequens. 19. Pſalmodiæ divina virtus. 20. Ac varia pſalmorum genera. 21. Hymni a Chriſtianis elucubrati, non indiſcriminatim recepti, præſertim hæreticorum. 22. Inde a primis Eccleſiæ temporibus a *Græcis*. 23. Et *Latinis*. 24. Nihil obſtantibus adverſariis. 25. Fidelibus ſtudioſe divinas laudes concinentibus, & devote audientibus. 26. Paſtoribus promovere ſtudentibus.

CAPUT II.

Quænam primæ Eccleſiæ ætate in Sacrificio Miſſæ cantari conſueverint.

1. Semper aliqua in Miſſa fuerunt cantata. 2. Mox in Introitu. 3. Frequens *Kyrie eleiſon* &c. repetitio. 4. *Gloria in excelſis*. 5. Populi ad ſalutationem reſponſio, & Collectæ. 6. Cantus ante & poſt lectiones. 7. Præſertim *Alleluia* 8. Symbolum. 9. Offertorium. 10. Præfatio. 11. De hymno *Sanctus* &c. 12. De conſecratione, 13. Oratione dominica & benedictione. 14. De cantu in fractione & Communione. 15. Dimiſſio populi.

CAPUT III.

Cantus ac Muſica ſacra aliis in locis, partibusque Officii divini.

1. Sacri Chriſtianorum in hymnis ſpiritualibus conventus publici, die noctuque, per feſta. 2. Vigiliæ paſchales, & aliorum præcipuorum feſtorum. 3. Etiam in carceribus, & martyrio, proceſſionibus, translationibus reliquiarum, exceptionibus hoſpitum &c. cantus. 4. Cantus in ſtatis litaniarum, ſeu Rogationum proceſſionibus. 5. Cantus in conviviis, agapis, inter laborandum, aliisque diei momentis. 6. In funere Chriſtianorum. 7. Obſequia moribundis exhibita, ante & poſt ſepulturam. 8. Voces ac cantus cœlitus auditi. 9. Horarum canonicarum curſus. 10. Extraordinaria etiam, aut aſſidua pſalmodia acœmetorum. 11. Communi aliquando fidelium concentu officium divinum perſolutum. 12. Divina pſalmodia, ſeu curſus eccleſiaſticus paſſim inſtitutus. 13. Ex pſalmorum iugi cantu. 14. Per cantum *Reſponſorium.* 15. Tractum, totius pſalmi decantatione ab uno facta. 16. Alternum ſeu antiphonum, cui opponitur *indirectum.* 17. Repetitæ antiphonæ. 18. *Alleluia*, *Gloria Patri*, orationes in fine. 19. Orationes & lectiones inter cantum pſalmorum, poſt lectiones reſponſoria. 20. Hymni. 21. Uniformis ordo in divina pſalmodia. 22. De nocturnis vigiliis tum fidelium. 23. Tum præſertim monachorum, & clericorum. 24. De matutinis laudibus. 25. De horis diurnis. 26. De Veſperis & Completorio.

CAPUT IV.

Qualem habuerint, eſſeque voluerint prima Eccleſiæ ætate Sancti Patres eccleſiaſticum cantum.

1. Vetus muſica *Rhythmica* & *Methrica.* 2. An harmonica muſica primis ſæculis in uſu? 3. Qualis cantus prima Eccleſiæ ætate fuerit. 4. An aliquis inſtrumentorum muſicorum uſus fuerit prima hac ætate. 5. Quales cantus & voces veteres probarint. 6. Qualisque ſpectatus finis & modus. 7. Ab iis, qui cantum eccleſiaſticum promoverunt. 8. Probaruntque ob inſignes eius effectus. 9. Ad movendum pie affectum animi. 10. Ut mens aliena non ſit ab eo, quod canitur. 11. Aut etiam opera. 12. Peroratio de cantu eccleſiaſtico prima ætate.

LIBER II. PARS I.

DE CANTU ET MUSICA ECCLESIASTICA MEDII ÆVI.

CAPUT I.

De ſtatu & progreſſu Cantus eccleſiaſtici, Romani præſertim medio ævo.

1. Ars muſica exculta medio ævo veterum exemplo. 2. Uſque ad exceſſum. 3. Fruſtra tamen hæreticis eius uſum damnantibus. 4. Cantus *Gregorianus.* 5. Cantus *Ambroſianus.* 6. Eius cum officio *Ambroſiano* fata in *Italia* & *Germania.* 7. Ritus *Mozarabici* in *Hiſpania* mutatio. 8. Cantus *Gregoriani* in *Anglia* propagatio. 9. Cantus *Gallicanus.* 10. Cui deinceps cum officio *Romanus* ſubſtitutus paucis exceptis. 11. Sub Pipino. 12. Carolo M. 13. In urbe *Metenſi*, paſſimque in *Gallia.* 14. ac *Germania.* 15. Et alibi, cura præſertim Caroli M. in diſciplina cantus undique inſtituenda. 16. Item Ludovicii *Pii*, controverſia tunc orta inter *Lugdunenſem* & *Metenſem* Eccleſiam. 17. ſtatus muſices per medium ævum ſæc. IX. & X. &c. 18. Etiam apud *Græcos.*

CA-

CAPUT II.

De Cantoribus, & eorum functionibus.

1. De choro canentium, ſeu cantorum in Eccleſia. 2. De ſchola cantorum *Romæ.* 3. Et alibi. 4. Ordo cantorum. 5. De munere & dignitate cantorum, concentorum, ſuccentorum, præcentorum, primicerii, canonarchæ &c. 6. Item Archichori, armarii &c. 7. Ad cantum peculiariter notati, & aſſumti. 8. Ad id muneris apti factique. 9. Cantores a prima infantia. 10. Ad dignitates haud raro evecti præcipuas. 11. Cantores epiſcopi, & principes cantu delectati. 12. Mulieribus cantus interdictus in liturgia ſacra. 13. Et vox ſuavis in in cantu, quomodo ? 14. Cantores non niſi iuſſi cantabant. 15. Locus, inſtrumenta cantorum in Eccleſia. 16. Oblatio vini vel aquæ a cantoribus facta cum mappula. 17. Veſtes cantorum.

CAPUT III.

De ipſo Cantu, qualis in Eccleſia fuerit medio ævo, ac cantionum generibus.

1. Cantus notio & incrementa medio ævo. 2. Antiphonus. 3. Reſponſorius & Tractus. 4. De Neumis. 5. In *Alleluia*, *Kyrie eleiſon*, antiphonis. 6. De tropis, proſis & ſequentiis. 7. Lingua vulgari rhythmicæ cantilenæ. 8. De cantus moderatione.

CAPUT IV.

De ſolemni Miſſæ decantatione.

1. Qualis cantus in ſacra liturgia. 2. Cantus Miſſæ privatæ lectio dicta. 3. In Oriente & Occidente, ubi etiam *Græce* nonnulla cantata. 4. Varius ritus in Occidente. 5. *Gallicanus* & *Mozarabicus*, 6. *Romanus*. 7. Introitus ad Miſſam. 8. De verſu, ſeu pſalmo Introitus, eiusque cantu antiphono & tropis. 9. Tropi ad Introitum. 10. De cantu *Kyrie eleiſon* ſeu Litaniæ. 11. Tropi ad *Kyrie eleiſon.* 12. *Gloria in excelſis Deo.* 13. Et cum tropis. 14. De orationibus, & ſalutatione cum reſponſione populi. 15. Laudes cum Litania : *Chriſtus vincit &c.* Apud *Græcos* hymnus ter ſanctus, doxologia. 16. Lectiones, & cum eis coniunctus cantus. 17. Graduale. 18. Hymnus trium puerorum. 19. Tractus. 20. *Alleluia.* 21. Sequentiæ. 22. Sequentiarum primus auctor. 23. Evangelii feſtiva deportatio, & cantus. 24. Symbolum. 25. Offertorium. 26. Præfatio. 27. *Sanctus &c.* 28. Sub canone & conſecratione reſponſiones populi & cantus. 29. Cantus diptychorum. 30. Oratio dominica. 31. Benedictio ſolemnis ad *Pax Domini &c.* 32. *Agnus Dei.* 33. Communio. 34. Populi dimiſſio ſolemnis.

CAPUT V.

Cantus & Muſica ſacra medio ævo in adminiſtratione Sacramentorum, ritusque varius, præſertim in horis canonicis decantandis.

1. Cantus in adminiſtratione Sacramentorum in Occidente. 2. Et Oriente variis ſacris publice & privat e. 3. Ritus *Ambroſianus* Eccleſiæ *Mediolanenſis* pro horis canonicis. 4. *Mozarabicus* in *Hiſpania.* 5. Curſus *Gallicanus.* 6. *Romanus* divini officii ordo. 7. Variis mutationibus & additionibus expoſitus. 8. Laus perpetua. 9. Horarum canonicarum publica, & privata decantatio. 10. Nocturnæ vigiliæ. 11. Matutinæ laudes. 12. Horæ minores. 13. Veſperæ & Completorium. 14. Iugis uſus in horis canonicis pſalmorum & canticorum ſacræ ſcripturæ. 15. Pſalmodia ad laborem & refectionem. 16. Uſus antiphonarum in horis canonicis. 17. Reſponſoriorum item. 18. Hymni. 19. *Te Deum laudamus. Gloria Patri.* 20. ϛίχοι, ϛιχηρὰ verſus.

CA-

CAPUT VI.

De Cantu & Muſica ſtatis per annum diebus, ac ſolemnitatibus, aliisque tum ordinariis, cum extraordinariis divini Officii partibus.


1. De ſolemni Officio in Adventu & Nativitate Domini. 2. In Septuageſima vel Quadrageſima *Alleluia* omiſſum in Occidente. 3. De Officio quadrageſimali. 4. De Triduo ante Paſcha. 5. A Paſchate uſque ad Pentecoſten. 6. De rogationibus, litaniis, proceſſionibus. 7. De feſtis Sanctorum. 8. De cantu in translationibus Sanctorum. 9. In Synodis, acclamationibus, exceptionibus &c. 10. In benedictionibus Abbatum, Abbatiſſarum. 11. In agone & funere chriſtiano. 12. In Officio defunctorum. 13. Alia exercitia, preces, & pſalmodiæ. 14. Curſus & antiphonæ de B. V. de S. Cruce, omnibus Sanctis &c. 15. Cantus in vulgaribus probationibus, per ignem, aquam &c. 16. Antiphona: *Media Vita.*

CAPUT VII.

De libris ad Officium, Cantumque ſacrum medio ævo pertinentibus.


1. Varii libri liturgici, ad cantum eccleſiaſticum pertinentes. 2. Lectionarii varii etiam cum cantu. 3. Pſalteria. 4. Sacramentaria, Gradualia, Antiphonaria, Reſponſalia &c. 5. Ritu *Mozarabico.* 6. In Officio *Ambroſiano.* 7. In *Anglia, Hybernia, Germania.* 8. In *Galliis.* 9. Ac in Oriente.

DE



Ex veteri Mſc: San-gallenſi

Iohann Haaſ del. et Sculpſ.



DE

CANTU ET MUSICA SACRA

A PRIMA ECCLESIÆ ÆTATE, USQUE AD PRÆSENS TEMPUS.

LIBER I.

DE CANTU ET MUSICA PRIMA ECCLESIÆ ÆTATE.

CAPUT I.

De perenni muſicæ, ac cantus a prima humani generis origine in Sacris uſu, eiusque ortu, & progreſſu a prima Eccleſiæ ætate.

I.

Cantus muſicæque primarius finis eſt, & eſſe debet Dei gloria, ac laus, ſonis & vocibus quibuscunque demum, ſive inanimatis, ſive animatis expreſſa: humanis vocibus ad id aptis, factisque, ut Deum collaudare, & prædicare ſuapte, atque mentes ſuavi ſono concentuque ad illius laudes excitare, & commovere valeant. Deus porro ſicut cæterarum artium, ita huius quoque, de qua nunc oratio inſtituitur, in ipſa natura rerum ſonorarum principia, atque in mentibus hominum ſe- *Finis primarius cantus & muſicæ laus Dei.*

mina iecit; idque apud HOMERUM a) etiam muſicus confitetur, ſibi artem canendi a DEO inditam menti.

Quo a primo origine relata.

II. Divinum quoddam initium id genus hymnis in divino celebrando Numine laudandoque ſacra Scriptura aſſignat. *Ubi eras*, ipſe DEUS IOBUM alloquitur, *cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filii DEI?* Ubi notio רנן, cantum clara, atque ſonora voce factum denotat. Idem ſtatuendum eſt principium a rationalibus creaturis DEO impenſi cultus & religionis, atque eiuscemodi laudis. Et quis dubitet, primos parentes in iuſtitia & ſanctitate creatos, DEUM in paradiſo cantu celebraſſe? Quo in felici ſtatu conſtituti, omnibus ſcientiis infuſis imbuti, haud egebant ab avicularum concentu emendicare canendi peritiam, quæ vulgo tenetur opinio: cum & ſuapte natura ad canendum ducamur. Id vero quis ſibi perſuadeat, cum omnia cantu implerent in paradiſo avium chori, reticuiſſe hominem, quin aliquid in laudem ſui Creatoris modularetur? Suopte vero inſtinctu naturæ & mira pronitate cum ad cantum feramur, vel hinc opus haud fuerit auctorem huius rei prodere. Primos tibicines & fidicines prodit Scriptura, quæ debentur inventioni & ingenio hominum, non ipſe cantus. Sic nec memoriæ proditum eſt, quando primum modulato vocis ſono contentioneque DEI laudes celebrari publicis in conventibus cœperint. An, dum Scriptura refert ENOSI ætate cœpiſſe invocari nomen Domini, ſub id temporis publica etiam carmina, quæ demum cunque adhibita fuerint, in ſancto DEI cultu? quod nonnemini eſt viſum. Neque aſſeverari tuto poteſt, MALALEEL, ſeu MAHALEEL, qui inter primos ADÆ poſteros numeratur, nomen ſortitum fuiſſe a הלל, quod in divinis concinendis laudibus aliquando fore, ut emineret, ore præſago viſus fuerit. Nec vero Scriptura memorat, IUBAL, qui pater dicitur canentium cithara & organo, ad DEI potiſſimum honorem hæc muſica impendiſſe inſtrumenta. Qua de re eo magis dubitare licet, quod ex perdita CAINI ſtirpe fuerit. Nomen inde derivatum muſico inſtrumento, ac metonymice ſono & clangori in ſcriptura ſacra tribuitur, unde appoſite licet latinum vocabulum *iubilum* derivare; atque etiam nomen dedit celebri uſque ad præſens tempus anno iubilæo יובל apud *Hebræos* quinquageſimo: ad cuius auſpicium buccinæ inflabantur, earumque clangore captivis liberatio, ſervis libertas, debitoribus remiſſio fœnoris, venditoribus fundorum reſtitutio, & cuiuscunque ad familiam ſuam reditus ſignificabatur. Muſicam tamen, vocalem præſertim, iam ante IUBAL uſu veniſſe, huicque memorata ſolum inſtrumenta *Kinnor* & *Ugabh* in acceptis eſſe ferenda VOSSIUS b) & REIMMANNUS c) volunt.

c. XXVIII. 4. 7. — *Vid. SCHMIDII Comment. ad h. l.* — *Gen. IV. ult.* — *Gen. IV. 21.*

III.

a) Θεὸς δέ μοι ἐν φρέσιν οἴμας παντοίας ἐνέφυσεν.

b) De natura & conſtitut. Poeſeos lib. I. c. 3. p. 13.

c) Einleitung in die Hiſtor. antediluv. *Sect. I.*

In veteri Teſtamento a *Iudæis.*

III. Muſicæ ſacræ ante tempora Moysis exitumque *Iſraelitarum* ex *Æ-*
gypto nulla in publico Dei cultu fit mentio. Cum vero Moysis & *Iſraelita-*
rum mores & inſtituta, antea etiam pleraque a Patriarchis fuerint adhibita,
ut multis exemplis oſtendi poteſt, argumentum inde repetitur, hymnos &
muſicam non tum demum in religionis officiis locum accepiſſe. Apud *He-*
bræos muſicæ uſus iugis fuit in Dei laudibus. a) Eo pertinent a Deo afflatis a
hominibus profuſa cantica, inde a Moyse, & eius ſorore. Cuiusmodi in
ſacris paginis occurrunt etiam integri libri: præſertim autem a Davide &
Salomone editi proſtant pſalmi תהלים etiam dicti, ſeu hymni, quod ad lau-
dem Dei canerentur. b) Quidam ex illis ſpeciali titulo מזמור, *miſmor*, *pſal-* b
mi gaudent, an quod maiori artificio melos ipſis eſſet aptatum? cum aliis
nomen eſſet שיר, *odes*, quorum ſcilicet ratio canendi a vulgari pronuncia-
tione non multum recedebat; nonnullis שיר מזמור, aliis מזמור שיר tituli lo-
co præfigitur, ut quibusdam videtur, c) quod illic a pſalmodia fieret ini- c
tium, & huic poſtremo reſponderent ſymphoniaci ἀντιφωνοῦντες, ſeu reſpon-
dentes voce, iſtic vero ab organis initium duceretur, cui reſpondebant pſal-
morum antiphonæ. Quibusdam tandem שגיון, *ſchiggaion*, ſeu odæ errati-
cæ nomen datum fuit, ut innueretur, aberrationem ab incepto tono fieri ad
abreptionem animi, & affectuum vehementiam ſignificandam. Dubitat Ori-

GENES

q. 43. *p.* 41. Fuit nonnullorum perſuaſio, celebratas illas antediluvianas columnas ad muſicam pertinuiſſe: *Nam*, inquit *Adam* de Fulda *P. I. c.* 7. Scriptor ſæc. XV. de Muſica, *ante diluvium in duabus columnis per eum* (Iubal) *ſcripta fuiſſe dicitur, una latericia, & altera marmorea propter metum ignis & diluvii.* Quod ipſum quidem Iosephus *L. I. Ant. Iud. c.* 2. affirmat, dicitque, *eas in terra* Syriæ *hucuſque permanſiſſe.* Sed vero a filiis Seth diſciplinam rerum cœleſtium & ornatum earum eiusmodi columnis inſcriptas memorat, quas ſunt qui Adamo, Cainani, Noæ, Chamo, imo Abrahamo, denique alii Thubali tribuerunt; de Iubal nihil uſpiam legi. Miſſa facimus, quæ apud Bulæum *T. I. Hiſt. Acad. Pariſ. p.* 110. ex Scripto medii ævi referuntur, Abraham docuiſſe quadrivium, id eſt quatuor artes, arithmeticam, geometriam, muſicam, & aſtronomiam.

a) Iam D. Calmet differt. *in Muſicam Hebræorum* obſervavit, nuspiam in ſcripturis apparere, notum fuiſſe apud *Hebræos* uſum muſicæ in theatris atque ſpectaculis, quod etiam apud *Græcos* recentius habetur inventum.

b) „Canticum itaque Domini (verba ſunt S. Ambrosii proœmio in Pſalmos) ſicut ros mollior deſcendit e cœlo, & fidem hominum ſicut gramen imbre quodam gratiæ ſpiritalis infudit. Duo igitur cantica in libris Moysi, tanquam duo mundi oculi, cœlique lumina, totum corpus operis eius illuſtrant. At vero David principaliter a Domino ad hoc munus electus eſt; ut quod in aliis rarum præeminere reliquo in opere videtur, in hoc iuge & continuum refulgeret. Unum canticum legimus in libro *Iudicum*, reliqua hiſtoriæ more decurſa, quibus expreſſa ſunt geſta maiorum. Unum Esaias canticum ſcripſit, quo legentium corda mulceret: in reliquis terribili tuba correptionis infremuit. Canticum ei, ne ipſi quidem inimici obiicere potuerunt, qui eum propter alia dicta uſque ad necem ſunt perſecuti. Unum Daniel, unum Habacuc, Salomon ipſe David filius licet innumera cantica cecinuiſſe dicatur, unum tamen, quod Eccleſia receperit, Canticorum Canticum dereliquit.„ Progreditur deinde ad eundem, qui caput eſt, pſalmorum librum.

c) Vid. *Salomon* van Till veterum, imprimis *Hebræorum*, Poetice & Muſica &c. *Stephani* le Moyne Var. Sac. T. II. p. 970.

Tom. II. Nov Edit. S. Maur. pag. 519. C. GENES de pſalmis, qui inſcripti ſunt *oratio*, οἱ ἐπιγεγραμμένοι προσευχῇ, *Forte*, inquit, *nec pſalmi, nec cantica, nec hymni ſunt, ſed nudæ orationes, orantium convenientes affectui & habitudini, nec non omnibus, qui eodem, ac ii, de quibus dictum eſt, mentis affectu ſunt.* Qua de re quidquid ſit, celebris apud
a *Judæos* fuit muſicæ diſciplina, cœtus etiam Prophetarum. a) In colle DEI erant præſide SAMUELE cœtus Prophetarum, Doctorum & diſcentium, qui crebro filii Prophetarum appellantur. Horum penſum fuit (iuxta ALTINGIUM, *Hiſt. Acad. Hebr. p.* 23. & *Andr.* SMIDIUM, *de Cantor. Eccl. V. & N. T. p.* 2.) muſicam exercere, & prophetare, vel hymnos componere in laudem DEI, de qua ibidem erudiebantur. Huc omnino ſpectant verba illa:
1 Reg. X. 5. *Poſt hæc venies in collem DEI, ubi eſt ſtatio* PHILISTINORUM, *& cum ingreſſus fueris ibi urbem, obviam habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipſosque prophetantes.* Ad hunc locum *Cum prophetia,* ait R. *Dav.* KIMCHI, *illorum, erant cantica, & celebrationes nominis divini.* Conſtat etiam cultum Leviticum præcipue pſallendo ac canendo conſtitiſſe, maxime a DAVIDE adornatum. Ac quidem cantores (de cantricibus dubitat cum aliis D. CALMET diſp.
b in muſicam *Hebræorum*, an in obſequium templi unquam fuerint, b) quod aliis vero haud abſimile videtur) ex ſingulis tribubus erant; chori nihilominus muſicorum ſingulatim fuerunt inſtituti, atque a DAVIDE, cœleſti monito, cultui divino deſtinati, ex familia KAATH, GERSON & MERARI; quin tamen prohiberentur reliqui *Iſraelitæ* ſuam iungere vocem Levitarum cantui, modo in atrio ISRAELIS conſiſterent, nec penetrarent
c in atrium Sacerdotum, miſcerenturque Levitis. c) A S. CLEMENTE Ale-
L. VI. Stromat. xandrino *exemplum muſicæ ſimul pſallens & prophetans*, ponitur DAVID, DEUM *concinne laudans.* Idem refert, ſacram *Hebræorum* muſicam in templo, plerumque *Doricum* retuliſſe graviſſimum, & vetuſtiſſimum muſicæ

a) Legi meretur Io. H. BOCRISII obſervatio T. IV. Miſcell. lipſ. p. 56. &c. de *muſica Præexercitamento Ebræorum ad ſapientiam diviniorem, & Mar.* MERSENNUS *de Muſica Hebræorum*, ubi ab iis ſcripturæ locis exponendis initium ſumit, quæ prophetiam vi concentus muſici prophetis contigiſſe vel inſinuant, vel affirmare videntur.

b) Vid. *Iac.* SCHUDT de cantricibus templi apud *Blaſ.* UGOLINUM Theſ. ant. Sacr. T. XXXII. p. 656. & p. 572. *Bernardi* LAMY diſs. de Levitis cantoribus Add. *Io.* LIGHTFOOT *Miniſterium templi Hieroſ.* Sect. II. *de cantoribus & muſica templi*, & *Io.* WALLISIUS *de pſalmorum titulis* inter opera miſcellanea p. 296. &c.

c) Refert IOSEPHUS, *Lib. VII. Antiq. Iud.* DAVID ſeptem conſtituiſſe choros, & eos canentes ac præcinentes, ipſum ſubſecutum, dum arca *Hieroſolymam* deportaretur. Alias inter quatuor millia viginti quatuor numerantur ordines per annum diſtributi, inter quos capita erant ASAPH, HEMAN, & IDITHUN a DAVIDE inſtituti. 1. *Paralip. XXV.* 1. *v.* 7. *Fuit autem numerus eorum cum fratribus ſuis, qui erudiebant canticum Domini cuncti Doctores ducenti octoginta octo.* Inter hos CHONENIAS, ut legitur *c. XV.* 22. *v.* 27. *Princeps Levitarum prophetiæ præerat ad præcinendam melodiam: erat quippe valde ſapiens.* Mox nominantur *Cantores &* CHONENIAS, *Princeps Prophetarum*

muſicæ genus, totum fere in ſpondeis & productioribus ſyllabis verſans. Aben Esra in Pſal. VI. teſtatur, eſſe, qui titulum על שמינית *ſuper octavam* interpretentur *cantilenam, cui ſunt octo toni, ſeu ſoni.* Quod generi *diatonico* congrueret, octo tonis contento, in quo genere modus *Doricus* primus cenſetur. *Io.* Harenbergius alios etiam modos muſicos, vel in ipſa pſalmorum inſcriptione inveniſſe viſus eſt. Æolius, ait, *dicitur* אילת, Aijeleth *in inſcriptione pſalmi Davidici XXII. ſi quid aſſequi licet divinando.* Ionicus *autem vocatur* יונת *in epigraphe odæ Davidicæ LVI.* Sic etiam *Iulius* Bartolocius Tract. *de muſicis inſtrumentis Hebræorum* ſeptem omnino tonos notat, octavum vero recentiores addidiſſe. S. Chrysostomus, Euthymius, & alii SS. Patres vocem διάψαλμα, ſeu סלה, *Sela*, paſſim in pſalmis occurrentem, cantus quandam, ſeu melodiæ immutationem deſignare putant, quod iam ab Origene fuit notatum. *Utrum autem*, inquit, *cuiusdam muſicæ cantilenæ, aut rhythmi immutationem, qui interpretati ſunt* diapſalma, *ſenſerint, aliudve intellexerint, tuo iudicio derelinquo.* Van Till, poſtquam varias de voce hac *Sela*, ſeu *diapſalma* retuliſſet opiniones, ſuam etiam ſubdit, ex originatione סלל, eſſe admonitionem ad tubicinem, ut elatiore ſono ſignum mutandæ melodiæ daret. Varias variorum ſententias & diſquiſitiones de voce *Sela* vide apud mox citatum *Bl.* Ugolinum. Quodſi ad modum muſicum mutandum pertinuit in genere *diatonico*, convenienter id factum fuiſſe dici poteſt, quomodo in Eccleſia chriſtiana ſecundum octo modos eius generis inſtituitur cantus: eſt vero ſingularis melodia pſalmi CXIII. *In exitu Iſrael de Ægypto*, forte e ſynagoga repetenda, ad eum modum, quem nunc diximus eſſe שגיון appellatum. Pſalmum hunc *Hebræi* in maxima ſolemnitate ſua ad immolationem agni paſchalis ſingulari cum lætitia decantarunt. Ad eandem etiam originem haud inepte refertur diſtinctio illa, quæ in pſalmorum cantu eccleſiaſtico adhibetur in medio, ac in fine verſuum, ſecundum accentuationem

Comment. de muſ. vetuſtiß. Vol. IX. miſc. Lipſ. p. 217. an. 1752.

T. II. Nov. Ed. p. 516.

Dicht- Sing- und Spiel-Kunſt. p. 477. A.

inter Cantores, unaque Rex David. Cui præcipua, nondum ædificato templo, ornatæ in cultu Levitico muſicæ laus tribuitur. De eodem ſingularem affert locum *Stephanus* le Moyne Var. Sacr. *T. II. p.* 977. ex Hippolyti *Portuenſis* libro ined. Bibl. *Laurentianæ* in Pſalmos: *Poſt* Mosis *diſciplinam, liber pſalmorum novam invexit doctrinam, & novum inſtitutum cultus* Dei. *Et eſt velut ſecundus liber diſciplinæ poſt* Mosen. *Nam* David *oraculo & quaſi Spiritu* Dei *monitus, novam rationem pſalmodiæ tradidit Hebræis, per quam ſuſtulit, & removit cultum ſacrificiorum a* Mose *inſtitutum, & novam* Deum *colendi invexit rationem per hymnos & cantica.* Habes hunc locum apud Corderium, *Catena in Pſalm. Proem. P. X.* De eodem David S. Augustinus, *L. XVII. de Civ. Dei c.* 14. *Erat* David, inquit, *vir in canticis eruditus, qui harmoniam muſicam non vulgari voluptate, ſed fideli voluntate dilexerit; eaque* Deo *ſuo, qui verus eſt* Deus, *myſtica rei magnæ figuratione ſervierit. Diverſorum enim ſonorum rationabilis moderatusque concentus concordi varietate compactam bene ordinatæ civitatis inſinuat unitatem.*

tuationem carminibus *Hebræorum* adiunctam: quæ duabus aut tribus conſtant partibus, ut ſi ſolito longior eſſet ſententia, prior iterum divideretur pars: quemadmodum etiamnum fit in noſtra pſalmodia; alias autem in medio paululum quieſcitur, ac in fine reſpiratur, ſeu alteri choro in cantu antiphono ſuus per vices verſus decantandus relinquitur. Ad quem ordinem per vices alternatim canendi referri poteſt vox ענה, quæ in variis Vet. Teſt. canticis occurrit: veluti Exod. XV. XXXI. Num. XXI. 1. Reg. XVIII. XXI. XXX. Pſ. LXXXIX. &c. S. Augustinus & Theodoretus titulum Pſ. LXXXVII. de chororum ordinibus invicem ſibi reſpondentibus explicant: quaſi inſtituto ſolenni cantu in tabernaculo Domini ſub Davide etiam cantus reſponſorius eſſet frequentatus. Titulus eſt: *Filiis Chore. In finem. Pro Maheleth*, ſive *in chorea*, ut Aquila, aut *per chorum*, ut Symmachus vertit, *ad reſpondendum. Reſponſio autem*, inquit Theodoretus, *tacite innuit, chororum ordines invicem ſibi reſpondentes.* Sed tota res hæc de pſalmorum titulis incerta eſt perinde ac de

Lib. II. c. 2. p. 362.

accentuum uſu muſico. Wasmuthus in *Vindiciis S. Hebr. Scripturæ* diſſentientium rationes ſolvit. *Gottlieb* Werensdorffius *de Prudentia in cantionibus eccleſiaſticis adhibenda* ex *Hebræorum* cum Grammaticorum tum Magiſtrorum ſcriptis conſtare teſtatur, apud *Iudæos* modernos de accentibus & melodiis pſalmorum aliarumque cantionum veteris inſtrumenti

Accentus muſici.

Pag. 28.

certi haberi nihil. *Et ſane*, addit, *accentus in cantando ab ipſis non attendi, vel hoc unum argumento eſt, quod aliter diebus feſtis maioribus, aliter minoribus canunt, nec tamen mutant accentus. Omnis igitur diſciplina de* Ebræorum *numeris modisque exſpiravit.* Plerique enimvero accentuum hebraicorum uſum non ſolum ad diſtinctam legendi rationem, ſed etiam ad vocum modulationem, chorali noſtro cantui haud abſimilem, ſtatuunt, diſtinguntque accentus grammaticos, rhetoricos, muſicos, quorum uſus in eo conſiſtat, quod *Iudæi* in ſynagogis ſuis iuxta illos, tanquam muſicas intervallorum notas cantillant lectiones Moſis & Prophetarum ſabbaticas. Et propter harmoniæ varietatem etiam variæ & multiplices ſunt accentuum *Hebræorum* figuræ (licet grammatici & muſici coincidant, excepto forte decalogo, ut in MSS. advertere eſt) ut quælibet dictio ſicut melodiam, ita & accentum peculiarem habeat. Id quod *Georg.* Abichtius in *Arte diſtincte legendi & interpretandi Scripturam V. Teſt.* probat, allatis ex *Talmude Hieroſolymitano* ac *Babylonico*, *Maſora* item & Elia Levita, teſtimoniis, qui unanimi conſenſu Scripturam ſecundum accentus lectam & decantatam eſſe profitentur. Probat idem ex duplici vocum quarumdam accentuatione, accentuum ſervorum multitudine, & hebraicorum accentuum cum *Græcorum* notis muſicis convenientia. Fatetur tamen,

muſicum

muſicum accentuum hebraicorum uſum vel exſpiraſſe prorſus, vel ob ingentem *Iudæorum Germanorum* & *Polonorum* in cantu diſcrepantiam incertum ſatis eſſe. *Mich.* Beck, qui contra *Samuel.* Bohlium accentuum hebraicorum uſum muſicum ſing. Diſſert. defendit, ultro tamen largitur, apiculis iſtis non deſignari muſicam illam antiquam, qua Mosis & Davidis tempore ſacra cantica decantabantur, ſtatuitque illum cantum magis, ut hodie loquuntur, figuratum & cultiorem fuiſſe, quam rudior ille modulus, quo *Iudæi* utuntur, ſolentque, quod præcipuum erat Bohlii argumentum, cantillare textum ex codice non accentuato: reſpondet autem Beckius aſſuefieri *Iudæos* cura informationis domeſticæ huic cantillationi ad ductum accentuum adornandæ ex codice prius accentuato & punctato. Alia eſt etiam ſcala a) muſicalis accentuum *Hebræorum* ad mentem Reuchlini, quam ex Beckio afferimus, alia *Iudæorum* in ſuis ſynagogis; variatque non ſolum pro diverſis nationibus, ſed etiam prout ſunt diverſi libri ſacri, quibus in ſuis Sacris utuntur *Iudæi.* Utrumque patet ex diſcrepantia *Germanorum, Italorum* & *Hiſpanorum Iudæorum.* Melos exhibet P. *Pet.* Guarin, Ord. S. Benedicti, Congregat. S. Mauri in Grammatica hebræa: quamvis ea omnia, quæ de muſicis accentibus narrant *Iudæi*, neque a nobis, neque ab ipſis etiam fortaſſe percipi exiſtimet; pro certo autem habeat hodiernorum *Iudæorum* muſicam a veteri, quæ Mosis, aut Davidis temporibus in uſu erat, plane eſſe diverſam. Diſcrimen cantillationis huiuſcemodi *Hiſpanicorum*, *Italicorum*, & *Gallicorum Iudæorum* quoque in tabula exhibet P. *Io. Bapt.* Martini, quoad ipſos pſalmos: aliud eſt quoad accentuum rationem, quo in ſynagoga utuntur decantando Pentateuchum, confuſis admodum vocibus, ac incondito

T. I. Theol. Philol. Theſauri p. 563. &c.

a

Lib. II. Parte altera p. 329. &c.

T. I. Hiſtoriæ muſicæ Italice editæ ad p. 424.

a)



c. XLVII. 11. dito clamore, ſecus ac apud Eccleſiaſticum de inſtituto per Davidem cantu refertur: *Et ſtare fecit cantores contra altare, & in ſono eorum dulces* P. IV. p. 130. *fecit modos.* In libro Cosri quærit *Iudæus: Quid vero cenſes? Exiſtimasne illos muſicæ peritos fuiſſe ſecundum eius modos, an vero non?* Reſpondet Cosri: *Tunc temporis citra dubium fuit perfectiſſima, & varie excitans & afficiens animos, ſicut de ea dicitur, quod permoveat & transferat animam ab una proprietate* (affectu) *ad alteram. Quod hodie de ea ſcitur, nihil eſt ad comparationem eius, quod olim fuit: quia hodie contemptibilis reddita eſt, dum ei operam dant ancillæ & viliſſimi quique homines. Proinde deſcendit vel decidit a dignitate ſua, ſicut & vos ea excidiſtis.* Certe apud nos ſynagogas intrantibus, non idem, quod P. Martenio, & ſocio Durando, qui adhuc ſuperſtes id mihi eſt conteſtatus, *Carpentoraci* accidit, atque in itinere ſuo litterario referunt, *In conventibus ſuis*, aiunt, a a) *pſalmos hebraice canunt eleganti cantu. Cantari nobis fecimus a pueris* Iudæis, *qui nos extra nos rapiebant.* Tractatus de Muſica veterum *Hebræorum* excerptus ex ſchilte *Haggibborim* nunc primum a *Bl.* Ugolino P. II. Vol. XXXI. Theſ. Eccleſ. ex *Hebraico* latine redditus docet p. XIV. quomodo *Hebræi* etiam muſicum concentum pluribus vocibus edant. Pſalmos, quos ſingulis diebus, ac feſtivitatibus canerent in ſuis ſynagogis, *Temple ſervice c. 7.* Lightfoot deſignat. Quomodo autem alia etiam promiſcue iam olim cantarint præter pſalmos, Alphonsus de *Zamora* in ſua grammatica refert: *Edit. Complut. 1526. 4to.* quinque videlicet libros Moysis, & alias hiſtorias ſacras, tono dulci, & pleno, prophetias accentu rudi & ſevero, pſalmos tono gravi, qui ad extaſin ac contemplationem adducebat, proverbia melodia animos facile ſubeunte, Eccleſiaſten tono ſerio, ac ſevero, Canticum canticorum hilari cantare ſolitos fuiſſe. Sub anathemate vetitum erat muſicis mutare modos, quod fulmen erat ſynagogæ. Refert D. Fleurius, qui de hac re ſcripſit, ſe vidiſſe fragmentum cum notis muſicis antiquis cantu maxime harmonico. Si Suidæ fides, perierunt veteres notæ *Hebræorum* Arcadio imperante. Veſtigia veteris muſicæ *Davidicæ I. Ch.* Speidelius, b b) ſecundum voces ſuas diſtincte diverſas, tonos, notas, moderationem ordinis ſeu numeros, & repetitiones, ſcrutatus eſt. Facit huc etiam *Salomonis* Van Till liber iam citatus, quæque magna contentione diſputata ſunt de metrica pſalmorum conſcriptione, ac poeſi *Hebræorum*, cum qua vetus eorum muſica intercidiſſe viſa eſt. Ea iterum inventa, ut ſpem faciunt auctores *Galli* novi *Tractatus* diplo-

a) *P. I. p.* 289. Dans leurs aſſemblées ils chantent des Pſeaumes en hebreu, dont le chant eſt charmant. Nous en fimes chanter un a des petits *Iuifs*, qui nous enleverent.

b) P. *Chriſtoph.* Speidels unverwerffliche Spuren von der alten *Davidiſchen &c.*

diplomatici, de veteri etiam muſica *Hebræorum* aliquid ſperare licet, quæ apud *Iudæos* unacum templi excidio in eorum diſperſione periit, ut poſtulantibus, quod in pſalmo CXXXVI. habetur: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion;* quod ſequitur ſolum reponere poſſint: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* ac potius in noſtra pſalmodia, noſtrisque in eccleſiis, quam eorum ſynagogis avitus cantus *Hebræorum* ſecundum nativos generis diatonici antiquiſſimi modos quæri poſſit. Veteres plerique Iosephus (qui Moysen compoſuiſſe ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ, Davidem trimetro, & hexametro verſu, inſtrumentisque muſicis comparatis docuiſſe Levitas ad pulſum eorum laudes Dei decantare, perhibet) Philo, S. Hieronymus, cum recentioribus non paucis, tum Rabbinis, cum chriſtianis Doctoribus Vatablo, *Theodoro* Herberto, Gomaro, Meibomio, metri aut rhytmi rationem in pſalmis, ac canticis hebraicis veteris Teſtamenti ſtatuunt; alii vero veluti *Auguſtinus* Eugubinus, Scaliger, Capellus, Loescherus, Hilligerus, Calmetus hoc negant, naturamque poeſeos hebraicæ in oratione vehementi, incitata, gravi, luminibus verborum ſententiarumque conſperſa, atque in ſtilo potius, quam ſyllabarum numero ponunt, uti laudatus Calmetus in ſingulari diſſertatione probat de poeſi veterum *Hebræorum* talem ante Mosen apud *Iudæorum* maiores, tum apud *Græcos*, teſtibus Demosthene, Diogene *Laertio*, ac Clemente *Alexandrino*, & apud *Iudæos* ſequentibus temporibus in uſu fuiſſe, ut nihil artis ei ineſſe cognoſci poſſit a).

Poeſis Hebræorum.

L. II. Ant. Iud. c. 16.

L. VII. c. 120.

a

IV. Inſtrumenta varia muſica in ſacris *Iudaicis* fuiſſe adhibita, dubitare non licet, ſed non æque ante Davidem & Salomonem. De Davide habetur: David *autem & omnis* Israel *ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis.* Davidem luſiſſe coram Saule legimus כִּנּוֹר, *kinnor*, cithara vel pſalterio. Cui geminum erat נֵבֶל. Quod voce *nablum*, *naula* apud alias etiam gentes uſitatum in pompis & cærimoniis religionis docet Calmet

Etiam inſtrumentalis a tempore Davidis.

2.Reg. VI.5.

1. Reg. XVI. 23.

in

a) „Vera igitur (cum *Er.* Loeschero *Io. Zach.* Hilligerus de pſalmorum, hymnorum, atque odarum diſcrimine loquitur) & genuina carminum ſacrorum, & imprimis *Hebræorum* indoles, quantum adhuc penetrare licuit, in tribus conſiſtit momentis, quorum prius eſt, ut brevibus conſtent membris, quæ per accentus maiores diſtinctivos, *ſillukum*, *athnahhum*, & *mercam mappachatum*, ad ſenſum ſcopo & textui maxime congruum eruendum, indicantur. Alterum dicitur *rhytmus*, non, quem antea removimus, ſed ex Suidæ deſcriptione, melodia, ſeu accommodatio ad muſicam, ut potuerint illa carmina cantari, quibusdam ſyllabis tarde, aliis breviter pronunciatis, licet non ſint ſua tales natura; de cuius harmonia, quam mox inquiremus, ordine nobis hodie, ob antiquam *Hebræorum* muſicam deperditam, parum aut nihil certi conſtat. Tertium denique carminis *Hebræi* momentum eſt ſtylus poeticus &c.“

in Diſſert. *de muſicis Inſtrumentis Hebræorum*; alium vero uſum demon-
Cap. XIV. ſtrat *Angel.* Politianus in libro *Miſcellan.* Memorantur inſtrumenta muſica
p. 238. opp. Gen. XXXI. in *Geneſi*, ſed alia quam cultus divini occaſione. *Cur*, aiebat ad Iacob La-
28. ban, *ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi, ut proſequerer te
cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Tubam חצצרה, *hha-
tzotzerah* Moyses adinvenit ad convocandum populum, quæ qualis fuerit
Lib. III. Antiq. Iud. Iosephus narrat: *Adinvenit autem*, inquit, *modum tubæ ex argento factæ,
quæ eſt huiusmodi, longitudinem habens pene cubiti; eſt autem anguſta fiſtula
calamo capacior, præbens latitudinem, quæ conveniat ori ad ſuſceptionem ſpi-
ritus, & claſſico tono vicina, quæ hebraica lingua vocatur* asosra. Con-
ſpicua eſt *Romæ* eius forma in arcu triumphali Vespasiani apud van Till,
& alibi, typis æneis expreſſa. Sed tuba hæc etiam, poſtquam inſtrumento-
rum muſicorum varia genera in ſacris Leviticis ſunt introducta, uſui inter
cantandum non fuit, haud dubie ob fortem nimis clangorem, ne ſenſum
verborum obrueret. Fuerunt tamen adhibitæ tubæ, dum cantores reſpira-
rent. Quod genus quoddam erat alternæ muſicæ apud *Hebræos*, quam vo-
ce ענה, ut iam diximus, notabant a reſpondendo, ſeu alternando, ut ho-
dieque haud raro fit in ſacris noſtris, interludente præſertim organo. At et-
Pſalm. LXXVII. 7. iam, unacum voce, alia inſtrumenta componebantur, quod genus muſi-
cæ נגינה, *neginah* vocatur. Inſcriptionem pſalmorum על שמינית, *ſuper
In Pſ. VI. octavam* Chaldæus interpres, AbenEsra, R. *Salomo* Iarchi, de inſtrumento
ſeu cithara octo chordarum interpretantur, quemadmodum titulum pſalmo-
rum על שושנים ſunt, qui accipiendum putent de inſtrumento ſex chorda-
rum. Alii tamen putant *ſcheminith* שמינית vocem eſſe, quæ cum altera
conſonabat, עלמות, *alamoth* dicta, ſc. virginalis, ut vocem altiorem, ac
ſuaviorem in *diapaſon* deſignet; unde altera gravis, & virilis dici poſſet. Sed
melius ipſis inſtrumentis, hoc poſito, applicetur, quæ conſonarent cum
vocibus virilibus (quippe ante annum vigeſimum locus non erat inter can-
tores) in *diapaſon*, ſeu *octava* conſonantia. Quod timidius dixerim de al-
tero illo titulo על שושנים ut de *diphonia* per *ſextæ* conſonantiam accipia-
tur. Incertum enim eſt, an eiusmodi ſymphoniæ in uſu fuerint apud vete-
res. De qua re D. Burette, & alii ſcripſerunt. Id certum eſt, varia in-
ſtrumenta muſica apud *Hebræos* in templo obtinuiſſe, qualia in variis pſal-
In Pſalm. CXLIX. mis memorantur, præſertim penultimo; putatque S. Chrysostomus, homilia
in illum pſalmum cum choro SS. Patrum, hoc carnali, craſſo, & ad idolola-
triam prono genio fuiſſe indultum. Multi ex recentioribus eiusmodi inſtru-
menta deſcripſerunt, ut *Chriſt.* Weidlingius, *Mich. Henr.* Reinard de *He-
bræorum* inſtrumentis muſicis, ac inter alios D. Calmet ſingulari diſſerta-
tione *de Muſica Veterum*, imprimis *Hebræorum*; magnusque numerus initur
inſtru-

inſtrumentorum hebraicorum a Scriptoribus *Iudaicis*, ex quibus quatuorde-
cim pro ſpuriis habet laudatus CALMET. In tres autem diſtinguit claſſes
inſtrumenta muſica genuina. Prima eſt fidium, ſeu nervorum : ſecunda tibia-
rum; & tertia tympanorum; quæ ſingula in tabula typis æneis expreſſa ex-
hibet. Nihil celebrius eſſe potuit ſolemni arcæ deductione, iubente DAVID 1.*Paral.* XV.
Principibus Levitarum, *ut conſtituerent de fratribus ſuis cantores in organis* 16. &c.
muſicorum, nablis videlicet, & lyris, & cymbalis, ut reſonaret in excelſis
ſonitus lætitiæ. Erant in primo ordine *cantores* HEMAN, ASAPH, & ETHAN
in cymbalis æneis concrepantes: in ſecundo ordine ZACHARIAS, & MATHA- *
THIAS cum ſuis; illi *in nablis arcana* cantabant;* hi *in citharis pro octava* על-עלמות
canebant epinicion . . . Univerſusque ISRAEL *deducebant arcam fœderis Do-*
mini in iubilo, & in ſonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, &
citharis concrepantes. Sequenti capite ſingillatim enarratur, quibus quique
tractandis muſicis inſtrumentis addicerentur in miniſterio arcæ. Et cap.
XXV. 1. *Igitur* DAVID, & *magiſtratus exercitus ſegregaverunt in miniſte-*
rium filios ASAPH, & HEMAN, & IDITHUN: *qui prophetarent in citharis,*
& pſalteriis, & cymbalis, ſecundum numerum ſuum dedicato ſibi officio ſer-
vientes. Diſcimus autem ex veteri *Miſna*, nunquam minus, quam duode-
cim, qui ore, & totidem, qui inſtrumentis canerent, fuiſſe. EUSEBIUS a) a
plura inſtrumenta recenſens muſica ad pſalmorum cantum adhibita, vocem Sela, Diapſal-
diapſalma additam putat, quando ſilerent inſtrumenta. Alios vero uſus ma.
eius vocis deſignat ORIGENES b), nec exiſtimat ad omnes pſalmos uſum in- b.
ſtrumentorum fuiſſe, iuxta pſalmorum inſcriptiones. Hic rememoranda eſt,
quam paulo antea retulimus, opinio, *Sela*, ſeu *diapſalma* eſſe notam pro
tibicine, ad ſignum elatiore ſono edendum, pro mutatione melodiæ. Cum
excidio templi ceſſavit etiam inſtrumentorum muſicorum apud *Iudæos* uſus,
niſi

a) „Hi (ſunt verba EUSEBII apud CORDER. Expoſ. in pſalm. procem. II. de diapſalmate) ſtabant in conſpectu ſanctuarii Domini, laudantes Dominum univerſorum : unus quidem cymbala, alius vero pſalterium, alius fides, alius buccinam, alius citharam habens; quorum medius ſtabat DAVID; atque hoc modo cantica auſpicabantur, tenentes in manibus iſtiusmodi inſtrumenta, & unusquisque Spiritu Sancto motus DEUM collaudabat, omnesque pſallenti ſuccinebant ALLELUIA. Quomodo autem Spiritus Sancti gratia ad breve tempus ceſſabat, inſtrumentis deinde minime motis, tunc, uti par eſt, vocem iſtam diapſalma ſcribebant. “

b) „In pſalmis (inquit ORIGENES, Tom. II. pag. 522.) qui habent *diapſalmata*, AQUILA pro diapſalmate vertit *canticum*, quinta autem editio *iugiter*. Porro iuxta noſtra exemplaria & SYMMACHUM, quando muſicæ cuiusdam melodiæ, & rythmi ſit mutatio, videtur appoſita diapſalmatis nota. Sæpiſſime vero & ſenſus mutatio eſt in diapſalmatis, interdum & perſonæ. Exiſtimabit forte quispiam eos, qui pſalmorum nomine inſcripti ſunt, pulſatione inſtrumenti muſici, quod vocatur pſalterium, recitatos fuiſſe; ſed quoniam ſecundum AQUILAM per totum librum, in quibuscunque ſecundum LXX. pſalmus inſcribitur, in iis modulatio editur, ſecundum vero SYMMACHUM ode vel canticum; idcirco neceſſario hæc annotavimus, ne quis putaret per muſicum inſtrumentum omnes, qui apud nos pſalmorum nomine inſcribuntur, cantatos fuiſſe &c. “

niſi quod ſubinde artem quandam *ſonandi, & tripudiandi* exerceant, de qua

Num. 9. p. 24. *Romæ* in libro *diverſ. Cameralium* extat facultas a Cardinali Camerario nonnullis *Hebræis* conceſſa.

Muſica in Sacris Gentilium.

V. S. Clemens *Alexandrinus* admonitionem ad *Græcos*, ſeu ad Gentes, exorſus ab Amphione *Thebano*, & Arione *Methymnæo*, *Thracio*que Sophiſta Orpheo, *Mihi itaque videntur*, concludit, *& Thracius ille* Orpheus, *& Thebanus, & Methymnæus, viri, non viri, ſed deceptores fuiſſe, qui prætextu muſicæ, vitæ perniciem afferentes, artificioſis quibusdam præſtigiis ad corruptelas dæmoniace incitantes, probra orgiis celebrantes, luctus in Deorum cantica traducentes, primi deduxere homines ad idola: atque lapidibus, & lignis, hoc eſt ſimulacris & adumbrationibus agreſtem gentis excitavêre conſuetudinem: illam vere pulchram libertatem eorum, qui ſub cœlo vitam egerunt, canticis & carminibus in extremam redigentes ſervitutem.* Qua de re quidquid ſit, multorum certe opinione in templis, ſacriſque Deorum cœpit muſica: *Niſi grata eſſet immortalibus Diis muſica, profecto*, inquit Censorinus, *nec tibicen omnibus ſupplicationibus in ſacris ædibus adhiberetur.* Hinc muſica ab Horatio vocatur *amica templo. Et thure, & fidibus iuvat placare . . . cuſtodes Numidæ Deos. Maximo* Tyrio *Socia ſacrificiorum* dicitur. Et Aristides *Quintil. Muſica certe*, inquit, *divini hymni & venerationes ornantur; feſta item propria, urbiumque celebres conventus exultant.* Nec ipſe ad templa acceſſus vacabat muſica, quando *proſodion* hymnus dicebatur, teſte Proclo in *Chreſtomathia* apud Photium: *Cum ad aras, aut templa accederent, & in receſſu ad tibiam canebatur.* Plato *Rectiſſimum fore*, ait, *ſi hymni, & laudes* Dei *precibus mixte canantur.* Quod ex Proclo in Timæum, & Elide intelligimus, apud Paganos preces & cantiones coniungi ſolebant, & utræque interdum ſtatæ, ac immutabiles in templorum parietibus, ac tabulis conſignatæ adhibebantur. Menandro *Rhetori* eſt ὕμνος ᾠδὴ εἰς θεὸν, *Canticum ad Deum.* Odas, ſeu carmina in Deorum pariter, & Heroum laudes canebant. *Carmina pia* in antiquis inſcriptionibus hymnos Homeri denotant. Cuius hymnum in Apollinem memorat Thucydides; a Thucidide vero diſſentit Athenæus. Quemque Pausanias eidem Homero tribuit in Cererem, haud immerito eidem abiudicatur. Cuiusmodi etiam qualiacunque ſunt, cenſeri poſſunt privatæ religionis: veluti Xenophon in Agesilao memorat, numquam eum deſiiſſe proferre hymnos. De inſtrumentis muſicis ut aliquid dicamus, eorum divinam originem ſic diva virgo apud *Martianum* Capellam expoſuit: *Nam*, inquit, *fide apud Delphos per deliacam citharam demonſtravi: tibiæ per Tritonidam noſtri comitem Marſyamque Lydium ſonuerunt. Calamos Mariandini*

De die Nat. c. 12.
L. III. Od. 11.
L. I. Od. 36.
Serm. 21. pag. 65.
Cod. 239.
L. VII. de Leg.
L. IX. de Nuptiis Philologiæ.

ni, *& Aones in laudes inflavere cœleſtium. Panduram* ÆGYPTIOS *attemptare permiſi. Græci* imprimis muſica inſtrumenta Diis ſuis in acceptis retulerunt, nec ferme *Apollinem*, *Minervam*, *Mercurium*, *Pana* niſi muſica aliqua inſtrumenta geſtantes, exprimunt. Quique primi ac præcipui apud eos muſici fuerunt, ſapientum ac vatum loco habiti (veluti etiam de MEMNONIS apud *Thebas* ſtatua dicitur muſico modo reſponſa dediſſe) immortalitati ſunt conſecrati, atque inter Deos relati. *Nam quis ignorat*, inquit *F.* QUINTILIANUS, *muſicen tantum illis iam antiquis temporibus non ſtudii modo, verum etiam venerationis habuiſſe, ut iidem muſici, & vates, & ſapientes iudicarentur? Mittam alios*, Orpheus, & Linus, *quorum utrumque Diis genitum, alterum vero, quod rudes quoque, atque agreſtes animos admiratione mulceret, non feras modo, ſed ſaxa etiam, ſilvasque duxiſſe poſteritatis memoriæ traditum eſt. Et* TIMAGENES *auctor eſt, omnium in litteris ſtudiorum antiquiſſimam muſicen extitiſſe. Et teſtimonio ſunt clariſſimi poetæ, apud quos inter regalia convivia laudes Heroum ac Deorum ad citharam canebantur.* Iuvat ex eodem deinceps audire, qualem muſicen apud antiquos magni fecerit ſacram, ut theatralem iam ſui ævi exoſam habuerit. *Quamvis autem ſatis iam ex ipſis, quibus ſum modo uſus exemplis, credam eſſe manifeſtum, quæ mihi, & quatenus muſice placeat, apertius tamen profitendum puto, non hanc a me præcipi, quæ nunc in ſcenis effæminata, & impudicis modis fracta, non ex parte minima, ſi quid in nobis virilis roboris manebat, excidit, ſed qua laudes fortium canebantur, quamque & ipſi fortes canebant, nec pſalteria & ſambucas etiam virginibus probis recuſanda, ſed cognitionem rationis, quæ ad movendos, leniendosque affectus plurimum valet.* OVIDIUS quidem canit;

Lib. I. Inſtitut. orator. c. 17.

Lib. IV. Faſtor.

Temporibus veterum tibicinis uſus avorum
Magnus, & in magno ſemper honore fuit:
Cantabat fanis, cantabat tibia laudis
Cantabat mœſtis tibia funeribus.

Quæ hic colliguntur de uſu muſices in ſacris, atque etiam funeribus, apud HOMERUM memorantur pluribus in locis, plurimumque commendatur muſica etiam in conviviis, præliis, & inter operas adhibita: utpote animi motus, atque affectiones, aut comprimens, aut excitans. Vocum differentiam ex ætatibus, ſexuque gravem, acutamque diſcernit. De muſica in ludis nihil eum uſpiam dicere memini. PLUTARCHUS in libro *de Muſica* teſtatur, apud antiquos nec quidem cognitam fuiſſe theatris muſicam, totam religioni dicatam. *At enim*, ait, *apud antiquiores* GRÆCOS, *ne notam quidem dicunt muſicam, quæ theatris inſerviret: totam ſcientiam illam Deorum vene-*

Lib. II. de Legibus.

venerationi, & adoleſcentum inſtitutioni impenſam fuiſſe. Omnis tunc muſica in templis verſabatur, cæterum noſtris temporibus eius muſicæ, quæ ad diſciplinam puerorum facit, nulla memoria, nulla cura: omnes theatris inſervientem amplectuntur. Qui vult ergo muſica recte, & cum iudicio uti, is veterem modum æmuletur. Sed quibus rebus hic etiam fuerit fœdata, ipſo Gentilium teſtimonio edocemur ex actis ſinceris Martyrum apud RUI-
Pag. 75. NARTUM, paſſione nimirum SS. EPIPODII, & ALEXANDRI. *Nos*, aiunt, *Deos colimus lætitia, conviviis, cautionibus, ludis, comeſſatione, & laſcivia: vos vero hominem crucifixum, cui placere non poſſunt, qui his omnibus perfruuntur.* Quod teſtimonium inſigne eſt, Chriſtianorum religioni da-
a tum, & pietati. Pudenda ſunt, quæ ARNOBIUS a) adverſus Gentes affert de muſica in ſacris Deorum, Dearumque. Quodſi tamen ex PLATONE afferrem, quam is expetierit eſſe muſicam religioſam in ſacris, rectam ac gravem, quæ ſuapte natura ad æquitatem, & gravitatem duceret, ut ne minimum ornatum, qui neceſſarius non ſit ad movendum, admittat, multi hodie pudore ſuffunderentur muſicæ ſacræ cultores. Studioſe toni ſinguli erant deſtinati hymnis in honorem Deorum DITHYRAMBI, e. g. in honorem *Bacchi*, tono Phrygio acriore ac vehementiore: NOMÆ in honorem *Apollinis*, tono Lydio dulciore, amœnioreque &c. *Cum aules*, ſunt verba DIOMEDIS apud VAN TILL, *paribus thure incenſis altaribus, muſicus choros geminis greſſibus explicaret, & æquipedo ſono tibicen ſpondaulium canere iuberet, ut duabus longis melodiis quaſi duplicibus, & iugibus votis proſpera*
Lib. XI. *Deorum voluntas firmaretur.* Et APULEIUS: *Ibant & dicati magno* Serapi *tibicines; qui per obliquum ad aurem porrectum dextram, familiarem templi, Deique modum frequentabant.* Modus igitur obliquus πλάγιος, mo-
L. VI. Strom. deſtior ſacris aptus habebatur. Singulare eſt, quod CLEMENS *Alexandrinus*
Ægyptiorum Muſica. nobis de *Ægyptiis* ſacris refert. *Primus enim*, inquit, *procedit cantor, unum aliquod afferens ex ſymbolis muſicæ. Eum dicunt oportere accipere duos libros ex libris* Mercurii: *ex quibus unus quidem continet hymnos Deorum, alter vero rationes vitæ regiæ.* Habebant *Ægyptii* 46. libros ſacros, in ſex partes & ordines diviſos: ἰατρικὰ, curabant παστοφόροι; ἱερατικὰ, προφῆται; παιδευτικὰ, ϗ μοσχοσφραγιστικὰ, στολιστὴς; κοσμογραφικὰ, ἱερογραμματεὺς; ἀστρολογικὰ, ὡροσκόπος; ᾠδὸς, *Cantor* curabat hymnos Deorum. Vexatus eſt locus libri

a) „Idcirco (inquit lib. II.) animas miſit, ut res ſancti atque auguſtiſſimi nominis ſymphoniacas agerent & fiſtulatorias artes, ut inflandis bucculas diſtenderent tibiis, cantionibus ut præirent obſcœnis, numeroſos iterarent Scabillorum concrepationibus ſonores, quibus animarum alia laſciviens multitudo in incompoſitos corporum diſſolveretur motus, ſaltitaret, & cantaret, orbes ſaltarorios verteret, & ad ultimum clunibus, & coxendicibus ſublevatis lumborum criſpitudinibus fluctuaret? Idcirco animas miſit, ut in maribus exoleti, in fœminis fierent meretrices, ſambuſtriæ, pſaltriæ &c.“

libri de elocutione ſub nomine *Demetrii* PHALEREI a) : *In* ÆGYPTO *autem & Deos ſeptem vocalibus ſacerdotes celebrant, ordine eas ponentes; & nunc pro tibia, & nunc pro cithara litterarum harum ſonus auditur cum ſuavitate. Quapropter qui eximit colliſionem, nil aliud, quam cantum eximit ex oratione, & muſam.* *Io. Mathias* GESNERUS, Diſſert. ſingulari, (T. I. Act. Soc. litter. Gotting.) ſeptem græcas vocales, & quidem hoc ordine diſpoſitas ΙΕΗΩΟΥΑ innui ingenioſe eſt commentus, ut nomen tetragrammatum יהוה referrent, quaſi *Ægyptii* ſuis id in ſacris canere ſolerent. Simpliciorem, ac magis nativam huius loci explicationem alio loco dabimus, ſpectantem potius ad diſciplinam muſicæ artis, quam ipſam hymnodiam, ſeu hymnos in honorem Deorum, quales magno numero (ut alibi gentium) peculiaribus libris contentos habuiſſe *Ægyptios* ex locis allatis comprobatur. Hymni vero, id genus cantus, ad celebranda numina dicebantur, quos THEOCRITUS (Idyl. XVII.) ἀθανάτων γέρας, *ornamentum immortalium* appellat. Notantur *Exod. VII. & VIII.* (v. 8.) חרטמי מצרים, interpretanturque LXXII. ἐπαοιδοὶ τῶν αἰγύπτων. (Incantationes.) Admodum probabile eſt, eſſe illam vocem ægyptiacam, ſed nihil ad muſicam attinere videtur. De eius etymologia videri poteſt PFEIFFERUS, in *Dub. vex.* BOCHARTUS in *Hieroz.* (P. II. L. IV. c. 18. p. 580.) deduxit ex رَطَنَ Arabum, *murmuravit, ignotæ linguæ verba protulit*, quod chaldaice notat *incantavit.* *Deut. XVIII.* 11. *Pſalm. LIX.* mutato ר in ס, & aſpiratione initiali, quæ perierat, redeunte. Unde חרטום, *incantator*, ἐπαιοιδὸς, ἐπῳδὸς. Quæ etſi durior aliis videatur notatio, res tamen in comperto eſt. Crediqve poteſt PYTHAGORAS, qui, ut IAMBLICHUS (Lib. I. c. 5.) perhibet in eius *Vita*, viginti duos annos in *Ægypto* verſatus eſt, teſte S. CLEMENTE *Alex.* (Lib. I. Strom.) SONCHEDI archipropheta præceptore uſus, muſicam medicam inde didiciſſe, quam per peculiaria carmina ἐπῳδὰς, ſeu *incantationes*, ut PORPHYRIUS in *Vita* PYTHAGORÆ (N. 3.) narrat, exercebant. Apud *Græcos* quidem & *Romanos*, Scriptores antiquiſſimos, ἐπάδειν, ἐξάδειν, κατάδειν, περιᾴδειν, *canto*, *excanto*, *incanto*, paſſim de magicis operationibus uſurpata legimus. Et ipſæ incantationis formulæ ἐπῳδαὶ, *carmina* dicuntur. Atque harum appellationum ratio inde videtur arceſſenda, quod apud *Ægyptios*, *Hebræos*, *Chaldæos*, *Babylonios*, *Græcos* antiquiſſimos ſacrorum miniſtri *Iidem*, ut QUINTILIANUS (Lib. I. Inſtit. c. 17.) ait, *& muſici*, *& vates*, *& ſapientes* cenſebantur. Certe vocis נביא uſus latiſſime patet. Apud *Ægyptios* hæc

vox

a) Ἐν αἰγύπτῳ δὲ καὶ τȣ̀ς Θεȣ̀ς ὑμνȣ̃σι διὰ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων οἱ ἱερεῖς, ἐφεξῆς ἠχȣ̃ντες αὐτά: καὶ ἀντὶ αὐλȣ̃, καὶ ἀντὶ κιθάρας τῶν γραμμάτων τȣ́των ὁ ἦχος ἀκȣ́εται ὑπ' εὐφωνίας, ὥςε ὁ ἐξαίρων τὴν σύγκρȣσιν, ȣ̓δὲν ἄλλο, ἢ μέλος ἀτεχνῶς ἐξαίρει τȣ̃ λόγȣ, καὶ μȣ̃σαν.

vox ſonabat *myſtam*, *cantorem*, *hominem fatidicum*, h. e. *divinum*, vel, ut APULEIUS magos vocat, *divinipotentem.* Apud *Hebræos* נביאים dicuntur etiam cantores, atque poetæ, qui laudibus decantandis vacant. Quemadmodum eodem vocabulo vates, & qui fundarent carmina, & qui prædicerent futura. Præterea antiquitas ἐπαοιδαῖς non tantum vim divinam, ſed imprimis vim θεραπευτικὴν ad ſanandos morbos tribuebant. CLEMENS *Alex.* ἐπῳδὰς ad Idæos Dactylos refert, qui ſacerdotes erant matris Deûm *Cybeles.* Olim enim ſacerdotes, imprimis *Ægyptii*, præter diviniora myſteria ſalutarem medendi artem profitebantur, ut auctoritatem ſibi conciliarent. Ex medicina vero vocabulis barbara ſuperſtitione confictis defœdata, nata eſt magia. De carminum etiam, & muſicæ vi θεραπευτικῇ, ad curandas corporis, & animi affectiones nata eſt fabula de *Orpheo*, & *Amphione*, de qua HORATIUS in epiſt. ad *Piſones.* Apud HOMERUM, carmine *Autolyci* filius ſiſtit ſaucio ULYSSI ſanguinem. De carminum virtute in corpora, & animos plura habet STRABO *lib. X.* PLINIUS *Hiſt. Nat. lib. XXVIII. c.* 2. & imprimis *Sam.* BOCHARTUS in *Hieroz.* Carminum autem præcipua vis in eorum concentu muſico ſiſtit, quod ſupra eſt, magiæ, ſeu Diis inferis deputatur. Qua de re CELSUS a) apud ORIGENEM expreſſe dicit, concentibus delectari dæmones illos ἀλλοκότοις μελῳδίαις, *peregrinis concentibus*, ut vocat ORIGENES, ac poſtea ἐπῳδὰς, *incantationes.* Conſpiratque conſtans tum græca, cum latina nomenclatura, quod veneficia magicæque artes, per carmina, ſeu cantica ut plurimum exercerentur. Diſtinguuntur etiam ὕμνοι κλήθοι, & ἀποπομπαίοι, qui *Romanis* fuerunt vocati carmina *averruncalia*; prius autem genus carmina *calatoria*, ſeu *indigitamenta*, uti *aſſamenta*, quæ in ſacris adytis canerentur *Iano*, *Iunoni*, *Minervæ*, & aliis, veluti Græcis *Pean* dicebatur carmen in honorem *Apollinis.* Eo uſi *Achivi* in ſolenni *Apollinis* ſacrificio καλὸν ἀείδοντες παιήονα. Quod nomen etſi commune etiam eſſet, peculiaris tamen erat *Hypingos* Dianæ; *Iulus* Cereri; *Adonidia* Adonidi; *Dithyrambus* Baccho, cui *Orgia* celebrata imprimis fuerant, de quibus CATULLUS:

Lib. I. Stromat.

Pag. 461. *&c. c.* 44.

a

Apud Romanos.

Hom. Iliad. I.

Orgia,

a) „Nihil (inquit lib. VIII. n. 58.) in hiſce rebus vel minimum eſſe, cuius cura non alicui poteſtati mandata fuerit; id diſcere licet ex *Ægyptiis*, qui aiunt, ſex & triginta dœmones, aut æthereos quosdam Deos (ſunt etiam, qui plures numerent) corporis in totidem partes diviſi, alium alius partis curam ſuſcipere iuſſos fuiſſe. Sciunt etiam dæmonum linguæ ſuæ propria, ut *Ghnoumen*, *Chnachoumen*, *Cnat*, *Sicat*, *Diou*, *Erou*, *Erebiou*, *Ramanor*, *Reianoor*, & alia, quæ ſua lingua nominant. Quin eorum invocatione morbos partium ſanant.“ Et paulo poſt n. 60. „Fortaſſe enim fides male abrogaretur viris ſapientibus, qui aiunt, maximam terreſtrium illorum dæmonum partem generationis deſiderio ardentem, ſanguinis, nidorum, concentuumque percupidam, aliisque huiusmodi rebus deditiſſimam, non aliud melius poſſe, quam corpus curare &c.“

Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani,
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.
Multi raucíſonis efflabant cornua bombis,
Barbaraque horribili ſtridebat tibia cantu.

Plura de his ſacris, uti etiam *Rheæ*, ſeu *Cibeles*, videſis apud laudatum VAN TILL. STRABO de bello *Punico* dicit ex *Hetruria* muſicam publicam, quæ potiſſimum in ſacrificiis erat uſitata, ad *Romanos* perveniſſe. Apud *Romanos* cura moderandæ muſices in feſtis & ſacrificiis penes ſummum erat Pontificem. Solemne etiam apud eos erat carmen precationis, quibus Deos exorarent, ut teſtatur VALERIUS *Maximus* de AFRICANO, cum Cenſor luſtrum conderet. *In quo*, inquit, *ſolito ſacrificio ſcriba ex publicis tabulis ſolemne ei precationis carmen præiret, quo Dii immortales, ut populi* Romani *res meliores facerent, rogabantur.* Et LIVIUS ſolemne memorat eiusmodi carmen, quod in concionibus, quæ ad populum habebantur, magiſtratus præfari conſueverat: *Ad hæc*, inquit, *officia dimiſſis Magiſtratibus, conſules in roſtra deſcenderunt, & concione advocata, cum ſolenne carmen precationis, quod præfari priusquam populum alloquantur, magiſtratus ſolent, peregiſſet conſul, ita cæpit &c.* Carmina huiusmodi plerumque inſtrumentis muſicis, aut etiam ſaltibus ſociata fuerunt; quod nomen Poetis, ac odis lyricis dedit. PROCLUS in *Chreſtomathia* apud PHOTIUM, *Hyporchema* vocatum carmen dicit cum ſaltatione decantatum. Eiusdem nominis ac ritus LUCIANUS eſt teſtis, nulla in *Delo* ſacra ſine ſaltatione & muſica fuiſſe, ubi cum tibia, citharaque tripudiabant. In hymno *Apollinis* apud HOMERUM, IAONES cum liberis ac uxoribus dicuntur congregari in *Delum*, & cantu *Apollinem* exhilarare; *Deliades* præcipue puellæ, quæ celebrato *Apolline, Latona* ac *Diana*, factaque mentione virorum antiquorum & mulierum ὕμνον ἀείδουσιν, θέλγουσι δὲ φῦλ' ἀνθρώπων. *Hymnum canunt, demulcentque gentes hominum.* Imprimis celebria fuerunt hæc, quoad præſens argumentum, *Pythia Apollini* ſacra, quæ certamen eius cum ſerpente *Pythone* præſentabant. *Dies feſtus erat*, inquit S. CLEMENS Alex. *qui maximo* GRÆCORUM *conventu* PYTHONE *celebrabatur propter draconem mortuum*, EUNOMO *canente ſerpentis epitaphium: neque ſatis dixerim, hymnusne, an lamentatio ſerpentis eſſet canticum &c.* Cantilenæ autem nomen erat *Delona*, eoquod *Apollo* oriundus eſſet ex inſula *Delo.* POLLUCE teſte quinque continebat partes, quarum prima dicebatur *rudimentum*, ſive *exploratio*, ſecunda *provocatio*, tertia *iambicus*, quarta *ſpondæus*, quinta & ultima *tripudium.* Sacra illa fiebant *Apollini* ſaltatione cum cantu ſociata, ut conſtat ex hymno in *Apol-*

Lib. XIV.

L. XXXIX.

Saltationes.

c. 239.


verſ. 152. &c.

Exordio adm. ad Gentes.

v. 149. *pollinem* apud HOMERUM. Perpetuamque illi ſaltationem fuiſſe tradit LUCIANUS περὶ ὀρχήσεως. Cuius exemplum apud PLUTARCHUM in Theſeo: *Tripudium ſaltavit cum impuberibus; quod hac etiam memoria ferunt Delios ſervare.* Ita *Thyades*, *Atticæ* mulieres, quotannis ad *Bacchi* ſacra *Delphos* proficiſcentes per viam ſolitæ ſaltare, maxime ad *Panopeum*, quam ideo Odyſſ. XI. καλλίχορον, *ſaltationibus celebrem*, alias *amœnam* HOMERUS vocavit, ut notat Antiq. Homeric. lib. IV. PAUSANIAS in *Phocicis*, & ex eo *Eb.* FEITHIUS, ſubditque antiquiores *Græcos* in honorem Deorum choreas, maxime celebritatibus publicis, agitare ſolitos, ex infinitis auctoribus comprobari. Loca complura citantur Genialium dierum L.IV. c. 17. in animadverſionibus ad calcem poſitis. *Alex.* ab ALEXANDRO, *Interque veſcendum*, inquit, *laudes Diis canere aſſuerant, his, quibus ſacrum fieret: pedibusque circum aras pſallere ad numerum, carminaque, & hymnos canere, ac cymbala pulſantes, choros agitare. Fuitque obſervatum, ut ſacrificantes aras circumcurrerent, curſum auſpicati a læva dextrorſum, quod religioſius putarunt, mox a dextra lævorſum.* Rationem minime quidem irAd Ecl. v.73. religioſam affert SERVIUS. *Quod nullam maiores noſtri partem corporis eſſe voluerunt, quæ non ſentiret religionem. Nam cantus ad animam, ſaltatio ad mobilitatem pertinet corporis.* Quam etiam attingit *Alexander* ab ALEXANDRO, dum *proſodion*, *hyporchema*, & *ſtaſimon* commemorat, quæ huc pertinent. *Quaſi*, inquit, *penitus ſacro numine afflati, quodam furore capti forent.* Indicat item Gentes, quæ his rebus abſtinuerint, item quæ ſecus a). Univerſim vero muſica veterum conſtitiſſe rhythmo, metro, inſtrumento, & ſaltatione memoratur apud *Græcos*, & *Romanos*, muſicorum, & poetarum arte communi etiam in ſacris, quo univerſa mythologia, ac ſacra etiam Poetæ. publica magnam partem referri poſſunt. Ex ultima antiquitate celebrantur in hoc genere ipſe *Mercurius*, *Orpheus* (TATIANUS quidem, CLEMENS *Alexandrinus*, aliique negant, *Orphei* eſſe hymnos, qui eius nomine circumferuntur, ſed potius ONOMACRITI cuiusdam, vel, ut alii volunt, CECROPIS) *Amphion*, & *Arion*, atque etiam HOMERI Vatis imitatorem fuiſſe Lib. I. in muſicis *Terpandrum*, PLUTARCHUS ſcribit. HOMERUS, teſte ATHENÆO: *Propterea, quod univerſam poeſin ſuam canebat certis numeris, atque modis, verſus non dubitavit multos facere ſubinanes, absque capite, & ad extre-*

a) „ *Memphitæ* vero (ſubdit) in *Oſiridis* templo, dum ſacrificant, præter aliorum morem, nec canere tibias, nec pſallere ſoliti ſunt. Et *Græcorum* plerique, cum nulla numinis afflatione ſacrificia perficiunt, ſed animo remiſſo absque tibia, vel cantu. Contra apud *Indos*, quibus nulla fuit numinis conſalutatio, vel ſacrificium, niſi adhibita ſaltatio foret. In *Delo* quoque absque ſaltatione, vel muſica, ſacrum nullum fiebat. Fertur ANTONINUS Cæſar, quum DEO HELIOGABALO ſacrum faceret, mulieres *Phœniſſas*, quæ in orbem curſitarent, cymbalaque & organa muſica circum aras pſallerent, adhibuiſſe: & *Cybelis* ſacerdos cum tinnitu cymbalorum & ſonitu tympanorum, ſacrum facere. Apud *Curetas* quoque nullum ſit ſacrum ſine ſtrepitu & fragore, tympanis una tubisque pulſantibus. “

Tab. I. Ad pag: 19.



Diſer Stab iſt 1. Schuh 11 dergleichen zoll lang, breit $\frac{3}{4}$ zoll

extremum curtatos. Ἀοιδὺς, ſeu cantores ſæpe memorat HOMERUS, e. g. *Phemium*, quem *Penelope* dicit noſſe omnium Deorum, & hominum acta, ἔργ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε τά τε κλείυσιν ἀοιδοί, geſta hominum, Deorumque, quæ celebrant Poetæ a). Hinc *Orphei*, *Muſæi*, *Lini* θεολογία muſicis numeris compoſita, de quibus STRABO. Paſſim etiam ATHENÆUS pronunciat veterem *Græcorum* ſapientiam muſica potiſſimum conſtitiſſe. Queriturque luxuria depravatam in *Græcia* veterum muſicam, & eorum more optat, denuo Deorum laudes, Heroumque acta cantu celebrari. Alia item leges apud FEITHIUM. Apud veteres etiam *Gallos* muſicam in ſacris adhibebant *Druides* Sacerdotes, ac *Bardi* poetæ ſimul ac muſici: dum prælia committebantur in acie ſtantes canebant heroica geſta Semideorum gentis. Alii *barritum* vocabant elephantum furioſorum, IULIANUS Imp. clangori aſpere clamantium avium comparabat: παραπλήσια ταῖς κλαγγαῖς τῶν ταχὺ βοώντων ὀρνίθων, *Am.* MARCELLINUS ſtridentis maris undis b). His veteres *Germanos* accenſemus, de quibus TACITUS: *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ, & annalium genus eſt)* Tuiſtonem *Deum terra editum; & filium* Mannum, *originem gentis, conditoresque.* Eoque pertinet, quod idem de ARMINIO: *Caniturque adhuc*, ait, *barbaras apud Gentes.* c) Et EGINARDUS in *Vita* CAROLI Magni: *Barbara, & antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum actus, & bella canebantur, ſcripſit, memoriæque mandavit.* Operæ pretium eſt, hic mentionem iniicere inſtrumenti ſacri muſici, ut videtur, ante annos fere 50. in provinciæ *Altoſaxonæ* arce *Forſteckia* reperto. Convenit cum eo, quod de ſortilegiis *Germanorum* dicit in eodem libro TACITUS, hac tantum fere differentia, quod ex metallo ſit triangulare ſex tonorum. *Sortium*, inquit, *conſuetudo ſimplex: virgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant, eosque notis quibusdam diſcretos, ſuper candidam veſtem temere, ac fortuito ſpargunt. Mox, ſi publice conſulatur ſacerdos civitatis, ſin privatim ipſe paterfamilias precatus, Deos cœlumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit ſublatos, atque ſecundum impreſſam ante notam interpretatur.* Huc trahunt celebre numen *Trigloſs*, vel *Triglas*, plurimis in *Pomeraniæ*, *Marchiæ*que locis cultum. Quorſum etiam inſtrumenti huius ſacer uſus ſumi queat, ex antiquorum *glaſſen*, *thönen*, & *tri drey*, quia vaſis, & inſtrumentis muſicis maxime colebatur. Ipſa inſtrumenti figura ſe in triangulum extendit. Repetitio nominum *Agla*, & *Clio* in ſacris frequens eſt, quæ in duplici trigono leguntur, quod SALOMONI tribuunt: de quo WAGENSEILIUS d).

Odyſſ. I. v. 338.

a *Lib. X. Ath. L. XIV. & alibi.*

Antiq. Homer. lib. IV. c. IV.

Lib. II. in Antioch.

b *Initio libri de moribus Germanorum.*

L. II. Annal.

c

TAB. I.

d

a) De hymnis gentilium, quos Diis ſuis eccinerunt, legi meretur *Ezech.* SPANHEMIUS in not. ad CALLIMACHUM p. 3. VAN DALE in antiquitatibus ex marmoribus deſcriptis, diſſ. VII. p. 567. 568. DEYLINGIUS obſ. S. P. III. obſ. 45.

b) Vid. VALESII not. in lib. XV. *Am.* MARCELL.

c) Vid. IUST. *Lipſ.* ad eum TACITI locum.

d) Comment. in *Sotam*, c. XII. „ Quæro adhuc

De Therapeutarum, & primorum Chriſtianorum hymnodia teſtimonia extranea.

VI. Philonis *Therapeutæ* hymnos, & cantica in honorem Dei vario metrorum genere a ſe ipſis, aut veteribus compoſita, inter divinas laudes uſurpabant. *Tum*, inquit Philo de Vita Contemp. *exurgens unus hymnum canit in* Dei *laudem vel recens a ſe factum, vel pridem ab aliquo priſcorum vatum, qui carmina & cantica permulta ipſis reliquerunt trimetri generis: proſodias item & hymnos varios; qui ad libamina, ad aram in ſtationibus quoque, & choris concinuntur, diverſis, quæ in choro fiunt, converſionum vicibus eleganter commenſurati. Poſt illum alii quoque ſigillatim canunt, ordinem ſuum, ac decorem optime ſervantes, cæteris interim magna cum quiete attendentibus, præterquam ubi ad extremas certas hymni partes accinenda ſunt, quæ vocant* ephymnia. *Tunc enim omnes ſimul viri & mulieres pariter exclamant.* a). Hi utut Chriſtianorum veriſimillime non ſint Deo canentium chori, iis tamen conveniunt, quæ apud chriſtianos in ſuis agebantur conventibus, diu noctuque celebratis; atque adeo a multis quidem tum recentioribus, cum antiquis pro chriſtianis habentur, etiam Eusebio, qui articulatim omnia ex Philone proſequitur: *Quæ omnia*, inter alia ait, *ſupradictus vir eo ordine, eademque conſequentia, qua apud nos geruntur, expreſſit. Et ut unus ex omnibus conſurgens in medio, pſalmum honeſtis modulis concinat, utque præcinenti ei unum verſiculum omnis multitudo reſpondeat.* Paulo ante vigiliarum meminerat, *ſicut apud nos moris eſt.* Ut vero iam propius inſtituto noſtro accedamus, quædam primum adducemus *Ethnicorum* teſtimonia.

Lib. II. hiſt. c. 17.

cauſam, quare ea triangulorum figura Salomoni accepta feratur, atque cum in *Hiſpania* apud *Granatenſes* Montis, quem vocant, ſancti templum luſtrarem, magna admiratione illud ſigillum in ſuggeſtu, calicibus, veſtibus Sacerdotum, atque omni reliquo ſacro apparatu vicibus innumeris vidi expreſſum. Ipſa quoque laquearia & parietes nihil præter illud hexagonum referebant: ita tamen, ut ſæpe una maior figura minores plurimas ſuo ambitu complecteretur, quod *Hiſpani* a *Germanis* mutuaſſe videntur. "

a) Et paulo inferius: „ Peracta cœna ſubdunt vigilias, in quibus pernoctare ſolent & cantare hoc modo. Confeſtim ſurgunt omnes, ex utraque parte convivium quoddam celebraturi, & primum fiunt chori duo, virorum unus, alter mulierum. In utroque ſuus eligitur dux ac præſultor, qui ſimul & perſonæ dignitate, & arte muſica antecellit. Deinde hymnos canunt in DEUM, metris, & modulationibus multis compoſitos, nunc iunctis vicibus reſonantes una, nunc ſibi invicem congrue reſpondentes . . . . Poſteaquam ita duo chori diviſim ſuum tale agitavere convivium, divini amoris ſtudio, ut mero æſtuantes, unicum ex ambobus chorum efficiunt ad æmulationem illius, qui olim ſecus mare rubrum factus eſt, ob patratum illic miraculum; quando DEI opere conſpecto, & beneficio accepto, quod ſermonem, cogitationem, ſpemque omnem vinceret, permoti, ſimul viri ac fœminæ, numineque afflati, & in unum collecti chorum, pro gratiarum actione hymnos Servatori DEO concinebant;. Moyse quidem Propheta inter viros, Maria vero prophetide inter mulieres chori præſidem agente. Illius itaque chori ſimulacrum refert hic cultorum, cultricumque chorus, in quo editis, redditiſque viciſſim vocibus & cantibus ſonus virorum gravior, & acutior mulierum, contemporati ſuavem efficiunt, ac vere muſicam ſymphoniam. Pulcherrimæ ibi ſententiæ, venuſtiſſimæ dictiones, & perſonæ chori honeſtiſſimæ. Horum porro omnium unicus eſt finis, pius DEI cultus. "

nia. Inter quos LUCIANUS (quem paſſim ad TRAIANI tempora referunt) vel ſi quis alius dialogi, qui *Philopatris mors* inſcribitur, auctor, Chriſtianos cavillatur, ad hymnos tota nocte decantandos vigilantes ἐπὶ παννυχίȣς ὑμνῳδίας ἀγρυπνȣ͂ντες. *Dicebant enim*, inquit, *ſoles decem ieiuni absque cibo perſeverabimus; & ad hymnos tota nocte decantandos vigilantes, talia ſomniamus.* Tangit calamitates belli, ac terræ motus ingentis, qua *Antiochia* concuſſa eſt, ut a Chriſtianis fuerat prædictum. Niſi tamen hoc ipſum ætatis non paulo poſterioris ſit indicium, ut contra GESNERUM, & LA CROZIUM propugnat MOSHEMIUS in obſervat. Sacris, circa *Nicæni* Concilii tempora conſcriptum eſſe dialogum, ex ipſa phraſi intelligi. Nihil vero alias eſt in hoc dialogo, quod non reſpondeat genio, & dictioni, rebusque ac modo tractandi LUCIANO familiari. Memorat, qui faceret, præiretque precem a patre exorſus, & hymno multorum nominum finiret. Τὴν ἐυχὴν ἀπὸ πατρὸς ἀρξάμενος, καὶ τὴν πολυώνυμον ᾠδὴν ἐις τέλος ἐπιθείς. RIGALTIUS in notis ad *Cap. II. p.* 130. TERTULLIANUM de orat. ἐυχὴν ἀπὸ πατρὸς haud inepte orationem dominicam intelligit. Sunt tamen, qui hæc omnia nequaquam de Chriſtianis intelligenda velint. Luculenter vero PLINIUS ſub TRAIANO, nimirum circa exordia ſæculi ſecundi, ex ore Chriſtianorum, a fide deficientium refert: *Affirmabant autem*, inquit, *hanc fuiſſe ſummam culpæ ſuæ, vel erroris: quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi DEO, dicere ſecum invicem.* *Lib. 10. Epiſt. 97.* TERTULLIANUS rem eandem enarrat, ac etiam EUSEBIUS. *In Apolog. c. 2.* PLINIUS *ſecundus*, inquit TERTULLIANUS, *cum provinciam regeret, damnatis quibusdam chriſtianis, quibusdam gradu pulſis, ipſa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, conſuluit tunc* TRAIANUM *imperatorem: allegans, præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de Sacramentis eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum* CHRISTO, *ut DEO.* *Euſ. in hiſt. eccl.* Quibus verbis declaratur, carmen CHRISTO dicere apud PLINIUM idem eſſe, ac canere CHRISTO. Sic & EUSEBIUS idem referens, *Ib. lib. III. c.* τὸν χριςὸν δίκην θεȣ͂ ὑμνεῖν *Chriſto tanquam DEO canere* interpretatur. VIRGILIUS de *Agricolis* hymnum *Cereri* canentibus *Georg.* ait: *L. I. v.* 348.

- - - - *Neque ante*
Falcem maturis quisquam ſupponit ariſtis
Quam Cereri *torta redimitus tempora quercu*
Det motus incompoſitos, & carmina *dicat.*

Et lib. VI. *Æneidos.* *v.* 644.

Pars pedibus plaudunt, choreas & carmina *dicunt.*

 Unde

Unde palam eſt *carmen dicere* amplius aliquid eſſe quam orationem, & preces fundere, ut *Hug.* GROTIO eſt viſum *Annot. ad Epheſ. V.* 19. a)

De pſalmis, hymnis, & canticis præcepta apoſtolica.

Ep. 55. *ad Ian. n.* 34.

Iac. V. 13.

VII. Sed nos tutius rem ex ipſis auctoribus chriſtianis illuſtrabimus deinceps, telam exorſi ab ipſis Scripturis ſanctis. *Sine dubitatione*, inquit S. AUGUSTINUS, *faciendum eſt maxime id, quod etiam de ſcripturis defendi poteſt, ſicut de hymnis, & pſalmis canendis, cum & ipſius Domini, & Apoſtolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta.* S. IACOBUS in ſua epiſtola expreſſe orationem a pſalmodia diſtinguit. *Triſtatur quis veſtrum? oret: æquo animo eſt? pſallat.* Paſſim apud D. PAULUM de hac re fit mentio: ut tamen potiſſimum, quo animatur oratio, ac pſalmodia, id inculcet: *Orabo ſpiritu,* ſcribit ad Corinthios, *orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Ad Epheſios: *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipſis in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Et ad Coloſſenſes: *Docentes & commonentes vosmetipſos in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus in gratia, cantantes in cordibus veſtris DEO.* Pertinent hæc tum ad fidelium in concinendis DEI laudibus officium, cum maxime ad Paſtorum curam, ut ſuas oves inſtruerent, & commonerent in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus. Singularem diſſertationem philologicam *de pſalmorum, hymnorum, atque odarum ſacrarum diſcrimine* edidit *Wittenbergæ Ioan. Zach.* HILLIGERUS; quæ inſerta etiam legitur *Tomo ſecundo Theſaur. nov. Diſſert. Theol. phil.* ubi varias veterum, & recentiorum examinat interpretationes pſalmorum, hymnorum, & canticorum ſpiritualium iuxta D. PAULUM. Ac primo quidem *Io.* CLERICI in notis ad HAMMONDI N. T. ſententiam, nullum plane attendiſſe diſcrimen Apoſtolum, ſed tribus verbis idem ſignificaſſe, refutat §. 2. Sect. II. Examinat deinde §. 3. nonnullorum *Græcorum* PP. diſcrimen ab excellentia diverſorum ſubiectorum petitum; tum §. 4. diſtinctionem ab inſcriptionibus pſalmorum DAVIDIS derivatam §. 5. differentiam ab argumento, & materia. §. 6. diſtinguendi rationem a forma diverſa explodit: ac ſi eſſent pſalmi cantiones metricæ cum inſtrumentis, ex quibus eminet ψαλτήριον; hymni cantica, laudes DEI præſertim continentia, ſive ſola lingua, atque ſonora voce edita, ſive adhibito inſtrumentorum muſicorum concentu; odæ denique ſuccincta cantica, non tantum laudes, ſed exhortationes etiam, & alias res ſacras complectentia, voce tantum, & lingua decantata. §. 7. denique a recentioribus quibusdam excogitatam diſtinctionem a modo elaborandi diverſo reiicit, ut cenſeantur pſalmi illa carmina DAVIDIS, & aliorum cuiusvis argumenti; hymni extemporales DEI laudes ex occaſione natæ, nullisque numeris adſtrictæ, cuius generis ſint DEBORÆ, ANNÆ,

1. Cor. XIV. 15.

Eph. V. 19.

Col. III. 16.

An. 1720.

Eph. V. 19.

a) Vid. & ZORNII opuſc. S. T. I. p. 67.

Annæ, Zachariæ, Mariæ, & Apoſtolorum is, qui extat *Act. XVI.* 25. Odæ tandem præmeditata carmina, & magis ex arte elaborata, ſub anguſtiori forma, quam pſalmi & hymni. Ipſe tandem optimam eam D. Pauli interpretationem cenſet, ut per pſalmos ea intelligantur carmina, quæ in libro pſalmorum ab Esdra in ordinem redacto reperiantur; per hymnos reliquæ θεόπνευςοι cantiones in veteri, & novo Teſt. occurrentes; odæ demum ſacra Eccleſiaſtica a privatis, piiſque viris elaborata cantica, extra ſcripturæ canonem in DEI, eiusque beneficiorum memoriam, ac laudem pro affectu decantata. *Chriſtoph.* Wolffio autem in curis philologicis ad hæc D. Pauli loca optime illi agere videntur, qui cauſam hanc per defectum monumentorum antiquitatis eccleſiaſticæ in hoc quidem capite vix confici poſſe arbitrantur, atque adeo Apoſtolum diverſa canticorum nomina ideo adhibuiſſe cenſent, ut omnia, quæ tunc in publico & privato DEI cultu recepta erant, comprehenderet. Neque vero D. Pauli ſententia tota deflecti in ſenſum allegoricum, ſeu myſticum debet, inde quod ᾠδὰς πνευματικὰς cantica ſpiritualia nominet; puto, ut a profanis, & σαρκικαῖς gentilium odis, quibus aſſueti erant, revocaret, id Apoſtolum egiſſe. Quam in rem ſingularem explicationem Hilligerus affert de pſalmorum, hymn. & odar. ſac. diſcrimine. *Pag.* 32. *Tandem*, inquit, *non errabimus, ſi dicemus, per odas ſacras ab* הודה *Hebraica voce nomen forte habentes, &* ᾄσματα, μέτρους, ἐπάιδους, προσῳδίας, παιᾶνας, *id genus alia, ſacris æque ac profanis ſcriptoribus, alias dictas, notari carmina, non* θεόπνευςα, *aut eximio plane Spiritus divini inſtinctu conſcripta, ſed eccleſiaſtica h. e. a viris pietate, & morum, vitæque ſanctimonia conſpicuis, tam ſub antiquo, quam novo fœdere cum ſtudio ſingulari elaborata, & in DEI, huiusque beneficiorum memoriam, ac honorem pie decantata. Vehementer quidem aſſentimur, multis ingenii, ac doctrinæ reconditæ principibus, plura quoque literis divinitus conſignata appellari odas, prout iam ſupra noſtro præſtruximus inſtituto;* Pauli *tamen ſcopum, cum hæc ſcriberet, defixis intuentes oculis, non poſſumus non fateri, ipſum nullum ad illa habuiſſe reſpectum. Quid enim cauſæ eſſet, cur* ᾠδὰς, *voce addita,* πνευματικὰς *reſtringeret, ſi per illas divinitus inſpiratas, indicare vellet, quas ex ſui interna, ac propria indole eſſe ſacras, conſtat inter omnes? Quum igitur antecedentibus canticorum ſpeciebus hanc limitationem non adiungat, ſed ad ſolam tertiam* ᾠδῶν *referat, quam facillime ex eo cognoſcere licet, carmina, humana induſtria adhibita a viris ſpectatis, & commemorabili pietate cognitis elaborata per* ᾠδὰς πνευματικὰς *innui.* Etſi promiſcue vero etiam deinceps huiusmodi nomina ſumta ſint. Veluti apud Eusebium quidam ſcriptor Caius, ut videtur, contra Artemonem hæreticum teſtatur: *Lib. V. Hiſt. Eccleſ. c.* 28. Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ᾽ ἀρχῆς ὑπὸ πιςῶν γραφεῖσαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ τὸν

χριςὸν

χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες. *Sed & pſalmi, ac cantica, quæ a fidelibus fratribus ab initio ſcripta ſunt, verbum DEI eſſe Chriſtum & DEUM, tota hymnorum ſuorum laude concelebrant.* Hippolytus, vel quisquis eſt auctor orationis de conſummatione ſæculi, circa finem αἶνον καὶ ψαλμοὺς καὶ ᾠδὰς πνευματικὰς commemorans, ad D. Paulum reſpexiſſe videtur, αἶνον ſeu laudem pro hymno ponens. Paſſim ſancti Patres non ſolum in commentariis laudatos D. Pauli locos illuſtrant, ſed aliis etiam occaſionibus, quis, & qualis ex apoſtolica inſtitutione ac præceptis fuerit, in conventibus chriſtianis ab ipſo Eccleſiæ exordio cantus, docent, tempore, loco, & modo, quem Plinius ex ore Chriſtianorum deſignavit: apertiſſime vero Eusebius diſcrimen canticorum ſpiritualium novi teſtamenti deſignat, ab apparatu inſtrumentorum muſicorum veteris Teſtamenti a). Poſtquam etiam ſenſum litteralem, uſumque chriſtianum explicavit, ſpiritualem conſectatur ad rationem cultus chriſtiani demonſtrandam; ut non ſolum oris, ſed cordis potiſſimum officium in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus impleatur. Idem SS. Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, & alii interpretes in verbis Apoſtoli ſunt proſecuti, qua ratione non ore tantum, ſed in cordibus ſuis, ac ſpiritu, & mente Chriſtianos pſallere, & canere deceat in publicis Eccleſiæ conventibus, quod ſuos monet ad eadem alludens Apoſtoli verba S. Gaudentius *Brixienſis: Sollicite convenite ad Eccleſiam: orationibus, hymnis, & canticis ſpiritualibus nobiſcum vigilanter incumbite. Hæc ſint otii veſtri*

Serm. IV. in Exod.

a) „ Iure (inquit in *Pſalm. XCI. p.* 608.) Dominica die gratiarum actiones Domino reddimus ubique terrarum in Eccleſiis eius congregati. Cum autem per confeſſionem progreſſum, & augmentum acceperimus, tum iubemur pſallere ad meliorem animæ ſtatum provecti: aucti vero, ac meliores effecti, hæc aliis annunciare, ac eos, qui ad nos proxime accedunt, miſericordias DEI edocere præcipimur: atque id agere matutinis horis. Hæc porro iubet ſcriptura peragere primo diluculo, poſtquam animas, & corpora noſtra nocturno tempore ſancta, & a ſordibus quibusque pura ſervaverimus, pietatisque veritatem, repetita nocturnis horis cultus DEI memoria, ſuſceperimus. Olim quidem, cum populi ex circumciſione per ſymbola, & figuras DEUM colerent, non incongruum erat, per pſalteria, & citharas, hymnos DEO emittere, idque die Sabbati præſtare, otium nempe ſolventes, & in hoc legem Sabbati transgredientes. Nos vero Iudæum in abſcondito ſervantes ſecundum illud Apoſtoli dictum: *Non enim, qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio; ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & Circumciſio cordis in Spiritu, non littera:* Viventi pſalterio & cithara animata, ſpiritualibusque canticis hymnum effundimus. Omni quippe inſtrumento muſico acceptior & ſuavior DEO fuerit Christi populorum concentus, quo in omnibus DEI Eccleſiis una mente, uno affectu, pari conſenſu, & una ſententia fidei, & pietatis, una voce, melos in pſalmodiis emittimus. Huiusmodi igitur pſalmodiis, & citharis ſpiritualibus uti conſuevimus: quia id docet Apoſtolus his verbis: *Pſalmis, & canticis, & hymnis ſpiritualibus.* Alia item ratione cithara fuerit totum corpus, cuius motibus, & operibus anima condecentem hymnum DEO emittit. Pſalterium autem decem chordarum Spiritus Sancti cultus eſt, per quinque corporis ſenſus, & per totidem animæ virtutes exhibitus; quæ his declarat idem Apoſtolus; *Orabo ſpiritu, orabo autem & mente; pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Quaſi ſcilicet mens etiam motus ſuos habeat, quibus pulſat corpus; & Spiritus item proprios obtineat motus, quibus animam movet. “

veſtri opera: *quibus debitum reddentes Chriſto Domino famulatum, mercedem vitæ æternæ conſequi ab ipſo poſſitis.* Quin & privatæ domus hæc otia chriſtiana idem eſſe vult: *Sit domus Chriſtiani ac baptizati hominis immunis a choro diaboli, ſit plane humana, & hoſpitalis; orationibus ſanctificetur aſſiduis, pſalmis, hymnis, canticisque ſpiritualibus frequentetur.* Abducere, atque abſterrere vult Chriſtianos a profanis cantibus, præſertim in conviviis: *Ubi*, inquit, *lyra ſonat, & tibia: ubi omnia poſtremo genera muſicorum inter cymbala ſaltantium concrepant.* Idem paſſim S. Clemens *Alexandrinus* in ſuo Pædagogo, S. Chrysostomus, & alii, fideles commonuerunt, ut ſuo loco poſtea dicemus, quæ fuerint Chriſtianorum ſtudia in canendis privatim pſalmis, ac Dei laudibus, etiam in conviviis, præſertim ante, & poſt cibum in gratiarum actionem. Idem argumentum D. Pauli eſt in citato ad *Epheſ. V.* loco, ut ebrietatem devitent: *Sed implemini*, inquit, *Spiritu Sancto, loquentes vobismetipſis in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus*, nempe ut a profanis, pro more gentilitio, abſtineant canticis, & ſacra, ſeu ſpiritualia proſequantur, nec non pſalmos, quorum conſtans, ac indubitata eſt notio ex ſacra ſcriptura; hymnos item in Dei laudem canant, ſive a Deo inſpiratis hominibus in ſcriptura, ſive etiam ab aliis piis hominibus compoſitos.

Serm. VIII. — *Ibid.*

VIII. Atque ad hoc Christi Domini & Apoſtolorum in ultima Cœna exemplum præſto eſt, quod Matthæi XXVI. 30. & Marci XIV. 26. memoratur, Christum hymno dicto exiiſſe in montem *Oliveti.* S. Augustinum Cerethius Epiſcopus conſuluit de quibusdam ſcripturis, quibus utebantur *Priſcillianiſtæ*, quas inter erat hymnus quidam, quem Christus poſt Cœnam dixerit. Habentur ibi excerpta quædam ex libris *Priſcillianiſtarum* de hymno illo: ex. gr. *Solvere volo, & ſolvi volo. Salvare volo, & ſalvari* &c. In ſenſum verborum inquirit ibi Sanctus Augustinus, quæ poſtea afferemus. Paulus *Burgenſis* Epiſcopus pſalmodiam fuiſſe putat, quam *Iudæi* canunt hac ipſa nocte, poſt comeſtum agnum paſchalem, vocaturque ab eis *Alleluia magnus, vel magnum* הללויה הגדול nimirum a pſalmis, quorum initium eſt הללויה. Alii putant, canticum hoc conflatum eſſe ex Pſ. CXII. vel CXIII. & quinque ſubſequentibus in Paſchate dici ſolitis apud *Iudæos*, quos cenſent a Christo cantatos. Aliis perſuaſum eſt, hymnum hunc fuiſſe preces illas Iudaicas, quæ adhuc hebraice apud quosdam ſcriptores leguntur, ut Amelotius in hunc Matthæi locum annotavit. Reperitur etiam in rituali *Iudæorum* libro precatio eiusmodi, quam dignior inter commenſales poculum vini manu tenens elata voce pronunciare iubetur: *Gratias agamus DEO pro bonis nobis collatis.* Et aſtantes reſpondeant: *Laus DEO, qui*

Exempla ex Scriptura. — *Ep.* 237.

nos bonis ſuis enutrivit &c. *Sed*, ait GROTIUS in eum MATTHÆI locum, *ſicut ad veterem gratiarum actionem* CHRISTUS *novam addidit*, *ſuo inſtituto congruentem*, *ita & de hymno feciſſe credibile eſt. Ac forte ea ipſa hymni in modum dixit* CHRISTUS, *quæ apud* IOANNEM *c. XVII. legimus. Nam ſolebant pro re nata ex tempore hymnos*, *quos* זמירות *vocant*, *effundere* HEBRÆI, *nullis numeris adſtrictos*, *qualia ſunt carmina* DEBORÆ, ANNÆ, ZACHARIÆ, MARIÆ, IUDÆORUM 2. *Machab. X.* 38. *& hymnus ille Chriſtianorum, qui extat Actor. IV.* 24. CAROLUM M. res hæc perplexum tenuit, ea-
Ep. 106. que de re ad ALCUINUM ſcripſit: *Propter hoc*, verba eius ſunt, *ſumus non mediocri ſtupore perculſi*, *cur tantæ dulcedinis hymnus*, *vel ab ipſo Domino*, *vel ſi a diſcipulis*, *in præſentia tamen Domini dictus*, *ab Evangeliſtis omnibus ſit prætermiſſus.* ALCUINUS eos refutans, qui pſalmum fuiſſe volunt, canticum illud a reliquis Evangeliſtis prætermiſſum, apud IOANNEM conficere putat partem ſermonis ab illis verbis: *Pater venit hora*, *clarifica Filium tuum*, uſque: *ut dilectio*, *qua dilexiſti me*, *in ipſis ſit*, *& ego in ipſis. Iſte eſt hymnus ſacratiſſimus & pulcherrimus*, *& cunctis perneceſſarius credentibus*, ſunt verba ALCUINI, *quem peracto convivio*, *magna dulcedine*, *& admirabili ſuavitate*, *præſentibus ſuis diſcipulis decantavit.* Conſentit cum ALCUINO *H.* GROTIUS, ac ſi CHRISTUS ipſe hunc, ut novum a ſe confe-
C. XVII. ctum, cecinerit, cuius contenta apud IOANNEM legi poſſent. HILLIGERO
Pag. 9. in Diſſert. *de pſalmorum*, *hymnorum*, *& odarum ſacrarum diſcrimine* obſtare videtur concentus Apoſtolorum, uno, eodemque tempore factus, qui, ſi cantilena nova, ipſisque ignota fuiſſet, nullatenus coniungi po-
Pag. 614. tuiſſet, mavult ideo ſententiæ *Ioan.* BUXTORFFII in *Lex. Talmud. Rabb.* adhærere, qua hymnum hunc paſchalem, ſeptem pſalmos a pſal. CXII. ad pſ. CXVIII. *Hebræis* הלל הגדול dictos, comprehendiſſe, rectius ſtatuitur.
Ioan. XVII. Id tamen dici poteſt, CHRISTI orationem haud abludere ab aliis eiusmodi evangelicis canticis numero haud adſtrictis, quorum iugis eſt in Eccleſia uſus, cum pſalmis & canticis veteris Teſtamenti. NICETIUS in tra-
Spicil. T. I. p. 219. *& ſeqq.* ctatu de pſalmodiæ bono apud DACHERIUM totus fere verſatur in hymnographorum & pſalmiſtæ piis deprædicando ſtudiis; primum ex veteri Teſtamento, deinde ex novo, imprimis CHRISTI ipſius exemplo a). Sancti

Patres

a) „Cum (inquit c. 3.) res exigat de novo teſtamento aliqua ad veterum confirmationem, & ad veſtram inſtructionem debere proferri. Ergo invenies primum ZACHARIAM, patrem magni IOANNIS poſt longum illud ſilentium, in hymni vice prophetaſſe; nec ELISABETH diu ſterilis, edito de promiſſione filio, DEUM de ipſa anima magnificare ceſſavit; nato in terris CHRISTO laudem ſonuit exercitus Angelorum: *Gloria in excelſis DEO*, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Annunciantes pueri in templo, *Oſanna Filio* DAVID clamaverunt; nec Phariſæis livore ſtrepentibus Dominus ora innocentium clauſit, ſed potius aperuit dicens eis: *Non legiſtis ſcriptum*, *ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? Et ſi iſti tacuerint*, *lapides*

Patres exemplum Christi cum Apoſtolis extollunt vehementer, & commendant: *Conſummatis*, inquit S. Hilarius, *univerſis divinorum myſteriorum virtutibus, gaudio, & exultatione communi in cœleſtem gloriam efferuntur.* Quo innuit, non vulgari aut communi voce hæc fuiſſe transacta. S. Chrysostomus, idem Christi cum Apoſtolis, ne putes ad ſolum Christum id pertinuiſſe, deprædicat exemplum: *Conſidera*, inquit, *quum ſacras illas cœnas Apoſtoli accipiebant, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur, & hymnos?* Et in Matthæum, nos ad idem provocat exemplum: *Gratias*, inquit, *agit, poſteaquam dedit, & hymnum cecinit, ut nos quoque ſimiliter faciamus.* S. Augustinum ad idem alludentem exemplum, & D. Pauli præceptum paulo ante audivimus, iisdemque fere Concilium *Toletanum IV.* verbis: *De hymnis etiam canendis, & Salvatoris, & Apoſtolorum habemus exemplum: nam & ipſe Dominus hymnum dixiſſe perhibetur,* Matthæo *Evangeliſta teſtante:* Et hymno dicto exierunt in montem *Oliveti. Et* Paulus *Apoſtolus ad Epheſios ſcripſit dicens:* Implemini Spiritu, loquentes vos in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus. Et *Rhabanus* Maurus: *Itaque & in hymnis, & pſalmis canendis non ſolum Prophetarum, ſed etiam ipſius Domini, & Apoſtolorum habemus exemplum, & præcepta de hac re utilia ad movendum pie animum, & inflammandum divinæ dilectionis affectum. Sunt autem divini hymni, ſunt & ingenio humano compoſiti. Hug.* Grotii paulo ante attulimus obſervationem de hymnis eiusmodi pro re nata ex tempore effundi ſolitis. *Nec dubito*, inquit, *quin & hoc canendi genus, vel præcipue commendet* Paulus *Eph. V. 19. Col. III. 16. Manſit diu is mos in Eccleſia veteri.* Ipſe nobis Paulus exemplum reliquit, ut de eo ac Sila in *Actibus* narratur, media nocte ſurgentes Deum hymnis celebraſſe. *Audientibus cuſtodiis*, inquit Tertullianus, *orabant, & canebant.* Et S. Chrysost. Hom. in illud: *Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum. Toti*, inquit, *in orationem incumbebant, & admirabilem illum hymnorum cantum offerebant, ac deinceps carcer Eccleſia fiebat, & illorum ſanctorum cantu totus ille locus ſanctificabatur. Ac videre erat res miras, & inuſitatas, homines ligno alligatos, neque tamen, quo minus hymnos canerent, quidquam impediri* a). Ex citatis D. Pauli locis colligitur non pſalmos tantum *Davidicos*, ſed & alias canticorum ſacrorum ſpecies, publice receptas fuiſſe. Qua de re ceu vulgo nota loquitur, nullamque, quid per pſalmos, hymnos, & cantica ſpi-

In Matth. c. XXX. n. 2. — *hom. XXVII. in I. ad Cor.* — *Homil. LXXXIV.* — *Can. XIII.* — *De Inſtitut. Clericor. c. 49.* — *In Matth. XXVI. 30.* — *XVI. 24.* — *C. 24. de Orat.* — a

clamabunt. Ipſe Dominus in verbis doctor, in factis conſummator, ut hymnorum miniſterium gratiſſimum comprobaret, cum diſcipulis hymno dicto exivit in montem *Oliveti.* Quis iam tali documento de pſalmorum, & hymnorum religione dubitabit? Quomodo ille, qui a cœleſtibus cunctis adoratur, & pſallitur, ipſe cum diſcipulis hymnum cantaſſe perhibetur? "

a) Lege integrum locum T. III. Opp. pag. 159. edit. *S. Maur. Pariſ.* 1721.

ſpiritualia intelligat, adiicit explicationem, cum eas ſpecies in duabus epi-
Poecile T. II. Lib. II. P. I. ſtolis eadem ratione enumeret. HEUMANNUS, & ex eo *I. Iac.* HULRICUS, Diſſ. *De ſacrorum hymnorum uſu*, ad locum *Epheſ. V.* 14. exiſtimat, ab Apoſtolo produci tres verſus anacreonticos cantici alicuius eccleſiaſtici ex illis, quorum uſum *verſu* 19. commendet, quodque revera tum temporis ad cultum publicum decantari conſueverint his verbis:

Ἔγειραι ὁ καθεύδων
Καὶ ἀνάϛα ἐκ τῶν νεκρῶν
Ἐπιφαύσει σοι ὁ χριϛός.

Teſtimonia a prima Eccleſiæ ætate. IX. Id obtinuiſſe perpetua Eccleſiæ traditione, & praxi conſtat. Ut a S. IGNATIO (qui TRAIANO imperium tenente, ab anno CHRISTI 98. uſque 117. Martyr fuit) exordiar, prætercam vero allegoriam, qua Presbyterii cum Epiſcopo concordiam illuſtrat; a ſuaviſſima nervorum in cithara harmonia ᾄσματα προσευχὴν σύμφωνον in epiſtolis ad *Epheſios*, & ad *Romanos* commendat, myſticum etiam pro ſua pietate miſcens ſenſum. MEIBOMIUS in
An. 1652. præfatione ad antiquæ muſicæ Scriptores *Amſtelodami* typis *Elzevirianis* edi-
Ep. ad Eph. n. 4. tos, quæ ſequuntur eo in loco, in vulgatis editionibus corrupta, maleque intellecta reſtituit eum in modum, quo in editione COTELERII haben-
a tur a). Apertiſſime vero S. IUSTINUS M. in Apol. ad ANTONINUM *Pium* teſtatur de hymnis DEO a Chriſtianis decantari ſolitis, cum ait: *Gratos nos illi*

a) „Διὰ τȣ̃το ἐν τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν, καὶ συμφώνῳ ἀγάπῃ Ιησȣ̃ς Χριϛὸς ᾄδεται, ϗ οἱ κατ᾽ ἄνδρα δὲ χορὸς γίνεσθε, ἵνα σύμφωνοι ὄντες ἐν ὁμονοίᾳ χρῶμα Θεȣ̃ λαϐόντες, ἐν ἑνότητι ᾄδητε ἐν φωνῇ μιᾷ. Quæ vetus Interpres ita vertit: *Propter hoc in conſenſu veſtro & conſona charitate* IESUS CHRISTUS *canitur, ſed & ſinguli chorus facti eſtis; ut conſoni exiſtentes in conſenſu, melos DEI accipientes, in unitate cantetis in voce una.* Χρῶμα interpretatur *melos*, ſeu *cantum*, quod ut novum videri poſſit, non tamen eſt inſcitum. Addere autem debuiſſet, iucundum, & animum ſuavitate delinientem, cuiusmodi a virtutis via ſemper deflectere nitens humana natura quærit, & deſiderat, cum enarmoniis potius, & diatonis, ſeveris illis modis, & ad omnem virtutem incitantibus delectari deberet, ac ſi dicere vellet, παραδεκτέον μὲν τὰς σώφρονας ἁρμονίας, καταλειπτέον δὲ τὰς χρωματικὰς, ut loquitur CLEMENS *Alexandrinus*: *Modeſti modi ſunt recipiendi, relinquendi autem chromatici.* Quodſi tamen mollioribus cantilenis diffluere vultis, divinis rebus illas accommodate, & hymnis in DEI, ac Salvatoris veſtri laudes toti incumbite. Hic eſt genuinus illius loci ſenſus, quem tantæ antiquitatis Scriptori, qui tot locis corruptus ad nos pervenit, reſtitutum volumus. “ MEIBOMIUS iſtæc præciſe ad cantum, ac muſicam eccleſiaſticam in publicis ſacris reſtringit, quem etiam haud obſcure Sanctus Martyr deſignavit in Epiſtola ad *Romanos* num. 2. „Plus autem (inquit) mihi tribuere non poteſtis, quam ut immoler DEO, dum adhuc altare paratum eſt; ut in charitate chorum conſtituentes, ἵνα ἐν ἀγάπῃ χορὸς γενόμενοι ᾄσητε τῷ Πατρὶ ἐν Χριϛῷ Ἰησȣ̃, *canatis Patri in* CHRISTO IESU, *quod Epiſcopum* SYRIÆ *dignatus fuerit DEUS in Occidente inveniri, ab Oriente accerſitum.* “

illi exhibentes, rationales pompas, & hymnos celebramus, quod nati ſimus, quod valetudini conſultum ſit, quod ſpecies rerum conſerventur, quod vices annuæ bene ſuccedant, quod immortalitatem ſperare liceat. Loquitur de publicis precibus pro omni hominum ſtatu in ſacra liturgia, ſeu agapis Chriſtianorum, ubi adnotat Editor ex Congr. S. MAURI: *Satis perſpicitur hymnos hic vocari tum pſalmos* DAVIDIS, *tum a Chriſtianis ipſis compoſita carmina, quæ in Eccleſia cantari ſolebant. Pompæ autem nihil aliud videntur eſſe, quam ritus, & cærimoniæ in adminiſtrandis Sacramentis, Euchariſtiæ præſertim, & Baptiſmi ſolitæ obſervari.* Pag. 51. not. b. Διὰ λόγȣ πομπὰς ϰ̀ ὕμνȣς πέμπειν, vertit GRABIUS, *verbis ſolemnia, & hymnos fundere*, atque in notis ad citatum locum, πομπὰς intelligit ſolemnes cum magno ſpiritu, & externa pompa aliqua recitatas preces, quales illæ maxime erant, quæ ad altare in tremendorum myſteriorum celebratione fundebantur. TERTULLIANUS Sæc. III. in Apologetico c. 39. utriusque generis, vel ex Scriptura, vel ex ingenio editarum cantionum meminit: *Poſt aquam manualem*, inquit, *& lumina, ut quisque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium DEO canere.* Sermo ei eſt quidem de agapis Chriſtianorum. Paulo ante tamen, dum eodem fere modo ac S. IUSTINUS M. conventus ſacros Chriſtianorum deſcribit, innuere etiam cantum videtur: *Certe*, inquit, *fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus.* Poſt TERTULLIANUM ORIGENES, quid ſacris in conventibus in tota terrarum Eccleſia factum ſit ſuo tempore, memorat, id eſt, eodem ſeculo tertio: „Pſalmi (inquit) pro torcularibus in- T. II. App. p. 516.
„ ſcripti, qui tres ſunt, nempe *octavus*, *octogeſimus*, & *octogeſimus tertius*,
„ videntur mihi congregationem Eccleſiæ, & multitudinem conventuum, cœ-
„ tumque ſignificare: ſiquidem ex multis unam orationem, unamque canti-
„ corum modulationem in Eccleſiis DEO offerri contingit; quemadmodum
„ in torcularibus ex multis, ac diverſis vitibus una vini mixtio conficitur...
„ *octogeſimus* quoque pſalmus, cum de torcularibus agat, iubet omnes gen-
„ tes Prophetarum DEO hymnum referre; ſic auetm habet: *Exultate DEO*
„ *adiutori noſtro, iubilate DEO* IACOB.“ Contra CELSUM, eius cavillatio- Lib. VIII. n. 37.
nem adverſus Chriſtianos refutans, quaſi *Barbaris* utantur *nominibus*, *Græcos*, dicit, *Græce*, *Romanos latine*, *& ſic ſingulas gentes DEUM propria lingua precari, hymnisque pro viribus concelebrare.* Subſannantur poſtea ab eo Dii Gentium dæmones, *ſanguini, nidoribus, concentibus, aliisque eiusmodi rebus deditiſſimi.* Et cum in CELSO notaſſet, *cum hymni* Minervæ, *&* Soli *canuntur, magnum Deum magis coli videri. At nos*, ſubdit, *contra eſſe ſcimus. Hymnos enim canimus ſoli Summo DEO, & Unigenito eius*

Verbo

*Verbo, atque DEO; & laudamus DEUM, & unigenitum eius eodem modo,
ac ſol, & luna, & ſtellæ, & tota cœleſtis militia. Ex his enim omnibus
divinis conſtat chorus, qui cum iuſtis hominibus ſummum DEUM, eiusque
Unigenitum hymnis celebrat.* Eundem in modum allegoriis (ni malis, Origenem cum Platone, Pythagora &c. concentum in motu corporum cœleſtium
a indigitare. a) rem involvit S. Clemens *Alex. Admonit. ad gentes,* dum primum
in exordio ex fabulis *Amphionis, Arionis, & Orphei* arripit argumentum; ad finem autem ſermonis a *Sirenibus,* & ſacris initiationibus; ipſe contra ad vere ſacrata Verbi myſteria in Eccleſia Dei invitat. *Hic,* inquit, *eſt mons DEO
dilectus, qui non tragœdiis, quemadmodum* Cithæron *argumentum
dedit: ſed eſt dedicatus veritatis actibus; mons ſobrius, caſtis umbroſus ſylvis. In eo autem bacchantur, non fulmine ictæ* Semeles *ſorores,* Mænades, *quæ inceſta viſceratione carnium initiantur, ſed DEI filiæ, pulchræ
Agnæ, quæ veneranda Verbi orgia concelebrant, chorum moderatum congregantes. Chorus ſunt iuſti, canticum eſt hymnus Regis omnium, pſallunt
puellæ, gloria afficiunt Angeli, Prophetæ loquuntur, editur ſonus muſicus.*
Et paulo poſt: *Si velis, tu quoque initiare, & chorum duces cum Angelis circa eum, qui eſt ingenitus, & ab interitu alienus, & qui ſolus eſt
vere DEUS: una nobiſcum comite DEO Verbo.* Hoc eſt, quod antea ex
L. V. c. 28. Eusebio b) attulimus, teſtimonium libri adverſus Artemonis hæreſin a vetu-
b ſtiſſimo auctore ſcripti, Christi divinitatem probare pſalmos, & odas fratrum a fidelibus ſcriptas ab initio. Ipſe autem Eusebius propria eius rei
Tom. I. teſtimonia dedit ſæc. IV. præſertim commentariis in pſalmos nuper a Montfauconio in Collectione Patrum *Græcorum* editis: unde licet iam unum
Pag. 325. attulerimus, inſignia tamen præterea habentur in Pſalm. LXV. ubi *Pſallere,*
inquit, *nomini eius præcipit, quod a nobis omnibus in locis obſervari conſuetum eſt. Nam & in omnibus DEI Eccleſiis apud gentes conſtitutis, hæc
Pag. 331. *ipſa modulari, & pſallere non Græcis tantum, ſed etiam barbaris præcipitur.* Et poſtea in eundem: *Auditam facite vocem hymni eius,* ut ipſe habet.
*Mirari porro ſubit, qui impletus hic ſermo fuerit, quando per univerſum
orbem, in mediis urbibus, in vicis, in agris, per univerſas DEI Eccleſias,*
Christi *populi ex univerſis gentibus delecti, hymnos, & pſalmos, non patriis diis, non DEI inimicis dæmonibus; ſed uni DEO a Prophetis prædicato,
alta emittunt voce, ita, ut pſallentium vox vel ab iis, qui foris conſiſtunt, au-
Lib. X. Hiſt. eccl. c. 3. diatur.* Idem deprædicans felicitatem Eccleſiæ chriſtianæ, pace poſt perſecutiones reddita, ſub Constantino M. celebrat inter alia *divinos quosdam
Auguſtosque Eccleſiæ ritus, hinc pſalmos canentium, & reliquas nobis divinitus*

a) Vid. Cicero in Somnium Scipionis: Item Macrob. lib. II. in id.

b) Ψάλμοι δὲ ὅσοι ϗ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπὸ ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι. L. V. c. 28.

nitus traditas voces auſcultantium &c. Et capite ſequenti Panegyricus in Encæniis templi *Tyrii* dictus refertur, in quo hæc leguntur verba: *Alterum nobis triumphalem hymnum canere, atque in hæc verba diſerte exclamare licet:* Sicut audivimus &c. Hippolytus, vel quisquis eſt antiquiſſimus auctor de conſummatione mundi, & de Antichriſto, inter ſigna Antichriſti ponit, ut liturgia extinguatur, & pſalmorum decantatio ceſſet; commendat vero fidelibus a): *Os veſtrum*, inquit, *præparavi ad glorificandum & laudandum DEUM, & pſalmos cantionesque ſpirituales pronuntiandas.* Ex aliis ſanctis Patribus, imprimis Basilio, Ambrosio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino &c. ſuis laudabimus ſubinde locis teſtimonia varia, & luculenta; unum hic tantum alterumve ſeligimus. Primum S. Basilii ad virginem lapſam, quam ita affatur: *Recordare dierum tranquillorum, & noctium illuminatarum, & cantilenarum ſpiritualium, & pſalmodiæ ſonoræ, & precum ſanctarum.* S. Ambrosius cantum Chriſtianorum ſacrum opponit mortifero ſcenicorum: *Quos*, inquit, *non mortiferi cantus cromatum ſcenicorum, quæ mentem emolliant ad amores, ſed concentus Eccleſiæ, & conſona circa DEI laudes populi vox, & pia vota delectent.* S. Chrysostomus Pſalmum CXL. tam frequenter cantari ſolitum, ut etiam memoria tenere potuerint fideles, memorat. *Huius quidem Pſalmi*, inquit, *verba pene omnes ſciunt, & per omnem ætatem perpetuo canunt.* Et paulo poſt: *Neque enim puto fuiſſe temere decretum a Patribus, ut hic pſalmus veſpere diceretur quotidie* &c. Imprimis autem huc faciunt, quæ alibi de divino apud Monachos officio dicit his verbis: *Ante diem, cum gallus vocem dederit, omnes ſtatim cum reverentia ſomnum deponentes exurgunt excitante eos Prælato, & conſiſtunt ſanctum conſtituentes chorum, & ſtatim manus extendentes ſacros hymnos decantant . . . . Stant hymnos cantantes propheticos, multa cum vocis conſonantia, cum apte compoſitis concentibus. Neque cithara, neque fiſtulæ, neque ullum aliud muſicum inſtrumentum talem emittit vocem, qualem audire licet in profunda quiete, & ſolitudine ſanctis cantantibus illis.* Hunc modum cultus chriſtiani per hymnos, inde a Davide introductum, explicat S. Hieronymus inquiens: *Et ſuper choros (qui in libro dierum plenius deſcribuntur)* Asaph, *&* Idithun, *&* Eman, *& filii* Core *conſtituti ſunt, ut paulatim a ſacrificiis victimarum ad laudes Domini tranſiret religio.* Hæc eſt inſtitutio ac origo divina ſacri in laudem Dei concentus, chriſtianæ religioni propria, ac digna. *Omnia*, ut cum Gregorio *Naz.* loquar, *ad DEUM, hymnos, preces, vigilias, lacrimas.* Sic S. Augustinus omnia officia pietatis a Chriſtiano, publico cultu præſtari ſolita, diſtinguit: „ Vide, (ait)

a

Ex epiſt. 46.

L. III. Hexam.

In Pſ. CXL.

Hom. 59. *ad populum Antioch.*

In Iſaiam I.

Orat. 8.

In Pſ. LXVI.

a) Τὸ ϛόμα ὑμῶν πρὸς δοξολογίαν καὶ αἶνον, καὶ ψαλμοὺς, καὶ ᾠδὰς πνευματικὰς ηὐτρέπισα λαλεῖν.

„ (ait) formicam Dei, ſurgit quotidie, currit ad eccleſiam Dei, orat, „ audit lectionem, hymnum cantat, ruminat quod audivit, apud ſe cogitat.“ Idem Sanctus Doctor ſingularem librum ſcripſit contra Hilarium *de Canticis ad Altare.* Nimirum ut is ipſe memorat: „ Hilarius quidam, vir „ tribunitius, laicus, catholicus, neſcio unde, adverſus Dei Miniſtros, ut „ fieri aſſolet, irritatus, morem, qui tunc eſſe apud *Carthaginem* cœperat, „ ut hymni ad altare dicerentur de pſalmorum libro, ſive ante oblationem, „ ſive cum diſtribueretur populo, quod fuiſſet oblatum, maledica reprehenſione, ubicumque poterat, lacerabat, aſſerens, fieri non oportere. „ Huic reſpondi iubentibus fratribus.“ Tillemontius videtur credidiſſe, Hilarium quædam obieciſſe contra hunc librum, eique reſpondiſſe Augustinum: quia aliud eius opuſculum ſic refert Possidius: *Reſponſio obiectis* Hilarii, *liber unus.* Verum inſinuat ibidem Possidius epiſtolam 89. quæ ad alium data eſt Hilarium, ut *Bollandiſtæ* annotarunt. Profecto vix operæ pretium fuiſſet in re, tanta eccleſiarum conſenſione firmata, iterum in arenam deſcendere. Luculenta teſtimonia cantus Chriſtianorum Constantini M. tempore, & paulo poſt a Doctoribus Eccleſiæ allata collegit *Ioan. A.* Quenstedtius. „ Quæ cum ita ſint fratres (cum Nicetio poſtquam „ eadem cum ipſo tractavimus, concludere licet) iam pleniori fiducia hy„ mnorum myſterium fideliter impleamus, magnam nos credentes a Deo „ gratiam conſecutos, quibus conceſſum eſt cum tantis ac talibus Sanctis, „ Prophetis dico, atque Martyribus Dei æterni miracula...... Hic cum „ David Domino confitemur, quoniam bonus eſt; cum Moyse poten„ tiam Domini magnis illis canticis perſonamus; cum Anna, quæ Eccle„ ſiæ ſpeciem gerit, olim ſterili, nunc fœcunda in Dei laude, corde con„ firmamur; cum Isaia de nocte vigilantes pſallimus; cum Abacuc, „ cum Hieremia, cum Iona, ſanctiſſimis Vatibus orando cantamus; cum „ tribus æque Pueris, quaſi in fornace poſiti, convocata omni creatura Crea„ tori omnium benedicentes pſallimus.“ Sic:

L. II. Retract. c. 11. — *Art. 114.* — *T. VI. Aug. p. 319.* — *Antiq. Bibl. c. 4. p. 293.* — *De bono Pſalmodiæ c. 3.* — *Prudent. Cathemer. hym. 2.*

Te mente pura & ſimplici,
Te voce, Te cantu pio,
Rogare curvato genu,
Flendo, & canendo, diſcimus.

Cantorum munus a primordiis Eccleſiæ.

X. Erat inde a prima Eccleſiæ ætate peculiaris ordo pſaltum, ſeu cantorum, in Oriente ſaltem ſemper ſingularis, & a Lectoribus diſtinctus: qui canonici Pſaltæ ſunt dicti, quod in Canonem, ſeu Eccleſiæ matriculam eſſent adſcripti. De prima eorum origine nihil ſtatui poteſt. Exempli cauſa

ſa ex ſuppoſititia epiſtola S. Ignatii ad *Antiochenos*, in qua cum reliquo eccleſiaſtico Ordine recenſentur: *Saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, laborantes Exorciſtas.* Iidem in pluribus apoſtolicis Canonibus memorantur. Sic Can. XXV. vel XXVII. ex Dionysii *Exigui* collectione datur libertas ducendi uxorem Lectoribus, & Cantoribus. Can. XLIII. prohibetur Hypodiacono, Lectori, & Cantori, aleis, & ebrietati vacare; & Canone LXIX. ſtatuitur, ut Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Hypodiaconus, vel Lector, vel Cantor, qui ſanctam Quadrageſimam, aut feriam quartam, vel Paraſceven non ieiunaverit, deponatur. Auctor Conſtitutionum apoſtolicarum eosdem cum reliquis minoribus Ordinibus reponit. *Sed neque reliquos baptiſmum conferre volumus; veluti Lectores, aut Pſaltes, aut Ianitores, aut Miniſtros, niſi ſolos Epiſcopos & Presbyteros miniſtrantibus Diaconis.* In liturgia earundem Conſtitutionum, item Iacobi & Marci, pro Pſaltibus etiam inter reliquos eccleſiaſticos Ordines oratur. Et hactenus quidem de ipſo eorum officio cantandi non fuit facta mentio, quod fit in Can. XVII. Concilii *Laodiceni*: *Non oportere præter canonicos Cantores, qui ſuggeſtum aſcendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in eccleſia.* Canone XXIII. decernitur: *Non oportere Lectores & Cantores orarium ferre, & ſic legere & cantare.* Canone XXIV. inter cæteros Ordines Cantores & Lectores diſcretim ponuntur. Iustinianus dicit, Lectorum eſſe *hymnos & odas canere.* In divali Iustiniani Conſtitutione, *Nov.* 3. *L. Omnem.* 40. *de Epiſc. & Cler.* (qua Clericos ad ſuum pſallendi munus recte implendum graviſſimis verbis admonet) Lectores 110. Cantores 25. conſtituuntur pro Eccleſia *Cpolitana*: totidemque in diplomate Heraclii Imp. Lectores & Cantores etiam diſtinctim recenſet Epiphanius *poſt Hær.* 80. Haud raro tamen conveniebat in una perſona uterque Ordo. De Marciano Martyre Sozomenus: Marcianus *vero*, inquit, *Cantor erat & Lector divinarum Scripturarum.* a) Zonaras dicit more mutato Lectores circa cantum magis, quam circa lectionem occupatos ſuo tempore fuiſſe. Briso, eunuchus Auguſtæ memoratur Socrati & Sozomeno, *qui tum hymnorum cantoribus erudiendis erat præpoſitus.* Nec vero eunuchi Ordinibus eccleſiaſticis idonei erant; minus vero Catechumeni: de quibus idem Socrates: *In urbe* Alexandrina *Lectores & Pſaltæ absque ullo diſcrimine fiunt tam Catechumeni, quam fideles, cum tamen omnes ubique eccleſiæ nonniſi fideles ad hunc gradum promoveant.* Aſſumebantur etiam in admodum iuvenili ætate. De S Theodosio ſic ſcribit Cyrillus *Scytopolitanus* in eius Vita: *Hinc & Comanorum eccleſiæ Cantor, ipſe oppido*

n. 12.
L. III. c. 11.
L. 34. *de Epiſcop. audient.*
T. I. Iur. Græc. Rom.
L. IV. c. 3.
a
Zon. ad Can. 22. *Laod.*
Soc. L. 6. *c.* 7.
Soz. L. 8. *c.* 8.
L. 5. *c.* 22.

a) Vid. Menard. n. 696. & 699. in Sacramentar. S. Greg. Suicerum in Theſ. eccl. ad vocem ἀναγνώςης. *Petrum* Coustant in animadv. ad epiſt. Siricii col. 633.

oppido utilis a puero factus eſt, *& eccleſiaſticum Ordinem accuratiſſime edoctus*, *& memoriæ mandavit Pſalterii librum &c.* Nec prætereundum, quod *Apud Rosweidum p. 831.* de MARI narrat THEODORETUS in Hiſtoria religioſa : *Quod corporis integritatem ſervarit*, *cum multos quidem dies feſtos Martyrum celebraſſet*, *cum eſſet adoleſcens, vocis autem bonitate demulſiſſet populum. Nam & plurimo tempore perſeveravit pſallere*, *& fuit inſigni pulchritudine corporis. Sed tamen nec ſpecies corporis*, *nec vocis claritas*, *nec*, *quæ ei cum multis intercedebat congreſſio, animi pulchritudini aliquid detrimenti attulit.* Non fuit ergo MARIS ex genere Cantorum canonicorum, ut vocat Concilium *Laodicenum*, qui nempe matriculæ unius cuiusdam eccleſiæ adſcripti erant. *Lib. V.* VICTOR *Vitenſ.* de *Perſec. Vandal.* de TEUCHARIO Lectore apoſtata narrat : „De „multitudine pergentium confeſſorum, id eſt, eccleſiæ *Carthaginis* Clericorum, ſuggerente quodam ex lectore TEUCHARIO perdito, quos ille noverat vocales, ſtrenuos atque aptos modulis cantilenæ, deſignatione ſua „debere dicit duodecim infantulos ſeparari, quos ipſe, dum catholicus eſſet, tunc diſcipulos habuit.“ S. NICETIUM, *Lugdunenſem* Epiſcopum *De VitisPP. c. 8.* S. GREGORIUS *Turonenſis* perhibet illud omnino ſtuduiſſe, „ut omnes pueros, qui in domo eius naſcebantur, ut primum vagitum infantiæ relinquentes loqui cœpiſſent, ſtatim litteras doceret, ac pſalmis imbueret: „ſcilicet ut ingreſſui tali iungeretur pſallentium, tam antiphonis, quam meditationibus diverſis, ut devotio flagitabat, animum poſſet imbuere.“ Dubito iam prioribus Eccleſiæ ſæculis Cantores a prima infantia *Romæ* (ut poſtea in orphanotrophio enutriebantur) fuiſſe educatos, cum id muneris obierint ante S. GREGORIUM etiam in maioribus Ordinibus conſtituti. Id vero etiam in *Gallia* uſuveniſſe in Vita S. GALLI, Epiſcopi *Arvernenſis* medio ſæc. *Ibid. c. 6. n. 8.* VI. docet S. GREGORIUS *Turonenſis* de VALENTINIANO Diacono (*qui nunc*, ait, *Presbyter eſt*, *& Cantor*) aliisque Clericis, dum Epiſcopus Sacra ageret, canere ſolitis. Prius quidem VALENTINIANUM fuiſſe Cantorem, quam Presbyterum, poſtea innuit: VALENTINIANUS, inquit, *igitur Cantor* . . . *qui poſtea Presbyter fuit*, ſed eum Diaconum ceciniſſe, captantem etiam a ex vocis pulchritudine gloriolam, deinceps narrata produnt a). In occidentali

cidentali

a) „Tunc (inquit) ad ſervitium Sancti GALLI VALENTINIANUS Diaconus, qui nunc Presbyter eſt, & Cantor, acceſſit. Cumque Epiſcopo alio Miſſam dicente, Diaconus ille propter iactantiam potius, quam pro DEI timore cantare vellet, a Sancto GALLO prohibebatur, dicente ſibi: *Sine fili*, *quando Domino iubente nos celebraverimus ſolemnia*, *tunc & tu canere debes*; *nunc eius Clerici concinant*, *qui celebrat Miſſam.* At ille & tunc ſe poſſe pronunciat. Cui Sacerdos: *Fac quod libet*, *nam quod volueris, non explebis.* Ille igitur negligens mandatum Pontificis abiit, & tam deformiter cecinit, ut ab omnibus irrideretur. Adveniente autem alia Dominica, dicente ſæpe dicto Pontifice Miſſam, eum iuſſit abire: *Nunc*, inquiens, *in nomine Domini*, *quod volueris explicabis.* Quod cum feciſſet, in tantum vox eius præclara facta eſt, ut ab omnibus laudaretur. O beatum virum, cui talis gratia conceſſa eſt, ut ſicut animæ,

cidentali Eccleſia primitiva non legitur uſpiam peculiaris Cantorum Ordo, utputa in recenſione totius Cleri *Romani* apud EUSEBIUM, ex epiſtola CORNELII P. ad FABIUM *Antiochenum.* In Concilio *Carthaginenſi* quarto, iisdemque verbis in Sacramentario *Gelaſiano* ſingulorum Ordinum ritus ordinandi deſcribitur, occurrunt poſtremo loco Cantores; ſed non perinde, ſicuti minorum etiam Ordinum, atque inter hos Lectorum Ordinatio ab Epiſcopo fieri debuit. „ Pſalmiſta, id eſt, Cantor poteſt absque ſcientia E- „ piſcopi ſola iuſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi „ Presbytero: *Vide, ut quod ore cantas, corde credas: & quod corde credis,* „ *operibus comprobes.* " Quæ deſignatio potius cum ſacra benedictione ad officium cantandi eſt, quam Ordinatio, ſeu Ordo peculiaris. Ex GREGORIO M. conſtat, promiſcuum id munus fuiſſe Ordinibus ſaltem minoribus, ubi reverentiæ & dignitatis cauſa id Diaconis interdicit: Ut Diaconi non canant in eccleſia niſi Evangelium, lectiones autem cæteras, uti etiam hymnos & pſalmos ab inferioribus Clericis decantari ſinant. Putat MARTENIUS Pſalmiſtas, ſeu Cantores Lectorum nomine plerumque donari apud auctores, quod, cum cantus melodicus tribus primis Eccleſiæ ſæculis ignotus fuerit (pro qua ſententia citat NICEPHORUM) cum ſuo in Divinis officio fungerentur, legentes potius quam cantantes referrent, deinceps Lectores defectu Cantorum ad id munus obeundum, imo Superioris gradus miniſtros adſcitos fuiſſe non negat. „ Ne quem moveat (obiter hic ex THOMASIO no- „ tem) frequens illa apud veteres locutio: *Pſalmum, cum legeretur, audi-* „ *ſtis*, & eiusmodi aliæ, quaſi Lector non cantaverit pſalmum, ſed tantum- „ modo legerit. Animadvertendum eſt, ea locutione non cantum exclu- „ di, ſed ſolum indicari, quod Lector ex codice legendo, non memoriter „ recitando præcentorem egerit. Propterea nuſpiam dictum invenitur ad „ populum, *Pſalmum legiſtis*, ut qui ex memoria tantum repeteret. " Ipſe tamen cantus etiam apud S. AUGUSTINUM frequenter notatur: *Pſalmum,* inquit, *nobis brevem paraveramus, quem mandaveramus cantari a Lectore.* Et homilia XXVII. ex L. *Neque enim nos iſtum pſalmum cantandum Lectori imperavimus; ſed quod ille cenſuit nobis utile ad audiendum, hoc cordi etiam puerili imperavit.* Sic in Concilio *Bracarenſi* I. videmus Lectores Pſaltarum Officio fungi. S. AMBROSIUS *Alius*, dicit, *diſtinguendæ lectioni aptior: alius pſalmo gratior.* Qui tamen ſelectus ſine peculiari Ordine fieri potuit. *Romæ* ſcholas Cantorum HILARIUM Pont. inſtituiſſe ſcribit ANASTASIUS. Sunt, qui præformaſſe iam S. SILVESTRUM volunt.

L. VI. c. 43. *Can. X.* *C. in Rom. Eccl. diſt. 92.* *De Ant. Eccl. diſcipl. c. 3.* *L. IX. hiſt. eccl. c. 16.* *Præf. in Reſponſ. & Antiphon.* *In Pſalm. CXXXVIII.* *C. 29.* *L. I. Offic. c. 44.* Schola Cantorum Romæ.

ita voces hominum ſub eius poteſtate conſiſterent! quas & cum voluit, cantu prohibuit: & cum libuit, cantare permiſit. "

a L. II. c. 6. — Ὑποβο-λεῖς. — b Archihierat. P. IV. obſ. I. In Socratem p. 71.

lunt. Onuphrius a) id innuit *de Interpret. vocum eccleſ.* Ioannes Diaconus vero S. Gregorio M. omnino inſtitutionem ſcholæ Cantorum tribuit. Qua de re *Lib. II.* agemus. Controverſia eſt de iis, qui vocantur ὑποβολεῖς a Socrate, quos Lectoribus iungit b), atque idcirco male Habertus cum illis confundit. Musculus, & Christophorsonus, qui verterunt *Interpretes*, Valesio vapulant. Qui expoſitionem Epiphanii Scholaſtici probat: „ Optime (inquit) Epiphanius expoſuit pſalmi pronuntiato-„ res. Horum munus videtur fuiſſe prima pſalmi verba præcinere; populus „ deinde reliqua ſuccinebat. Ὑποβολεῖς dicebantur olim monitores, qui in „ ſcena monebant hiſtriones, ut docet Festus. Hi ſuggerebant actoribus, „ quoties memoria eos deficiebat. Erant & monitores in precationibus, „ quorum meminit Tertullianus in *Apologetico*, ubi dicit, Chriſtianos „ ſine monitore oraſſe, quia de pectore orabant. “ Et Cotelerius: „ Qui „ Pſaltæ ideo in Socratis hiſtoria eccleſiaſtica *Lib. V. c.* 22. appellantur ὑπο-„ βολεῖς, *monitores*, *ſuggeſtores*, *pſalmi pronunciatores*, quemadmodum do-„ cuit magnus interpres. Atque inde *Græcorum* κανονάρχαι, & *Latinorum* „ Præcentores. “ Unde Præcentores, Canonarchæ, quive præcipui erant, Primicerii, ut in aliis facultatibus ac muniis, in hac vero frequentius ſunt dicti, rarius tamen prima hac ætate. *Primicerium ſcholæ clariſſimæ militiæque lectorum* S. Remigius *Remenſis* in epiſt. ad Falconem, Epiſcopum *Tungrenſ.* nominat. Præcentorem pſalmi ſtetiſſe in medio chori vel cœtus colligimus ex Eusebio *L. II. hiſt. c.* 17. Quod autem olim Clerici in choro ſtantes pſallerent multis SS. PP. teſtimoniis confirmat Georgius *de Liturg. Rom. Pont.* Notandum in Concilio *Toletano* I. etiam Confeſſores vocari. Confiteri enim iuxta *Pompeium* Sarnelli exponitur per pſallere, in pſalmi IX. 2. 3. *Confitebor tibi Domine, & pſallam nomini tuo Altiſſime.* Apud monachos *Ægypti* unus in medio fratrum aſſurgens ſuaviter, ut ex Cassiano diſcimus, decantabat, ſeu clara, aut ſonora voce recitabat pſalmum, cui, ne cantando deficeret, alii viciſſim ſuccedebant, tres aut quatuor ad ſummum, qui duodenarium pſalmorum numerum ita partiebantur, ut ſi duo tantum eſſent,

In L. II. Conſtit. apoſt. c. 57. obſerv. 9. — Præcentores &c. — Stantes pſallebant. — C. IX. — Ep. 27. — L. II. Inſtit. c. 5. & 10.

a) „ Quamquam (inquit) tempore S. Silvestri P. & poſtea plures & magnæ fuerint in urbe baſilicæ conditæ, non tamen ſingulæ Clericos vel Monachos ſpeciatim habebant, qui in illis ſacra officia celebrarent. Presbyteri enim titulis, Diaconi diaconiis præfecti, ſuo quisque tantum muneri vacabat; illi Sacris adminiſtrandis, hi pauperum ſubventioni procurandæ. Pſalmodia vero quotidiana in omnibus eccleſiis tunc in uſu non erat: nam ſingulis urbis baſilicis redditus adhuc aſſignati non erant, quibus poſſent ſingula collegia canentium nutrire. Ideoque ſchola cantorum inſtituta fuit, quæ urbi communis erat, & ad ſtationes, proceſſiones, ſingulasque dies eorundem feſtis eccleſias urbis conveniebat, ibique ſacra officia, & Miſſarum ſolemnia, Pontifice vel Presbytero celebrante, decantabat. “

b) Lib. V. c. 22. Ἐν τῇ αὐτῇ Ἀλεξανδρείᾳ ἀναγνῶσται καὶ ὑποβολεῖς ἀδιάφορον.

eſſent, ſinguli ſenos; ſi tres, ſinguli quaternos; ſi quatuor, ſinguli ternos pſalmos occinerent; cæteris ſummo ſilentio conſidentibus, & in pſallentis verba tota animi attentione defixis.

XI. Alias tamen etiam populo erant ſuæ in pſallendo partes. *Unusquisque veſtrum*, inquit Apoſtolus, *pſalmum habet.* At non ſemper promiſcua plebs pſallebat, niſi forte ſuccinens. „Peractisque (ut habetur in „Conſtitutionibus apoſtolicis) per binos lectionibus, quidam alius DAVIDIS „hymnos pſallat, & populus extrema verſuum ſuccinat: Καὶ ὁ λαὸς τὰ ἀκρο„ϛίχια ὑποψαλλέτω.“ Et alibi: „In ſingulis horum, quæ Diaconus pro„loquitur, uti iam diximus, populus reſpondeat: *Kyrie eleiſon;* & ante „cunctos pueri.“ Ex IUSTINO M. iam notavimus populi reſponſionem. Vocat etiam CLEMENS *Alexandrinus* φωνὴν τὴν κοινὴν, *unam ac communem vocem*, Eccleſiæ congregationem orationi intentam. Et TERTULLIANUS: „*Vide quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in unum;* „hoc tu pſallere non facile noſti, niſi quo tempore cum pluribus cœnas.“ Si hæc ad agapen Chriſtianorum pertinent, ad Sacrificii certe celebrationem ſpectat S. CYPRIANI locus: „Et quando in unum cum fratribus con„venimus, & Sacrificia divina cum DEI Sacerdote celebramus, verecundiæ & „diſciplinæ memores eſſe debemus, non paſſim ventilare preces noſtras in„conditis vocibus.“ Alium in hanc rem TERTULLIANI locum iam ſupra *p.* 29. retulimus. S. ATHANASIUS Sacrum ita deſcribit conventum in eccleſia: *Ut*, inquit, *una illic, eademque populorum vox cum conſonantia audiretur* a). Refert alibi tum ipſe, cum etiam SOZOMENUS, & SOCRATES, quomodo omnibus canentibus inſidias declinarit militum, qui eccleſiam ad eum capiendum occupaverant. „Dum (ſunt verba SOZOMENI) ab omnibus caneretur, milites inter„ea quieſcebant, intempeſtivum rati, eo tempore impetum facere. Tum „vero ATHANASIUS per mediam pſallentium turbam occultus evaſit.“ Et SOCRATES: „Cum autem in recitatione pſalmi ſuavis concentus totius mul„titudinis extitiſſet, per unam ex eccleſiæ ianuis omnes egreſſi ſunt. Quod „cum fieret, milites quidem quieti ſteterunt, ATHANASIUS vero in media „pſallentium turba evaſit incolumis.“ Adde luculentius adhuc S. HILARII teſtimonium, quomodo etiam extra eccleſiam populi vox reſonarit: „Au„diat (inquit) orantis populi conſiſtens quis extra eccleſiam vocem, ſpectet „celebres hymnorum ſonitus, & inter divinorum quoque Sacramentorum „officia reſponſionem devotæ confeſſionis accipiat.“ S. BASILIUS eiusdem rei

Munus populi in cantu eccleſiaſtico.

Lib. II. c. 57.

Lib. VIII. c. 6.

De Ieiunio.

In lib. de orat. Domin.

In Apol. ad Imp. Conſt. T. I. P. I. p. 305. a

Lib. III. c. 5.

Lib. II. c. 8.

In Pſ. LXV.

Ep. 207.

a) Præſtabat certe iſtud, hinc enim unanimitatem cernere erat, hincque DEUS eſt ad exaudiendum promtior. Si namque iuxta ipſius Salvatoris promiſſionem, duobus ob quamlibet cauſam convenientibus, quodcunque petierint, dabitur illis: quid ſi tanti populi convenientis una vox proferatur, qua DEO dicunt, *Amen?* “

rei varios modos ac viciſſitudines in celebri ad *Neocæſarienſes* epiſtola declarat. „Tandem (ſunt verba S. Doctoris) a precatione ſurgentes, ad pſalmodiam „tranſeunt. Et nunc quidem in duas partes diviſi alternis ſuccinentes pſal„lunt, ac ſimul & meditationem Scripturarum inde corroborant. . . Poſt„ea rurſus uni committentes, ut Prior canat, reliqui ſuccinunt. Et ſic „poſteaquam in pſalmodiæ varietate noctem traduxerunt intermixtis pre„cibus, die iam illuceſcente omnes ſimul velut ex uno ore, & uno cor„de pſalmum confeſſionis Domino concinunt.“ Et: „Bonorum maxi„mum charitatem conciliat pſalmorum cantus, qui concentum, ceu quod„dam vinculum ad concordiam ineundam adinvenit, populumque ad cho-
In Pſalm. I. „ri unius ſymphoniam congregat.“ S. Ambrosius loquens de mulieribus, a S. Paulo in eccleſia quidem iuſſis tacere: „Mulieres (inquit) Apoſtolus „in eccleſia tacere iubet: pſalmum etiam bene clamant: hic omni dulcis æ„tati, hic utrique aptus eſt ſexui . . . . ſi unus loquitur, obſtrepunt u„niverſi: cum pſalmus legitur, ipſe ſibi eſt effector ſilentii: omnes loquun„tur, & nullus obſtrepit . . . magnum plane unitatis vinculum, in unum
L. I. cap. 1. Hexaem. „chorum totius numerum plebis coire.“ Idem genuinos Christi fideles deſcribens: „Quos (inquit) non mortiferi cantus, & acroamata ſce„nicorum, quæ mentem emolliant ad amores, ſed concentus Eccleſiæ, &
Cap. 5. „conſona circa Dei laudes populi vox, & pia vota delectant.“ *Lib. III.* deinde Eccleſiam mari comparat, in qua reſponſoriis pſalmorum, cantu virorum,
a mulierum, virginum, parvulorum conſonans undarum fragor reſultat a). Et S. Gregorius *Nazianzenus*, qui matrem ſuam, quod altum in officio ſervarit ſilentium, neque os niſi ad canendum aperuerit, promiſcuum cantum dilaudat in carmine de virtute:

Noctu ne cernis ut canat laudes DEO
Naturæ uterque ſexus oblitus ſuæ?
Quot, quamque Sancti! cernis Angelorum chorum
Qui nunc ſimul, nunc vicibus alternis canit
Partim deorſum poſitus, & partim ſupra,
Sine fine ſummi concinens laudes Patris?

Talis nobis chorus deſcribitur in Commentario inter opera S. Hieronymi:
In Pſalm. CXLIX. „Ubicunque chorus eſt, ibi diverſæ voces in unum canticum congeruntur. Quo„modo

a) „Ut (ait) cum undarum leniter alluentium ſono certent cantus pſallentium, plaudant inſulæ tranquillo fluctuum choro, hymnis Sanctorum perſonent: unde mihi ut omnem pelagi pulchritudinem comprehendam, quam vidit operator? Et quid plura? Ecquid aliud ille concentus undarum, niſi quidam concentus eſt plebis? Unde bene mari plerumque comparatur Eccleſia, quæ primo ingredientis populi agmine totis veſtibulis undas vomit: deinde in oratione totius plebis tanquam undis refluentibus ſtridet: tum reſponſoriis pſalmorum, cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum conſonus undarum fragor reſultat.“

„ modo enim diverſæ chordæ unam vocem efficiunt cantici: ſic & diverſæ
„ voces, hoc eſt, cum ſimul fuerint congregatæ, chorum Domini efficiunt. “
Luculentiſſimum eſt S. IOANNIS *Chryſoſtomi*, præter alia, teſtimonium in ho-
miliis, primum a MONTFAUCONIO editis a). Quod idem alibi breviter col- a
„ ligit: „ Fœminæ, & viri, & ſenes, & iuvenes diſtincti ſunt, & ſexu, & *In Pſ. CXLV.*
„ ætate, non tamen diſtincti ſunt ratione concentus. Unusquisque enim
„ vocem ſpiritus temperans unam ex omnibus conficit melodiam. „ Alio equi- *Hom. I. in Iſa. verba: Vidi Dominum.*
dem loco acriter reprehendens pſallentis populi cacophoniam, & immode-
ſtiam, ut ſcite & modeſte concinant, monet, ſua cum apoſtolicis conferens *Hom. 36. in I. ad Corinth.*
tempora: „ Omnes (inquit) in unum congregati communi voce cantabant;
„ quod & nos hodie facimus. “ Morem ſuæ ætatis in *Africa* memorans ſup-
par S. CHRYSOSTOMO S. AUGUSTINUS: „ Cantabimus (ait) pſalmum nos ex- *De verbis Apoſt. Serm. 10.*
„ hortantes invicem una voce, uno corde, dicentes: *Venite adoremus &c.* “
Et: „ Vos certe cantaviſtis, & adhuc divini cantus ſonus recens eſt in au- *Serm. 2. in Kal. Ianuar.*
„ ribus veſtris: *Salva nos &c.* “ Similiter S. LEO: „ *Davidicum* pſalmum, *Serm. 2. in Anniv. Aſſumpt.*
„ dilectiſſimi, non ad noſtram elationem, ſed ad CHRISTI Domini gloriam
„ conſona voce cantavimus. “ DIONYSIUS item, vulgo *Areopagita*: „ Ponti- *De cæleſt. hierarch. c. 3.*
„ fex ſacrum infit melos, omni Ordine eccleſiaſtico ſacram ipſi pſalmo-
„ diam ſuccinente. “ Ex Diatyp. IV. Conc. *Nicæni* etiam intelligitur, lai-
cos ad officium cantandi admiſſos eſſe. De S. CÆSARIO *Arelatenſi* teſtatur
CYPRIANUS auctor eius Vitæ, quod priſtinum morem reduxerit: *Adiecit
etiam atque compulit, ut laicorum popularitas pſalmos & hymnos oraret, al-
taque & modulata voce, inſtar Clericorum alii græce, alii latine proſas, an-
tiphonasque cantarent.* Ipſe CÆSARIUS ſtudium ſuum ac ardorem in hac re *Serm. 284.*
declarat ex æmulatione etiam aliarum eccleſiarum. *Cum enim*, inquit, *ego
vos ita pſallere deſiderarem, quomodo in aliis civitatibus pſallebatur, taliter
præparavit DEUS animum veſtrum, ut hoc etiam melius adiuvante Domino
compleatis.* Poema quoddam extat *Venantii* FORTUNATI in laudem Cleri
Pariſiaci, quo inſtitutum idem a S. GERMANO deprædicatur:

Pon-

a) „ Ecce namque (inquit T.XII. Opp. p. 349.) ingreſſus pſalmus voces miſcuit, & ut unum cum harmonia canticum efferetur, effecit. Iuvenes & ſenes, divites & pauperes, mulieres & viri, ſervi & liberi, melos unum omnes emiſimus. Si enim citharædus diverſos nervos arte temperans ſonos multos, unum efficit, quid mirum, ſi pſalmi & ſpiritualis cantici vis idipſum fecerit? Neque enim nos ſolum præſentes, ſed etiam mortuum cum vivis miſcuit. Ille namque nobiscum pſallebat beatus Propheta. Etiamſi in regiis aulis id non liceat, nam ibi ſedet ille diademate ornatus. Adſtant autem omnes cum ſilentio, licet in maximis magiſtratibus conſtituti. Hic vero non ſic: ſed loquitur Propheta, & omnes reſpondemus, omnes una canimus. Neque licet hic ſervum videre, nec liberum, nec pauperem, nec principem, nec privatum; ſed pellitur illa ſæcularis inæqualitas: unus chorus ex omnibus congregatur, æqualitas quoque multa in vocibus eſt, ac cœlum terra imitatur. Tanta eſt Eccleſiæ nobilitas. Neque enim dici poteſt, Dominum quidem cum multa confidentia pſallere, ſervum autem reprimi, neque rurſum divitem quidem linguam movere, pauperi autem ſilentium imperari; neque iterum virum quidem cum fiducia canere, mulierem vero tacere, & ſine voce ſtare. “

Pontificis monitis Clerus, plebs, pſallit & infans.

Dom. Manni in opuſc. *Ital.* de Diſcipl. antiqui eccl. Cantus ex antiqua Vita MS. S. Zenobii Epiſc. *Florent.* ſæc. V. ſimile inſtitutum refert: *Hymni, pſalmi & cantica tam a Cleris, quam a devoto populo decantantur; quin etiam mulieres atque pueri cantilena eius immenſa beneficia recenſentes &c.* S. Nicetius *Trevir.* quomodo voces conformare ac moderari fideles debeant, qui in eccleſia cantare volunt aut poſſunt, monet. „Et nos utique (ait) omnes quaſi ex uno ore eundem pſalmorum ſonum, eandemque vocis „modulationem æqualiter proferamus: qui autem æquare ſe non poteſt „cæteris, melius eſt ei tacere, aut lenta voce pſallere, quam clamoſa vo„ce omnibus perſtrepere; ſic enim & miniſterii implebit officium, & hu„militer pſallenti fraternitati non erit offendiculum.“ Iuxta Apoſtoli monitum mulieribus in eccleſia ſilentium fuit impoſitum. „Virginum vero „conventus (ait S. Cyrillus *Hieroſolymitanus*) ſic collectus eſto, ut pſallat, „vel legat, ſed tacite; ita ut labia quidem loquantur, vox autem ad alienas „aures non perveniat. Mulieri enim loqui in eccleſia non permitto; & „nupta quoque ſimiliter agat: ut & oret, & labia ſic moveat, ne vox ex„audiatur.“ S. Isidorus *Peluſiota* (poſterior S. Cyrillo, qui ſub Constantio Catecheſes habuit, cum Isidorus an. 432. obierit) quod mulieribus inde ab apoſtolicis temporibus, ob connatum loquacitatis vitium in eccleſia canendi facultas ſit facta, indicans, quum in peccandi occaſionem ceſſiſſet, abolitum eum fuiſſe morem teſtatur a). In Concilio *Altiſiodorenſi* vetitum eſt, *in eccleſia choros ſæcularium vel puellarum cantica exercere.*

De vigiliis ſervorum Dei. c. 2. — *1. Tim. II. 12. & 1. Cor. XIV. 34.* — *Procatech. n. 14.* — a — *An. 578. C. 9.*

Cantus alternus ſeu antiphonus in Oriente.

XII. Celebris in Eccleſia ſemper fuit modus canendi alternis, quem iam attigimus. Sed de eius origine nunc accuratius eſt indagandum, cum nec veteres, nec recentiores ea in re conveniant. Controverſiam autem faciunt contraria ſibi veterum Socratis, & Theodoreti de hac re narratio. Quorum ille S. Ignatio rem tribuit, & quidem id divinitus edocto. „Dicen„dum autem (inquit) & hoc, unde conſuetudo alternorum hymnorum in „Eccleſia

L. VI. c. 8.

a) „Importunas (inquit Lib. I. Ep. 90.) in eccleſiis loquacitates Domini Apoſtoli in eccleſiis comprimere ſtudentes, modeſtiæque atque gravitatis magiſtros ſeſe nobis præbentes, ut mulieres in ipſis canerent, ſapienti conſilio permiſerunt. Verum ut omnia divina documenta in contrarium verſa ſunt, hoc quam plurimis in diſſolutionem ac peccati occaſionem ceſſit. Siquidem ex divinis hymnis non ingenti compunctione afficiuntur: verum cantus ſuavitate ad irritandas & extimulandas libidines abutentes, nihilo eam ſcenicis cantilenis præſtantiorem eſſe exiſtimant. Operæ pretium eſt igitur, ſi, quod DEO gratum eſt, quærere, atque id, quod ex utilitate publica eſt, facere volumus, iis, ut Christo cauponum inſtar ad quæſtum abutentibus, & divinam gratiam in exitii mercedem convertentibus, ne deinceps in eccleſia canant, atque in civilitate maneant, interdicere.“

„ Eccleſia initium cœperit. Vidit aliquando Angelos hymnis alternatim decantatis Sanctam TRINITATEM celebrantes, & canendi rationem, quam in „ illa viſione animadverterat, eccleſiæ *Antiochenæ* tradidit. Unde iſta traditio ad omnes poſtea eccleſias permanavit. Et hæc eſt ratio alternorum „ hymnorum τῶν ἀντιφώνων ὕμνων.“ GREGORIUS *Alexandr.* in Vita S. CHRYSOSTOMI eandem hiſtoriam iisdem verbis narrat. Rem confirmat *Gregorius* BAR-HEBRÆUS, qui & ABULPHARAGIUS P. III. chronici *Syriaci* in Vita S. SIMEONIS Epiſcopi *Seleuciæ* ac Martyris; traditque eum ritum ex imitatione Eccleſiæ *Antiochenæ* in Oriente ab eodem SIMEONE invectum, ut *Rob.* SALA ad *Lib. I. c.* 25. *Rer. liturg.* Cardinalis BONÆ ex *Ioſ. Sim.* ASSEMANO obſervat, ſubditque: „ Paſſus eſt SIMEON ſub SAPORE, *Perſarum* Rege, CONSTANTII Imp. tempore, ſæculo ineunte quarto; & de ipſo gloriosa eſt memoria in martyrol. *Rom.* ad diem 21. *Aprilis*; quare non aliter, „ quam ex *Syrorum* antiqua traditione ABULPHARAGIUM, etſi recentem ſæculi XIII. ſcriptorem, dicta exaraſſe credendum eſt.“ THEODORETUS autem hanc eandem conſuetudinem ad FLAVIANUM, & DIODORUM, monachos *Antiochenos* refert, qui tempore CONSTANTII Imperatoris floruerunt. „ Iſti „ duo (inquit) admirabiles viri FLAVIANUS, & DIODORUS, quamquam Sacerdotii adminiſtrationem nondum ſunt conſecuti, ſed annumerati laicis, „ tamen noctu, & interdiu ad pietatis ſtudium omnes ſedulo excitarunt. „ Hi primi, pſallentium choro in duas partes diviſo, hymnos *Davidicos* alternis canendos tradiderunt. Quæ res, primum incœpta *Antiochiæ*, ubique pervaſit, & ad ultimas orbis terræ oras pervagata eſt.“ Sunt multi graves auctores, qui SOCRATEM omnino hic deſerendum putent; inter quos ex veteribus SUIDAS, & ex recentioribus VALESIUS ad eum SOCRATIS locum a). Nec diſſentit MABILLONIUS, & RUINARTUS. Agnoſcit tamen VALESIUS ex teſtimonio THEODORI *Mopſueſteni* apud NICETAM *Choniatem*, eam pſalmodiæ ſpeciem iam ante FLAVIANUM & DIODORUM apud *Syros* obtinuiſſe.

Tom. II. p. 399. & *Tom. III. P. I. p.* 321. *Biblioth.*

L. II. hiſt. eccl. c. 24.

De curſu Gallicano §. 1. *Act. ſincer. MM. p.* 8.

a

a) „ Neſcio (ſunt eius verba) unde hæc hauſerit SOCRATES. Conſtat enim, primos omnium FLAVIANUM, ac DIODORUM, regnante CONSTANTIO, pſallentium choros *Antiochiæ* bifariam diviſiſſe, & pſalmos *Davidicos* alternis canendos eis tradidiſſe, eamque rem primum *Antiochiæ* inſtitutam, poſtea ad reliquas totius orbis eccleſias dimanaſſe. Teſtatur id THEODORETUS in libro II. hiſt. e. 24. Et ante illum THEODORUS *Mopſueſtenus* qui iisdem temporibus vixit, quibus FLAVIANUS, atque DIODORUS. Verba THEODORI refert NICETAS in Theſauro orthodoxæ fidei *lib. V. c.* 30. Quamquam ea pſalmodiæ ſpecies iam ante FLAVIANUM, atque DIODORUM, a *Syris* videtur fuiſſe uſurpata. Scribit enim THEODORUS, FLAVIANUM ac DIODORUM primos omnium eam pſalmodiæ ſpeciem, quas antiphonas vocant, ex *Syrorum* lingua in græcam tranſtuliſſe, & omnium prope ſolos huius rei auctores cunctis orbis partibus apparuiſſe. Quod igitur *Syri* diu ante FLAVIANUM fecerant, pſalmos *Davidicos* lingua *Syriaca* antiphonatim canentes, id FLAVIANUS & DIODORUS a Græcis *Antiochenſibus* pſalmos græce canentibus fieri inſtituerunt.“

Ad an. 400. *n.* 10.

tinuiſſe. Valesium ſequitur Pagius in critica Baronii. Aperte vero Cardinalis Bona Socrati defert, erraſſe Theodoretum, & qui eum ſunt ſecuti, profeſſus a). *Robertus* Sala ad *Lib. I. cap.* 25. *Rer. liturgicar.* Cardinalis Bonæ ſecutus Thomasinum, non ita intelligendum vult, quaſi Diodorus, & Flavianus eam primum conſuetudinem alternis choris pſalmos canendi abſolute inſtituerint, ſed quod laicis, & reliquis Clericis poteſtatem fecerint, ut in choro in duas partes diviſo hymnos *Davidicos* alternatim canerent, quos antea ſoli Cantores, ex primæva S. Ignatii inſtitutione, pſallebant. Sed & de Cantoribus ex prima illa ætate nihil eiusmodi memoriæ proditum legitur. Quodſi vero non omnino deferendus cenſeatur Socrates, ἀντίφωνος ὑμνῳδία, quam S. Ignatio tribuit, de aliis hymnis alternis & ſibi mutuo reſpondentibus, ad imitationem Angelorum, Sanctam Trinitatem laudantium, forte de ipſo cherubico hymno accipi poteſt, qui ab antiquiſſimis temporibus (etſi de cantu eius antiphono nihil legatur) in ſacra liturgia uſitatus fuit, ut infra videbimus; cum non Theodoretus modo, ſed Suidas etiam, choros eccleſiarum a Flaviano & Diodoro diviſos in duos ordines dicat, ut alternis *Davidicos* pſalmos concinerent. De qua pſalmodia S. Basilius teſtatur, ſuo tempore *recepta inſtituta omnibus DEI eccleſiis conſona eſſe, & conſentientia.* Suidas explicans vocem χορὸς, ita ſcribit: „Chorus eſt congregatio ſimul canentium in eccle- „ſia. Diviſi ſunt chori eccleſiarum in duos ordines ſub Constantio, filio „Constantini M. a Flaviano Epiſcopo *Antiochiæ*, ita ut alternis *Davi-* „*dicos* pſalmos concinerent. Quod quidem cum *Antiochiæ* primo cœptum „eſſet fieri, in omnes mundi terminos tranſiit.“ Qua de re quidquid ſit, conſtat, iam a S. Basilio eandem fuiſſe commemoratam. „Et nunc qui- „dem (inquit) in duas partes diviſi, alternis ſuccinentes pſallunt, ac ſimul „& meditationem Scripturarum inde corroborant, & animum attentum, & cor „evagationis expers ſibi ipſis comparant.“ Sed quoniam *Neocæſarienſes* novitatem in S. Basilii pſalmodia redarguebant, de illius maiore ætate ſtatui nihil poteſt: ſi tamen illa cavillatio cantum ipſum alternum ſpectabat. Conſtat enim alternum cantum tempore Gregorii *Nazianzeni* in monaſteriis

a *De vet. & nova diſc. T. I. P. I. L. II. c.* 72. *n.* 6.

Epiſt. 207.

a) „Verumtamen (ait de pſalmodia c. XVI. §. 10. n. 1.) vel erraſſe iſtos dicendum eſt, vel non de quocunque alterno cantu, ſed de ſolis *Davidicis* pſalmis intelligi debent. Hi enim primi, ait Theodoretus, pſallentium choro in duas partes diviſo, hymnos *Davidicos* alternis canendos inſtituerunt. Theodorus autem *Mopſueſtenus* citatus a Nicrta *Choniate* lib. V. theſauri orthodoxæ fidei c. 30. præfatos monachos eam pſalmodiæ ſpeciem ex *Syrorum* lingua in græcam transtuliſſe aſſeverat.“ Eſt autem iſte Nicetæ locus: Bibl. PP. max. T. 25. p. 161. „Per id tempus *Antiochiæ* florebant, & virtute, ſcientiaque celebres habebantur Flavianus, & Diodorus, quorum ille *Antiocheno* Epiſcopatui, hic *Tarſenſi* poſtea præfectus eſt. Atque ut Theodorus *Mopſueſtenus* ſcribit, illam pſalmodiæ ſpeciem, quas antiphonas dicimus, illi ex *Syrorum* lingua in græcam transtulerunt, & omnium prope ſoli admirandi huius operis omnibus orbis chriſtiani hominibus auctores apparuerunt.“

ſteriis utriusque ſexus iam fuiſſe receptiſſimum, ex loco paulo ante citato, ubi eorum chorum angelicum vocat, quo nunc iunctis, nunc alternis canatur vocibus: *σύμφωνον, ἀντίφωνον ἀγγέλων ςάσιν.* THEODORETUS ſingulare exemplum refert de PUBLIO, monaſterium ex *Græcis Syris*que componente, qui mane & veſpere in una eccleſia congregati, quilibet in ſua lingua viciſſim cantabant, ex una & altera parte conſtituti, alternantes pſalmorum verſus. (*In hiſt. relig. c. 5.*) SOCRATES THEODOSIUM *Iuniorem* palatium ſuum ſic inſtituiſſe narrat, ut a monaſterio non multum diſcreparet, ubi matutino tempore ipſe unacum ſororibus ſuis hymnos in DEI laudem alternis recitare conſueverit. (*L. VII. c. 22.*) At CEDRENUS medium eum hymnos canendo præiviſſe teſtatur. (*L. XIV. c. 3.*) *Conſtantinopoli* S. CHRYSOSTOMUS, SOCRATE teſte ac SOZOMENO, antiphonarum uſum ab *Arianis* receptum æmulatus eſt a). (a) *Ariani* Catholicis inſultantes, alternis choris, cantusque periodis, hæc verba ad modum antiphonæ interponebant: *Ubi ſunt, qui dicunt, trina virtute unum?* Quibus ſimili ratione Catholici profeſſionem ὁμȣσίȣ *Omouſii* opponebant. Forte in fine doxologia *Gloria Patri* ſubiuncta fuit, de qua CASSIANUS memorat, (*L. II. Inſtit. c. 8.*) quod uno cantante, in clauſula pſalmorum omnes aſtantes concinant *cum clamore per omnem Orientem:* GLORIA PATRI *&c.* Qui quidem cantus eſt reſponſorius; addit nihilominus *hac vero glorificatione Trinitatis tantummodo ſolere antiphonam terminari.* BINGHAMUS ultimum pſalmum putat eſſe antiphonam, ſive ALLELUIA, (*Orig. eccl. L. XIV. c. 1. §. 8.*) *qui unus ex iſtis pſalmis erat, qui in fronte* ALLELUIA *ſibi præfixum habent, & quem ad modum antiphonæ, ſive reſponſionis recitabant, addebantque* GLORIA PATRI *&c.* Antea vero CASSIANUS cantum antiphonum explicaverat, veterem monachorum orientalium morem referens, ita prolongantium pſalmodiam per cantum, ac intercalationem antiphonarum. *Quidam enim,* inquit, *vicenos, ſeu tricenos pſalmos, & hos ipſos antiphonarum protelatos melodiis, & adiunctione quarundam modulationum debere dici ſingulis noctibus cenſuerunt.* (*L. II. Inſtit. c. 2.*) Alias vero cantus alternus choris duobus viciſſim ſeſe inſequentibus per ςίχȣς, ſeu verſus fit: quod

a) „ᾠδὰς ἀντιφώνȣς, (ait SOCRATES L. VI. c. 8.) hymnos apte ad *Arianam* hæreſim compoſitos, alternatim ſibi reſpondentes canebant. Diluculo vero easdem antiphonas canentes, per mediam urbem incedebant &c. IOANNES veritus, ne quis ex ſimplicioribus huiusmodi canticis (quas prius antiphonas vocaret) uterque ab Eccleſia abſtraheretur, quosdam ex catholica plebe, quæ ſub ipſo erat, eis oppoſuit, qui nocturnos perinde hymnos decantando, & *Arianorum* circa hæc ſtudium obſcurarent, & ſuos in profeſſione rectæ fidei confirmarent. “ Et SOZOMENUS L. VIII. c. 8. „In cœtus diviſi antiphonatim pſallebant, clauſulas quasdam iuxta ipſorum dogma compoſitas adiicientes .... Tandem vero cantica quoque adiecerunt, quæ ad rixam, & contentionem ſpectarent. *Ubi ſunt, qui Tres dicunt eſſe unicam potentiam?* Et alia huiusmodi hymnis ſuis intermiſcentes. IOANNES itaque veritus, ne quis ex Eccleſia ſua per hæc in fraudem induceretur, plebem, quæ ſub ipſo erat, ut ſimiliter pſalleret, incitavit. Qui brevi tempore illuſtriores facti, *Arianos* & multitudine, & apparatus ſplendore, longe ſuperarunt. “

quod etiam Poetis ſolemne fuiſſe ex Homero, & Virgilio diſcimus. Ho-
Iliad. I. verſ. 604. merus de *Muſis* ſcribit:

- - Ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ,

Canebant alternantes voce pulchra.

Ecloga III. v. 58. & 59. Et Virgilius:

Incipe Damæta, *tu deinde ſequere* Menalca.

a *Alternis dicetis: amant alterna camænæ.* a)

Et Occidente. XIII. In Occidente, ut ad nos redeamus, a multis inſtitutum hoc Damaso P. in acceptis refertur, quod examinat P. Coustantius in cenſura decretorum Damaso I. adſcriptorum, quæ inter conſtituiſſe dicitur: *ut*
b *pſalmi diu noctuque canerentur per omnes eccleſias* b). Examinat poſtea etiam Card. Bonæ ſententiam quoad Eccleſiam occidentalem, qui cantum antiphonum ab Ambrosio primum in Occidentem inductum affirmat, ut poſtea & a Damaso P. Pontificali auctoritate confirmatum exiſtimet. Quæ
c fuit ſententia *Polydori* Virgilii c). Sed recte obſervat Coustantius, ſi
Epiſt. Rom. Pont. T. I. p. 612. ab eo tempore, quo S. Ambrosium Iustina Valentini mater perſequebatur, ut S. Augustinus teſtatur, cœpit hæc conſuetudo, quod anno 386. contigit,

a) De *Hebræis* confer, quæ ſupra *pag.* 3. & *ſeqq.* diximus. *Græcis* vocatur ᾠδὴ ἀντίφωνος *Pſal. LXXXVIII.* 1. שִׁיר לְעַנּוֹת. Quando præcedebant inſtrumenta muſica, & cantantium modulatio per vices excipiebat, vocatur מִזְמוֹר שִׁיר *Pſalm. LXXXVII.* 1. *XCII.* 1. Quando vice verſa voces præibant שִׁיר מִזְמוֹר vocatur *Pſ. CVIII.* 1. Prima autem denominatio generalior ad voces alternas ſpectat. Legitur apud Isaiam c. VI. *Clamabant Seraphim alter ad alterum.* Obſervatque *Pet.* Gussanvillæus in præfat. ad antiphonar. S. Gregorii *Pſ. LXVII.* 18. pro eo, quod vulgo legimus *millia lætantium* שִׁנְאָן *Schinan*, Rabbi Salomonem, & Eugubinum interpretari *alternantium* a radice שָׁנָה *Schanah*; quæ ſignificat iterare, duplicare, quaſi Angeli alternis DEUM cantibus laudent.

b) „Atque hoc (ſunt Coustantii verba Epiſt. *Rom. Pont.* p. 610.) ut apud Anastasium additur *Presbyteris, & Epiſcopis, vel monaſteriis*, præcepiſſe intelligi dupliciter poteſt: vel nimirum, ut ſimpliciter canerentur, vel ut alternis vicibus. At vero hunc morem, ut per eccleſias pſalmi ſimpliciter canerentur, non a Damaso cœpiſſe, ſed ab Eccleſiæ initio ſemper obtinuiſſe, antiquitatis periti ſentiunt. Ut etiam hymni nonnulli alternis choris decantarentur, S. Ignatium *Antiochenum* Epiſcopum in Eccleſia ſua inſtituiſſe, atque hunc uſum ab *Antiochena* eccleſia ad cæteras permanaſſe, Socrates (lib. VI. c. 8.) auctor eſt. “

c) Is de invent. rer. lib. VI. c. 2. „Fertur (ait) idem Pontifex omnium primus hymnum *Gloria Patri*, & cætera, qui tribus divinis perſonis redditur, ad extremum quemque pſalmum adieciſſe, quem in *Nicæno* conventu prius editum, memoriæ proditum eſt. Idem primus inſtituit, ut chorus alternis pſalmos caneret; quamquam non nemo tradit, id antea ab Ignatio Epiſcopo *Antiocheno* inſtitutum fuiſſe. “ Subditque: „At divus Augustinus lib. Confeſſ. 9. ait, Ambrosium *Mediolanenſem* Antiſtitem hunc canendi hymnos & pſalmos morem primum apud occidentales inſtituiſſe populos, quod non utique multum abhorret a ſententia eorum, qui Damaso aſſignant, nam cum ambo per idem tempus fuerint, & quod unus cœpiſſet, ab altero ratum haberi oportuerit, non iniuria & ambo eius rei auctores dici poſſent. “

contigit, non potuiſſe ratum haberi a DAMASO, quem anno 384. obiiſſe, ac SIRICIUM ab initio ſaltem anni 385. ſucceſſorem habuiſſe, ipſius SIRICII ad HIMERIUM epiſtola fidem facit. De S. AMBROSIO teſtatur PAULINUS in eius Vita: *Hoc in tempore primo antiphonæ, hymnique ac vigiliæ in eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt.* [*Ap.Sur. ad d. 4. Apr. T. II. p. 528.*] Sicuti vero, quod *Ioſephus* VICECOMES ait, Miſſæ ordinem a S. BARNABA Apoſtolo, pſallendi autem regulam a MIROCLE, Archiepiſcopo *Mediolani* inſtitutam fuiſſe, nulla nititur auctoritate, ita etiam, quod Scriptores nonnulli ab EUSTACHIO *a S. Ubaldo* citati alternatæ pſalmodiæ auctorem S. CAIUM, tertium *Mediol.* eccleſiæ Epiſcopum faciunt. [*Ioſ. Vicec. de rit. Miſſ. c. 12.*] [*Diſq. de Cantu a S. Ambroſ. in Mediolan. eccl. inducto* §. 9.] EUSTACHIUS *a S. Ubaldo*, Sancto AMBROSIO antiquiorem ſtatuit cantum alternum, BELLARMINUM ſecutus, qui TERTULLIANI locum, *Pſalmum inter duos ſonare*, de cantu alterno intelligit. [*Tertul. L. II. ad Uxorem.*] Quæſtionem hanc de cantus alterni, ac modulati origine, operoſe tractat laudatus EUSTACHIUS *de S. Ubaldo*: [*Id. de bonis operibus in partic. L. I. c. 14.*] imprimis, quod eccleſiam *Mediolanenſem*, ac S. AMBROSIUM ſpectat, Doctorum ſententias examinans, qui vel generatim cantum alternum, vel eundem tam a Clero, quam ipſa etiam plebe decantatum inſtitutioni S. AMBROSII adſcribunt. S. ISIDORUS a) cantus antiphoni inſtitutionem per Occidentem S. AMBROSIO tribuit, qui iam prius apud *Græcos* fuerit in uſu. Idem reſponſorios verſus ſecernit a verſibus antiphonariis, quos iam antea in *Italia* uſitatos eſſe dicit. [*L. VI. Orig. c. 19.*] Utraque notio diſtincta iam S. BENEDICTO fuiſſe apparet ex eius Regula: de quo controverſia eſt, an alternis choris, aut antiquorum monachorum more pſalli voluerit. Poſtremum tuetur MENARDUS, ſed contrarium ſibi perſuadet MARTENIUS. [*De antiq. monach. rit. L. I. c. 2. n. 48.*] Primo, quod licet S. BENEDICTUS multa ex *Ægyptiorum* diſciplina hauſerit, certiſſimum tamen ſit, eum conſuetum morem S. AMBROSII in nonnullis eccleſiaſticis elegiſſe &c. Probabiliusque videtur receptam fere ubique, tam apud Monachos, quam apud Clericos, alternis choris pſallendi conſuetudinem, ut meliorem, ac pietati magis conſentaneam adoptaſſe. Idque cenſeo eſſe S. BENEDICTO cum antiphona canere. Qua de re plura *Cap. III.* contra eorum ſententiam, qui præſertim apud S. BENEDICTUM cum antiphona canere idem eſſe volunt, ac modulate canere; quos citat & ſequitur EUSTACHIUS *a S. Ubaldo* in Diſquiſit. II. *de Cantu a D.* AMBROSIO *in Mediolanenſem eccleſiam inducto.* [§. 9.] Ubi etiam alteram notionem antiphonæ diſcutit ad eorum mentem, qui non ſolum ſententiam, quæ pſalmo præmittitur, & poſt illum ab omnibus repetitur, per antiphonam ſignificari putant; verum

rum

a) Lib. I. de Off. eccl. c. 7. & 8. „ Antiphonas (inquit) *Græci* primum compoſuerunt, duobus choris alternatim concinentibus, quaſi duo Seraphim. Apud *Latinos* autem primus idem beatiſſimus AMBROSIUS antiphonas conſtituit, *Græcorum* exemplum imitatus: ex hinc in cunctis occiduis regionibus earum uſus increbuit. “

rum & melodiam, ſeu formam cantus in pſallendo pſalmo obſervandam. Quæ duo coniunctiſſima ſunt, optimeque deſcribuntur ab *Ant.* PEREZ: „Sententias illas, quæ pſalmos antecedunt & cantica, uſu vocari antiphonas, „ non quia alternatim a diverſis choris cantentur; ſed quia ſunt claves, & „ indices, ad quorum modulationem, ac ſonum ſequens canticum pſalmusque alternatim cantatur. Tonus enim totius pſalmi ex tono antiphonæ „ ſumitur.“ Huic notioni magis congruere videntur PAULINI verba in Vita S. AMBROSII, tunc primum antiphonas in *Mediolanenſi* eccleſia celebrari cœptas. Reperitur etiam ea notio in Regula S. BENEDICTI, ut capite tertio patebit. Nuncque antiphona hoc ſenſu uſurpatur; nimirum ad deſignandam ſententiam, quæ toti pſalmo præmittitur, & in pſalmi clauſula iteratur, non iam alternatim, ſed coniunctim omnibus ſimul concinentibus. In expoſitione antiquæ Liturgiæ *Gallicanæ*, ſcriptæ medio ſæculo ſexto apud MARTENIUM, occurrit deſcriptio antiphonæ ab hac noſtra non abludens: *Antiphona autem dicta, quia prius ipſa anteponitur, & ſic ponetur pſalmi verſiculum, cum Gloria Trinitatis adnectetur.* Quæ intelligi non poſſunt de antiphona, quæ per verſus alternis vicibus ſubiungebatur, quod proprie eſt ἀντιφωνεῖν, *contra clamare, viciſſim, & ex adverſo reſpondere;* quare apud *Græcos* Poetas etiam *Echo* dicebatur antiphona.

In c. 9. Reg. S. Bened.

T. V. Anecd. p. 97.

Aut populi ſuccentus, ſeu reſponſorius cantus.

XIV. Convenit certa quadam ratione cum hoc antiquiſſimo in Eccleſia ſuccinendi modo is, quem *Græci* ὑποψάλλειν, ὑπηχεῖν, ὑπακούειν, *ſuccinere* appellabant. Quamquam enim conſuetudo, cantandi verſum quemdam per modum antiphonæ in Eccleſia antiquitus etiam obtinebat in concinendis pſalmis *Davidicis*, ſolebat tamen potiſſimum populus aut in clauſula verſus vel pſalmi ſe coniungere, & unacum Cantoribus, vel Lectoribus repetere, ac ſuccinere verſiculum aliquem, quæ iam audivimus ex conſtitutionibus Apoſtolorum, ἀκροστίχια dici, quibus non initia verſuum, ut quidam ſunt interpretati, ſed extrema indicantur, ſeu clauſulæ, quæ etiam ab EUSEBIO & SOZOMENO ἀκροτελεύτια vocantur. Nempe ubi EUSEBIUS ritus *Therapeutarum* proſequitur ex PHILONE, ceu Chriſtianorum: *Atque imprimis, inquit, pervigilia magnæ ſolemnitatis, piasque in iisdem exercitationes, & hymnos, qui a nobis recitari ſolent, commemorat. Et quo pacto, cum unusquisquam modulate, ac decenter, pſalmum canere exorſus fuerit, cæteri cum ſilentio auſcultantes, extremas dumtaxat hymnorum partes ſimul concinant?* Hic cantus reſponſorius ab antiphono diſtinguitur, cuius paulo ante ex SOCRATE, & SOZOMENO mentionem fecimus, qui etiam de cantu antiphono *Arianorum* ἀκροτελεύτια memorat his verbis: *Qui in cœtus diviſi antiphonatim* ἀκροτελεύτια, *i. e. clauſulas quasdam, iuxta ipſorum dogma*

L. II. c. 57.

L. VIII. c. 8.

dogma compoſitas a) alternatim canebant, qui proprie cantus antiphonus a
eſt: reſponſorius autem, cum uno præcinente, cæteri omnes reſpondent;
quo pertinent voces ὑποψάλλειν, ὑπηχεῖν, ὑπακȣ́ειν. Gravis vero eſt error eorum, qui vocem ὑπακȣ́ειν *auſcultare*, vel *audire* ſunt interpretati,
quem COTELERIUS ad indicatum conſtitutionum apoſtolicarum locum, *L. VIII. c.* 13.
atque ad alterum earundem conſtitutionum notat; ubi eadem vox ὑπακȣέτω
occurrit, cum in priore habeatur ὑποψαλλέτω eodem ſenſu, ut MONTFAUCONIUS in præfatione tomi primi collectionis *Græcorum PP.* ad EUSEBII commentarios in pſalmos, & in notis ad S. ATHANASIUM obſervavit. *T. I. p.* 304. & *p.* 334.
Ipſe etiam VALESIUS in notis ad THEODORETUM eius loco putat legendum ὑπηχεῖν. *Pag.* 88.
Sed recte habet contextus, inquit MONTFAUCONIUS
in laudata ad S. ATHANASIUM nota; *vocis quippe* ὑπακȣ́ειν *is uſus eſt apud* *T. I. p.* 334.
Græcos non modo eccleſiaſticos, ſed etiam profanos. Exempla multa videſis in lexico CONSTANTINI, *Franciſci* PORTI *additionibus aucto, excuſo an.* 1592.
EPIPHANIUS *Scholaſticus hunc locum vertit*, populi reſponderent. Agitur de famoſa militum irruptione a SYRIANO immiſſorum *Alexandriæ*, dum populus pervigilium ageret ſequentis ſynaxis, quam eodem modo SOCRATES, SOZOMENUS, & THEODORETUS, ipſeque narrat S. ATHANASIUS in apologia
de fuga ſua: *Ego vero*, ait, *cum non æquum exiſtimarem in tanto tumultu* *N.* 24.
populum deſerere, ſatiusque ducerem me priorem periculo offerre, in throno ſedens iuſſi Diacono, ut pſalmum legeret, populoque ut reſponderet τȣ̀ς δὲ λαȣ̀ς ὑπακȣ́ειν; *Quoniam in æternum miſericordia eius.* Simile exemplum SOZOMENUS habet in pſalmodia, qua Chriſtiani reliquias BABYLÆ Epiſcopi & Martyris DAPHNE *Antiochiam* tempore IULIANI Imperatoris tranſtulerunt.
„ Præcinebant cæteris ii, qui pſalmos apprime callebant, multitudo *L. V. c.* 19.
„ deinde reſpondebat cum concentu ϗ συνεπήχει τὸ πλῆθος ἐν συμφωνίᾳ, & hunc
„ verſiculum ſuccinebat: *Confuſi ſunt omnes, qui adorant ſculptilia, qui glo-*
„ *riantur in ſimulacris.*"
RUFINUS idem commemorat: *Hæc in auribus* *L. I. c.* 35.
profani Principis per ſex millia paſſuum facta exultatione pſallebat omnis Eccleſia, ut cœlum clamoribus reſultaret.
THEODORETUS id factum dicit, præ- *L. III. c.* 10.

a) Ad quem SOZOMENI locum VALESIUS. „*Suffrid.* PETRUS (inquit) qui tres poſtremos SOZOMENI libros latine interpretatus eſt, ἀκροτελεύτια vertit corollaria. Ego clauſulas vertere malui. Intelligit autem SOZOMENUS doxologias *Arianorum*, quas ad calcem hymnorum canere ſolebant, hoc modo: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, uti docet PHILOSTORGUS in libro tertio hiſtoriæ. Quamquam NICEPHORUS non pſalmos, ſed cantica quædam, ab *Arianis* tum cantata, eſſe exiſtimat, quæ ipſi compoſuiſſent. Ego autem pſalmos potius hic intelligi puto, ut indicat vox ἀκροτελεύτια, id eſt pſalmorum clauſula. Quam vocem NICEPHORUS procul dubio non intellexit. Eadem vox legitur apud EUSEBIUM in libro ſecundo hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 17. ſub finem: Καὶ ὡς ἑνὸς μετὰ ῥυθμȣ̃ κοσμίως ἐπιψάλλοντος οἱ λοιποὶ καθ᾽ ἡσυχίαν ἀκροώμενοι, τῶν ὕμνων τὰ ἀκροτελεύτια συνεξηχȣ̃σι. Quæ verba deſumta ſunt ex PHILONIS libro de vita contemplativa."

præeuntibus turbis, & choreis, & cantibus *Davidicam* melodiam inſonantibus, & ſingulis verſibus καθ' ἕκαστον κῶλον hanc clauſulam addentibus: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia. Martyris enim*, addit, *translationem, devictionem eſſe dæmonis exiſtimabant.* Pſalmum illum tunc fre-
Cap. 59. quenter etiam in Eccleſia cantari ſolitum diſcimus ex eodem Rufino, hiſtoriam præclaram referente de Theodoro iuvene, a prima luce usque ad horam decimam crudeliſſime torto: *Cum tamen ille in equuleo ſublimis, & hinc inde lateribus inſtante tortore, nihil aliud faceret, niſi quod vultu*
a *ſereno ac læto Pſalm. 96. quem pridie omnis Eccleſia cecinerat, iteraret* a). Quamvis autem Rufinus dicat omnem eccleſiam populumque conciniſſe, quemadmodum etiam de cantu in translatione S. Babylæ; dum tamen ex Sozomeno & Theodoreto ſucciniſſe eccleſiam tantummodo verſum diſcimus, idem etiam hic ita interpretari convenit. Quin imo credibile eſt, Theodorum repetiiſſe ad confuſionem Tyranni illum ipſum verſiculum; *Confun-*
L. II. c. 16. *dantur omnes, qui adorant ſculptilia.* Quod de S. Babyla poſt Socratem
L. VI. c. 34. Nicephorus ex Theodoreto annotat: Babylam, cum abduceretur, magno animo hæc de Pſ. CXVI. acciniſſe: *Convertere anima ad quietem tuam: Dominus enim reſpexit te: pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.*
In Gordium M. Et de Sancto Gordio Martyre narrat Baſilius: „Cum ob Christi „confeſſionem in maxima populi frequentia, quæ eo die ad ludicra *Martis* „convenerat, ad ſupplicium traheretur, nullis cruciatuum terroribus, ty„ranni minis, populi clamoribus, hoſtium inſultationibus perturbari potuit, „ut non pſalterii recordaretur, & voces animo penitus infixas ſonaret. „Cum enim tyrannus ira æſtuans præciperet: præſto ſint lictores, flagella „plumbeis nodis onuſta; corpus rotis ſcindatur, in equuleo ſuſpendatur, „omne tormentorum genus excogitetur, feroces adſint beſtiæ, igni trada„tur, gladio feriatur, in altum barathrum deiiciatur; Christi miles a„nimo ad hæc tranquillo, oculis in cœlum converſis, pſalmorum carmina „decantabat: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo:* Et „Pſ. 23. *Non timebo mala, quia tu mecum es.*" Aſſueti publicis eccleſiæ conventibus fideles, eiusmodi ad rem verſiculos, quando præſens occurrebat occaſio, ſuccinere, idem etiam faciebant privatim, quod alias publice in Eccleſia, cantu, ut vocatur reſponſorio. Qualis haud dubie idem fuit ſub Iuliano concentus, qui in hiſtoria tripartita apud Caſſiodorum refertur de S. Publia, quæ ſicut Thecla *in convivio Virginum* inducitur præcinens

a) Addit Rufinus ſe eum iuvenem poſtea *Antiochiæ* vidiſſe, atque interrogaſſe, num cruciatus tormentorum ſenſiſſet? illum autem reſpondiſſe: ſe quidem dolores parum admodum ſenſiſſe, aſtitiſſe autem ſibi quemdam iuvenem, qui ſudanti ſibi candidiſſimo linteo, & ſudores abſtergeret, & aquam frigidam frequenter infunderet, & ita ſe eſſe delectatum, ut tunc mœſtior factus ſit, cum e tortura deponeretur, ſic nihil oberat quo minus lætus caneret.

nens apud METHODIUM, reliquis Virginibus in choro circumſtantibus, ac reſpondentibus, ubi ὑπακέειν vox habetur a). Verſus eligebantur ſingulares, apti ad ſuccinendum, qualem memorat S. IOANNES *Chryſoſtomus* in Pſalmum CXVII. *Confitemini Domino quoniam bonus.* „Dictum quidem „(inquit) pſalmi, quod conſuevit populus ſuccinere, hoc eſt: *Hæc eſt* T. V. p. 317. „*dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*: quod & multos excitat, & hoc maxime ſolet populus illo ſpirituali, & cœleſti feſto ſuccinere: Nos autem, ſi vos vultis, a capite & ab initio totum pſalmum perſequamur, non a verſu, qui ſuccinitur, ſed ab ipſo exordio expoſitionem inchoantes. Verſum enim patres noſtri, ut qui eſſet ſonorus, & ſublime aliquod dogma contineret, populum ſuccinere ſanxerunt, quandoquidem totum pſalmum ignorabat.“ Feſtum haud dubie Paſchale fuit, quo, uti etiamnum, diſcimus ex GREGORIO *Niſſæno*, & S. AU- Ser. de Paſch. GUSTINO, verſum iſtum fuiſſe frequentatum: „Quod cantavimus DEO, *Hic* Serm. 258. *eſt dies, quem fecit Dominus*; hinc loquamur quod dederit.“ Varia eiusmodi apud S. CHRYSOSTOMUM occurrunt exempla b). Plures in *Monito* S. CHRYSOSTOMI affert locos MONTFAUCONIUS, ubi vox ὑπακοὴ occurit, convenienter ſignificatui ὑπακέειν, ὑποψάλλειν, *reſpondere*, *ſuccinere*, reſponſum, vel

a) „Hæc (uti ibi de PUBLIA narrratur Lib. VI. cap. 36.) Habens apud ſe chorum converſatione digna Virginitatem ſervantium, ſemper cum eis laudabat factorem, Salvatoremque DEUM. Tranſeunte vero Imperatore, clarius in commune pſallebant: contemptibilem, & deridendum iudicantes erroneum: illaque maxime cantica reſonantes, quæ idolorum traducere videntur debilitatem, dicebantque cum DAVID: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Et iterum: *Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.* Hæc audiens IULIANUS, & ira vehementer accenſus, eas, cum tranſiret, tacere præcepit. Quæ eius legem parvi pendentes, chorum maiori ordine compleverunt, rurſusque illo tranſeunte pſallebant: *Exurgat DEUS, & diſſipentur inimici eius.*“ Quo facto graviter commotus cum magiſtram chori ad ſe adduci præcepiſſet, uni e ſatellitibus ſuis imperavit, ut utramque ei malam cæderet, & manibus genas eius cruentaret. Illa vero contumeliam honoris loco ducens in cubiculum regreſſa eſt, & ut apud THEODORETUM legitur lib. III. hiſt. c. 14. Συνήθως δὲ ταῖς πνευματικαῖς ἔψαλλε μελῳδίαις, καθάπερ ὁ τῆς μελῳδίας ἐκείνης συγγραφεὺς καὶ διδάσκαλος τὸ πονηρὸν ἐκεῖνο κατέπαυε πνεῦμα τὸ τοῦ Σαοὺλ ἐνοχλοῦν.

b) „Ut in Pſalmum CXXXVII: „Si liceat ergo, hoc ita accipere, illud oportet intelligere: cum Sacerdotibus ipſis inchoantibus, & præcedentibus, cum eo, quo par eſt, ordine conſequar, & canam tibi &c.“ Et in pſalmum CXLIV. „Hic pſalmus eſt, qui habet hæc verba, quæ, qui ſunt myſteriis initiati, aſſidue concinunt: *Oculi omnium* &c.“ Et in pſalmum ſequentem: „Egrediamur nos, & pro ramis palmarum voluntatem animi florentem exhibeamus, & clamemus, quemadmodum hodie in pſalmis ſuccinimus: *Lauda anima mea Dominum* &c.“ Omnium vero luculentiſſime, & ſæpius in pſalmum XLI. paulo poſt initium: „Relicta (inquit) rurſus funda redeamus ad fiſtulam: & a contentioſiore dicendi genere ceſſantes, ipſius DAVID citharam in manum ſumentes, & reſponſum in medium adducentes, quod omnes hodie ſuccinimus. Quodnam igitur reſponſum? *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te DEUS.*“

a vel reſponſionem innuenti a). Adhuc notandus eſt ex eodem S. Chrysostomo
Hom. 36. in 1. Cor. locus, ubi rem ipſam breviter ita explicat: *Is, qui pſallit, ſolus pſallit: & ſi omnes reſpondendo reſonent* κἂν πάντες ὑπηχῶσιν, *vox fertur tanquam ex uno ore.* Ex quibus omnibus eluceſcit, quam fruſtra Valesius huiusmodi loca in mendo cubare putarit, dum apud S. Basilium vocem hanc ὑπηχεῖν voci
Ep. 207. n. 3. ὑπακȣ́ειν ſynonymam invenit, ubi in celebri ad *Neocæſarienſes* epiſtola breviter hunc pſallendi ritum commemorat: *Poſtea rurſus uni committentes, ut prior canat, reliqui ſuccinunt* ὑπηχȣ͂σι. Nonnihil diverſi habet, quod ex Dionysio, vulgo *Areopagita*, ſuo loco retulimus: Pontificem auſpicari ſacrum melos, omni ordine eccleſiaſtico ſacram ipſi pſalmodiam ſuccinente. Melius vero congruit, quod Philo de *Therapeutis*, relatus ab Eusebio, di-
L. II. c. 17. cit: *Tum ille Præſes aſſurgens hymnum in DEI laudem compoſitum canit. Poſt quem & cæteri ordinatim decenti modo, omnibus magno cum ſilentio auſcultantibus; præterquam, cum clauſulas, & hymnis finem imponentia, canere oportet.*
Cap. 16. Et idem paulo ante de Chriſtianis, non modo *hymnos, qui a nobis recitari ſolebant*, refert, ſed & quo pacto, cum unus ſuavi quodam concentu pſallere decenter & modeſte occeperit, reliqui placide, & quiete auſcultantes, poſteriores hymnorum partes ad extremum una decantent. Balsamon ad ſupra allatum canonem *Laodicenum* notat, *non oportere præter canonicos Cantores, qui ſuggeſtum aſcendunt, & ex membrana pſallunt &c.* ψάλλειν hoc loco idem denotare, ac cantica ſacra incipere. Unde etiam diſpicitur, iam tum temporis Cantori ſingulare pulpitum, ſeu
L. II. Hiſt. eccl. c. 17. ambonem fuiſſe. Ex Eusebio conſtat, præcentorem pſalmi ſtetiſſe in medio chori, vel cœtus. Huc referri poſſunt, quæ paulo ante ex Cassiani
L. II. c. 8. Inſtitut. retulimus, porroque referemus de populi reſponſionibus, ſeu, ut
De Offic. eccl. L. I. c. 8. vocat Isidorus, reſponſoriis, *quæ ab* Italis, ut ait, *longo ante tempore ſunt reperta & vocata hoc nomine, quod uno canente, Chorus conſonando re-*

a) „Contra (ait T. V. p. 129.) quam vertit *Gentianus* Hervetus, qui a verbo audire ſemper interpretationem petens, ſententias peſſumdat. Contra, quam etiam intelligit Goarus in Euchologio p. 57. Ubi ὑπακοὴν vertit auditionem, quamquam ſubdubitans variorum efferat ſententias. Igitur ὑπακȣ́ειν & ὑποψάλλειν dicebatur populus, cum vel Diacono, vel Sacerdotibus, vel Clericis præcinentibus, ſuccinebat, vel recitantibus reſpondebat; ὑπακοὴ illud ipſum, quod reſpondebatur; exempli cauſa ὃν τρόπον ἐπιποθεῖ ἡ ἔλαφος κ.τ.λ. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te DEUS.* Hæc erat ὑπακοὴ ſeu reſponſio; aliæ item ὑπακοαὶ erant, ut ipſe ſupra indicat; alteriusque reſponſionis ſpecimen affert, nempe μακάριος ἀνὴρ ὁ φοϐȣ́μενος τὸν κύριον; *Beatus vir, qui timet Dominum.* Aliam item ὑπακοὴν refert ſupra Athanasius nempe ὅτι ἐις τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος αὐτȣ͂; *quoniam in ſæculum miſericordia eius.* Hæc igitur reſpondebat populus, Diacono, aut Sacerdote præcinentibus, aut legentibus, multæque erant huiusmodi ὑπακοαὶ, ſeu reſponſiones, inquit Chrysostomus.“

reſpondeat. Hoc eſt, quod S. AMBROSIUS in LUCAM dicit: *reſpondere pſalmum.* Et Hexaem. L. III. c. V. *Eccleſia reſponſoriis pſalmorum . . . reſultat.* Atque iam ſæculo III. TERTULLIANUS de Oratione c. 27. quod inſcribitur: *De ſubiungendo Pſalmo* apud MURATORIUM. [T. III. Anecd. p. 52.] *Diligentiores in orando ſubiungere in orationibus* ALLELUIA *ſolent, & hoc genus pſalmos, quorum clauſulis reſpondeant, qui ſimul ſunt;* id ipſum confirmat, quod hactenus ſola ISIDORI auctoritate creditum eſt, cum credibile ſit, morem eum ex *Italia* in *Africam* veniſſe, cuius ſæpiſſime S. AUGUSTINUS meminit. *Voces iſtæ,* inquit, [In Pſ. 26. Enarrat. 2. n. 1.] *pſalmi, quas audivimus, & ex parte cantavimus.* Et alibi: [In Pſ. 46. n. 1.] *Itaque in hoc pſalmo, quem cantatum audivimus, cui cantando reſpondimus, ea ſumus dicturi, quæ noſtis.* Idem de privato quodam pſalmi reſponſorii cantu: „Cohibito ergo (ait) a fletu illo puero, pſalterium arripuit EVODIUS, & [L. IX. Confeſſ. c. 12.] „cantare cœpit pſalmum, cui reſpondebamus omnis domus: *Miſericordiam* „*& iudicium cantabo tibi Domine.*“ Pertinet huc etiam S. PETRI *Chryſol.* locus ſermonis XLV. ita exorſi: *Reſponſorium, quod hodie Propheta ſupplicante cantavimus &c.* Apta erat ad captum vulgi conciſior verſuum diſtinctio iuxta *Græcos.* Card. THOMASIUS *Romæ* MDCXCVII. pſalterium cum canticis, verſibus Priſco iſto more diſtinctum, edidit; inque præfatione ex S. AUGUSTINI Enarratione ſecunda in Pſ. XXI. idipſum obſervat, olim in uſitatiore pſalmi reſponſorii cantu, cum in Oriente, tum in Occidente, in quo Lector præcinebat, uſurpatam fuiſſe antiquam illam verſuum diſtinctionem, qui breviores erant, non alteram ſequentis ævi verſuum paulo prolixiorum a). [a] Ex S. AUGUSTINO item docet, unum eundemque verſum, brevem licet, fuiſſe aliquando membratim diviſum ad populi faciliorem reſponſionem, [Tract. XXII. n. 5. in Iohannem.] poſito verſu in Diapſalmate: „Aliquando (ſunt S. AUGUSTINI verba) in pſalmo „verſus ipſe in diapſalmate ponitur, qui præbeatur a Lectore, & reſpondeatur a populo, non forte alicui cor percutitur, & timet cantare DEO, „& dicere, *Iudica me DEUS?* Et tamen cantat populus credens, nec putat ſe male optare, quod didicit a divina lectione: etſi parum intelligit, „credit aliquid boni eſſe, quod cantat. Et tamen & ipſe pſalmus non dimiſit hominem ſine intellectu. Secutus enim, verbis poſterioribus oſtendit, quale iudicium diceret; quia non eſt damnationis, ſed diſcretionis.

„Ait

a) „Quod (ſunt THOMASII verba) minime animadverteram, cum agerem de eiusmodi pſalmo reſponſorio in præfatione ad reſponſorialia, & antiphonaria antiqua Eccleſiæ *Romanæ,* a me ſub alio meo cognomine, ut in aliis quoque libris feci, edita in hac urbe (*Roma*) anno MDCLXXXVI. Nam præterquam, quod id poſtulabat ratio eiusmodi inſtitutionis, nempe ut rudis populus pſalmos caneret, quos nec de libro legeret, nec memoria teneret; unde neceſſe erat verba ei pauca præberi repetenda, ut membratim, cæſimque, totum pſalmum percurreret. Locus iſte laudatus S. AUGUSTINI id ſatis indicat.“

„ Ait enim: *Iudica me DEUS.* Quid eſt, *Iudica me DEUS? & diſcerne cau-*
a „ *ſam meam de gente non ſancta.*“ Hæc ille a). S. Augustinus in pſalmo illo, quem ipſe adverſus *Donatiſtas* compoſuit, & populo in manus dedit, in cuiuslibet partis clauſula repeti voluit ὑπόψαλμα, uti ipſe vocat, hoc eſt: *Omnes, qui gaudetis de pace, modo veram iudicate.* Quod obiter hic noto, capite vero tertio pluribus diſquiram, Thomasium in ea eſſe ſententia, de cantu reſponſorio non unum aliquem ſelectum verſiculum populum reſpondiſſe, ſed ſingulos, prout Cantor præcinebat. Nimirum Lector, pronuntiato titulo, pſalmum de codice legendo exordiebatur, præcinebatque ſingulos, totosque omnino verſus pſalmi, quos ſigillatim intercalari reſponſione plebs univerſa unacum Epiſcopo, & Clero, repetebat. Affert loca S. Augustini, imprimis, ubi ſæpe repetit e. g. *Cantatum audivimus, & cantando reſpondimus:* quæ tamen rem mihi haud evincere videntur. Certe, unum verſum populum aliquando ſuccinuiſſe, ex hiſtoria Babylæ M. & aliis patet; atque is ipſe de S. Athanasio fatetur, qui repeti fecit verſiculum: *Quoniam in æternum miſericordia eius.* Pſalmus CXXXV. adhucdum ita interſtinctus, cantu tamen antiphono frequentatur. Exemplum is verſiculus haberi queat cantus reſponſorii in veteri etiam Teſtamento, ubi

2. Paralip. VII. 3. 6. idem bis repetitur, dum de populi concentu in dedicatione templi agitur. Morem hunc ſub reſponſoriorum nomine ex veteri Teſtamento repetit qui-

T. V. Anecd. pag. 97. dem brevis expoſitio liturgiæ, a Martenio ex antiquiſſimo codice deſcriptæ ac editæ in Anecdotis: „ Reſponſoria vero (ut ibi habetur) quæ in divi-
„ nis Officiis die, aut nocte cantantur, de Pentateucho Moysi duxerunt o-
„ riginem, quando Pharaone ſubmerſo, Maria Prophetiſſa ſumens tym-
„ panum præcinebat canticum, & reſpondebat populus adunatus in choro.
„ Horum vero quaterna ratio conſtat, ſicut de antiphonabus ſuperius con-
„ tinetur. Conſuetudo præcinendi & reſpondendi non ſolum ad mare ru-
„ brum, ſed in multis *Ebræorum* gentibus comprobatur, quod plenius ve-
„ teris Teſtamenti narrat hiſtoria.“

Reſponſio populi AMEN. *In Pſ. 71. n. 19.*

XV. Eusebius voce ὑπακούειν utitur de choro angelico: „Chorus (in-
„ quit) Angelorum reſpondet una deprecans pro rei conſummatione, illaque
„ confir-

a) Subdit Thomasius: „Cæterum, quando cœptum fuerit plures iſtiusmodi conciſe diſtinctos verſus conglutinari, puto, hoc per id temporis factum, quod intercesſit ab ætate S. Augustini ad Cassiodorum; cum hic in ſuo in pſalmos commentario, longiuſculos verſus, ex duobus, vel pluribus anguſtis illis priſcis verſibus coactos, enumeret: ut præſertim videri poteſt in procœmio pſalmi XIV. & pſalmi CXVI. & CXVII. Invaluerat ſcilicet per ea interſtitia temporis mos cantandi pſalmos antiphonatim, hoc eſt, alternis choris Clericorum, vel monachorum; ad quod inſtitutum aptiores ſunt verſus minus anguſti: cum iam deſueſceret paulatim cantus reſponſorius pſalmi, quem præcinente uno lectore populus totus in Eccleſia reſpondebat.“

„ confirmans ac dicens, *fiat*, *fiat*; ſive ſecundum Aquilam, *fideliter*, *fideliter*; aut ſecundum Symmachum, *amen*, *amen*." Solemnis & frequens erat in Sacris chriſtianis reſponſio populi *amen*, iam ab Apoſtolo memorata: *Qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet* AMEN *ſuper tuam benedictionem.* (1. Cor. XIV. 16.) In quem locum S. Chryſostomus ſic commentatur: „ Idiotam dicit laicum, & oſtendit, eum non parvum damnum accipere, quando non poteſt dicere *amen*. Hoc eſt autem, quod dicit: Si Barbarorum voce benedicas, neſciens quid dicas, neque valens interpretari, non poteſt laicus reſpondere *amen*. Non audiens enim illud, *in ſæcula ſæculorum*, quod eſt finis, non dicit *amen*." Innuit ſpeciem illam cantus, quam *Græci* ab antiquiſſimis temporibus *προσφώνησιν*, *acclamationem* vocant, conſtanterque apud eos etiamnum obſervatur, potiſſimum ob ſecuturam populi reſponſionem, qua nulla in omni eccleſia frequentior eſt hac voce *amen*, quam *reſponſionem devotæ concionis* vocat S. Hilarius. (S. Hilar. in Pſ. 65.) S. Iustinus M. in Apologia II. Chriſtianorum ritus in celebranda Euchariſtia deſcribens meminit, ubi Antiſtes preces, & gratiarum actiones ſuper pane & vino abſolverit, populum omnem acclamare *Amen*, πᾶς ὁ παρῶν λαὸς εὐφημεῖ λέγων, ἀμήν. Tertullianus Chriſtianis, *Romanorum* ſpectacula frequentantibus, exprobrat: „ Ex ore, quo *amen* in Sanctum protuleris, gladiatori teſtimonium reddere &c." (De Spectaculis c. 25.) Dionysius *Alexandrinus* de homine narrat, veri quidem baptiſmi experte, quem baptizare tamen noluerit, utpote gratiarum actionem frequentantem, & cum cæteris reſpodentem *amen*, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμήν. S. Athanasio nihil hac promiſcua populi in Sacris Chriſtianorum conventibus reſponſione fortius viſum eſt ad mitigandum Constantii animum iratum ob Sacra habita in eccleſia necdum ſolemniter dedicata, populo potius in deſerto, quam in veteri eccleſia, quæ multitudinem capere non poſſet, ſynaxin habere volente. „ Ubinam (inquit) ſanctius, condecentiusque populus reſponderet *amen*; in deſertis, an in templo, quod iam appellabatur Dominicum?" (Apol. ad Conſtantium n. 16.) Et mox: „ Quid ſi tanti populi convenientis una vox proferatur, qua DEO dicunt *amen*?" Sanctum Gregorium *Nazianzenum* ſupra citavimus, matrem ſuam laudantem, quod altum ſilentium in Officio ſervarit, neque os, niſi ad canendum aperuerit, nimirum ad Presbytero Sacris operam danti reſpondendum *amen*. S. Ambrosius ſymphoniam in hac re variarum ætatum in eccleſia deprædicat in hunc modum: „ Hæc eſt ſymphonia, quando concinit in eccleſia diverſarum ætatum, atque virtutum, velut variarum chordarum indiſcreta concordia, pſalmus reſpondetur, *amen* dicitur. Hæc eſt ſymphonia, quam ſcivit & Paulus, ideo ait: *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.*" (L. VII. in Luc. XV.) S. Hieronymus reſonantis populi *Romani* vocem paucis, ſed ſignificantibus

S. Hieron. in Præfat. in Ep. ad Galat. L. II. bus hiſce dilaudat verbis: *Romanæ plebis ab Apoſtolo laudatur fides. Ubi alibi ſic ad cœleſtis tonitrui ſimilitudinem* AMEN *reboat?* Et AUSONIUS in *Ephemer.* eiusdem vocis vim, inter modulationem pſalmorum *Davidicorum* aëra ferientis, reſpondente populo, non minus egregie deſcribit:

Conſona quem celebrant modulata carmina DAVID.

Et reſponſuris ferit aëra vocibus AMEN.

Doxologia GLORIA PATRI.

XVI. Antiquiſſimus inde a naſcentis Eccleſiæ primordiis eſt reſpondendi uſus in clauſula orationum, ſeu doxologia in omnibus liturgiis etiamnum uſitata, atque in liturgia Conſtitutionum apoſtolicarum ſic expreſſa: *L. VIII. c. 12.* „*Quoniam tibi omnis gloria, veneratio, gratiarum actio, honor & adoratio Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc, & ſemper, & in infinita, ac ſempiterna ſæcula ſæculorum.* Atque omnis populus reſpondeat *amen.*“ *Ibid. c. 13.* Vel: „*Cui tecum*, (vel) *cum quo tibi, & Spiritui Sancto, gloria, honor, laus, glorificatio, gratiarum actio, in ſæcula amen.*“ Ad eam iam Sanctus IRENÆUS videtur reſpicere in loco, a nobis laudato contra *Valentinianos*, contendentes: „Sed & nos ipſos denique in gratiarum actionibus dicentes *De Spectac. c. 25.* „*æonas æonum* illos *Æonas* ſignificare.“ TERTULLIANUS grande nefas dicit eſſe: „Ex ore, quo *amen* in Sanctum protuleris, εἰς αἰῶνας alii omnino di- *Hom. 36. in Ep. 1. ad Cor.* cere niſi DEO CHRISTO.“ Et laudatus S. CHRYSOSTOMUS: „Non audiens enim „illud *in ſæcula ſæculorum*, quod eſt finis (gratiarum actionis) non dicit *amen.*“ Ex his teſtimoniis patet, populum ad hanc doxologiam ſolemne *amen* reſpondiſſe. Quod haud dubie etiam factum poſt homilias & ſermones, qui claudi ſolebant doxologia eiusmodi. De qua re olim lis mota eſt S. BASILIO, qui ſe auctoritate omnium retro ſanctorum Doctorum tuetur in libro *Cap. VII. 25. 29.* *de Spiritu Sancto*; ſed in ſacra pſalmodia etiam paulatim doxologia illa, quam minorem vocant, ingruit, ut etiam ab ipſo populo communi diceretur voce, tradente S. BASILIO, hymnum glorificationis, nimirum *Quo Patri & Filio, ſimulque Spiritui Sancto gloria impertitur*, a ruſticis etiam cantari ſolitum. Et quidem ex illis, quæ paulo ante de *Arianis Cpoli* ſub S. CHRYSOSTOMO diximus, patet, illos in ſuis ſacris conventibus cum hymnis & proceſſionibus id affectaſſe, ut populus aliquid ſuccineret; S. CHRYSOSTOMUM autem ſacrorum hymnorum alternum concentum opponentem, cre- *L. III. c. 13.* dibile eſt, doxologiam intercini curaſſe. PHILOSTORGUS dicit, FLAVIANUM *Antiochenum* collecta monachorum multitudine primum omnium acclamaſſe *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Nam ex iis, qui ætate illum anteceſſiſſent, alios quidem dixiſſe: *Gloria Patri, per Filium in Sancto*

cto Spiritu, atque hanc acclamationem in uſu magis receptam eſſe. Alios
vero dicere ſolitos : *Gloria Patri* , *in Filio*, *&* *Spiritu Sancto.* Sed hæc *A-
rianum* ſatis produnt auctorem. Quamvis non una omnino olim fuerit formula,
ut vel ex S. Basilio diſcimus; & Valesius in notis ad Socratem & Theo- *S. Baſ. L. II. c. 21.*
doretum obſervavit. Ibi Camerarius etiam , & *Iac.* Sirmondus eidem *Valeſ. L. II.*
falli videntur : „ Quia putarunt, glorificationem ſeu δοξολογίαν nihil aliud *c. 24.*
„ eſſe , quam verſum illum, qui ad calcem pſalmorum vulgo cani ſolet:
„ *Gloria Patri*, *&* *Filio*, *&* *Spiritui Sancto.* In qua opinione etiam fuiſſe
„ videtur Epiphanius *Scholaſticus*: ſed certum eſt , δοξολογίαν in univer-
„ ſum dici omnem glorificationem, quæ tam in fine pſalmorum, quam ad
„ calcem orationum & homiliarum addi ſolebat a Chriſtianis. “ Nihil dicam
de turbis, inde inter ipſos Catholicos, imprimis autem cum *Arianis*, motis.
Unde Socrates narrat, Arcadium antiphonas prohibuiſſe. Et Sozome- *Socrates L.*
nus perhibet, in eccleſia *Antiochena* moris fuiſſe, ut per choros diſtributi, *in-* *VI. c. 7.*
ter pſallendum, *in fine hymnorum* ἐν τῷ ὑμνεῖν *ſinguli ſententiam ſuam de-* *Soz. L. III. c. 20.*
*clararint. Nam alii Patrem, & Filium tanquam honore æqualem glorifica-
bant. Alii vero Patrem in Filio: hac propoſitione adiecta denotantes Filium
Patri inferiorem* a.) Theodoretus vero de Leontio *Antiocheno* , Epi- *L. II. Hiſt.*
ſcopo *Ariano* ſcribit : „ Cum enim animadverteret, quoſdam canere *Glo-* *c. 24.*
„ *ria Patri*, *&* *Filio*, *&* *Spiritui Sancto*, quoſdam *Gloria Patri per Fi-* a
„ *lium* , *in Spiritu Sancto*, ipſe totam glorificationem tacite recitabat, ut
„ nihil audiretur, niſi concluſio : *in ſecula ſeculorum.* “ b) Ex Cassiano b
diſcimus, quoad hanc doxologiam in pſalmodia non eundem morem in
Oriente, ac in ſua provincia, nempe *Narbonenſi*, in *Gallia* fuiſſe, ubi teſte
Gennadio in Catalogo de Viris illuſtribus Cassianus degens , *Maſſiliæ*
nimirum, tam Inſtitutionum, quam Collationum libros conſcripſit. „ Illud *L. II. Inſti-*
„ etiam, (inquit) quod in hac provincia vidimus, ut uno cantante, in clau- *tut. c. 8.*
„ ſula pſalmi omnes aſtantes concinant cum clamore *Gloria Patri*, *&* *Filio*,
„ *&* *Spiritui Sancto* , nusquam per omnem Orientem audivimus , ſed cum
„ omnium ſilentio ab eo, qui cantat, finito pſalmo orationem ſuccedere.
„ Hac vero glorificatione Trinitatis tantummodo ſolere antiphonam ter-
„ minari. “ A S. Benedicto in ſua Regula ad finem pſalmorum præſcribi-
tur

a) Confer Sozomeni cap. 19. eiusdem libri.

b) Nicephorus Lib. IX. c. 24. „ Sententiam ſuam (ait) quam quisque de Deo obtineret, in choro ſtantes, ad finem pſalmodiæ declarabant. Quidam enim Patrem, ac Filium eodem honore celebrantes; nonnulli *Patrem in Filio*, (præpoſitione interiecta obſcurius ſecundas partes filio tribuentes) alii *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto* canebant. Primum omnium ferunt *Antiochenum* Flavianum, monachorum coacta caterva clare accinuiſſe : *Gloria Patri*, *&* *Filio*, *&* *Spiritui Sancto.* Quod quidem, ut nihil habens ſuſpicionis, in Eccleſiis Dei obtinuit. Id vero Leontius videns, inhibere eos, qui iuxta *Nicenæ* fidei traditionem Deum cantibus proſequebantur, non audebat, ſeditionem timens. “

tur *Gloria &c.* Diverſa a noſtra doxologia, atque conciſior, in Concilio
Can. 13. *Toletano* VI. præſcribitur: „In fine omnium pſalmorum dicimus, *Gloria, &*
„ *honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in ſæcula ſæculorum amen.* “
Ad an. 329. Fatetur tamen Baronius, illam a Concilio *Nicæno* non eſſe præfinitam,
uti erant, qui contenderent, a Patribus *Nicænis* conſtitutum, ut eodem
modo, quo hodie fit, in Sacris diceretur: cum deinceps varius illius fue-
rit uſus (de epiſtola ſpuria S. Hieronymi ad Damasum argumentum haud
petimus, Pontificem rogantis, ut in fine omnium pſalmorum adhiberetur)
De rebus ec- quam diverſitatem adhuc *Walafridus* Strabo a) notat. Eam *Romæ* tempo-
cleſ. c. 25. re Vigilii uſitatam fuiſſe, conſtat ex Epiſt. I. Vigilii P. ad Profuturum,
a *Bracarenſem* Epiſcopum n. 3. Extatque de ea decretum Conc. *Vaſenſis* II.
c. 5. an. 529.

Cantus alleluia. XVII. Haud minus frequentata Sacris chriſtianis vox eſt *alleluia.* Hanc
diebus tantum lætitiæ reſurrectionis, & diei dominicæ dici ſolitam S. Au-
In Pſ. 21. gustinus, alteri ſimili peregrinæ voci, ſcilicet *amen*, iungit. „Videa-
„mus (inquit) Fratres, ſi his diebus per totum orbem terrarum fruſtra di-
Epiſt. 178. „catur *amen*, & *halleluia.* “ Et alibi: „Sciendum eſt, *amen*, & *hal-*
vet. Ed. „*leluia*, quod nec *Latino*, nec *Barbaro* licet in ſuam linguam transferre,
„hebræo cunctas gentes vocabulo decantare.“ Præterquam quod idem in
Pſalm. CVI. & CX. atque ex occidentalibus Patribus Ambrosius in Apolo-
gia pro David, S. Paulinus, Sidonius, Isidorus, & alii de frequenti
uſu huius vocis in Sacris chriſtianis dicunt, rememorandum, quod paulo an-
Cap. 27. *de* te p. 51. ex Tertulliano retulimus: „Diligentiores in orando ſubiungere in
Orat. „orationibus *alleluia* ſolent, & hoc genus pſalmos, quorum clauſulis re-
„ſpondeant, qui ſimul ſunt.“ Quæ verba de cantu reſponſorio interpretati
ſumus. Non auſim vero eadem libertate *hoc genus pſalmos*, quod indigi-
tat, de pſalmis *alleluiaticis*, quorum frequentior ſemper fuit in eccleſia uſus,
præciſe accipere. S. Augustinus nobis teſtis eſt de uſu pſalmorum *alleluia-
ticorum*, qui nimirum *alleluia, laudate Dominum* in fronte præfixum ha-
bent, ſeu ab ea voce incipiunt, uti centeſimus quadrageſimus octavus, &
qui

a) „Dicendum vero (inquit) de hymno, qui ob honorem Sanctæ, & unicæ Trinitatis officiis omnibus interſeritur, cum a ſanctis Patribus aliter atque aliter ordinatum. Nam *Hiſpani* (ſicut ſuperius commemoravimus) ita eum dici omnimodis voluerunt. *Græci* autem *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen. Latini* vero, eodem ordine, & eisdem verbis, hunc hymnum decantant: addentes tantum in medio, *ſicut erat in principio.* Pro quibus etiam particulis quidam Græci, minus ſapientes, latinos, proximis ante nos temporibus, calumniis impetere conati ſunt. “ Monachi nimirum *Græci* congregationem *Francorum* monachorum in eodem loco ob hanc additionem hæreticos proclamabant, ut ex eorum epiſtola ad Leonem III. patet, a Baluzio edita T. VII. Miſcell. p. 14. &c.

qui ſequuntur, aut etiam in contextu, vel ſine iuxta eundem. „ Hoc aſſe-
„ runt (ait), quod omnes *halleluiatici* pſalmi habeant in fine *halleluia*, non o- *In Pſ.* 105.
„ mnes in capite.“ Iuxta CASSIANUM olim obſervatum fuit, ut in reſpon- *L. II. Inſtit.*
ſione τοῦ *alleluia* nullus dicatur pſalmus, niſi is, qui in titulo ſuo τοῦ *alle- c.* 11.
luia inſcriptione prænotatur. S. BASILIUS in epiſtola ad MARCELLINUM *Co-*
mitem hos deſignat CIV. CV. CVI. CX. CXI. CXII. CXIII. CXIV. CXV.
CXVIII. CXXXIV. CXLVI. CXLVII. CXLVIII. CXLIX. CL. *Vis*, inquit,
pſallere reſponſionem habentem ALLELUIA, ὑπακοὴν ἔχουσαν τὸ ἀλληλούια. Et
EUSEBIUS in procemio in pſalmos aliquid ſingulare nobis de veteri Teſta-
mento dicit: *Cum itaque ſpiritus in quempiam principum cantorum inſili-*
ret, cæteri quiete agebant adſtantes, ac voce conſona reſpondentes ALLELUIA,
ὑπακούοντες συμφώνως τῷ ψάλλοντι ἀλληλούια. Laudatus S. AUGUSTINUS diſtin- *In Pſ.* 118.
guit pſalmum *octonarium*, vel *alphabeticum*, vel *halleluiaticum*. Alias *alle-*
luiaticum iuxta HOLSTENIUM in Indiculo declaratorio vocum inuſitatiorum,
uſurpatarum in Regulis Patrum, ad Reg. S. AURELIANI, in ordine pſallendi *P. III. Cod.*
videtur eſſe pars quædam Officii divini, in qua iterabatur *alleluia*. Quod *Regul. p.* 69.
frequens ſemper fuit tum *Hebræorum* imitatione, cum etiam Angelorum, iuxta
viſum S. IOANNIS in *Apocalypſi*, exemplo. „ Laudes, hoc eſt *alleluia* canere
„ (inquit S. ISIDORUS) antiquum eſt *Hebræorum*. Cuius expoſitio duorum *De div. Offic.*
„ verborum interpretatione, vel compoſitione conſiſtit, hoc eſt, *laus DEI*. *L. I. c.* 13.
„ De cuius myſterio IOANNES in *Apocalypſi* refert, ſpiritu revelante vidiſſe ſe
„ aut audiſſe vocem cœleſtis exercitus Angelorum, tanquam vocem valido-
„ rum tonitruorum dicentium *alleluia*. Ex quo nullus debet ambigere, cum
„ hoc laudis myſterium digna fide & devotione celebretur, Angelis eſſe con-
„ iunctum. *Alleluia* autem, ſicut & *amen*, de hebræa in aliam linguam ne-
„ quaquam transferuntur: non quia interpretari minime queant, ſed, ſicut
„ aiunt Doctores, ſervatur in eis antiquitas propter ſanctiorem auctoritatem.“
Teſtatur porro ISIDORUS, in *Africa* non omni tempore *alleluia* dici ſoli-
tum, ſed tantum dominicis diebus, & quinquaginta poſt Domini reſurre-
ctionem, & ſecundum antiquam *Hiſpanorum* traditionem, præter dies ie-
iuniorum, vel Quadrageſimæ, omni tempore. Sicuti etiam S. BENEDICTUS
ſingulari capite XV. ſuæ Regulæ, *quibus temporibus dicatur* ALLELUIA, tem-
pus Paſchale, indeque a Pentecoſte uſque ad caput Quadrageſimæ deſignat.
Moris illius *Africani* teſt s pluribus in locis nobis eſt S. AUGUSTINUS a). San- a
ctus

a) Ut: Epiſt. LV. ad IANUAR. N. edit. p. 139. „Propter hoe (tempus nempe lætitiæ, quod inter Paſeha & Pentecoſten intercedit) . . . ſtantes oramus, quod eſt ſignum reſurrectionis (unde etiam omnibus diebus dominicis ad altare obſervatur, & *halleluia* canitur.“ Et poſtea c. 17. pag. 141. „ Ut autem *halleluia* per ſolos dies quinquaginta in Eccleſia eantetur, non uſquequaque obſervatur: nam & aliis diebus varie cantatur alibi, atque alibi, ipſis autem diebus ubi-

a L. VII. c. 19. *In Bibliothec. max. PP. T. VII. pag.* 475.

T. I. *Epiſt. R. P. pag.* 615.

ctus HIERONYMUS inter alia VIGILANTIO obiicit a), quod nunquam, niſi in Paſcha *alleluia* cantandum contendat. Quare & SOZOMENUS falſus eſt, aſſerens, nonniſi ſemel *Romæ* per annum, idque primo die feſtivitatis Paſchalis cani conſueviſſe, *ut a multis* ROMANIS *hic hymnus iuriſiurandi inſtar tum audiri, tum cantari expectatur.* Supervacaneum foret, quidquam ex epiſtola ad DAMASUM, S. HIERONYMO ſuppoſita, de *alleluia*, ab laudato Pontifice in Eccleſiam *Romanam* invecto, referre, quod *Iſidorus* MERCATOR ex S. GREGORII M. epiſtola ad IOANNEM *Syracuſanum* hauſit, ſicque S. HIERONYMUM inducit ad DAMASUM ſcribentem: *In Eccleſia autem* (ALLELUIA) *a ſancta reſurrectione uſque ad ſanctam Pentecoſten finiatur inter dierum ſpacia quinquaginta.* Nec tamen hoc improbat COUSTANTIUS in cenſura decretorum DAMASO I. adſcriptorum, locum ex S. AUGUSTINI Ep. LV. n. 32. proferens. „ Ut autem *alleluia* per illos ſolos dies quinquaginta in Eccleſia can-
„ tetur, non uſquequaque obſervatur: nam & aliis diebus varie cantatur a-
„ libi, atque alibi.“ Subdit COUSTANTIUS: “Porro ex iis eccleſiis, quæ *alleluia*
„ tantum intra tempus Paſchale cantabant, unam fuiſſe *Romanam* ex Sozo-
„ MENO haud temere colligitur. Erravit ille quidem, cum ſcripſit: ROMÆ
„ *quotannis ſemel canitur* ALLELUIA, *primo die Paſchalis feſtivitatis*; & *Ni-*
„ *cephoro* CALISTO, verba eius exſcribenti, errandi auctor fuit: ſed non
„ alia videtur erroris illius cauſa, niſi quod, cum apud Scriptores *Latinos*
„ Paſcha, vel de toto tempore Paſchali, vel de uno Reſurrectionis Domini
„ die promiſcue dicatur, ALLELUIA *Romæ* tantum in Paſcha cantari audiens
„ de uno die interpretatus eſt, quod de toto tempore Paſchali ſibi dictum
„ fuerat.“ Traditionem autem illam, qua DAMASO P. auctor eius rei fuiſſe dicitur HIERONYMUS, de *alleluia* in Miſſa interpretatur, uſus etiam auctoritate Regulæ S. BENEDICTI, in qua de *alleluia* per annum extra Quadrage-

que.“ Et ad CASULANUM Ep. 36. nov. ed. p. 75. n. 18. „ Quibus tantummodo diebus (iis videlicet 50. quæ a Paſchate ad Pentecoſten uſque numerantur) in multis eccleſiis, in omnibus autem maxime cantatur *halleluia*, quam vocem laudis eſſe nullus Chriſtianus, quamlibet imperitus, ignorat. “ Et in pſalmum CVI. n. 1. „Cuius (pſalmi) titulus non nunc tractandus eſt: eſt enim *halleluia*, & bis *halleluia*, quod nobis cantare certo tempore ſolemniter moris eſt, ſecundum Eccleſiæ antiquam traditionem: neque enim & hoc ſine Sacramento certis diebus cantamus. *Halleluia* certis quidem diebus cantamus, ſed omni die cogitamus.“ In pſalmum CX. „Venerunt dies, ut iam cantemus *halleluia*.“ In pſalmum CXLVIII. diſtinguens tempora ante, & poſt Paſcha, „ Illud (ait) tempus in ieiuniis & orationibus exercemus, hoc vero tempus relaxatis ieiuniis in Laudibus agimus. Hoc eſt enim *Halleluia* quod cantamus, quod latine interpretatur, ut noſtis, *Laudate Dominum.* “ Sermonem 26. in diebus Paſchalibus ſic orditur Idem (Serm. 255.) „ Quoniam voluit Dominus, ut charitatem veſtram in *Halleluia* videremus, de *Halleluia* vobis verbum debemus. Non ſine onere, ſi commemoro quod noſtis: quia & ipſum *Halleluia* quotidie dicimus, & quotidie delectamur. Noſtis enim, quia *halleluia* latine dicitur *laudate DEUM*, & in hoc verbo conſonantes ore, & conſentientes corde, exhortamur nos invicem ad laudandum DEUM &c.“ Eo pertinet etiam mox ſequens Sermo 256.

a) Vid. initium libri adverſus VIGILANTIUM.

dragesimam, vel tempore Paſchali, canendo certæ Regulæ ponuntur. Atque *Cap. XV.* ita etiam HIERONYMUM conciliat, cuius varii habentur de *alleluia* loci. Veluti in Epiſt. ad MARCELLAM feſtivitatem, & frequentiam huius cantici notat, inquiens: „In CHRISTI villula tota ruſticitas, & extra pſalmos ſilen„tium. Quocunque te verteris, arator ſtivam tenens *alleluia* decantat.“ Teſtisque eſt, etiam in exequiis defunctorum idem perſonuiſſe, in epitaphio FA- *Cap. IV.* BIOLÆ: „*Hebræo*, *Græco*, *Latino*que ſermone reſonabant pſalmi, & au„rata tecta templorum reſonans in ſublime quatiebat *alleluia*.“ Et in epitaphio PAULÆ: „Poſt *alleluia* cantatum, quo ſigno vocabantur ad collectam, *Cap. XVI.* „nulli reſidere licitum erat.“ Imbui etiam conſueviſſe infantes, ut in *alleluia* lingua balbutiens primum erumperet, idem perhibet in epiſtola ad LÆTAM: „Quis hoc crederet, ut ALBINI Pontificis neptis de promiſſione Mar„tyris naſceretur, ut præſente, & gaudente avo, parvulæ adhuc lingua bal„butiens CHRISTI *alleluia* reſonaret?“ Et inferius: „Cum avum viderit, „in pectus eius tranſiliat, de collo pendeat, nolenti *alleluia* decantet.“ Addo, quod Ven. BEDA de S. GERMANO *Altiſiodor. Brittones* contra *Saxo-* *L. I. Hiſt. gentis Anglorum c. 20.* *nes* & *Pictos* ad prælium animante, ſcribit: „Tunc ſubito GERMANUS ſigni„fer univerſos admonet, & prædicat, ut voci ſuæ uno clamore reſpondeant; „ſecurisque hoſtibus, qui ſe inſperatos adeſſe confiderent, *alleluia* tertio re„petitum Sacerdotes exclamabant. Sequitur una vox omnium, & elatum „clamorem repercuſſo aëre montium concluſa multiplicant.“ Et ROBERTUS *Antiſiodorenſis* ad an. 440. „Cum GERMANUS ipſe dux belli factus non „tubæ clangore, ſed clangore *alleluia*, totius exercitus voce ad ſidera „levata, hoſtes in fugam vertit immanes.“ Videtur etiam iam prima hac ætate tractus aliquis, ac veluti balatus vocis obtinuiſſe, quem auctores medii ævi, ut ſuo loco videbimus, *neuma*, ſeu *pneuma* vocarunt. ALLELUIA *novis balat ovile choris*, ut habet S. PAULINUS in epiſtola ad SEVERUM. *Epiſt. XII.* Non enim inſuetus etiam fuit iubili olim alias uſus, quod eſt a) S. AUGUSTI- a NO, *ſonus quidam ſignificans cor parturire, quod dicere non poteſt.* Idque non ſolum eſſe dicit præliantis, *ſed eorum qui cantant ſive in meſſe, ſive in aliquo opere ferventi, impleti tanta lætitia, ut eam verbis explicare non poſſint, avertunt ſe a ſyllabis verborum, & eunt in ſonum iubilationis.* Sanctus HILARIUS: „Iubilum paſtoralis, agreſtisque vocis ſonum nuncupamus, *In Pſ. LXV. n. 3.* „cum in ſolitudinibus aut reſpondens, aut requirens, per ſignificantiam „ductæ in longum, & expreſſæ in niſum ſonus vocis auditur. In græcis „vero libris, qui ex hebræo proximi ſunt, non eadem ſignificantia ſcribi„tur. Namque ita ſe habent: ἀλαλάξατε τῷ Θεῷ πᾶσα ἡ γῆ, & cum illis „ἀλαλαγμὸς, quem latine *iubilum* ponunt, ſignificat vocem exercitus præ-

H 2 „liantis

a) Enarrat. 2. in Pſ. XXXII. n. 8. Vid. HIERON. & THEODORET. in eund. Pſ. & RUFINUS in Pſ. LXV.

„ liantis, aut in concurſu proterentis hoſtem, aut ſucceſſum victoriæ exul-„ tationis voce teſtantis." S. AUGUSTINUS Alleluia *celeuſma* vocat nautarum ſibi a longe acclamantium & reſpondentium: *Adſit nobis*, inquit, *tutela, Chriſti gratia*, CELEUSMA *noſtrum dulce cantemus* ALLELUIA, *ut læti & ſecuri ingrediamur ad feliciſſimam patriam.* Et *Sidonius* APOLLINARIS revera illud uſitatum fuiſſe ſcribit:

De Cantico novo c. 2.

L. II. ep. 10.

Curvorum hinc chorus helciariorum
Reſponſantibus ALLELUIA *ripis*
Ad Chriſtum levat amnicum CELEUSMA,
Sic ſic pſallite nauta, vel viator!

Pſalmorum cantus frequens.

1. Cor. XIV.

XVIII. Pſalmorum vero ipſorum iugis ſemper fuit in Eccleſia uſus. *Cum convenitis*, inquit Apoſtolus, *unusquisque veſtrum pſalmum habet.* Id eſt, ut in hunc locum commentatur auctor ſub nomine S. AMBROSII, *laudem DEI per canticum loquitur.* Ii quoque auctores, quos initio ſtatim retulimus, etiam extraneos, de carmine & hymnis, CHRISTO tanquam DEO in conventibus Chriſtianorum cantari ſolitis, huc explicari poſſunt. Nec obeſt libri Pontificalis auctoritas DAMASO P. attribuentis, *ut pſalmi diu noctuque canerentur per omnes eccleſias, qui hoc præcepit Presbyteris, Epiſcopis, ac monaſteriis.* Idem quidem repetunt auctores plerique medii ævi, BEDA, ADO, USUARDUS in Martyrologiis, MARIANUS *Scotus* in Hiſt. L. II. & SIGEBERTUS in Chronico ad an. 382. ne quid de ſpuria HIERONYMI ad DAMASUM epiſtola dicam, hoc conſilium ſuggerente a). *Walafridus* STRABO de eccleſiaſticis officiis, poſtquam de veteri & apoſtolica ſacrorum conventuum ratione quædam attuliſſet, ita concludit: „ Ex his itaque & ſimilibus intelligimus apud „ multos horas, quæ & nunc celeberrimæ ſunt, obſervatas, ſed non ea di-„ ſtributione pſalmorum, vel orationum, qua nunc utimur. Quam & cir-„ ca tempora THEODOSII *Senioris* inchoatam, ac deinceps expletam multis „ animadvertimus cauſis." Adducit deinde auctoritatem S. AUGUSTINI, qua S. AMBROSIO inſtitutio in eccleſia *Mediolanenſi* tribuitur, ut iuxta morem orientalium Patrum pſalmi, atque hymni in eccleſia canerentur: unde uſus ad alias occidentales eccleſias dimanarit. „ Fortaſſe (inquit BELLARMINUS) „ loquitur AUGUSTINUS non de cantu abſolute, ſed de cantu totius populi. „ Antea ſiquidem pſalmum cantabat unus tantum, audientibus aliis, ut pa-„ tet ex CASSIANO. Unde eſt illud HIERONYMI in epiſt. ad RUSTICUM Mo-„ nachum: *Dicas pſalmum in ordine tuo.* Fortaſſe etiam ſoli Clerici, ut „ nunc

Cap. 25.

L. IX. Conf. c. 7.

L. I. de bonis operibus.

a) Vid. Opera DAMASI Nov. Ed.

„ nunc fieri videmus, cantabant; Ambrosius autem ad leniendum mœro-
„ rem populi in perſecutione Iustinæ inſtituit, ut totus populus caneret.
„ Quod etiam fecit Chrysostomus in ſimili occaſione apud *Conſtantinopo-*
„ *lim*, ut refert Socrates.“ Sed ex iam a me dictis clare patet, & deinceps *L. VI. Hiſt. c. 8.*
magis elucеſcet, produntque ipſa S. Augustini verba, de modo potius
canendi hymnos & pſalmos *magno ſtudio fratrum concinentium vocibus &*
cordibus rem eſſe. Ait enim l. c. „Tunc hymni & pſalmi, ut canerentur
„ ſecundum morem orientalium partium, ne populus mœroris tædio
„ cantabeſceret, inſtitutum eſt, & ex illo in hodiernum retentum, multis
„ iam, ac pœne omnibus gregibus tuis & per cæteras orbis partes imitan-
„ tibus.“ Dici namque non poteſt, antea in Occidente tum populo, cum ipſis
adeo fœminis pſalmos canendi nullum fuiſſe uſum, dum contrarium com-
plura Tertulliani loca probant, ut L. De Virginibus velandis: *Illæ, quæ* *Cap. ult.*
inter pſalmos, & in quacunque DEI mentione retectæ perſeverant. Et ad u- *L. II. c. 6.*
xorem: *Quid maritus ſuus illi, vel marito, quid illa cantabit?* Et poſtea: *Ibid. c. 9.*
Sonant inter duos pſalmi & hymni, & mutuo provocant, quis melius DEO
ſuo canet. Etſi hæc de privata cantilatione intelligi videantur. Id etiam
Clemens *Alexandrinus*, vel inter ipſam cœnam factum memorat. Morem *L. II. Pædag. c. 4.*
eundem S. Cyprianus in epiſtola ad Donatum indigitat. Cantus autem
pſalmorum uſum frequentem etiam Tertullianus publicis in conventibus
prodit. *Iam vero*, inquit, *prout ſcripturæ leguntur, aut pſalmi canuntur,* *De anima c. 9.*
aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur. Vides, ſingula ab
ipſo diſtingui, lectionem ſcripturarum, prolationem ſermonum, & cantum
pſalmorum. Non ita apertus eſt alter eius de publica ſynaxi locus: *Si ora-* *De Exhort. caſtit. c. 10.*
tionem facit ad Dominum, prope eſt cœlo. Si ſcripturis incumbit, totus il-
lic eſt. Si pſalmum canit, placet ſibi. Hæc domi ad imitationem eorum fie-
bant, quæ publicis in conventibus ſolemniter peragebantur. „*Vide* (idem *De Ieiun. c. 13.*
„ ait) *quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in unum.* Hoc tu
„ pſallere non facile noſti, niſi quo tempore cum pluribus cœnas.“ Quod
de publicis ſacrisque conviviis, quæ *agapæ* ſunt dictæ, intelligi poteſt, de
quibus aperte *c.* 39. *Apologet.* loquitur. Omitto Pſeudo-Hippolytum *de*
Conſummat. Mundi, ubi *pſalmorum decantationis* meminit in eccleſia. To-
tam liturgiæ rationem, ſeu ἀκολȣθίαν explicans auctor Conſtitutionum apo-
ſtolicarum: *Medius autem*, ait, *Lector in quodam loco excelſo ſtans legat* *L. II. c. 57.*
libros Moysis *&c. Peractisque per binos lectionibus, quidam alius* Davidis
hymnos pſallat, & populus extrema verſuum ſuccinat. Deinde acta noſtra
recitentur, & epiſtolæ Pauli *adiutoris noſtri, quas Spiritus Sancti ductu ad*
eccleſias miſit. Poſtea Diaconus, vel Presbyter legat evangelia . . . Poſt
hæc Presbyteri exhortentur populum &c. Hic eſt pulcherrimus ordo ac vi-

 ciſſitudo

ciſſitudo in ſacris Eccleſiæ conventibus, ad divinum Officium celebrandum
promiſcuis lectionibus, ac cantu pſalmorum. Inſigne ad hanc rem Ori-
a genis teſtimonium in ipſius *Commentariis in Pſalmos* legimus a), qui licet
integri non extent, primi tamen ex illa antiquitate habentur, ex quibus
ſelecta quædam a Montfauconio in noviſſima editione in lucem ſunt pro-
dita, veluti etiam in Tomo I. Collectionis *Græcorum* PP. Commentarii Eu-
sebii *Cæſarienſis,* in quibus pariter hæc eccleſiaſtica conſuetudo in toto chri-
b ſtiano orbe paſſim memoratur. „Hoc itaque (ait alicubi Eusebius b)
„primum, ut neceſſario præſtandum, omnes homines Spiritus Sanctus agere
„iubet, dicens: *Iubilate DEO omnis terra.*“ Idem in pſalmum XCI. pro-
ſequitur, qua ratione primo diluculo conventus agant Chriſtiani, panes pro-
poſitionis offerant, pſalmos una multitudinis voce concinant. Similiter San-
ctus Hilarius in eodem argumento, eadem pſalmi verba verſans: *Iubilate*
c *DEO omnis terra;* pſalmorum frequentiam deprædicat c). S. Athanasius
præter expoſitiones in pſalmos inſignem ſcripſit ad Marcellinum *Comi-
tem* epiſtolam, quæ plenam continet ad pſalmos inſtructionem. Poſtquam
autem totius pſalterii diviſionem ſecundum ſingulorum pſalmorum argu-
menta, & materias, accurate feciſſet, eam demum etiam movet quæſtio-
nem: quid cauſæ ſit, quod eiusmodi ſermones cum modulatione, & oda
d pſallantur d)? Ex dictis, & porro dicendis conſtabit, quæ incrementa
ſacra

a) Cuius verba vid. ſupra p. 29.

b) In Pſalm. LXV. n. 3. cætera ex p. 30. repete.

c) „Simile enim (inquit Tr. in pſalm. LXV. n. 4. & 5.) & officium omnium docetur, & origo. Terrendus ergo eſt (pergit) confeſſionis noſtræ ſermone omnis profanus auditor: & adverſum diabolum armaque eius orationum noſtrarum ſonitu certandum eſt, & belli noſtri victoria exſultationis voce monſtranda eſt. Audiat orantis populi conſiſtens quis extra eccleſiam vocem, ſpectet celebres hymnorum ſonitus, & inter divinorum quoque Sacramentorum officia reſponſionem devotæ confeſſionis accipiat. Neceſſe eſt terreri omnem adverſantem, & bellari adverſus diabolum, vincique reſurrectionis fide mortem, tali exſultantis vocis noſtræ, ut dictum eſt, *iubilo.* Sciat hoc DEO placitum eſſe, hoc ſpei noſtræ teſtimonium, publicas victriceſque exſultationis noſtræ voces perſonare: quarum propheta non negligens eſt; loco alio memorans, *Circuivi & immolavi in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis.* Et ne inanem iubilationis huius doctrinam atque obſervantiam crederemus, alibi proteſtatur, *Beatus populus, qui ſcit iubilationem.* Neceſſarium ergo id fidei noſtræ eſt, in cuius ſcientia beatitudo eſt. Nam primum in admonitionum ordine Propheta diſpoſuit, ut iubilet DEO omnis terra, ſecundo ut pſalmum dicat nomini eius. DEO itaque iubilandum eſt; quia debitum ei a nobis exſultantis vocis officium eſt, quia ut per organum pſalmus eſt, ita & corporis noſtri, quod animæ & affectionis & negotiorum omnium organum eſt, artificioſis operibus eſt placendum.“

d) „Quidam enim (inquit T. I. P. II. p. 999. num. 27.) inter nos ſimpliciores, tametſi credunt verba eſſe divinitus inſpirata, arbitrantur tamen ob ſoni ſuavitatem, voluptatemque aurium, pſalmos cani. At nequaquam ita ſe res habet: non enim voluptatem, aut eloquentiam affectavit ſcriptura: ſed id quoque ad animæ utilitatem conſtitutum eſt, omnibus, ſed duabus maxime de cauſis; primo quia decuit divinam ſcripturam, non obiter, ſed fuſius Deum hymnis celebrare. Continua igitur oratione dicuntur legis & prophetarum verba, nec non hiſtoriæ omnes, cum novo Teſtamento: fuſius autem efferuntur pſalmorum, odarum, & can-

ſacra pſalmodia & cantus eccleſiaſticus ſub ipſo *Alexandriæ* cœperit, ut etiam fœminis ſua ad pſallendum fuerint pſalteria: qualem memorat in epiſtola ad Orthodoxos, ab *Arianis*, *pſalterium* præ manibus tenentem, publice flagellari iuſſam. S. Basilius ſermone de legendis libris Gentilium, poſtquam damna profanæ muſicæ oſtendiſſet, *Sed muſica*, ſubdit, *altera, quæ & melior exiſtit*, *& ad meliora perducit*, *conſideranda nobis eſt*, *qua uſus* David *ſacrorum carminum auctor furorem Regis, atque inſaniam*, *ut aiunt*, *ſedavit.* Idem inſigni encomio primam in pſalmos orditur homiliam a). Et in celebri ad *Neocæſarienſes* epiſtola adhuc clarius memorat: „Recepta „nunc inſtituta omnibus DEI eccleſiis conſona eſſe, & conſentientia. De „nocte ſiquidem conſurgit apud nos populus ad domum precationis, & in „labore, in afflictatione ac iugibus lacrymis confitentes DEO, tandem a pre„catione ſurgentes, ad pſalmodiam tranſeunt. . . . Cæterum horum gra„tia ſi nos fugitis, fugietis *Ægyptios*, fugietis & utroſque *Lybies*, *Thebæos*, „*Palæſtinos*, *Arabes*, *Phœnices*, *Syros*, & eos, qui ad *Euphratem* habi„tant, ac omnes uno verbo, apud quos vigiliæ, preceſque & communes „pſalmodiæ in pretio ſunt." Qualis S. Basilius in Oriente, talis in Occidente fuit S. Ambrosius, divinæ pſalmodiæ inſtaurator, cuius habentur in pſalmos quoſdam commentarii, atque in procemio pariter de eorum uſu apud omnes in Eccleſia loquitur: *Pſalmus enim benedictio populi eſt*, *DEI laus*

T. II. nov. edit. p. 182.

a

Ep. 207. n. 3.

ticorum ſcripta: atque eo modo obſervabitur, ut totis viribus & tota poteſtate DEUM diligant. Secundo, quemadmodum harmonia tibias apte componens unum concentum efficit; ita cum in anima varii ſint motus, inſitque vis cogitandi, concupiſcendi, iraſcendi, ex quorum permotione membrorum corporis operatio exoritur; ratio poſtulat, hominem ſecum non diſſentire, nec a ſemetipſo diſſidere."

a) T. I. p. 90. „Hic liber, quo ad eius fieri poteſt, pravos coercet affectus, qui per hominum vitam in animos varie graſſantur. Atque id cum concinna quadam ſuavitate atque voluptate, quæ honeſtas ingerat cogitationes. Etenim ubi Spiritus Sanctus genus hominum perſpexit ad excolendam virtutem adduci vix poſſe, & a nobis ob noſtram in voluptatem propenſionem viam rectam contemni, quid agit? Dogmatis immiſcuit harmoniæ dulcedinem, ut rerum auditarum iucunditate ac dulcedine eloquiorum utilitatem neſcientes perciperemus: haud aliter atque ſapientes medici, qui nauſeantibus potionem amariorem daturi, ſæpius calicem melle circumliniunt. Ideo concinni illi pſalmorum concentus excogitati nobis ſunt, ut ii qui pueri ſunt ætate, aut etiam omnino moribus ſunt iuvenes, dum in ſpeciem quidem cantant, re ipſa tamen animas erudiant ſuas. Vix enim unquam unus aliquis e multis & ex deſidibus diſceſſit, qui præceptum apoſtolicum, aut propheticum memoria retineat: at pſalmorum oracula & domi modulantur, & in forum circumferunt τὰ δὲ τῶν ψαλμῶν λόγια ϗ κατ' οἶκον μελῳδοῦσι ϗ ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς περιφέρουσι. Et etiam ſi quis in feræ modum valde æſtuet; ubi pſalmis demulceri cœperit, ſtatim conſopita per melodiam animi feritate abit." (Et paulo poſt:) „Pſalmus incipientibus initium eſt, incrementum proficientibus, perfectis firmamentum, vox eſt Eccleſiæ: lætificat dies feſtos: eam, quæ ſecundum Deum eſt, triſtitiam creat. Enimvero pſalmus e corde lapideo ciet lacrimas. Pſalmus Angelorum opus eſt, cœleſtis converſatio ſpirituale tymiama. O ſapiens magiſtri inventum, qui artem, qua ſimul caneremus, & utilia diſceremus, excogitavit."

laus, plebis laudatio, plauſus omnium, ſermo univerſorum, vox Eccleſiæ, auctoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor iucunditatis, lætitiæ re-
In Pſ. XLI. n. I. *ſultatio.* S. Chrysostomus haud aliter atque S. Basilius. „ Primum (ait) „ eſt neceſſarium, quanam de cauſa pſalmus in noſtram vitam eſt introdu- „ ctus, & cum cantico maxime hæc dicitur prophetia. Quanam ergo de „ cauſa dicatur cum cantico, audi. Cum DEUS vidiſſet, multos homines „ eſſe ſocordiores, nec ad legenda ſpiritualia lubenter accedere, nec qui in „ eo capitur laborem tollerare, volens gratiorem laborem efficere, eiusque „ ſenſum præſcindere, admiſcuit prophetiæ melodiam, ut omnes cantici mo- „ dulatione delectati, cum magna animi alacritate ſacros ei hymnos emit- „ tant.“ Facta deinde mentione, quomodo humanum genus univerſum muſica & cantu afficiatur, idem iterum repetit, & ad iugem pſalmorum
In Pſ. XLI. n. I. cantum ita hortatur: *Quotidie DEUM interpellemus per pſalmos, & orationes.* Quod, qua ratione in Eccleſia chriſtiana ſit frequentatum, alibi docet, aut quisquis eſt auctor homiliæ de pœnitentia, & in lectionem de Da-
N. Edit. T. XIII. p. 190. a vid &c. a) Ex veteribus in pſalmos commentatoribus S. Augustinus fatetur in *Prologo in Pſ. CXVIII.* magnam ſe in interpretatione difficultatem ſenſiſſe, ut etiam manum ſemel admotam ad eum pſalmum, qui hodieque in omnium ore eſt, removerit. Demum poſt cæteros pſalmos omnes, ite-
Procem. in Pſ. CXVIII. rum hortatu ſuorum aggreſſus. „ Pſalmos (inquit) omnes cæteros, quos „ codicem pſalmorum novimus continere, quod Eccleſiæ conſuetudine pſalterium nuncupatur, partim ſermocinando in populis, partim dictando „ expoſui donante Domino, ſicut potui: pſalmum vero centeſimum octavum decimum, non tam propter eius notiſſimam longitudinem, quam „ propter eius profunditatem paucis cognoſcibilem differebam. “ Præſtitit id vero tandem hoc *ſolvendum*, ut vocat, *debitum*: quod fidelium canti-
Ibid. bus celebraretur. „ Hoc enim (ait) iuſtius eſſe arbitror, ut conventus eccleſiaſtici non fraudentur etiam pſalmi huius intelligentia, cuius, ut aliorum „ delectari aſſolent cantilena.“ Et epiſt. CXXXI. ad Memorium de Pſalmiſta: „ Amavit enim vir ille Sanctus David muſicam piam, & in ea ſtudia „ nos magis ipſe, quam ullus alius auctor accendit. “ In ſuis Confeſſioni-

bus

a) „ In Eccleſia (inquit) ſunt pervigilia: ac primus, medius, & ultimus eſt David. In matutinis hymnorum canticis, primus, medius, & ultimus eſt David. In tentoriis, ubi mortuorum deductiones, primus, & poſtremus eſt David. In ædibus virginum, ubi texturæ fiunt, & primus, & medius, & poſtremus eſt David. O res inopinatas! multi, qui ne litterarum quidem principia ſunt aggreſſi, totum tamen Davidem edocti, ordine recitant; ac non modo in urbibus & in eccleſiis omni tempore & per ætates vitæ omnes clareſcit, ſed etiam in agris, in deſertis, & per terram non habitatam cum ſedulitate plurima tripudia ſacra DEO excitat. In monaſteriis chorus ſanctus ordinum Angelicorum, primus, medius, & poſtremus eſt David. In aſceteriis, ubi greges virginum Mariam imitantium, primus, medius, & poſtremus eſt David &c. “

bus exponit, quam eorum cantu fuerit delectatus non ſolum, ſed etiam ardentiſſimo flagrarit deſiderio, illos per orbem univerſum, ſi qua fieri poſſet, recitandi, indignatus vehementer *Manichæis*, quod lugenda cæcitate myſteria & remedia hæc non viderent, atque adeo antidotum, quo eis ſanitas reſtitui potuiſſet, reſpuerent. „ Quas (ſunt eius verba) tibi voces dabam in „ pſalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar eos re„ citare, ſi poſſem, toto terrarum orbe adverſus typhum generis humani! „ Et tamen toto orbe cantantur, & non eſt, qui ſe abſcondat a calore tuo. " Et capite VI. „ Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, ſuave ſonantis Ec„ cleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. " THEODORETUS in illud Pſalmi LVI. 10. *Confitebor tibi in populis Domine &c.* opportune hunc in modum commentatur: „ Non ſolum nunc has laudes tibi afferam, verum „ etiam vera luce exorta, & optato diluculo apparente, omnium gentium „ & populorum magiſter chori ero, & veluti quibusdam chordis illorum „ labiis utens, gratas tibi laudes canam. " Sic S. LEO pſalmos *Davidicos, qui per univerſalem Eccleſiam omni pietate cantantur*, indigitat. Quodſi excurrere vellem, in recenſendis iis, quæ ad uſum pſalmorum, præſertim in cœtibus monachorum & anachoretarum, pertinent, dies me deficeret. „ Cum„ que (ut verbis CASSIANI utar) pro ſuo unusquisque fervore, infirmitatis „ immemor alienæ, id ſtatui debere cenſeret, quod contemplatione fidei ac „ roboris ſui facillimum iudicabat, parum diſcutiens, quid generaliter ple„ nitudini fratrum poſſibile eſſet, in qua neceſſe eſt, infirmorum quoque „ partem maximam reperiri, diverſoque modo enormem pſalmorum nu„ merum inſtituere pro animi ſui virtute certarent, & alii quinquagenos, alii „ ſexagenos pſalmos, nonnulli vero, ne hoc quidem numero contenti, exce„ di eum debere cenſerent, eſſetque inter eos pro religionis regula piæ con„ tentionis ſancta diverſitas." Quæ prius retuli, ſpectant univerſos fideles, apud quos, teſte etiam THEODORETO, tum fuit univerſalis per Eccleſiam uſus, ac conſuetudo cantandi pſalmos DAVID. Ne quid dicam de clericali Ordine ac Officio, apud quos, auctore *de Cœleſti Hierarchia* DIONYSIO, quisquis ille eſt, ſacrorum pſalmorum modulatio, omnibus pontificiis myſteriis eſſentiæ inſtar, & neceſſario adhibetur.

L. IX. c. 4.

L. II. Inſtit. c. 5.

Quæſt. 43. in 2. Lib. Regum.

XIX. Ad inſtitutum modo non eſt, proſequi, quæ veteres de ingenti pſalmodiæ virtute, ac utilitatibus, quas mira quadam divini Spiritus operatione afferunt, expoſuerunt. Quædam ſaltem paucis delibabo, argumento noſtro magis conſentanea. „ Etenim (inquit S. ATHANASIUS in cele„ bri ad MARCELLINUM epiſtola) hoc quoque rurſus in pſalmis admirandum, „ quod in aliis quidem libris, quæ Sancti de quibusdam dicunt, hæc ipſa

Pſalmodiæ divina virtus,

T. I. P. II. p. 987.

„ qui legunt, iis, de quibus dicuntur, referant: & qui audiunt, ſeſe alios „ exiſtiment ab iis, de quibus ſermo habetur, ita ut, quæ geſta dicuntur, ad„ mirationi ſolum habeant, & imitanda ſibi proponant. At librum iſtum qui „ ſumit, prophetias de Salvatore, ut in aliis ſcripturis, more ſolito cum ad„ miratione & adoratione percurrit: alios vero pſalmos, quaſi proprios ſibi „ ſermones legit, qui autem audierit, quaſi hæc eadem ipſe proferret, com„ pungitur, atque ita canticorum verbis afficitur, quaſi ſua eſſent.“ Id quod exemplis illuſtrat tota illa prolixa epiſtola. Et demum concludens ita ſermonem proſequitur: „ Exiſtimo enim his libri huius verbis univer„ ſam hominum vitam, & animi affectiones, cogitationumque motus con„ tineri, atque his nihil maius in hominibus experiri. Sive enim pœniten„ tia, & confeſſione opus ſit; ſive tribulatio aut tentatio apprehenderit; ſive „ quis perſecutionem ſuſtinuerit, & ex inſidiis impetus illos evaſerit; ſive „ etiam triſtitia, aut animi perturbatione affectus, & quidpiam ſimile iis, quæ „ antea dicta ſunt, perpeſſus fuerit, vel etiam ſemetipſum quidem viderit „ proficere, hoſtem vero deletum eſſe, ac laudes, gratiasque, & bene di„ ctionem Domino offerre voluerit, poteſt de ſingulis doctrinam in divinis „ hisce pſalmis eligere, & ea, quæ in iis ſunt, tanquam de ſe conſcripta „ offerre DEO.“ S. Basilius ſimiles fructus pſalmodiæ enarrans non ſolum ad propriam tranquillandam animam, ſed ad communem fidelium concentum, adque conſociandam charitatem refert utilitates, quæ ex cantu, atque
a ſymphonia proveniunt a). S. Ambrosius adhuc plura de pſalmodiæ cantu commoda promittit, quæ multo ſunt certiora, aſſertioraque, quam vete-
b res de muſica ſunt commenti b). Hæc inſtar omnium ſunt, quæ in hanc

rem

a) „ Pſalmus (ait Hom. in Pſalm. I. num. 2.) tranquillitas eſt animarum, pacis arbiter, tumultuoſas, turbulentasque cogitationes compeſcit: ut reprimit excandeſcentiam, & animi concitationem, ita laſciviam refrenat. Amicitias conciliat pſalmus: conſociat diſſidentes: inter inimicos gratiam componit. Quis enim adhuc eum, quocum unam ad DEUM vocem emiſit, loco inimici habere poſſit? Itaque & bonorum maximum charitatem conciliat pſalmorum cantus, qui concentum ceu quoddam vinculum ad concordiam ineundam adinvenit, populumque ad chori unius ſymphoniam congregat. Dæmones pſalmus fugat, accerſit Angelorum patrocinium, miniſtrat arma contra nocturnos timores, diurnorum laborum eſt requies: infantum ſecuritas, ornamentum iuvenum, ſenum conſolatio, convenientiſſimum mulierum decus, frequentat ſolitudines, forum emendat &c.

b) Iracundiam mitigat (inquit in librum Pſalmorum: argum.) ſolicitudinem abdicat, mœrorem allevat. Nocturna arma, diurna magiſteria, ſcutum in timore, feſtum in ſanctitate. Imago tranquillitatis, pignus pacis atque concordiæ, citharæ modo ex diverſis & diſparibus vocibus unam exprimens cantilenam. Diei ortus pſalmum reſultat, pſalmum reſonat occaſus. Mulieres Apoſtolus in eccleſia tacere iubet: pſalmum etiam bene clamant. Hic omni dulcis ætati, hic utrique aptus eſt ſexui. Hunc ſenes rigore ſenectutis depoſito canunt, hunc veterani triſtes in cordis ſui iucunditate reſpondent. Hunc iuvenes ſine invidia cantant laſciviæ, hunc adoleſcentes ſine lubricæ ætatis periculo & tentamento concinunt voluptatis, iuvenculæ ipſæ ſine diſpendio matronalis pſallunt pudoris, puellulæ ſine prolapſione verecundiæ, cum ſobrietate gravitatis hymnum DEO inflexæ vocis ſuavitate modulantur. Hunc tenera

rem non ſine fructu afferri poſſent, ad divinæ pſalmodiæ ſtudium excitandum, & amorem.

XX. Veteres Sancti Patres pſalmorum interpretes omnia rimati etiam in titulis pſalmorum a), (de quorum tamen inſpiratione ſaltem, & divina origine hodieque dubitatur, ac magna adhucdum obſcuritas eſt in eorum ſenſu) varia non tantum myſteria quæſiverunt, verum etiam de uſu disquiſiverunt in ipſo pſalmorum cantu. „ Non enim (inquit S. HILARIUS) „ ſine cauſa tanta rerum diverſitate hic titulorum ordo convertitur, ut nunc „ *in finem*, nunc *pſalmus*, nunc *canticum*, nunc *canticum pſalmi*, nunc „ *pſalmus cantici* ad diſtinctionem pſalmi, qui ſubiaceat, præferatur. " Et paulo poſt: „ In muſicis vero artibus hæ ſunt officiorum & generum varie- „ tates. *Pſalmus* eſt, cum ceſſante voce pulſus tantum organi concinentis „ auditur. *Canticum* eſt, cum cantantium chorus libertate ſua utens, neque „ in conſonum organi adſtrictus obſequium, hymno canoræ tantum vocis „ exſultat. *Canticum* autem *pſalmi* eſt, cum organo præcinente ſubſe- „ quens, & æmula organi vox chori cantantis auditur, modum pſalterii „ modulis vocis imitata. *Pſalmus* vero *cantici* eſt, cum choro ante can- „ tante, humanæ cantationis hymno ars organi conſonantis aptatur, vocis- „ que modulis præcinentis pari pſalterium ſuavitate modulatur. His ergo „ quatuor muſicæ artis generibus competentes ſingulis quibusque pſalmis „ ſuperſcriptiones ſunt coaptatæ." Anonymus apud CORDERIUM adhuc alia explicat, & breviter. „ *Pſalmus* eſt modulatio per muſicum inſtrumentum: „ *canticum* vero eſt carminis, quæ per os fit, cum verbis pronunciatio; „ *oratio* autem eſt ſupplicatio, quæ pro aliqua re utili DEO offertur; *hy-* „ *mnus* eſt pro bonis obtentis DEI celebratio: *laus*, ſive laudatio eſt divi- „ norum

Ac varia pſalmorum genera.

a

Prologo in L. Pſalmorum n. 17.

Num. 19.

Expoſ. Græc. PP. in Pſalm. Proœm. p. L.

geſtit pueritia, hunc meditari gaudet infantia, quæ alia declinat ediſcere. Ludus quidam eſt iſte doctrinæ, maioris profectus, quam cum ſeria traditur diſciplina. Quantum laboratur in Eccleſia, ut fiat ſilentium, cum lectiones leguntur? ſi unus loquatur, obſtrepunt univerſi. Cum pſalmus legitur, ipſe ſibi eſt effector ſilentii. Omnes loquuntur, & nullus obſtrepit. Pſalmum reges ſine poteſtatis ſupercilio reſultant. In hoc ſe miniſterio DAVID gaudebat videri. Pſalmus cantatur ab Imperatoribus, iubilatur a populis. Certant clamare ſinguli, quod omnibus proficit. Domi pſalmus canitur, foris recenſetur. Sine labore percipitur, cum voluptate ſervatur. Pſalmus diffidentes copulat, diſcordes ſociat, offenſos reconciliat. Quis enim non remittat ei, cum quo unam ad DEUM vocem emiſerit? Magnum plane unitatis vinculum, in unum chorum totius numerum plebis coire. Diſpares citharæ nervi ſunt, ſed una ſymphonia. In pauciſſimis chordis ſæpe errant digiti artificis, ſed in populo Spiritus artifex neſcit errare. Pſalmus nocturni pavoris ſolatium, diurni laboris requies. Inſtitutio incipientium, perfectorum confirmatio. Angelorum miniſterium, militia cœleſtis, hoſtia ſpiritalis, pſalmum & ſaxa reſpondent. Pſalmus canitur, & ipſa etiam ſaxoſa pectora molliuntur. Videmus flere præduros, flecti immiſericordes. Certat in pſalmo doctrina cum gratia ſimul. Cantatur ad delectationem, diſcitur ad eruditionem. Nam violentiora præcepta non permanent: quod autem cum ſuavitate perceperis, id infuſum ſemel præcordiis non conſuevit elabi. "

a) Vid. D. CALMET Diſſertat. in titulos Pſalmorum.

I 2

*T. II. p.*521. „ norum miraculorum commendatio.“ Addit Origenes, ex quo iam ſuperius aliqua in hanc rem attulimus: *Alii, qui nullum habent titulum, id eſt, qui neque cantici, neque hymni, neque pſalmi, neque modulationis, neque laudationis, neque orationis, neque alius cuiuſpiam rei ſimilis nomine inſcribuntur, utilia quædam videntur habere præcepta, & ſermones exhortatorios, & invitatorios ad pietatis cultum.* Vides alia explicari quoad canendi modum, alia quoad materiam, quod ſæpe allegorice, cum aliud nihil afferte ſuppeteret, fecerunt ipſe Sanctus Hilarius in pſalmum LXV.

Epheſ. V. 19. & Sanctus Hieronymus, dum illud Apoſtoli, *Loquentes vobismetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus*, præ manibus habet: „Quid

*T. VI. p.*187. *Edit. Antwerp.* autem (inquit) interſit inter pſalmum, & hymnum, & canticum in „ pſalterio pleniſſime diſcimus. Nunc autem breviter hymnos eſſe dicendum, qui fortitudinem & Maieſtatem prædicant DEI, & eiusdem ſemper vel beneficia, vel facta mirantur. Quod omnes pſalmi continent, quibus *alleluia* vel præpoſitum, vel ſubiectum eſt. Pſalmi autem proprie ad „ ethicum locum pertinent: ut per organum corporis, quid faciendum, & „ quid vitandum ſit, noverimus.“ Quod D. Paulus tria illa diſtinxerit abs re certe haud eſt; quamvis id apud nos locum non habeat, quod in pſalmis, & aliis veteris Teſtamenti canticis veriſimiliter diſtingui ſolebat iuxta cantus etiam, & inſtrumentorum muſicorum genera. Qua in re fere con-

Hom. in Pſ. 29. veniunt veteres interpretes: luculenta vero imprimis eſt S. Basilii definitio: *Pſalmus itaque*, ait, *ſermo eſt muſicus, cum concinne, apteque ex harmoniæ ratione ad organum pulſatur: canticum vero vox eſt concinna, quæ modulate citra organi ſonum emittitur.* Pſalmi potiſſimum ex ſua inſtitutione ad uſum templi a Davide ſunt deſtinati vario concentu, inſtrumentorumque muſicorum ſymphonia; quo pertinet imprimis hebraica inſcriptio על נגינות *al neginoth.* Cantica vero plerumque, qualia in ſcripturis tam veteris Teſtamenti, quam novi habentur, ex tempore, & privatim in laudem DEI ſunt concinnata. Uti etiam breviores nonnunquam hymni, & exclamationes, iubilationesque in DEI laudem. Omnia autem ad commodum noſtrum in Sacris chriſtianis rite applicantur eo ſacratiori uſu, quod divinitus inſpirata verbum DEI contineant, & ex ipſo divino ore divinas

a nos concinere doceant laudes. a)

Hymni a Chriſtianis elucubrati, non indiſcriminatim re- XXI. Neque ſolum, quæ in Scripturis a Spiritu Sancto emanarunt, locum habuerunt inde ab Eccleſiæ primordiis, quin etiam ſuas ingenii vires impenderent Chriſtiani ad conſcribenda divinæ laudis cantica, aut etiam ex tempore edenda. Mentionem feci ſupra p. 25. hymni, quem *Priſcillianiſtæ*

a) *Io. Zach.* Hilligeri Diſſertat. philolog. *de pſalmorum, hymnorum atque odarum ſacrarum diſcrimine* digna eſt lectu hanc in rem.

niſtæ CHRISTO tribuebant, atque etiam divinis præferebant Scripturis. Rationem eorum affert S. AUGUSTINUS ad CERETIUM: „Habes verba eorum „(inquit) in illo codice ita poſita: *Hymnus Domini, quem dixit ſecrete* „*ſanctis Apoſtolis, diſcipulis ſuis, quia ſcriptum eſt in Evangelio, Hymno* „*dicto aſcendit ad montem: & qui in canone non eſt poſitus, propter eos,* „*qui ſecundum ſe ſentiunt, & non ſecundum Spiritum & veritatem DEI,* „*eoquod ſcriptum eſt, ſacramentum Regis bonum eſt abſcondere, opera au-* „*tem DEI revelare honorificum eſt.* Iſta eſt (ſubdit S. Doctor) magna eo- „rum ratio, cur iſte hymnus non ſit in canone, quia velut ſacramentum „Regis abſcondendum fuit his, qui ſecundum carnem ſentiunt, & non ſe- „cundum Spiritum, & veritatem DEI.“ Qua de re diſputando deinceps ipſa hymni verba in medium profert, quorum expoſitionem ab ipſis *Priſcillianiſtis* factam, in ſcripturis oſtendit aliunde manifeſtatam, ut rationem cur in canone relatus non ſit, quam *Priſcillianiſtæ* dictitabant, exploderet a). a

ccepti, præſertim hæreticorum.

Epiſt. 237. *n.* 4.

Non

a) „Si enim verbi gratia (ait) propterea in iſto hymno cantatur, & dicitur *Solvere volo, & ſolvi volo,* quia, ſicut iſti hæc verba exponunt, ſolvit nos Dominus CHRISTUS a converſatione ſæculi, ut non iterum ligemur in eo: hæc in ſcripturis canonicis utique didicimus, quod ſolvat nos Dominus a converſatione ſæculi, & quia in eo non debemus iterum colligari. Nam quid eſt aliud, *Dirupiſti vincula mea &c. &c.* Quoniam hæc in ſcripturis canonicis legimus, ibi intelligimus, inde firmamus, inde quotidie prædicamus. Quid eſt igitur, quod iſte hymnus dicitur carnalibus fuiſſe ſubtractus, ut non poneretur in canone, cum quod in illo opertum eſt, in canone apertum ſit. An uſque adeo deſipiunt, imo inſaniunt, ut audeant dicere, Sacramentum Regis in hoc hymno abſconditum eſſe ſpiritualibus, in canone autem manifeſtum eſſe carnalibus? Hoc de ſuperioribus eiusdem hymni verbis dici poteſt, ubi ait, *Salvare volo, & ſalvari volo.* Si enim, ſicut ipſi exponunt, hoc iſta verba ſignificant, quod ſalvamur a Domino per baptiſmum, & ſalvamus, id eſt cuſtodimus in nobis Spiritum datum nobis per baptiſmum, nonne iſtum ſenſum ſcriptura canonica clamat, ubi legimus, *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis &c.?* ... Si hoc, ut dicunt, intelligendum eſt in ipſo hymno, ubi ait, *Generari volo,* quod in canonica epiſtola PAULI Apoſtoli ſcriptum eſt, *Quos iterum parturio, donec* CHRISTUS *formetur in vobis:* ſi hoc intelligendum eſt in iſto hymno, ubi ait, *cantare volo,* quod in pſalmo canonico ſcriptum eſt, *Cantate Domino canticum novum:* ſi hoc intelligendum eſt in iſto hymno, ubi ait, *Saltate cuncti,* quod ſcriptum eſt in cantico evangelico, *Cantavimus vobis, & non ſaltaſtis:* ſi hoc intelligendum eſt in iſto hymno, *Plangere volo, tundite vos omnes,* quod ſcriptum eſt in cantico evangelico, *Planximus vobis, & non luxiſtis:* ſi *ornare volo, & ornari volo* hoc ſignificat in iſto hymno, quod ſcriptum eſt in canone, *Habitare* CHRISTUM *per fidem in cordibus veſtris: & vos eſtis templum DEI, & Spiritus DEI habitat in vobis:* ſi, quod ait in iſto hymno, *Lucerna ſum tibi, ille qui me vides,* hoc ſignificat, quod ſcriptum eſt in pſalmo canonico, *In lumine tuo videbimus lumen:* ſi, quod ait in iſto hymno, *Ianua ſum tibi quicumque me pulſas,* hoc ſignificat, quod in pſalmo canonico legitur, *Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eis, confitebor Domino;* & in alio pſalmo, *Tollite portas principes veſtri, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ:* ſi, quod ait in iſto hymno, *Qui vides, quod ago, tace opera mea,* hoc ſignificat, quod ſcriptum eſt in libro TOBIÆ, *Sacramentum Regis bonum eſt abſcondere;* cur iſte hymnus non eſſe in canone propterea dicitur, ut ſacramentum Regis abſcondatur carnalibus; cum ea, quæ in iſto hymno exponuntur, etiam in canone legantur, & ſic ibi reperiantur manifeſta, ut per hæc illa exponantur obſcura: niſi quia iſtas expoſitiones habent in quibus lateant; in verbis vero illius hymni, quem exponere ſe ſimulant, hoc ſapiunt, quod alienis exponere timeant? .... Nec mi-

Non iniicio hic mentionem *Therapeutarum* Philonis, niſi Eusebii teſtimo-
L. II. c. 17. Hiſt. nio adiecto de conſimili noſtratium exercitatione. „Poſt pauca (inquit) rurſum etiam de eo, quod pſalmos novos faciant, ita ſcribit (Philo): *Itaque non ſolum ſubtilius intelligunt hymnos veterum, ſed & ipſi faciunt novos in DEUM, omnibus eos & metris & ſonis honeſta ſatis & ſuavi compage modulantes.* Multa quidem & alia in eodem libro enumerat, quæ a noſtris vel in eccleſia, vel in monaſteriis exercentur.“ Habetur id ex antiquo Scriptore, Caio veriſimiliter Presbytero *Romano*, qui ad finem ſæculi
L. V. c. 28. a ſecundi contra Artemonis hæreſin ſcripſit apud Eusebium in hæc verba a): *Pſalmi quoque & cantica Fratrum, inde a primordio a fidelibus conſcripta,*
Apol. c. 39. *Chriſtum Verbum DEI concelebrant.* Iam retuli etiam Tertulliani locum, ut quisque de Scripturis ſanctis, vel de ingenio poteſt, provocari in medium
Ad Zenam, & Serenum p. 412. DEO canere. In epiſtola falſo S. Iustino M. adſcripta, vitium, quod inde enaſci pronum eſt, reprehenditur: *Hymni & pſalmi, & canticæ, & laudes dicendæ: at non probandus, qui veluti adverſarii condemnandi cauſa nonnulla ſubobſcure attingit, ac proximum per pſalmodiam vellicat.* Quod de hymnis, pſalmis, & canticis ex ingenio compoſitis intelligendum. Con-
Lib. de Carne tigit non raro, ea licentia abuti hæreticos. Tertullianus de Valenti-
Chriſti n. 17. no teſtatur, quod ſuos compoſuerit pſalmos, *quos magna impudentia, quaſi idonei alicuius auctoris, interſerit. Davidicis* ſcilicet chriſtiano uſu
Cap. 20. conſecratis, ut poſtea explicat: *Nobis quoque ad hanc ſpeciem pſalmi patrocinabuntur non quidem apoſtatæ, & hæretici, & Platonici* Valentini, *ſed ſanctiſſimi & receptiſſimi Prophetæ* David. *Ille apud nos canit Chri-*
L. VII. c. 30. *ſtum, per quem ſe cecinit ipſe Chriſtus.* Idem vitio vertit Concilium *Antiochenum* Paulo *Samoſateno* apud Eusebium: „Quid vobis in memoriam revocemus, quemadmodum pſalmos & cantus, qui in honorem Domini noſtri IESU Christi decantari ſolent, quaſi novellos, & a recentioribus compoſitos ὡς δὲ νεωτέρȣς, ϗ νεωτέρων ἀνδρῶν συγγράμματα abolevit. Mulieres autem magno Paſchæ die in media eccleſia pſalmos quosdam canere ad ſui ipſius laudem inſtituit ψαλμῳδεῖν παρασκευάζων. Sub religionis ergo quaſi prætextu, ne pſalmi novelli, & a recentioribus in honorem Domini noſtri IESU Christi compoſiti canerentur (quod mox audivimus a primordio Eccleſiæ a fidelibus fieri conſueviſſe) grave illud induxit malum, ut in publicis conventibus cani in ſui laudem mulieres faceret. Scribit

Epiphanius

rum, quandoquidem ipſum Dominum IESUM loquentem, non per ora Prophetarum, vel Apoſtolorum, vel Angelorum, ſed per os proprium, illuſorem potius, quam veritatis doctorem fuiſſe crediderunt. Huic utique hymno divinam tribuentes auctoritatem, ubi eum dixiſſe, neſcio, quis eiusdem hymni conditor finxit; *verbo illuſi cuncta, & non ſum illuſus in totum.* “

a) Vid. le Moyne Not. in varia Sacra T. II. p. 937. &c.

EPIPHANIUS, HIERACEM plurima cantica novitia condidiſſe, cuiusmodi etiam erant ab ARIO ad SOTADIS numeros compoſitæ cantiones, quas graviter ATHANASIUS inceſſit his verbis: „ Pro MOYSE, aliisve viris ſanctis, neſcio quem SOTADEM, qui ipſis Gentilibus ludibrio eſt, & filiam HERODIADIS reperierunt. Namque & illius fractos effœminatosque mores ARIUS *Thalias* quoque ipſe ſcribendo, imitatus eſt, & huius ſaltatricis ſaltationem ſuis in Dominum maledictis ſaltando, & ludendo eſt æmulatus. " Ex duobus, qui nomine SOTADIS veniunt, Patres ex Congr. S. MAURI adnotant ex SUIDA *Cretenſem Maronitam*, dæmoniacum, Iamborum ſcriptorem, *qui compoſuit Plyacas (id eſt Scurras) ſive Cinædos, Ionica dialecto.* Ad hunc modum *Thalias* ARII erat: „ Eſt autem (inquit SOCRATES) dicendi genus molle ac diſſolutum, *Sotadicis* carminibus non abſimile. Quem quidem librum nunc temporis etiam Synodus condemnavit. " PHOTIUS in Compendio Hiſtoriæ PHILOSTORGII recenſet ARIUM, *cum ab Eccleſia receſſiſſet, cantica nautica, & molendinaria, ac viatoria conſcripſiſſe, aliaque eiusmodi compoſuiſſe, quæ certis modulationibus aptavit, prout unicuique cantico convenire exiſtimabat: atque ita imperitorum animos ſuavitate cantus ad impietatem ſuam ſenſim abduxiſſe.* Quod quidem ad noſtrum argumentum non ſpectat. Quod vero de canticis *Arianorum* ἰδιωτικοῖς SOZOMENUS dicit, eos adieciſſe cantica, *quæ ad rixam, & contentionem ſpectarent*: „Ubi ſunt, qui tres dicunt unicam potentiam?" LE MOYNE non de ἀκροτελευτίοις vel doxologia intelligi vult, ſed de hymnis integris, & canticis, quæ pſalmorum modulationi ſoliti ſint adiungere. De LEONTIO iam diximus, „ qui tum temporis (ſub CONSTANTIO) *Antiochenam* ſedem gubernabat, incertus animi, quid ageret, eos quidem, qui iuxta doctrinam fidei a *Nicæno* Concilio traditam, DEUM hymnis glorificabant, prohibere haudquaquam aggreſſus eſt. Verebatur enim, ne plebs ſeditionem commoveret. Manum tamen capiti iam caneſcenti admovens, dixiſſe fertur: hac nive liquefacta, multum erit luti, ſignificans his verbis futurum, ut hymnorum diſcrepantia, poſt mortem ipſius in graviſſimam plebis ſeditionem deſineret." Taceo *Meletianos*, cum quibus THEODORETUS magnum ATHANASIUM perpetuo bellum geſſiſſe dicit, ſolitis cum plauſu manuum, & ſaltatione hymnos concinere. Scribit etiam SOZOMENUS a) APOLLINARIS ſecta-

Hæreſi 67. — *Orat. I. contra Arian. T. I. P. I. p.* 406. — *L. I. c.* 9. — *L. II. c.* 2. — *L. VIII. c.* 8. — *Var. Sac. T. II. p.* 1093. — *L. IV. hæret. fabul.*

a

a) Lib. VI. c. 25. „ In aliis quoque civitatibus ſeparatim conventus agere cœperunt ſub Epiſcopis ſuæ ſectæ, & ritibus uſi ſunt ab eccleſia catholica alienis, præter ſacros hymnos, qui in eccleſia cani ſolent, cantica quædam numeris adſtricta pſallentes, quæ ab APOLLINARE erant excogitata. Namque hic præter reliquam eruditionem poetices quoque, & omnis generis carminum gnarus, multis eiusmodi oblectamento captis, ut ipſi adhærerent, perſuaſit. Deinde viri in conviviis, & dum opus facerent; mulieres vero inter texendum cantica eius pſallebant. Etenim pro labore, atque otio, pro diebus feſtis, ac reliquis omnibus brevia quædam compoſuerat carmina, cuncta ad laudem divini nominis ſpectantia. "

ſectarios præter ſacros hymnos, qui in Eccleſia cani ſolent, cantica quædam numeris adſtricta pſallere ſolitos, quæ ab APOLLINARE erant excogitata.

Theod. Hiſt. eccl. L. IV. c. 29.
Niceph. L. IX. c. 16.

De BARDESANIS hæretici filio meminerunt THEODORETUS, & NICEPHORUS, eum in patris hæreſin abductum, cantica quædam compoſuiſſe, in quibus *modorum ſuavitati impietatem admiſcens, audientium animos demulcebat, & ad exitium pertrahebat. Pater quidem*, ut rem NICEPHORUS explicatius ediſſerit, *nominis ſui hæreſin inſtituit: filius autem*, GRÆCIS *diſciplinis ſatis eruditus, patriis vocibus legitimis modis, muſicisque numeris incluſis, ordine circulari eas cani inſtituit* (κατὰ κύκλον ᾄδειν χορȣ̃ παρεδίδȣ) *quos ex eo tempore hucuſque* SYRI *pſallentes uſurpant: non illi quidem carminibus ipſis, ſicuti ab illo ſunt prodita, ſed ſonis tantum eorum utentes. Nam ille ad patriam hæreſim delapſus, eademque cum* GRÆCIS *de animæ generatione opinatus*, LYRICIS *modulis doctrinas eiusmodi aſperſit. Quibus multi ex* SYRIS, *propter verborum venuſtatem, & ſonorum numeros demulſi, paulatim opinionibus talibus recipiendis ſunt aſſuefacti.* Legantur de hoc argumento Diſſertat. *Ern. Sal.* CYPRIANI de Propagatione hæreſium per cantilenas, & *Io. And.* SCHMIDII, de Modo propagandi religionem per carmina. De *Donatiſtis* teſtatur S. AUGUSTINUS Catholicos reprehendiſſe, quod ſobrie pſallerent, *cum ipſi ebrietates ſuas ad canticum pſalmorum, humano ingenio compoſitorum, quaſi ad tubas exhortationis inflamment.* Duo extant ad rem veteres canones, alter *Laodicenus*, alter *Carthaginenſis*. Quorum ille ita habet: *Quod non oportet privatos, & vulgares aliquos pſalmos dici in eccleſia.* Alter: *Ut preces, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſive prælationes, ſive commendationes, ſive manus impoſitiones ab omnibus celebrentur.* Quorum illud contra temeritatem APOLLINARIS eſſe putat BARONIUS. Siquidem illius Concilii epocha poſt Concilium *Nicænum*, ſub finem ſæculi quarti ſtatuatur, quamquam APOLLINARIS non *Laodiceæ Syriæ*, ubi illud Concilium habitum fuit, ſed *Phrygiæ* Epiſcopus fuerit. Alter *Carthaginenſis* canon contra *Donatiſtas* eſſe poteſt, aut Catholicorum etiam licentia hic videtur cohiberi, prout veteres canonum commentatores intellexerunt. In laudato *Laodiceno* Concilio ſtatutum eſt, ne alii, quam libri in canone recepti, in Eccleſia legerentur: quod utrumque decretum in MARTINI *Bracarenſis* capitulis eſt repetitum a). In Nomocanone huius argumenti plures citantur canones,

Ep. 55. n. 34.
Cap. 59.
Can. Afr. 103.
Ad an. Chr. 60. n. 34.

a

Quos,

a) C. 67. „Non oportet pſalmos compoſitos, & vulgares in eccleſia dicere, neque libros, qui ſunt extra canonem, legere, niſi ſolos canonicos novi & veteris Teſtamenti.“ In collectione Conciliorum *Arabica*, quæ *Oxonii* aſſervatur, ſequens legitur canonis *Laodiceni* explicatio: „Nemo legat in eccleſia alios pſalmos præter illos DAVIDIS. Nam relatum eſt ad ſacram Synodum, quosdam hæreticos alios pſalmos ſibi compoſuiſſe, præter illos, quos compoſuit DAVID Propheta, & illos in eccleſiis lectitaſſe. --- Et erant qui reciperent hos pſalmos nuper compoſitos.“ *Theodorus* BALSAMON in ſuis ad utrumque canonem commentariis, & primo ad Canonem *Laodicenum*:

Quos, quomodo, qualia canere, precari vel legere oporteat a). Quibus ad rem præſentem adiungi debet *Bracarenſis* II. Canon XII. *Ut extra pſalmos, vel canonicarum ſcripturarum novi & veteris Teſtamenti, nihil poetice compoſitum in Eccleſia pſallatur, ſicut & ſancti præcipiunt Canones.* Neſcio, an in Regula PAULI & STEPHANI apud HOLSTENIUM recte mens huius Concilii exprimatur: *Nullus præſumat reſponſoria, vel antiphonas, quæ ſolent aliqui compoſito ſono pro ſuo lubitu, & non ex canonica ſcriptura aſſumta canere, in Congregatione iſta vel meditari, vel dicere.* In Concilio *Carthaginenſi* rectius cavetur, ne aliquid niſi probatum in publicis officiis admittatur. Concilium *Turonenſe* II. nominatim, quod hymnos ſpectat, eam cautionem adhiberi vult, ne indiſcriminatim hymni, quorum auctores non deſignantur, adoptentur. *Licet hymnos* AMBROSIANOS *habeamus in Canone; tamen quoniam reliquorum ſunt aliqui, qui digni ſunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos præterea, quorum auctorum nomina fuerint in limine prænotata: quoniam quæ fide conſtiterint, dicendi ratione non obſtant.* Videntur hæc mox relatum Concilii *Bracarenſis* canonem petere, paucis ante annis habiti. Erant nihilominus deinceps adhuc, in *Hiſpania* ſaltem, quidam hac in re difficiliores, quos perſtringit Concilium IV. *Toletanum*, remque ad rectum reducit uſum in Eccleſia, ut vidimus ſemper conſuetum & probatum: deque SS. AMBROSII & HILARII hymnis nominatim agunt Patres b).

Cod. Regularum P. II. p. 78.

Can. 11. & 23.

An. 567. Can. 23.

„Hic quoque (inquit) canon veterem inordinatum morem corrigit. Quidam enim propter arrogantiam, ut videtur, in veſpertinos hymnos preces componentes, eas legebant, & cum reprehendebantur, ſe nihil abſurdum alienumque facere, nec a Patribus datas orationes diſſolvere dicebant." Et ad canonem *Carthaginenſem:* „Ut eſt veriſimile, aggrediebantur quidam Epiſcopi dicere precationes inuſitatas, vel in initiis glorificationum, vel etiam tempore manuum impoſitionis. Hoc ergo vetantes Patres dicunt, eas ſolas debere dici precationes, quæ prius conſtitutæ ſunt, ſeu quæ ſunt conſultæ." ZONARAS duos coniungit canones: in Can. 18. *Laod.* „Ut in ſupplicationibus probatæ tantummodo per ſynodum precationes, reiectis aliis novis, ab omnibus adhibeantur, *Carthaginenſis* Synodi vigeſimo tertio canone conſtitutum eſt. Idem hoc quoque canone decretum videtur, ac, ne cui ſcilicet pro arbitrio formulas precum contexere, easque in publicis conventibus recitare liceat, ſed easdem, hoc eſt, diuturna conſuetudine uſurpatas in quocunque conventu omnes retineant, definitum."

a) Videlicet Apoſtolorum ſexageſimus, & octogeſimus quintus, *Laodicenus* decimus quintus, decimus ſeptimus, decimus octavus, decimus nonus, vigeſimus tertius, quinquageſimus nonus, *Carthaginenſis* vigeſimus quartus, quadrageſimus ſextus, centeſimus tertius, Concilii ſexti trigeſimus tertius, ſexageſimus tertius, ſeptuageſimus quintus, octogeſimus primus, *Nicæni* ſecundi decimus quartus.

b) „Quos tamen (aiunt c. 13.) quidam ſpecialiter reprobant pro eo, quod de ſcripturis ſanctorum canonum, vel apoſtolica traditione non exiſtunt: reſpuant ergo & illum hymnum ab hominibus compoſitum, quem quotidie publico, privatoque officio in fine omnium pſalmorum dicimus: *Gloria & honor &c.* Nam & ille hymnus, quem nato in carne CHRISTO Angeli cecinerunt: *Gloria in excelſis &c.* reliqua, quæ ibi ſequuntur, eccleſiaſtici Doctores compoſuerunt. Ergo nec idem in eccleſiis ca-

Inde a primis Eccleſiæ temporibus a Græcis,

XXII. Si quæ igitur ex ingenio potiſſimum compoſita fuerunt, atque ad uſum ſacrum Eccleſiæ adhibita, hymnos fere nuncupavere: qui nimirum ad præſens argumentum pertinent de cantu eccleſiaſtico; quomodo a S. AUGUSTINO (*In Pſ.* 184.) hymnus definitur *Cantus cum laude DEI. Si laudes DEUM, & non cantas, non dicis hymnum. Si cantes, & non laudas DEUM, non dicis hymnum. Si laudas aliquid, quod non pertinet ad laudem DEI, etſi cantando laudes, non dicis hymnum. Hymnus ergo tria iſta habet, & canticum, & laudem, & DEI.* Aliquid adhuc ad deſcriptionem hymni addit (*Iamb.* 142.) S. GREGORIUS *Nazianzenus*:

> Ἔπαινός ἐϛιν εὖ τι ἐμῶν φράσαι
> Αἶνος δ᾽ ἔπαινος εἰς Θεὸν σεβάσμιος
> Ὁ δ᾽ ὕμνος αἶνος ἐμμελὴς, ὡς οἴομαι.
>
> Ἔπαινός *eſt, ſi quidpiam laudas mei:*
> Αἶνος *ſupremum laude ſi regem afficis.*
> *Modulata laus eſt hymnus, ut quidem arbitror,*

nempe ad divinam laudem compoſitum carmen. HOESCHELIUS in notis affert S. CHRYSOSTOMI locum μετὰ τὰς ψαλμωδίας ὕμνοι, ἅτε θειότερον πρᾶγμα. Poſt pſalmodias nimirum, hymnos opus eſſe divinius, ſeu divinis rebus agendi accommodatius. Complectitur hoc totum id, quod primis Eccleſiæ ſæculis in concinendis divinis laudibus fuit uſitatum. Ut etiam *Io. Bapt.* DONIUS (*T. I. edit. Florentinæ noviſſimæ pag.* 273.) in diſſertatione *de muſica ſacra* obſervat inter quatuor quaſi gradus, quibus cantus eccleſiaſticus apud *Latinos* proceſſerit; quorum primus pſalmorum tantum, atque hymnorum melodias continuiſſe videatur. Quod pariter de *Græcis* valet. De hymnis Eccleſiæ apoſtolicæ ſcripſit *Io. Georg.* WALCHIUS. Semper vero a prima CHRISTI ætate fuerunt, qui in hac re elaborarunt, non ſolum divinas laudes hymnis decantando, verum etiam piam in adornandis hymnis, atque ad DEI cultum in conventibus eccleſiaſticis adhibendis, navando operam, ut ex SOCRATE audivimus, S. IGNATIUM viſione ab Angelis didiciſſe διὰ τῶν ἀντιφώνων ὕμνων τὴν ἁγίαν τριάδα ὑμνȣ́ντων alternis hymnis Sacroſanctam TRINITATEM collaudantibus, ſeu ut in

nendus eſt, quia in ſcripturarum ſanctarum libris non invenitur. Componuntur ergo hymni, ſicut componuntur miſſæ, ſive preces, vel orationes, ſive commendationes, ſeu manus impoſitiones: ex quibus ſi nulla decantentur in eccleſia, vacant officia omnia eccleſiaſtica . . . Sicut igitur orationes, ita & hymnos in laudem DEI compoſitos nullus veſtrum ulterius improbet, ſed pari modo *Gallia*, *Hiſpania*que celebret: excommunicatione plectendi, qui hymnos reiicere fuerint auſi. “

in tripartita habetur: *Quomodo per antiphonas Sanctæ Trinitati dicerent* *L. X. c. 9.*
hymnos; unde conſuetudo nata ſit in Eccleſia canendi alternos hymnos ἀντιφώνους ὕμνους. Hoc aſſertum ſi accipiatur, S. IGNATIO primus hic tribuendus foret locus: eique adiungendus eſſet magnus ille HIEROTHEUS, tantopere laudatus ob ſacros compoſitos hymnos a DIONYSIO, ſi *Areopagita* foret, Apoſtolis coætaneus, qualem ſe, & HIEROTHEUM fingit, variasque etiam adducit ex ipſius hymnis ſtrophas, & prolixe commendat. *Ita*, inquit, *& inclytus noſter in ſanctis litteris inſtitutor, in amatoriis hymnis, diuinis afflatibus expoſuit, quæ profecto in memoriam revocare non indignum fuerit, & veluti ſacrum quoddam caput noſtro de amore ſermoni inſerere.* *De div. Nomin. c. 4.*
Inter hymnos contra ARTEMONEM, de quibus iam ſumus locuti, forſan connumerandum putat LE MOYNE hymnum illum matutinum, qui extat, & editus eſt ab USSERIO in diſſertatione *de Symbolis ex variis MSS. Pſalteriis Græco & Latino idiomate exaratis.* Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ κ.τ.λ. *Gloria in excelſis DEO &c.* quam doxologiam frequentiſſime in ſacra liturgia hodieque canimus. De qua plura capite proximo dicemus. Celebris etiam eſt hymnus φῶς ἱλαρὸν, de quo mox. S. IUSTINI M. ψάλτης EUSEBIO memoratur, ſed ætatem non tulit. S. CLEMENTIS *Alexandrini* Pædagogo, qui doxologia etiam clauditur, ſubiicitur ὕμνος χριστοῦ, *hymnus ad Chriſtum,* quem cum HERVETI verſione & commentario ſuo, atque *Germanica* metaphraſi edidit *Rudolphus* CAPELLUS, extatque & græce, & latine inter Poetas græcos, latinosque. *Georgio* BULLO in Defenſione fidei *Nicænæ* videtur hic hymnus deſumtus ex canticis ſacris, in primitiva Eccleſia uſurpatis, vel certe ad eorum imitationem compoſitus. Uſibus autem privatis tantum inſerviiſſe videntur hymni CLEMENTIS *Alexand. Ioanni Godof.* BAUMANN, Schediaſ. de hymnis & hymnopœis veteris & recentioris Eccleſiæ, &, quem citat, BUDDÆO in Iſag. hiſt. theol. A DU-CANGIO ANTIGENI Martyri, CLEMENTI ſynchrono, in appendice ad Gloſſarium græcum adſcribitur, cum ipſe ſe CLEMENS eius auctorem prodat his ad finem Pædagogi verbis: *Quoniam autem Pædagogus nos duxit in Eccleſiam, ipſeque ſibi ipſi, verbo inquam, quod docet, & omnia conſiderat, adiunxit, bene habuerit, ſi nos cum in hoc loco ſumus, iuſtæ gratiarum actionis mercedem, pulchræ pædagogiæ convenientem laudem Domino offeramus.* Videtur etiam DU CANGIUS nominis ſimilitudine deceptus ANTIGENEM M. pro ATHENOGENE poſuiſſe: ſicuti hunc cum ATHENAGORA confuderunt BARONIUS & TILEMONTIUS, is tamen ſuam revocavit ſententiam. Editores *San-Maurenſes* Opp. S. BASILII putant eundem eſſe, quem martyrologia ad diem 16. *Iulii* cum aliis nonnullis *Sebaſtiæ* ſub DIOCLETIANO paſſum eſſe teſtantur, atque in actis capite plexus memoratur. Verum alius inſuper eſt, cuius memoria in martyrologiis die 18. *Ianuarii*

Var. Sacr. T. II. p. 1094. *L. IV. c. 18.* *Sect. III. c. 5.* *Pag. 168.* *Voc. λυχνικόν. p. 123.* *T. III. p. 62.*

nuarii agitur, quem *Bollandiſtæ* ad 18. *Ian.* eundem ipſum eſſe credunt, qui
hymnum adſtantibus iam ad ignem feſtinans reliquerit, in quo Spiritum S.
Cap. 29. celebravit, teſte S. Basilio de Spiritu S. *Si quis*, ſonant eius verba, *etiam
novit* Athenogenis *hymnum*, *quem tanquam aliquod valedictionis munus diſcipulis ſuis reliquit feſtinans iam ad conſummationem*, *quæ facta eſt per
ignem*, *is novit & Martyrum ſententiam de Spiritu.* Ubi etiam diſtinguit
hymnum veſpertinum antiquiſſimum S. Pater, cuius auctorem ſe ignorare
dicit. Edidit iſtum laudatus Usserius diſſert. *de Symb.* incipitque φῶς ἱλα-
l. VIII. c. 36. ρόν. In Conſtitut. apoſtol. habetur προσευχὴ ἑσπερινὸς eodem pœne ſenſu &
verbis, quamque notante Fabricio hodie adhuc in uſu habet Eccleſia *Græ-
Fabr. L. V. Bibl. Gr. p. 196. ca*, & Athenogeni quidem tribuit Goarus ad *Euchologium*, & *Græci* in
horologio his verbis: *Hymnus Sancti* Athenogenis *Martyris*, *non vero*
Goar. p. 32. Sophronii, *Patriarchæ Hieroſolymitani*, *ut inepte quidam ſentiunt. Teſtis
magnus* Basilius. Certe Sophronius Patriarcha *Hieroſol.* vel ipſo Basilio
longe eſt iunior, qui hymnum illum διὰ τὴν τȢ χρονȢ ἀρχιότητα ob antiquitatem temporis in teſtimonium ſe adducere teſtatur. Moynius in *variis
Sacris* aliam proponit coniecturam, iſtum unacum matutino Δόξα ἐν ὑψίςοις
Gloria in excelſis Hippolyto *Portuenſi* tribui poſſe, cui in laterculo mar-
a moreo adſcribuntur ὡδαὶ εἰς πάσας τὰς γραφὰς a). Addit tamen aliam opinionem, odas forſan opus in Canticum canticorum eſſe, *ad quod odas &
cantica potuerit deproperare. Niſi forſan*, ſubdit, *intelligantur hymni ab*
Hippolyto *conſcripti, decantandi in honorem DEI, & Domini noſtri* Iesu
Christi. Sed utraque ſententia immenſum abit ab inſcriptione ὡδαὶ εἰς
T. I. lect. Caniſ. p. 9. πάσας τὰς γραφὰς. Indignatur Basnagius Moynio, quod absque ulla ratione mutandam duxerit vocem γραφὰς in αἱρέσεις. Ipſe tamen etiam comminiſcitur hic deſignari homilias potius, legendum ratus ὁμιλίαι loco ὡδαί,
Quas in totam ſcripturam ediderat Hippolytus, Origenis *exemplo, quem
ſæpius audierat*, *excitatus. Frequentiſſimas habuit conciones*, *quas ſæpius
laudavit* Theodoretus *in dialogis*, *quasque omiſiſſe penitus auctorem laterculi veriſimile non ſit. Legendum igitur* ὁμιλίας εἰς πάσας γραφὰς, *nec diſtinguendæ videntur illæ homiliæ a commentariis in ſcripturam*, *quas* Hippolyto *tribuunt plerique veteres.* Nihil quidem difficultatis habere hæc
T. I. P. I. p. 390. 391. lectio videtur auctoribus hiſtoriæ litterariæ *Galliarum* PP. Clement, &
Clemencet

a) „Hic Scaliger (inquit le Moyne Var. ſac. T. II. p. 1086.) quærit odas in ſacram ſcripturam. Sed neſcio cui bono odas in ſacram ſcripturam. Deinde Hippolytus varias ſcripturæ libros commentariis ſuis illuſtraverat, adeo, ut vix ſit credibile, in totam ſcripturam ſacram illum odas adhuc adornare voluiſſe. Fateor ergo ingenue, valde mihi ſuſpectum illum titulum, quem propter detritas litteras, & characteres fugientes vix potuerunt lectores acutiores aſſequi. Enimvero crediderim hic non legendum εἰς πάσας τὰς γραφὰς, ſed εἰς πάσας τὰς αἱρέσεις, *in omnes hæreſes.* Quale nimirum opus ei Eusebius, Hieronymus, & Photius attribuunt.“

Clemencet e Congr. S. Mauri : quam etſi quidem congruentem ſcriptis, ab Hippolyto editis , nihilo tamen minus ab inſcriptione alienam putant; nec abs re Basnagium inconſtantiæ arguunt, qui conſtituerat, aut omnino reiiciendam tabulam illam , aut nihil in ea immutandum. Miranturque, difficultatem necti ſine cauſa ; nihil enim obeſſe , quo minus ᾠδὰς ſeu cantica Hippolytus compoſuerit. Idem Binghamus cenſet , earum nonnullas probabiliter publici uſus fuiſſe in Eccleſia. *Nam* , inquit, *in a-* Origin. eccl.
lio tractatu de conſummatione mundi , & de antichriſto , doxologiarum , & L. XIII. c. 5.
pſalmorum , & ſpiritualium odarum uſum commendat ; idque inter ſigna antichriſti refert , ut liturgia extinguatur , pſalmorum decantatio ceſſet , nec audiatur Scripturæ lectio. Id pro comperto habendum eſſet, ſi Hippolytus auctor operis comprobaretur de Conſummatione mundi , & de antichriſto , ubi hoc commendatum eſt ſtudium : *Os veſtrum præparavi ad glorificandum , & laudandum DEUM , & pſalmos , cantionesque ſpirituales pronuntiandas , lectionisque continuam meditationem.* Apud Eusebium Noethus L. VII. c. 19.
laudatur Dionysio *Alexandrino* ab hymnis imprimis conſcriptis, qui cantari ſoliti ſint : *Nepotem* , inquit apud laudatum Eusebium, *amplector & diligo , ut pro fide, pro ſtudio in doctrina poſito, pro aſſidua in ſcripturis exercitatione. Pro nonnullis quoque , & variis pſalmis hymnisque ab eo compoſitis* καὶ τῆς πολλῆς ψαλμῳδίας , *quibus hucusque nonnulli fratres libenter utuntur.* Harmonii , Bardesanis hæretici filii , cantica ſacra erroribus conſpurcata , ut meminimus ex Theodoreto & Nicephoro , S. Ephrem *Syrus* ex ore populi removit , aliis ſubſtitutis hymnis , qui tam in DEI, quam Sanctorum laudem catholica dogmata continerent ; quique eodem Theodoreto teſte deinceps ad celebritatem etiam, hilaritatemque in feſtis SS. Martyrum ſunt adhibiti a). Inter Ephremi opera a Vossio edita extat a
hymnus ex Syriaco traductus, iſtam inſcriptionem præſeferens : *Canticum* T. I. p. 267.
ſpiritale in laudem & amorem doctrinæ & ſapientiæ. *Gregorius* Bar-Hebræus de cantu eccleſiaſtico poſt Concilium *Nicænum* in Eccleſiam inducto, lo- In Ethicis P. I. c. 5. §. 4.

a) „ Cum (ait L. IV. hiſt. c. 29.) Harmonius Bardesanis filius odas quasdam olim compoſuiſſet , & modorum ſuavitate audientes demulceret, raperetque ad exitium, ipſo modorum concentu inde aſſumto τὴν ἁρμονίαν τȣ̃ μέλȣς ἐκεῖθεν λαβὼν pietatem indidit, iucundiſſimumque ſimul & utiliſſimum audientibus medicamentum exhibuit. Quæ cantica nunc etiam triumphantium Martyrum feſta lætiora reddunt.“ Nicephorus L. IX. c. 16. „D. Ephraim ea re cognita, quamvis græcarum artium expers, Harmonii numeros moderatus eſt : atque eiusdem modulis, carminibus eccleſiaſticæ ſententiæ conſonis , adiectis, *Syris* ad ea uſque tempora canenda dedit. Nam divinos hymnos plurimos, quibus Deum imprimis celebrat, & laudes præterea virorum, qui vitæ inſtituto Deo placuere, canit, ad Harmonii carminum leges compoſuit : a quibus, ut equidem puto , per æmulationis ardorem, poſteriores eccleſiæ cantores modulorum formulas mutuati, magis etiam atque magis augere , atque propagare eas ſunt aggreſſi.“

loquens, primum ponit S. Ephrem, qui compoſuerit contra hæreſes ſui ævi hymnos & odas, ut canerentur, cui Isaacum & Dalæum itidem *Syros* iungit, qui pro argumento canticorum locos ex pſalmis Davidis ſelegerint, quos ſuo inſtituto idoneos iudicarent. Teſtaturque Sozomenus in omni genere carminis excelluiſſe Dalæum, quem Bar-Hebræus coætaneum fere facit Sancto Ephrem: additque, circa tempora Concilii *Epheſini* alios fuiſſe viros pietate illuſtres apud *Euchitas*, qui divino Spiritu abrepti, varios compoſuerint cantus. Teſte Gennadio de Viris illuſtribus: „Petrus, *Edeſſenæ* eccleſiæ Presbyter, declamator inſignis, more S. Ephrem „Diaconi pſalmos metro compoſuit." In libro carminum S. Gregorii *Nazianzeni* eſt hymnus veſpertinus, quem ad Christum precatus eſt ſub initium noctis. Itidemque ad Christum poſt ſilentium die Paſchæ. Sunt etiam inter Synesii opera hymni decem, Lyrico carminis genere. Imprimis SS. Trinitatem chriſtiano more celebrare contendit. Iudicante *Io. Erneſto* Grabio, in cæteris omnem fere *Valentinianorum* matæologiam veræ theologiæ adaptavit, ac hæretica voce orthodoxam cecinit fidem. Sozomenus refert ſingulare quidpiam de *Antiochenis*, qui ob deſtructam Theodosii ſtatuam ſibi timentes, *Quaſi mala*, ſunt eius verba, *quæ nuntiabantur iam adeſſent, gemebant omnes ac lugebant, DEUMque precabantur, ut Imperatoris animum placaret, canticis quibusdam lugubriter ad eam ſupplicationem utentibus.* Operam ipſis pientiſſimus Flavianus Epiſcopus præſtitit: neſcio an compoſitis in hunc finem hymnis? Non adeo longe ab illis temporibus Euthymius & Theoctistus remoti fuerunt, qui primi hodierni *Typici*, ſeu libri illius, quo ordo recitandi divini officii præſcribitur, auctores feruntur; quam conſtitutionem S. Sabbas monaſterio ſuo *Hieroſolymitano* tradiderit, poſtea vero, locis illis irruptione *Barbarorum* vaſtatis, deperditam S. Sophronius eiusdem civitatis Patriarcha reſtituerit, eandemque S. Ioannes *Damaſcenus* revocaverit, ſcriptoque mandatam reliquerit, uti rem narrat Simeon *Theſſalonicenſis* in Dialogo contra hæreſes. Rem vero in dubium vocat Card. Quirinus in Diatriba de eccleſiaſticorum officiorum apud *Græcos* antiquitate, ad ſæculum octavum & ſequentia *Typici* epocham reducens. In altera Diatriba Anatolio Patriarchæ locum tribuit inter melodas græcos, conſtatque ex Theodoro lectore a) Theophane & Cedreno, fuiſſe poſt medium ſæc. V. ſub *Leone* Macela, ac S. Gennadio *Cpoli* celebres duos viros in componendis *tropariis* τροπαρίων ποιητὰς, quæ vocant, Anthimum & Timoclem. Ligaridius apud Goarium τροπαρίων auctorem facit S. Ioannem *Chryſoſtomum*, ut nihil dicam de Iosepho & Nicodemo, quos Germanus Patriarcha *Cpolit.* in Theoria recenſet. Cedrenus

L. III. c. 16. — *Cap. 74.* — *Not. in Irenæum c. 7. Ed. Oxon. an. 1702.* — *L. VII. c. 23.* — *Pag. 24. &c.* — *Pag. 155.*

a) Vid. Tilm. Mem. T. XVI. p. 72. & du-Cangium V. τροπάριον.

NUS etiam THEOPHILO *Alexandrino* hic locum tribuit. Quin imo ipſemet IUSTINIANUS Imperator iuxta THEOPHANEM, & LEO *Sapiens* (ut ſuo loco dicemus) apud LAMBECIUM hic locum habent. De IUSTINIANO hæc ha- *T. V. Bibl.*
bet *Nic.* ALEMANNUS ad hiſtoriam arcanam PROCOPII : „De muſica IUSTI- *p.* 295.
„NIANI peritia THEOPHANES profert græcum *Troparium*, i. e. hymnum, „quem de CHRISTI Divinitate, & œconomia ad eccleſiaſticos modulos con„cinnavit, hodieque *Græci* canunt inter Miſſarum ſolemnia.“ LEONIS *Troparia* ἑωθινά ſeu matutina leguntur in Octoecho *Græcorum*, odarium cantanycticum memorat LAMBECIUS. *Contaciorum*, qui ſunt breviores hymni, *L. V. Bibl.*
auctorem fuiſſe ROMANUM, Diaconum *Emeſenum*, qui circa an. 500. ſub *Caſ. p.* 295.
Anaſtaſio DICORO vixit, teſtatur *Synaxarium*: unde & in rubrica *Menæi* (dicato ipſi ab Eccleſia *Græca* die celebri) ὁ τῶν κοντακίων ποιητής dicitur. Inter cantores erat ὁ ἄρχων τῶν κοντακίων, cuius munus erat, *Contacia* cantanda inchoare. Sed hæc recentioris videntur ætatis a). Nihil addo in præ- a
ſens de hymno, qui præfert nomen THEODORI *Studitæ*, qui tamen, iudice *Conr. Sam.* SCHURZFLEISCHIO *de hymnis veteris Eccleſiæ*, illius tempori non congruit, quod argumento hymni & indicio ſeptimæ eius odæ confirmetur. b) b
Præcipuos hymnodos græcos, typis æneis expreſſos, videre licet in *Typico Græcorum*, edito *Venetiis*, atque apud *Leonem* ALLATIUM recenſentur, qui etiam opus meditatus eſt de melodis *Græcorum*, quod lucem non vidit. *Nicephorus* CALIXTUS catalogum brevem hymnographorum verſibus jambicis concinnavit. Sed plerique ad mediam pertinent ætatem. Sic FABRICIUS ſubiunxit catalogum melodorum græcorum laudati ALLATII diſſertationibus de libris eccleſiaſticis *Græcorum*. Proſtat etiam *Urbani Godofredi* SIBERI Hiſtoria melodorum Eccleſiæ *Græcæ*; de quibus nos libro ſecundo plura.

XXIII. Quoad hymnographos latinos tam alte uſque ad Eccleſiæ pri- Et Latinis.
mordia aſcendere non licet, cum primis temporibus etiam *Romæ* græca

lingua

a) ACONITANUS apud GRETSERUM Comment. in CODINI c. I. κοντάκιον, inquit, non latinam vocem, ſed græcam eſſe arbitror, licet vernaculam: κοντὸν enim hodie *Græcis* eſt τὸ βραχὺ, τὸ σύντομον, ϗ συνεςαλμένον, id eſt, breve, compendiarium & contractum. Proinde a brevitate canticis eiuscemodi nomen inditum puto; non quidem quod omnium breviſſima, ſed quod inter breviſſima ſint. Huiusmodi vero nomenclatura nulli mira videatur, cum in *Græcorum* ritualibus huic ſimiles multæ reperiantur; imo vero nonnullæ voces, quæ vel latinæ omnino ſunt, vel latinis affines, & ab illis quaſi deductæ: cuiusmodi ſunt ὠράριον, μανȣάλιον, φακέλλιον & his ſimilia. Quin etiam ſi tempora & ætatem τȣ̃ ποιητȣ̃ τῶν κοντακίων ſcrutemur, nomen τȣ̃ κοντακίȣ haud inſolens videbitur: cum ROMANUS Diaconus *Emeſenus* (ut habetur in Menæis *Græcorum* menſe *Octobri* die I.) primus τῶν κοντακίων auctor & concinator ANASTASII Imp. ætate, id eſt, circa annum Domini quingenteſimum floruerit: quo tempore pene corruptus & adulteratus erat græcus ſermo, ut hoc idem nomen oſtendit, & eius ætátis locutio.“

b) Vid. BARON. ad an. 842.

lingua in monumentis eccleſiaſticis fere appareat. Sacra carmina, quæ Sancto EUGENIO, ſocio S. DIONYSII *Pariſienſis*, vulgo tribuuntur (ſunt autem oratio ad DEUM duobus & viginti hexametris conſtans, ac hymnus de Sancto DIONYSIO *Areopagita*, cuius initium: *Cœli cives plaudite*) abiudicat S. Martyri LAUNOIUS, nec quidquam adverſantibus auctoribus Hiſt. litter. *Franciæ*, qui ſæc. III. opus convenire haud cenſent. Primus, qui hic occurrit, S. HILARIUS eſt, de quo S. HIERONYMUS Præfat. in lib. Comment. ad *Gal.* „HILARIUS latinæ eloquentiæ *Rhodanus*, *Gallus* ipſe *Pictavis* genitus, in hymnorum carmine *Gallos* indociles vocat." Idem de eodem teſtatur, ſcripſiſſe librum hymnorum. Ex illis fuiſſe in Eccleſia quosdam cantari ſolitos, diſcimus ex Conc. *Tolet.* IV. An. 1480. *Pariſiis* cum commentario prodiit collectio hymnorum ſub nomine S. HILARII iterum *Rotomagi* an. 1505. impreſſa. Sed eam non eſſe S. HILARII, & forte nihil prorſus S. Doctoris continere, perſuaſos eſſe doctos, teſtantur auctores hiſtoriæ litter. *Franciæ*. Idemque iudicium ferendum cenſent de quinque hymnis, qui ſub S. HILARII nomine ad calcem pſalterii & in Collect. BARTHII reperiuntur. Fuerunt etiam, qui hymnum de S. IOANNE *Bapt. Ut queant laxis &c.* & de paſſione D. *Pange lingua glorioſi prælium certaminis &c.* S. HILARIO congruere cenſent. Sed eorum auctores indicabimus ſuis locis. Ipſe Sanctus Pater in epiſtola ad ABRAM filiam, quam contra ERASMUM, GILOTIUM, & SCULTETUM aſſerunt auctori ſuo Patres *San-Maurenſes* in operum editione anni 1693. meminit duorum hymnorum. *Interim*, inquit, *tibi hymnum matutinum & ſerotinum miſi, ut memor mei ſemper ſis. Tu vero ſi minus per ætatem hymnum & epiſtolam intellexeris, interroga matrem tuam, quæ optat, ut te moribus ſuis genuerit DEO.* Subnectitur mox in laudata editione matutinus, hoc initio: *Lucis Creator ſplendide &c.* unacum initio & fine hymni etiam veſpertini, a priore longe diverſi, & ſancto Doctore non adeo digni, ut alter, quem unum S. Doctori aſſerte tribui poſſe cenſent laudati auctores Hiſt. litter. *Franc.* Antiphonarium monaſterii *Benchorenſis* antiquiſſimum a MURATORIO in lucem editum, mox initio notat hymnum S. HILARII de CHRISTO, cuius initium eſt: *Hymnum dicat turba fidelium.* De hoc hymno ita in præfatione habet MURATORIUS: *At in hymno nunc a nobis producto maiorem fortaſſe elegantiam deſiderabunt nonnulli, ut eum S.* HILARIO *adſcribant.* Inter opuſcula S. DAMASI P. habentur carmina de variis Sanctorum feſtis Apoſtolorum & Martyrum, teſtaturque Card. THOMASIUS in *hymnario*, primum quod de S. PAULO Apoſtolo eſt, incipitque: *Iam dudum* SAULUS *procerum præcepta ſecutus*, cani ſolitum fuiſſe in eiusdem Apoſtoli Converſione. Aliud inſuper S. Pontifex in laudem S. ANDREÆ compoſuit, ut ex liturgia *Mozarabica*, a *Ioſ.* BLANCHI-

NIO

T. I. P. I. p. 416.

De Scriptor. eccleſ. c. 111.

T. I. P. II. p. 180.

Pag. 191.

T. IV. Anecd. p. 127.

Pag. 125.

NIO edita conſtat. Patres Congregationis S. MAURI operam ſedulam impenderunt in genuinis a ſpuriis ſecernendis S. AMBROSII hymnis, prout auctoritate veterum, ut puta, PAULINI, qui eius vitam ſcripſit, S. AUGUSTINI, FAUSTI *Regienſis*, CASSIODORI, ILDEPHONSI, & aliis criteriis diſcernuntur; ſuſpenſa, ubi aliquid afferti haberi nequit, ſententia e. g. de hymnis, qui
ad horas diurnas, & feriarum veſperas dicuntur a). Ex antiquiſſimo codice a
Bibl. Reginæ *Sueciæ* pauciores quidem, ſed vetuſtiores, & eos ferme, de quibus extat mentio in priſcis Eccleſiæ monumentis, THOMASIUS protulit. Quos inter cum genuinos hymnos S. AMBROSII comperiſſet, reliquos, in eo contentos, eidem Sancto Doctori adſcribere non dubitavit. Solos namque *Ambroſianos* hymnos in eo exhiberi, haud levibus de cauſis pro indubio ſumpſit. Doleneque doctiſſimos editores *Maurinos* eos latuiſſe, ut Diar.
litterat. *Ital.* a FONTANINO narratur, ſua in collectione repoſuit. Habetur *T.XXI. p.6.*
hymnarium T. VIII. Opp. THOMASII, atque ſub nomine S. AMBROSII hymni
pro nocturno & diurno officio, etiam *Tertiæ*, *Sextæ* & *Nonæ*, ponuntur. Firmio- *Pag. 69. 70.*
ra ſunt, quæ idem THOMASIUS refert antiquorum teſtimonia varia pro aſſerendis S. AMBROSIO hymnis. In edit. Opp. S. AMBROSII a GILOTIO curata *T.I. Opp. pag.*
ſedecim, in *Romanis* editionibus octodecim, in *Pariſienſibus* plures adhuc ei 222. 230.
adſcribuntur, ſed ſine ſolidis rationibus. Ipſe meminit S. AMBROSIUS *De Baſilicis*
hymnorum ſuorum, fueruntque deinceps nomine *Ambroſianorum* iam a *tradendis.*

S. BENE-

a) Primum ediderunt: *Æterne rerum conditor, noctem diemque qui Regis &c.* S. AMBROSII, teſte S. AUGUSTINO L. I. Retractat. c. 21. *Et ſane*, aiunt, *eundem hymnum ex Hexaemero L. V. c.24. deſumtum eſſe, a multis auctoribus poſt* BEDAM *de arte metr. obſervatum eſt.* Secundus hymnus:

DEUS Creator omnium,
Polique rector, veſtiens
Diem decoro lumine,
Noctem ſaporis gratia.

ab eodem AUGUSTINO L. IX. Conf. c. 12. notatur, ubi ſuum de materno exceſſu luctum memorat. Tertii quoque citatus Doctor meminit L. de Nat. & Grat. c. 63. Et inter *Ambroſianos* a Ven. BEDA loc. cit. ſimiliter refertur. Quarti: *Veni Redemptor gentium &c.* primam ſtropham in Synodo *Romana* ex *Baluziana* collectione, an. 430. celebrata, AMBROSIO adſcriptam reperimus: nec non ab ILDEPHONSO *de perpetua Virginit. B. M.* non ſemel propoſitam: quin imo eundem non modo apud CASSIODORUM in Pſ. VIII. in Concl. & in Pſ. XI. 6. ſed etiam apud FAUSTUM *Regienſem* Ep. ad G. Diac. legimus. Quintus indicatur a CASSIODORO in Pſ. LXXIV. n. 8. Sextus, ſeu fragmentum, auctoritate eiusdem CASSIODORI in Pſ. CI. AMBROSIO adſcribitur. *Sed*, inquiunt *San-Maurenſes* editores, *in eo leges carminis prorſus negliguntur, cum non tam crebro impingeret* AMBROSIUS. Septimi primus verſiculus ita memoratur apud BEDAM: *Sed & Ambroſiani eo maxime currunt: Splendor paternæ gloriæ.* Cui verſiculo ubi ſubiecit primos tres alios trium hymnorum, de quibus egimus, hoc modo proſequitur: *Et cæteri perplures, in quibus pulcherrimo eſt decore compoſitus hymnus beatorum Martyrum: Æterna Chriſti munera.* Qui eſt octavo loco. Nonum: *Somno refectis artubus.* Decimum: *Conſors paterni luminis.* Undecimum: *O lux Beata Trinitas, & principalis Unitas!* nobis indicavit HINCMARUS, *Remorum* Epiſcopus, *de non trina Trinit.* Duodecimi cognitionem debemus Beato ILDEPHONSO, qui ſemel atque iterum in ſermone *de Parturit. & Purificat. B.* MARIÆ *V.* primam eiusdem hymni ſtropham, tanquam ab AMBROSIO compoſitam, citat.

S. Benedicto notati, quos vel ipſe fecit, vel ad eius imitationem confe-
cti ſunt. Veluti de S. Gelasio P. in antiquo catalogo *Romanorum* Ponti-
De Script. ficum, quem Blanchinius edidit, habetur. *Fecit & hymnos in modum*
eccleſ. c.94. *beati* Ambrosii. Eadem verba leguntur apud Gennadium, ſed deſiderari
T.III. p.635. hunc articulum in plerisque MSS. ac editis, notant auctores Hiſtor. litter. *Gall.*
De reb° eccl. *Walafridus* Strabo refert, quod tractatus, & hymnos in morem Beati
c. 25. Ambrosii compoſuerit. Celebriores hymnographi fuerunt Paulinus *No-
lanus*, cuius *hymnarium* Gennadius memorat. *Marius* Victorinus *Afer*,
De Vir. illuſt. Vir conſularis, cuius tres extant hymni *de Trinitate.* Iuvencus, ſiquidem
c. 48. huc referri lubeat eius *Hiſt. evangel.* quam heroico carmine ſcripſit. Sic Se-
dulius hymnos compoſuit duos, unum collationem V. & N. T. alterum
p. 2366. totam Christi vitam continentem, quos Beda *de Metris* Sedulio *Scoto*
adſcripſit, qui tamen rectius antiquiori tribuuntur. His iungendi ſunt Cle-
mens *Hiſpanus* ſub Theodosio *Iuniore;* Licentius *Hipponenſis*, Augu-
stini (cuius hymnos eccleſiaſticos inter Poetas chriſtianos edidit Fabricius)
amicus. Quorum duorum hymni non habentur, aut certe a reliquis, paſ-
ſim in unum collectis, non diſtinguuntur. Nec prætereundus eſt S. Augu-
L. II. Retract. stini pſalmus contra *Donatiſtas*, de quo nos paulo ante; ipſe vero *Volens*,
c. 8. inquit, *cauſam* Donatistarum *ad ipſius humillimi vulgi & omnino imperi-
torum atque idiotarum notitiam pervenire, & eorum, quantum fieri poſſet,
per nos inhærere memoriæ, pſalmum, qui eis cantaretur, feci.* Prudentii
hymni, ex quibus aliqui ſucceſſu temporis publice in Eccleſia decantati
ſunt, continentur in peculiari libro *Periſtephanon.* Eiusdem *diverſorum*
De ſcript. ec- *hymnorum libros II.* memorat Trithemius, ſeu ut ſine diviſione inſcribitur
cleſ. c. 90. καθ' ἡμερινῶν, hoc eſt, *diurnarum rerum opus*, nempe *ad gallicinium, ad
matutinum, ante cibum, poſt cibum, ad incenſum lucernæ.* Quem Blan-
chinius *de lucerna ac cereo paſchali*, non vero de quotidiana veſpertini lu-
p. 240. minis accenſione intelligendum putat. Hic eundem etiam S. Augustino
tribuendum cenſet, qui hodieque canitur ad cereum paſchalem, ſed inter-
polatus, ſæpe in antiquiſſimis monumentis S. Augustini nomen præfe-
rens. Alius eiusdem generis inter opera Ennodii habetur. Ennodii plu-
res hymnos Sirmondus edidit. Et *Ed.* Martenius in nova collectione ve-
terum monumentorum Orontii hymnos verſibus heroicis *de Nativitate
Domini. De Trinitate. De Nominibus DEI.* In laudato antiquiſſimo anti-
phonario, a Muratorio edito, legimus etiam *Hymnum* S. Patricii, *magiſtri*
a Scotorum a). *Mamertum* Claudianum *Sidonius* Apollinaris in epita-
phio

a) De iſto Muratorius in Præfatione: „Memini autem, clariſs. Virum P. D. *Bernardum* de Montefaucon, dum olim *Mediolani* ageret, conſpecta codicis huius, ac monumenti vetuſtate, mihi oſtendenti fuiſſe gratulatum. Narrabat quippe, in *Galliis* eſſe eruditum

phio celebrat ob collectos pſalmos, hymnos, ac lectiones ſolemnibus annuis eccleſiæ *Viennenſis* in *Gallia* accommodas: *L. IV. ep.* 11.

Pſalmorum hic modulator, & phonaſcus
Ante altaria, fratre gratulante,
Inſtructas docuit ſonare claſſes.
Hic ſolemnibus annuis paravit,
Quæ quo tempore lecta convenirent.

Ab eodem collaudatur hymnus quidam illius: *Iam vero*, ad eum ipſum ſcribit, *de hymno tuo, ſi percunctere, quid ſentiam; Commatibus*, inquit, *eſt copioſus, dulcis, elatus, & quoslibet lyricos dithyrambos amœnitate poetica, & hiſtorica veritate ſupereminet.* Creditur is eſſe, qui etiamnum hodie quotannis celebratur: *L. IV. ep.* 3.

Pange lingua glorioſi
Prælium certaminis a). a

Immerito igitur inter S. FORTUNATI *Pictavienſis* poemata locum habet. Cuius tamen ſunt celebratiſſimi in Sacris noſtris hymni: *Vexilla Regis prodeunt.* Item: *Salve feſta dies &c.* Vel ſecundum alios: *Tempora florigero rutilant &c.* b) aliique, quos inter c) numerat LEYSERUS hymnum in LEONTIUM Epiſcopum, redditum *Burdegalenſi* eccleſiæ. Acroſtichis inſcribitur in *G.* FABRICII *Poet. eccl.* ed. *Baſil.* 1564. Inc. *Agnoſcat omne ſæculum Antiſtitem* LEONTIUM. Strophas habet hymnus, quarum primam littera A. ſecundam b c

quemdam, cui nata ſuſpicio fuerat, non ipſas ſolum S. PATRICII res geſtas, ſed eundem S. PATRICIUM inter fabulas *Romanenſes* eſſe amandandum: tantis nempe anilibus commentis deturpata fuerat ſancti illius Epiſcopi hiſtoria. At profecto unus hic hymnus ſatis eſſe poteſt ad confirmandam veritatem cum inſignium PATRICII operum, tum celeberrimæ famæ, quæ de S. Viro ad noſtra uſque tempora permanavit. "

a) „Adnotarat hoc loco (ſunt SIRMONDI verba T. I. p. 932.) ſcholiaſtes quidam, hymnum ſignificari, cuius initium eſt, *Pange lingua glorioſi prælium certaminis.* Et quidem ſtilum redolet cultiorem, quam FORTUNATI eſſe ſoleat; cui tamen illum tribuunt antiqui etiam Scriptores, & codices. In eum præterea ſcite cadunt omnia, quæ laudantur a SIDONIO. Scriptus eſt verſibus trochaicis, quibus inſerti aliquando pyrrichii numeri. Commaticus eſt, crebris aptisque commatiis inciſus, ſententiis non interruptis, ſed molliter cum verſu cadentibus. Deinque CLAUDIANO carmen hoc vindicat non ſolum vetus ſcholiaſtes, quem dixi, verum etiam GENNADIUS, non quidem ut editus eſt, ſed prout in codice Cœnobii S. MICHAELIS de *Tumba* vulgatis auctior in CLAUDIANI mentione legitur his verbis: *Scripſit & alia nonnulla: inter quæ & hymnum de paſſione Domini, cuius principium eſt,* Pange lingua glorioſi." Ita etiam editio *I. Al.* FABRICII *Hamburg.* 1718.

b) Vid. LEYSERI hiſt. Poetarum medii ævi p. 156.

c) Ibid. p. 152.

dam B. & ita ſequentes per univerſum latinum alphabetum litteræ inchoant. Eidem hymnos 77. tribuit TRITHEMIUS *de Script. eccl.* Quidam leguntur apud CASSANDRUM in *hymnis eccleſ.* Apud laudatum LEYSERUM vero hy-

Pag. 168. mnus: *Crux fidelis inter omnes &c.* qui tempore Paſſionis canitur. Quare merito in epitaphio a PAULO *Diacono* laudatur: *Ingenio clarus, ſenſu celer, ore ſuavis, cuius dulce melos pagina multa canit.* Hymnos S. COLUMBÆ, &

*Pag.*76. *&c.* COLUMBANI recenſet LEYSERUS. Multo plus curæ & ſtudii ineſſe veterum deprehenditur hymnis, quam poſterioribus: multo etiam plus fuit adhibitum negotii, ne promiſcue adoptarentur in ſacris noſtris præter *Ambroſianos*, ut ex Can. 23. Concil. *Turonenſ.* II. ſupra p. 73. recitato conſtat. Concilii *Toletani* IV. Canonem paulo ante retulimus, ex quo diſcimus, fuiſſe, qui & de SS. HILARII & AMBROSII hymnis adoptandis dubitaverint. Sunt etiam ex veteribus celebres Poetæ, ac hymnographi latini, quorum uſus etiamnum in officio divino obtinet; uti SEDULII, IUVENCII, PRUDENTII, VENANTII, qui honos apud *Græcos* GREGORII *Nazianzeni*, SYNESII &c. carminibus haud accidit. Idem videtur iudicium ferendum de iis, quos SIDO-

Lib. VIII. Ep. 4. NIUS ad CONSENTIUM laudat eius *citos iambos*, *elegos acutos*, *ac rotundatos hendecaſyllabos*, *& cætera carmina muſicos flores*, *thimumque redolentia*, *nunc Narbonenſibus cantitanda*, *nunc Bitterenſibus.* Et Lib. IX. Epiſt.

a XV. maximis etiam præfert Poetis a).

Epos ſed iſtud aptius paraverit
Leo, *Leonis aut ſecutus orbitas*
Cantu in latino, *cum prior ſit Attico*
Conſentiorum *qui ſuperſtes eſt patri*
Fide, *voce*, *metris*, *ad fluenta Pegaſi*
Ceciniſſe dictus omni forme canticum.

Nihil obſtantibus adverſariis.

XXIV. Inde, quod nullæ artis regulæ ac præcepta primis ſæculis quoad eccleſiaſticum cantum habeantur, eius maxima ſatis declaratur ſimplicitas; ac religio ſumma hinc patet, quod vel minima immutatio, etiam in melius facta, cenſuram evitare haud potuerit, & quidem acerrimam, cum implacabili & inexpiabili bello; veluti accidit S. BASILIO, ut ipſe rem, data ad

Ep. 207. *n.*2. *Neocæſarienſes* epiſtola, iam ſæpius laudata, exponit. *Quodſi*, inquit, *cauſam rogentur implacabilis illius*, *& inexpiabilis belli; pſalmos dicunt*, *& melodiæ modum a conſuetudine*, *quæ apud vos invaluit*, *diverſam*, *& quædam eiusmodi*,

a) Vid. *Petr.* ZORNIUS in opuſculis ſacris T. I. Diſſ. VII. ubi omnes, qui in hoc labore deſudarunt, & collectiones novas hymnorum veteris Eccleſiæ dederunt, enumerat.

modi, quorum eos par erat pudere. Incuſamur autem, quod etiam homines habeamus pietatis cultores, qui nuntium remiſerunt mundo, & omnibus ſæculi curis. Horum inter alia ſtudium celebrat his verbis: *Quorum os non loquitur opera hominum, ſed hymnos DEO noſtro concinunt continenter.* Vere dixerat talia eſſe hæc, quæ criminentur, quorum eos par erat pudere, ad religionem, & pietatem inſtituta, iamque ubique in Eccleſia recepta. *Quod autem ſpectat*, pergit, *ad pſalmodiæ criminationem, qua maxime ſimpliciores territant, iis, qui nos calumniantur, illud dicere habeo, recepta nunc inſtituta omnibus DEI Eccleſiis conſona eſſe, & conſentientia.* Nihil ergo peregrinum, nihil a moribus, & ritu alienum inſtituerat, tantum, quia videbantur non fuiſſe ſub magno GREGORIO *Thaumaturgo* inolita, ferenda minime putabant momi illi. *Sed hæc*, inquit, *non erant tempore magni* GREGORII. Neque tamen hoc concedit. *Hæc autem non fuiſſe ſub admirando* GREGORIO, *quosnam habetis teſtes?* Ita ergo ſe tuetur, ne vel rem a moribus, & conſuetudine alienam, aut inſolitum aliquid ac novum induxiſſe videri potuerit, dum fideles ſuos inſtituit de nocte conſurgere ad domum precationis, ut tandem a precatione ſurgentes, ad pſalmodiam tranſierint; nunc quidem in duas partes diviſi alternis concinentes, rurſus uni committentes, ut prior canat, reliqui ſuccinant, & ſic poſteaquam in pſalmodiæ varietate noctem traduxere, intermixtis precibus, die iam illuceſcente, omnes ſimul velut ex uno ore & uno corde pſalmum confeſſionis Domino concinant, propria ſibi unusquisque verba pœnitentiæ facientes. Quæ erat forma ſacri apud *Cæſarienſes* conventus eiusmodi, ut ſummam commendationem ab omnibus exſpectare debuerit; niſi malevoli illi, neſcio quid, in modo ac ſono vocis reperiſſent, quod vituperarent. *De vocis quidem*, inquit iam finiens, *ſono in pſalmorum cantu litigantes.* Aliud erat quod *Ariani* criminabantur in S. AMBROSIO, alte per ſuos hymnos veram fidei confeſſionem SS. TRINITATIS inſonante: fueruntque, qui infirmo quidem fundamento, celebratum illum hymnum *Te DEUM laudamus* a S. AMBROSIO indigitari ſibi in animum induxerunt. *Hymnorum meorum*, inquit, *carminibus populum deceptum volunt. Plane nec hoc abnuo. Grande carmen iſtud eſt, & quo nihil potentius, quam confeſſio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur. Certatim omnes ſtudent fidem fateri: Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum norunt verſibus prædicare.* Ex adverſo poſtmodum *Ariani Cpoli* ſub S. CHRYSOSTOMO, veluti æmulati, quod prius in S. AMBROSIO *Mediolani* carpſerunt, hymnos, ut refert SOCRATES, & antiphonas ex *Arianis* dogmatibus compoſitas, decantabant: & hoc maxima noctis parte facientes, diluculo cum ipſis antiphonis per mediam civitatem egreſſi portam, ad ſuam eccleſiam concurrebant. „Cumque hoc crebro, quaſi ad vituperationem

Ibid. n. 3.

De Baſilicis tradendis, ſeu ſerm. contra Auxentium.

L. X. hiſt. trip. L. VI. c. 8.

 „Ortho-

„ Orthodoxorum facere non ceſſarent (frequenter enim etiam hæc cantabant: „ *Ubi ſunt, qui dicunt tria virtute unum?*) tunc Ioannes, ne ſimplices huius- „ modi cantibus traherentur, inſtituit ſuum populum, ut & ipſi nocturnis „ occuparentur hymnis: quatenus & illorum obſcuraretur opus, & fidelium „ profeſſio firmaretur.“ Itaque non dubitavit pius Paſtor, antidotum errori opponere hymnorum, concentum imitando, atque veram deprædicando SS. Trinitatis confeſſionem in nocturnis etiam conventibus, uti antea SS. Athanasius, Basilius, Ambrosius, ad invidiam quidem plerumque malignorum, comprobantibus vero, & ſtudioſe conſectantibus fidelibus, ſolo tunc contra ſtrepente Vigilantio, ut iam audivimus, & poſtea neſcio, quo Hilario in *Africa*, contra quem ſcripſit S. Augustinus; liber autem hodie deſideratur, tantum ex libro II. *Retractationum* c. 11. conſtat, quid vituperarit Hilarius. Verba Sancti Doctoris iam pag. 32. retulimus. Vocabatur liber ipſe *Contra* Hilarium *&c.* incipitque: *Qui dicunt mentionem &c.* Dolendum quam maxime eſt, intercidiſſe hunc librum, unde haud dubie multa, quæ nos hodie latent, de veteri eccleſiaſtico cantu comperiremus. Libri enim, quos ſcripſit *de muſica*, in alio verſantur argumento. Et qui ſubinde eius nomine citatur *de laude ſpiritualium canticorum*, potius Nicetii videtur eſſe tractatus *de pſalmodiæ bono*, in quo omnia habentur, quæ apud Thomam *Waldenſem* citantur ex eo libro. Solum nobis ex S. Doctore conſtat variam fuiſſe conſuetudinem de hac re, ut vocat, tam utili ad movendum pie animum, & accendendum divinæ dilectionis affectum. „ Et pleraque (pergit) in *Africa* eccleſiæ membra pigriora ſunt: ita ut *Donatiſtæ* nos reprehendant, quod ſobrie pſallimus in Eccleſia divina cantica „ Prophetarum.“ Nec illud hic omittendum, quod Possidius ſub finem vitæ S. Augustini refert de dolore, quo S. Doctor conficiebatur, ob *Vandalos*, qui tunc in *Africa* graſſabantur. *Cernebat*, ſunt verba Possidii, *etiam hymnos DEI & laudes de eccleſiis deperiiſſe: ſolemnia quoque, quæ DEO debentur, de propriis locis defeciſſe: Sacrificia ac Sacramenta divina, vel non quæri, vel quærenti qui tradat, non facile reperiri.*

De orat. & cant. c. 18. 19.

Ep. 55. *ad Ian.*

Fidelibus ſtudioſe divinas laudes concinentibus, & devote audientibus.

XXV. Ex hucusque dictis diſcimus, quam vetus Eccleſia ſtudioſa fuerit in celebrandis Dei laudibus, officio etiam vocis, & cantu, ut eius quodammodo ſuavitate, & corpore, & mente, fideles detinerentur, afficerenturque. *Si voluptas eſt*, inquit Lactantius, *audire cantus & carmina, DEI laudes canere & audire iucundum ſit. Hæc eſt voluptas vera, quæ comes & ſocia virtutis eſt. Hæc eſt non caduca & brevis, ut illæ quas appetunt, qui corpori ut pecudes ſerviunt, ſed perpetua, & ſine ulla intermiſſione delectans. Vocis etiam clamor, & contentio, in divinis laudibus animi affectum depromit,* ac

Lactant. L. VI. Inſtit. c. 21.

ac commonſtrat, atque ad magnificandam, amplificandamque Numinis gloriam, & maieſtatem confert. „ Laudantes enim ipſum (ait EUSEBIUS) par eſt, non „ humiliter, nec ſine gloria id agere, ſed magno cum honore & gloria. „ Siquidem præter cognitionem DEI in mente defixam, quæ per inſtrumen- „ tum celebratur, par eſt, etiam divinis ſermonibus, laudes, & hymnos DEI „ complectentibus, cum pietate, ac veneratione primum præceptum implere. „ Quare dictum eſt, *Date gloriam laudi eius;* vel ſecundum AQUILAM, *Da-* „ *te gloriam hymnis eius;* vel ſecundum SYMMACHUM, *Conſtituite in honorem* „ *hymnum eius.*" Fuit hoc frequentatum non ſolum in publicis eccleſiaſticis conventibus, ſed privatis etiam ædibus, & ubicumque demum locorum, veluti vidimus a veteribus Doctoribus, & Paſtoribus ſæpe fideles admonitos; atque hoc modo S. CHRYSOSTOMUS non dubitat, quamvis parvam domunculam eccleſiam fieri a). Multa complectitur Sanctus Doctor, quomodo etiam Spiritu, & mente pſallere debeamus iuxta Apoſtolum. Unde mox addit: *Non hic opus eſt arte, quæ longo tempore perficitur: ſed bona tantum voluntate, & generoſo animi inſtituto opus eſt, ac brevi tempore periti evademus. Non opus eſt loco, non opus eſt tempore, ſed in omni loco, & omni tempore licet mente canere. Nam ſive in foro ambules, ſive iter ingrediaris, ſive cum amicis conſideas, licet excitare animum, licet vel tacenti clamare. Ita enim* MOSES *clamabat, & DEUS exaudiebat. Et ſi fueris artifex, poteris in officina ſedens, & operans pſallere. Et ſi miles ſis, aut ſedens in iudicio, poteris hoc ipſum facere.* Loquitur de ſtudioſa pſalmorum ruminatione, ut quorum cantum frequentem in Eccleſia, publicisque conventibus audimus, ea ſemper, & ubique mente agitemus, altius per ſuavem ſonum infixa, ut pulchre S. AMBROSIUS diſſerit. „Quæ enim (inquit) in illud pſalmi CXVIII. „ *cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ*, bene tenemus, cantare conſuevi- „ mus, & quæ melius cantantur, melius noſtris inhærent ſenſibus. Sequitur: Hy- „ mni nobis, canticum nobis, pſalmi nobis iuſtificationes Domini ſint. *Pſal-* „ *lamus ſpiritu, pſallamus & mente:* ne ſi obliti fuerimus, in tempore ne- „ ceſſitatis dicatur unicuique noſtrum: *Abiecisti ſermones meos poſt te.* Ideo- „ que ut expelleretur, & eliminaretur oblivio a domo ſancta ſua, cantores ſibi „ fecit

In Pſ. 65.

a *Ib. p.* 133 *E.*

a) „ Ubi enim (inquit pſalm. XLI. n. 2.) eſt pſalmus & oratio, & chorea Prophetarum, & pius canentium animus, non aberraverit quiſpiam, qui hunc cœtum dixerit Eccleſiam. Etiamſi vim verborum non noveris, doce interea ipſum os verba dicere. Sanctificatur enim etiam lingua per verba, quando ea dicuntur promto & alacri animo. Si nos ipſos deduxerimus ad hanc conſuetudinem, nec noſtra ſponte, nec per ſocordiam pulcrum hoc prætermittemus miniſterium, more vel invitos nos cogente hunc DEI cultum quotidie peragere. In hac modulatione, ſeu quis fuerit ſenio confectus, ſeu iuvenis, ſeu voce aſpera, ſeu omnis penitus numeri ignarus, nihil ei vitio dabitur. Quod enim hic quæritur, eſt ſobria anima, mens vigilans, cor compunctum, valida ratio, expurgata conſcientia: ſi hæc habens ingreſſus fueris in Sanctum DEI chorum, iuxta ipſum DAVID ſtare poteris. "

„ fecit Rex verus Salomon, qui toto ſpiritu inquirendæ cognitioni Divi-
„ nitatis intenderent, ne pſallentes deeſſent Eccleſiæ ſuæ, quorum cantu ne-
„ quam ſpiritus fugaretur, ſicut David Sancti docemur exemplo, quo pſal-
„ lente malus ille ſpiritus expellebatur, qui Saul Regis corda vexabat. Pro-
„ phetæ quoque ut prophetarent, pſallendi peritum iubebant pſallere, quo
„ ſuavi invitata dulcedine ſpiritualis infunderetur gratia. Et in evangelio le-
„ gimus, in domo patris illius filium recuperantis percrepuiſſe ſymphoniam,
„ qua epulantes delectabantur fideles, perfidus autem impatienter audiebat.
„ Dulcis igitur cantilena, quæ non corpus effœminat, ſed mentem, animum-
„ que confirmat.“ Idem graviter Virgini lapſæ, quod nihil hac eccleſiæ ſit mota dulci ſymphonia, exprobrat in hunc modum: *Aures tuas non penetrabat hymnorum ſpiritualium cantus.* Aliud ſe expertum confitetur S. Augustinus Deo ſuo: *Quas tibi, DEUS meus, voces dedi, cum legerem pſalmos* David, *cantica fidelia, & ſonos pietatis, excludentes turgidum ſpiritum, rudis in germano amore tuo, catechumenus in villa cum catechumeno* Alipio *feriatus, matre adhærente nobis muliebri habitu, virili fide, anili ſecuritate, materna charitate, chriſtiana pietate? Quas tibi voces dabam in pſalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & incendebar eos recitare, ſi poſſem, toto orbe terrarum, adverſus typhum generis humani? Et tamen toto orbe cantantur, & non eſt qui ſe abſcondat a calore tuo. Quam vehementi & acri dolore indignabar* Manichæis, *& miſerabar eos rurſus, quod illa Sacramenta, illa medicamenta neſcirent: & inſani eſſent adverſus antidotum, quo ſani eſſe potuiſſent.* Nimirum *Manichæi*, vetus reſpuentes Teſtamentum, caruerunt deliciis pſalmorum, pietatis & affectus ſinceri in Deum incentivis, ſuavi præſertim Eccleſiæ cantu, ut ſenſerat S. Augustinus, cum non pridem tunc in eccleſia *Mediolanenſi* cœpiſſet genus hoc, ut vocat, conſolationis, & exhortationis celebrari, magno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cordibus. *Quantum*, ait, *flevi in hymnis & canticis tuis, ſuave ſonantis eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & exæſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Idem de S. Hilario *Arelatenſi* narratur, quantas lacrymas inter pſalmorum cantum profuderit, maxime quando cum harmonia canerentur. Iſte igitur finis & fructus eſt, eſſeque debet cantus ſacri ac pſalmodiæ, ut ſuaviter mentem afficiendo erga Deum moveat. Quomodo autem id factum, curatumque fuerit, poſtea videbimus, eſtque hic principalis operis huius ſcopus, ac finis piis omnibus ſemper propoſitus, fidelibus ſumme proficuus, atque delectatio ſalutaris, precibus noſtris pie coniuncta, aliisque in conventu ſacro pietatis exercitiis copulata. *Quid hac*, ut cum Nicetio loquar, *utilitate commodius,*

L. IX. Conf. n. 8.

Ib. n. 15.

n. 14.

De bono Pſ. c. 2.

modius, quid hac delectatione iucundius, quia & pſalmis delectamur, & orationibus irrigamur, & interpoſitis lectionibus paſcimur? Et vere ſicut boni convivæ ferculorum varietate delectantur, ita noſtræ animæ multiplici lectione, & hymnorum exhibitione ſaginantur.

XXVI. Mirum igitur haud eſt, ſi pii quique, præceptis & traditioni apoſtolicæ intenti, ſedulo hanc rem curarint in inſtituendo, ornando, aut reſtituendo cantu eccleſiaſtico, ringentibus malignis, collaudantibus vero bonis quibusque. Quos inter (ne quid de CLEMENTE *Alex.* dicam, qui Gnoſticum ſuum proſequi vult ex muſica proportionem, quæ eſt in iis, quæ ſunt coniuncta, & compoſita) in præcipuis orbis chriſtiani partibus plures laudavimus, *Antiochiæ* S. IGNATIUM, aut poſtea DIODORUM, & FLAVIANUM, *Alexandriæ* S. ATHANASIUM, *Cæſareæ* S. BASILIUM, nec longe illinc *Edeſſæ* S. EPHREM, qui nos in libro *de Pœnitentia* hortatur: *Feſtivitates noſtras coronemus in pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus.* Cui etiam THEODORETUS, & NICEPHORUS laudem tribuunt inſtitutæ harmonicæ modulationis, *Quod*, ut ait Cardinalis BONA, *vel antiquum cantum in aliqua particulari eccleſia inſtituerit, vel canendi methodum, & notulas intervallorum, ac vocum indices aliqua faciliori ratione innovaverit.* Quod poſterius optandum, ut ad præſentis argumenti illuſtrationem idoneis documentis aſſertum foret. Quod vero ad inſtitutionem cantus in *Edeſſena* eccleſia ſpectat, eo intelligi poteſt, quomodo illis ipſis temporibus idem paſſim factum ex dictis conſtat, quoad modum videlicet aliquem, aut tempus, præſertim nocturnarum vigiliarum, aut etiam populi conſonantiam. Sicuti de S. BASILIO ex celebri ad *Neocæſarienſes* epiſtola liquet, quemadmodum inſtituerit, ut in pſalmodiæ varietate populus noctem traduceret intermixtis precibus. S. CHRYSOSTOMUM etiam apud PHOTIUM THEODORETUS laudat, quod apud populum cantum pſalmorum inſtituerit; teſtaturque, univerſalem eſſe uſum in Eccleſia cantandi pſalmos DAVID. Eiusdem de cantu a S. PUBLIO in matutinis, & veſpertinis conventibus Monachorum inſtituto, iam laudavimus teſtimonium. Prolixe S. CHRYSOSTOMUS adhuc *Antiochiæ* ad populum verba faciens, Monachorum diu noctuque in decantandis pſalmis, & hymnis ſpiritualibus ſtudium, atque frequentiam collaudat, vocatque *cantica commoda, & in DEUM charitate plena.* Et DAVIDICA *cantica, multos moventia fontes lacrimarum.* In Occidente auctor *de Curſibus eccleſiaſticis* apud MABILLONIUM, quartum ponit, quem *Beatus* AMBROSIUS *propter hæreticorum ordinem diſſimilem compoſuit*, & quidem alium, quam qui *in* ITALIA *antea decantabatur. Ex quo*, addit MABILLONIUS, BELLARMINI *ſententia confirmatur, aſſerentis contra quorumdam aliorum opi-*

Paſtoribus promovere ſtudentibus.

Cap. 2.

Th. hiſt. eccl. L. IV. c. 19. Nic. L. IX. c. 19.

Bona de div. Pſ. c. 17. §. 3.

Cod. 273.

Quæſt. 43. in 2. Lib. Reg.

Hom. 59. ad pop. Antioch.

De curſu Gall. §. 1. n. 3.

L. c. p. 381.

nationem, Ambrosium *pſalmodiæ in occidentalibus eccleſiis primum inſtitutorem non fuiſſe*, *quod ex* Augustini *Confeſſionibus illi colligebant*: *ſed id tantum curaſſe*, *ut ſecundum morem Patrum orientalium pſalmi atque hymni a populo etiam canerentur*: *cum antea a ſingulis ſinguli*, *vel certe a ſolis Clericis apud* Italos *recitati fuiſſent.* Lectoris oculis ſubiiciendus eſt S. Augustini locus, ut inde iudicium ferre poſſit, idem a S. Ambrosio *Mediolani* factum eſſe, quod in Oriente pleroſque eo ſæculo feciſſe memoravi, ut in nocturnis vigiliis populi concentus celebraretur: „ Non longe (inquit) „ cœperat *Mediolanenſis* eccleſia genus hoc conſolationis & exhortationis celebrare magno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Iustina, Valentiniani „ regis pueri mater hominem tuum Ambrosium perſequeretur hæreſis ſuæ „ cauſa, qua fuerat ſeducta ab *Arianis.* Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo, ſervo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, ſolicitudinis & vigiliarum primas tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc „ frigidi a calore ſpiritus tui, excitabamur tamen civitate attonita atque „ turbata. Tum hymni & pſalmi ut canerentur ſecundum morem orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt; „ & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac pene omnibus gregibus „ tuis, & per cetera orbis imitantibus.“ Ex eodem S. Augustino liquet, ſuo ævo morem *Carthagine* cœptum, dicendi ad altare hymnos de pſalmorum libro, ſive ante oblationem, ſive cum oblata populo diſtribuerentur. Videtur Mabillonio, & ex illis, quæ in ſuperioribus paſſim ex S. Augustino attulimus, coniici poteſt, duobus modis in *Africa* pſalmos fuiſſe pronuntiatos, nempe vel cantando ad Deum laudandum, vel alta voce proferendo ad pſalmum auſcultandum. Primus modus alternis choris fiebat, ſecundus per ſolum lectorem. Cum ſecundus modus fuerit inolitus, primus ex imitatione S. Ambrosii inductus fuiſſe videtur, condicto etiam in canendi partes populo. Niſi, concentum populi iam antea in *Africa* obtinuiſſe, ex Optato *Milevitano* concludere quis velit, inceſſente *Donatiſtas*, apud ſe ſolos Eccleſiam eſſe iactantes, cum prædictum ſit, ut pſalmis & hymnis in omni terra, & ab ortu ſolis uſque ad occaſum Deus laudaretur. *Fraudatis*, inter alia ait, *laudes DEI*, *ſi vos ſoli laudatis, totus tacebit orbis*, *qui eſt ab ortu ſolis uſque ad occaſum. Clauſiſtis ora omnium chriſtianarum gentium*: *indixiſtis ſilentium populis univerſis*, *DEUM per momenta laudare cupientibus.* Adhuc memorandus eſt S. Augustini diſcipulus S. Fulgentius, de quo in eius Vita Ferrandus Diaconus ſic ſcribit: *Summam quoque diligentiam præbuit*, *ne quis Clericus negotiis ſæcularibus occupatus ab officio eccleſiaſtico diutius vacaret*, *iubens*, *omnes non longe ab eccle-*

L. IX. Conf. c. 7. — *L. II. Retract. c. 11.* — *De curſu Gall. §. I. n. 15.* — *L. II.* — *Cap. 19.*

eccleſia domos habere, manibus propriis hortum colere, pſallendique ſuaviter ac pronuntiandi curam maximam habere. DAMASUM *Romæ* inſtituiſſe, ut die noctuque canerentur pſalmi, non liquet. Negat BARONIUS, primam fuiſſe a DAMASO factam inſtitutionem, cum conſtet ab initio viguiſſe in Ecſia cum cantu diurnam, nocturnamque pſalmodiam: ſed fortaſſe aliqua forma a DAMASO præſcripta, vel emendatum ſolum a S. HIERONYMO pſalterium *Septuag. Intt.* canendum eccleſiis occidentalibus traditum eſt. In antiquiſſimo MS. *San-Gallenſi* 900. circiter annorum, aliorum etiam Pontificum poſt DAMASUM ſtudia laudantur circa cantum ordinandum. S. LEONIS nempe, GELASII, SYMMACHI, IOANNIS, BONIFACII &c. a) Monumenta quidem vetera hic deficiunt, ut hæc clariore luce donemus, quid ſinguli hi, aliique Pontifices antiquiores, in adornando eccleſiaſtico cantu præſtiterint. Iam ſupra p. 36. retulimus auctoritatem ONUPHRII; atque *Dominicus* MANSI PETRUM *Urbevetanum* citat pro S. SILVESTRO P. Sæc. IV. cantus *Romæ* inſtauratore. ANASTASIUS vulgatus HILARIUM P. poſt medium Sæc. V. Ex S. LEONIS colligimus ſermone in Cathedra S. PETRI, ſuaviter modulantium ſymphonias illic reſonaſſe in feſtis: *Hinc itaque,* inquit, *ſolemnitatem noſtram, ut ita dixerim, dilectiſſimi, duplici, ut dignum eſt, iucunditate colamus; & non modo exterius, ſed etiam interius, pleno animi deſiderio celebremus. Hinc ergo ſuaviter modulantium ſymphoniæ reſonent; illinc concordes animorum motus concordent.* *Conſtantinus*-CAIETANUS in notis ad vitam GELASII II. primordia cantus Romanæ Eccleſiæ a Monachis *Benedictinis* repetit, cuius rei S. BENEDICTUS auctor fuerit HORMISDÆ P. De inſtituendis vero *Romæ* cantorum ſcholis, altera prope *Lateranum*, altera prope *Vaticanum*, conſilium cœpiſſe HILARIUM, in quibus Clericos *Baſilicarios* Monachi erudierint ad cantus inſtituta, ut ſtatis in Eccleſia diebus feſtis per annum recurrentibus divinas laudes rite perſolverent b). Refertque ANASTASII Bibliothecarii de HORMISDA

Della diſciplina del Canto eccleſ. p. 13.

a) „ Beatus DAMASUS Papa adiuvante ſancto HIERONIMO Presbitero vel ordinem eccleſiaſticum diſcriptum de *Hieruſalem* a præmiſſo ſancto ipſi DAMASO transmittente inſtituit, & ordinavit. Poſt hunc beatiſſimus LEO Papa annalem cantum omnem inſtituit, atque opuſcula in canonica inſtitutione lucolentiſſima edidit, quam ſi quis ea usque ad unum iota non reciperit, vel veneraverit, anathema ſit. Deinde beatus GELASIUS Papa ſimiliter omnem annalem cantum ſeu & decretalia canonum honeſte, atque diligentiſſime facto, in Sede beati PETRI Apoſtoli convento Sacerdotum plurimum conſcripſit. Poſt hunc SIMMACHUS Papa ſimiliter & ipſe annalem ſuum cantum ededit. Iterum poſt hunc IOANNIS Papa ſimiliter & ipſe annum circoli cantum vel omni ordine conſcripſit. Poſt hunc BONIFACIUS Papa, qui inſpirante Sancto Spiritu & regolam conſcripſit, & cantilena anni circoli ordinavit. Poſt hos quoque beatus GREGORIUS &c." Quæ ſuo loco referemus.

b) „ Divinas igitur (ait inter alia) laudes, & litterarum ſtudia, hi ſanctiſſimi Pontifices, iniuriis temporum coacti, non ea, qua par erat, celebritate cantabant, vel in academiis ſiſtebant; donec Omnipotentis DEI fulmen, & tonitru BENEDICTUS HORMISDÆ Pontifici Maximo inclamavit, ut intrepide miniſtros in eccleſia choros collocaret, ſacris præditos litteris, qui diu noctuque apte digneque ad altaria hymnos, pſalmos, & cantica Conditori, ac Redemptori noſtro, invitis quibuscunque terrenis, aut infernis poteſtatibus, perſonarent."

MISDA teſtimonium, quod Clerum compoſuerit, & pſalmis erudiverit. Monachos ad id adſcitos ab HORMISDA vult laudatus CAIETANUS. Cui conſentit *Angelus de* NUCE in notis ad chronicon *Caſinenſe;* ſed hoc de S. BENEDICTO aliter vix conſtare poteſt, niſi ſi quid forte, eius erga rem divinam ſtudium imitandi cauſa, ad celebritatem officii divini *Romæ* aut alibi aſſumtum eſt: cum BENEDICTUM *Romam* rediiſſe, poſtquam mundo renunciavit, nullis probatis auctoribus ſciamus. In præfatione editi *Romæ* 1754. veteris Miſſalis *Romani* monaſtici *Lateranenſis*, ut quidem inſcribitur, ex hiſtoria PANVINII Baſilicæ *Lateranenſis*, quæ manuſcripta ſervantur in eiusdem Baſilicæ archivo, refertur ſub IOANNE III. fugientes ex diruto a *Longobardis* monaſterio *Caſinenſi, Romæ* ſuſceptos Monachos iuxta *Lateranenſem* Baſilicam monaſterium conſtruxiſſe ſub titulo SS. IOANNIS *Baptiſtæ*, *Evangeliſtæ*, & PANCRATII, ubi per centum & triginta annos, quoad *Caſinenſe* monaſterium dirutum permanſit, perſtiterint, & laicorum loco in *Lateranenſi* Baſilica ſacras horas, & pſalmos canere cœperint, canonicis tantum ſacra in ea facientibus, & Sacramenta adminiſtrantibus. Sed rectius a MABILLONIO ad an. circiter 580. ſub PELAGIO II. hæc referuntur. Redeuntibus poſtea *Caſinum* Monachis iſtis, GREGORIUS III. ad eundem finem alios iterum conſtituit *Ad perſolvenda quotidie ſacra officia laudis divinæ in Baſilica Salvatoris Domini noſtri IESU Chriſti, quæ* CONSTANTINIANA *nuncupatur, iuxta Lateranas, diurnis nocturnisque temporibus ordinata, iuxta inſtar officiorum beati* PETRI *Apoſtoli,* uti in vita huius Pontificis refertur. Alterum monaſterium SS. ANDREÆ, & BARTHOLOMÆI ab HONORIO P. iuxta PANVINIUM conditum, & ab ADRIANO I. in priſtinum ſplendorem reſtitutum fuit, ut eiusdem monaſterii Monachi in Baſilica Salvatoris alternis choris cum Monachis alterius monaſterii S. PANCRATII DEO pſallerent. „ Ab uno quidem (ut „ ANASTASIUS, ſeu alius auctor in Vita HADRIANI I. loquitur) qui dudum „ ſingulariter in utroque pſallebant Monachi ex monaſterio S. PANCRATII „ ibidem poſito, & ab alterno choro Monachi iam fati monaſterii SS. „ ANDREÆ & BARTHOLOMÆI HONORII Papæ, quatenus piis laudibus pariter „ pſallentes hymniferis choris læti reſonent cantus, reddentes Domino glo„ rioſum melos.“ Tertium monaſterium fuit SS. SERGII, & BACCHI, in quo præter Monachos degebant etiam ſacræ Virgines, quod cum PASCHALIS I. anno 817. adeo rebus omnibus deſtitutum reperiiſſet, ut ſacræ Virgines, quæ in monaſterio remanſerant, ſacras Deo laudes ob inopiam non amplius perſolverent, Monachos aliunde accerſivit, voluitque, ut ſacros hymnos ac pſalmos in Baſilica *Lateranenſi* nocte dieque decantarent. *Quatenus*, ut in laudati Pontificis vita habetur, *ipſa congregatio reſidens, omni neceſſitate poſtpoſita, ſoli DEO, Sanctisque eius, laudes, & hymnos nocte dieque*

L. IV. c. 37.

Annal. Lib. VII. n. 1. an. 585.

dieque modulanter in venerabili eccleſia Salvatoris Domini noſtri IESU Chriſti, ſita iuxta Lateranas, decantaret. Hæc ex occaſione eorum referenda hic duxi, quæ *Conſtantinus* CAIETANUS, & *Angelus de* NUCE de inſtituto *Romæ*, ſuaſu S. BENEDICTI, cantu canonico aſſeruerunt. Aliunde vero, dudum antea in *Italia* pariter, ac in *Gallia* cantum floruiſſe eccleſiaſticum, certum eſt. Inſigne, præter iam paſſim relata, in eam rem eſt S. PAULINI teſtimonium *In natali IX. S.* FELICIS, ubi NICETAM *Dacorum*, & *Getarum* Apoſtolum, & Epiſcopum, qui *Nolam* ad D. FELICIS reliquias peregrinatum venerat, ita alloquitur:

Ingredere hæc, pſalmis recinens Antiſtes, & hymnis;
Et mea vota refer Domino, & tua gaudia votis
Iunge meis, celebrans communis feſta Patroni.
Hora opportuna pro peccatore rogabis,
Gaudentem Dominum te Confeſſoris honore.
Hoc duce, proclivi tua tramite vota ferentur.
FELIX *divinas tibi prævius ibit ad aures,*
Teque ſacris pſalmis, ſimul & devota litante
Obſequia, placido deſcendet Numine CHRISTUS,
Ut populum templumque ſacra caligine velet,
Infundens niveam per operta ſacraria nubem.

Eiusdem S. PAULINI luculentum extat teſtimonium de eccleſiis, & monaſteriis *Galliæ*, in epiſtola ad VICTRICIUM *Rotomagenſem*, de ipſa illa urbe *Rotomago*: *Ubi*, inquit, *quotidiano ſapienter pſallentium per frequentes eccleſias, & monaſteria ſecreta concentu, caſtiſsimis ovium tuarum & cordibus delectantur & vocibus. Sidonii* APOLLINARIS iam attulimus verſus de *Mamerto* CLAUDIANO, pſalmorum modulatore & *Phonaſco*, qui ante altaria, fratre gratulante, inſtructas docuerit ſonare claſſes. Qui nimirum ipſe Clericos in cantu pſalmorum inſtruebat, officium divinum ordinaverat, atque lectiones etiam per feſta anni. In *Gallia* vixit circa ea tempora NICETIUS Epiſcopus, cuius extant tractatus duo: alter: *de bono pſalmodiæ*, alter *de vigiliis ſervorum DEI.* De S. CÆSARIO poſtea videbimus. Utrique idem fuit ſtudium, populum cum ad pſalmodiæ conſociationem, tum vigilias advocandi. Quas a quibusdam reprehendi innuit NICETIUS: *Sed a fide catholica & religione alieni ſunt*, inquit.

L. IV. ep. II.

De Vigiliis ſervorum Dei. c. 2.

CAPUT II.

Quænam prima Eccleſiæ ætate in Sacrificio Miſſæ cantari conſueverint.

I.

Semper aliqua in Miſſa fuerunt cantata.

Quin ſacra Miſſæ liturgia, tremendum inquam Sacrificium, præcipua quadam celebritate ſemper peractum ſit in Eccleſia chriſtiana, quis ambigat? At, quibus rebus perfecta ſit iſta celebritas inde ab Eccleſiæ incunabulis ſub ſtatu Eccleſiæ preſſæ, non adeo perſpicuum eſt. Pauciſſimis conſtitiſſe, quin imo ad ſolam orationem dominicam liturgia transacta memoratur. *Cum*, ait AMALARIUS, *ſatis eſſet*, *ſine cantoribus*, *& lectoribus*, *& cæteris*, *quæ ibi aguntur*, *ſola benedictio Epiſcoporum*, *aut Presbyterorum*, *ad benedicendum panem & vinum*, *quo reficeretur populus ad animarum ſalutem*: *ſicut primævis temporibus fiebat apud Apoſtolos.* Paulo plus, conſcriptis nempe iam ſacris paginis novi Teſtamenti, *Rhabanus* MAURUS concedit. *Sed enim*, inquit, *in initio mos iſte cantandi non erat*, *qui nunc in Eccleſia ante Sacrificium celebratur*, *ſed tamen epiſtolæ* PAULI *recitabantur*, *& ſanctum evangelium.* Quodſi tamen auctori de traditione divinæ Miſſæ, quæ ſub nomine S. PROCLI Sæc. V. Ep. *Cpolitani* proſtat, credimus, ipſique S. CRYSOSTOMO amplior tunc longe, quam poſtea fuit hæc ſacroſancta liturgiæ actio, decantatioque a).

L. III. de Off. c. 1.

De Inſtitut. Cleric. c. 32.

a

Apud

a) „Etenim (ait) poſtquam Servator noſter in cœlum aſſumptus eſt, Apoſtoli priusquam per omnem terram diſpergerentur, conſpirantibus animis convenientes ad toto die orandum convertebantur: & cum multam conſolationem in myſtico illo dominici Corporis Sacrificio poſitam inveniſſent, fuſiſſime, & longa oratione Miſſam decantabant, hæc enim divina ſacra unacum docendi ratione coniuncta cæteris rebus anteponenda exiſtimabant. Atque maiori & alacriori rerum divinarum & Sacrificii ſacroſancti ſtudio & deſiderio flagrabant, & illud obnixe amplectebantur, quod in memoria ſemper haberent verbum illud Domini dicentis: *Hoc eſt Corpus meum*, &: *Hoc facite in meam commemorationem*, Et: *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem*, *in me manet*, *& ego in eo.* Quare & contrito Spiritu multas preces decantabant, divinum Numen impenſe orantes: quin etiam eos, qui ex *Iudæis* ac *Gentilibus* recenter illuſtrati erant, ad religionem DEI & pietatem erudiebant, docebantque, veteri doctrina relicta ſacris illis & pietate plenis Miſſæ myſteriis ſenſus ſuos, & mentem imbuere. Per has igitur preces Spiritus Sancti adventum exſpectabant, ut eius divina præſentia propoſitum in Sacrificium panem, & vinum aquæ permixtum, ipſum illud Corpus & Sanguinem Servatoris noſtri IESU CHRISTI efficiat. Qui quidem religioſus ritus obſervatur ad hoc uſque tempus, & ad finem

Apud DIONYSIUM ſingularis habetur phraſis ἐπακȣ́ειν εὐχαριςίας. Vocis ἐπακȣ́ειν notionem explicavimus ſuperiore capite, tractantes de cantu reſponſorio, ſuccentu ac reſponſionibus populi, quo accipienda eſt DIONYSII locutio, non de auditione Miſſæ. Illo ſenſu familiaris S. IUSTINO Martyri eſt vox ἐπευφημεῖν *acclamare*, ac *ſecunda reſpondere voce*, ubi in Apologia II. ad ANTONINUM *Pium* deſcriptionem luculentam ſacræ liturgiæ facit; primoque occurrunt *Communes preces & pro nobiſmetipſis, & pro eo, qui illuminatus eſt, & pro aliis ubique omnibus intento animo.... Invicem oſculo ſalutamus, ubi deſiimus precari. Deinde ei, qui fratribus præeſt, panis affertur, & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis laudem & gloriam univerſorum parenti per nomen Filii, & Spiritus Sancti emittit, & Euchariſtiam, ſive gratiarum actionem pro his ab illo acceptis donis prolixe exſequitur. Poſtquam preces & Euchariſtiam abſolvit, populus omnis acclamat* AMEN. AMEN *autem hebræa lingua idem valet ac fiat. Poſtquam vero is, qui præeſt, preces abſolvit, & populus omnis acclamavit &c.* Vides hic precibus abſolutis emitti prolixam gratiarum actionem, ad quam populus acclamavit *Amen.* Quod paulo poſt adhuc articulatius proſequitur, quomodo in omnibus oblationibus divina laus fuerit peracta, atque poſt lectiones ſacras exhortationemque, poſtque communes preces, gratiarum actionem emiſerit, populo acclamante *Amen.* Quæ vocis contentio, totis viribus emiſſa, populique acclamatio a precibus ipſis diſtincta, ſi non articulatum cantum, plus tamen aliquid, quam ſolam vocalem orationem deſignat: quandoquidem a ſimplici prece expreſſe S. Martyr diſtinguit. In liturgia, quæ libro VIII. *Conſtitutionum apoſtolicarum* inſerta legitur, his ſimillima articulatim exponuntur, quæ hic ſummatim indicantur. Idque etiam ſingulare notatur pro illis difficillimis Eccleſiæ temporibus, quibus vix publicos conventus habere licuit: *Si neque in domo neque in Eccleſia congregatio poteſt agitari; unusquisque apud ſe pſallat, legat, precetur; vel duo aut tres ſimul.* Ubi eadem tria diſtinguuntur officia pſallendi, legendi, precandi. Facile vero quisque largiatur tunc preſſam Eccleſiam, etſi nihil reſidui fecerit, quod ad celebritatem tanti myſterii pertinuit, non potuiſſe tamen eodem, quo deinceps ornatu, apparatuque rem peragere; neque eam canendi rationem adhibuiſſe, quæ deinceps ſemper magis invaluit. „Non „inficior (ſunt verba *Antonii* BELLOTE) olim confuſe, & quaſi in chorea „cantari ſolitum; imo & Miſſam forte ſine cantu celebratam. Scimus enim, „cantatæ

Apol. I. n. 65.

Num. 67.

L. VIII. Conſt. apoſt. c. 34.

In vit. laudum. p. 66.

uſque ſæculi florebit. At poſteri abiecta fidei firmitate, & fervore negotiis huiuſce mancipati, & immerſi, Miſſæ longitudinem (ut dixi) pertæſi, vix conveniebant ad audienda Domini verba. “ S. CHRYSOST. hom. 27. in 1. ad *Cor.* „Cum ſacras (inquit) illas cœnas Apoſtoli accipiebant, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur, & hymnos? Nonne in ſanctas vigilias? Nonne in longam illam doctrinam, & multæ plenam philoſophiæ. “

„ cantatæ ſeu cantandæ Miſſæ nomen dupliciter ſumi poſſe; aut enim ſi-
„ gnificat omne genus Miſſæ, quod apparatiſſima pompa conficitur, velut id,
„ cui Diaconi, ac reliqui Clericorum Ordines inſerviunt; aut ſignat aliquando
„ eam liturgiam, quam cum Sacerdote cantores muſico concentu alternant:
„ priori modo ſumpta Miſſa cantata ipſis Apoſtolorum temporibus receptiſſima
„ fuit, quod declarant non modo Dionysius *Areopagita*, ſed etiam Iaco-
„ bus, & Marcus, cæterique liturgiarum ſcriptores; quorum ille libro *de*
„ *eccleſiaſtica Hierarchia*; hi in Miſſis a ſe exaratis Diaconorum & reliquorum
„ eccleſiaſtici Ordinis virorum Sacerdoti inſervientium pluribus locis memi-
„ nerunt, ut legentibus patet. “ Cum enim tunc temporis in Chriſtianos
tyrannorum ira debacharetur, cantu facile prodi potuiſſent fideles, & ad
necem rapi, conventus publicos agentes. „ Quod nunc agimus (inquit
De rebus ec- „ *Walafridus* Strabo) multiplici orationum, lectionum, cantilenarum, &
cleſiaſt. c. 22. „ conſecrationum officio, totum hoc Apoſtoli, & poſt ipſos proximi (ut
„ creditur) orationibus & commemoratione Paſſionis Dominicæ, ſicut ipſe
„ præcepit, agebant ſimpliciter: unde circa domos, ſecundum ſuperius com-
„ memorata teſtimonia, frangebant panem. Quod etiam alia ſententia Lucas
„ declarat dicens: *Una autem Sabbati, cum conveniſſemus ad frangendum*
„ *panem*, & reliqua. Et relatio maiorum eſt, ita primis temporibus miſſas
„ fieri ſolitas, ſicut modo in Paraſceve Paſchæ ..... Proficiente dehinc
„ religione amplius aucta ſunt a Christi cultoribus officia Miſſarum. “
Tertullianus tamen in libro *de Oratione* iam ſæculi ſecundi nobis diſci-
plinam deſcribens, liturgiam ſcilicet Chriſtianorum, *Orationem DEI propriam,*
& acceptabilem, quam ſcilicet requiſivit, quam ſibi proſpexit, ſubdit: *Hanc*
de toto corde devotam, fide paſtam, veritate curatam, innocentia integram,
caſtitate mundam, Agape coronatam, cum pompa operum bonorum inter pſal-
mos & hymnos deducere ad DEI Altare debemus. Id etiam in comperto eſt,
frequentes fuiſſe populi reſponſiones, & acclamationes, ex liturgiis veteribus
omnibus, quæ licet ad nos, non ea, qua primum erant ſimplicitate, de-
latæ fuerint, in hoc tamen conveniunt omnes: & poſtquam rubricæ ad Or-
dinem miniſterii ſacri adiungi cœperunt, paſſim tum Sacerdotis, & miniſtro-
rum, cum populi προσφώνησιν ac vocis exaltationem, cantumque præſcri-
bunt. Veluti in liturgia S. Iacobi, quæ convenit cum ea, qualis apud S.
Catech. 23. Cyrillum *Hieroſolymitanum* Sæc. IV. deſcribitur. Ubi expreſſe memorat
n. 20. *Vocem pſallentis divina quadam melodia.* Idque accuratius in Eccleſia *Græca*
uſque ad hodiernum diem ſervatur apud orientales, ut nunquam ſine cantu
ſacram peragant liturgiam, quemadmodum a Renaudotio eſt obſervatum,
qui varias edidit orientales liturgias. Quas inter communiter receptæ ſunt
SS. Basilii, & Chrysostomi; Miſſa etiam præſanctificatorum, quæ iuxta

Can. 25.

Can. 52. *Trullanum* in omnibus ſanctæ quadrageſimæ ieiunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & ſancto Annuntiationis die, fit, a SOCRATE iam deſcripta. *Et leguntur ſcripturæ, & Doctores eas interpretantur, &* *Lib. V. c. 22.* *omnia, quæ ad ſynaxin ſpectant, adminiſtrantur præter myſteriorum conſecrationem.* Singulæ hæ habentur in Euchologio *Græcorum*, ac paſſim in manuſcriptis, cuiusmodi in Bibliotheca *Barberina* vidi liturgiæ S. BASILII exemplar mille annorum; rotulum etiam antiquiſſimum apud P. BLANCHINIUM; memoranturque in Can. XXXII. *Trullano*, LEONTIO *Byzantino* contra *Lib. III.* NESTORIUM, & EUTYCHETEM, & alibi. In laudata *traditione divinæ Miſſæ*, S. BASILIO, & S. CHRYSOSTOMO id tribuitur, quod breviorem reddiderint a). a Utriusque paulo ante ſtudium in adornando ſacro cantu vidimus. Intelligimusque ex vetuſtiore his EUSEBIO, quomodo, præſertim in celebriori diei Dominicæ conventu, ſacraque Euchariſtiæ ſynaxi, pſalmos una multitudinis voce concinendi mos obtinuerit b). Nempe: *Pſalmorum ſacra modulatio,* b *quæ myſteriis hierarchicis fere omnibus quaſi ſubſtantialis coniungitur, ab omnium ſanctiſſimo nequaquam erat divellenda;* Ut loquitur DIONYSIUS. Ex quibus elucescit frequens pſallendi in Sacris uſus, & quidem in ſolemni Sacrificio iuxta EUSEBIUM, quod diluculo celebrari ſolebat, exceptis diebus ieiunii, de quibus ,, quotidianis etiam in Quadrageſima oblationibus, inſignis

a) „ Quamobrem & divus BASILIUS medica quadam ratione uſus, breviorem eam conciſioremque reddidit. Haud vero multo poſt pater ille noſtra aurea præditus lingua IOANNES, de ovium ſalute, ut Paſtorem decet, ſtrenua cura ſollicitus naturæ humanæ ſocordiam, ignaviamque reſpiciens, fibras omnes ac radices ſatanici prætextus huius voluit evellere; & idcirco multa præcidit, & conciſiori preſſiorique oratione ſacrum conficiendum ſtatuit. “

b) „ Nam (inquit EUSEB. in pſalm. XCI. n. 4.) & Sacrificia, & oblationes, quæ hoſtiæ laudis vocantur, perſolvimus: incenſum boni odoris emittimus, de quo dictum eſt, *Fiat oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Imo & iam panes propoſitionis offerimus. (Et mox) Verum etiam ea, quæ in pſalmo præſenti recenſentur, illa die perficere ſatagimus, & opere, & verbis confitentes Domino, & pſallentes nomini Altiſſimi.... Quia vero confeſſio pro gratiarum actione item accipitur, ut iam diximus, iure Dominica die gratiarum actiones Domino reddimus, ubique terrarum in Eccleſiis eius congregati. Cum autem per confeſſionem progreſſum, & augmentum acceperimus, tum iubemur pſallere ad meliorem animæ ſtatum provecti: aucti vero ac meliores effecti hæc aliis annunciare, ac eos, qui ad nos proxime accedunt, miſericordias DEI edocere præcipimur: atque id agere matutinis horis, quaſi primitias diurnarum actionum doctrinæ de DEI miſericordia dicantes. “ Nimirum quo tempore ſemper Euchariſtia celebrari conſuevit. Sic alibi in illud pſalm. XXI. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* n. 17. „ His porro cultum in Eccleſia eius Dominica die per totum orbem diluculo celebrari ſolitum prophetice indicat. Nam cum dicitur, *In medio Eccleſiæ laudabo te,* locus ſignificatur, in quo ſe Patrem celebraturus CHRISTUS pollicebatur; his autem verbis, *Et celebrabo diluculo miſericordiam tuam,* tempus declaratur, quo paternam miſericordiam per omnes gentes effuſam unigenitus eius per populum ſuum de illa gaudens, exultansque celebrat. *Et hæc,* inquit, *omnia reddam tibi: quia factus ſuſceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ.* His quippe omnibus a Patre beneficiis ornatus iure celebrabo miſericordiam tuam, egoque ipſe tibi pſallam. “

gnis eſt S. Ambrosii locus Enarrat. in Octonar. octavum Pſ. CXVIII. ad verſ. 6. *Indictum eſt ieiunium, cave ne negligas. Et ſi te fames quotidianum cogit ad prandium, ut intemperantia declinet ieiunium, tamen cœleſti magis te ſervato convivio. Non epulæ paratæ extorqueant, ut cœleſtibus ſis vacuus Sacramentis. Differ aliquantulum, non longe finis eſt diei: immo plerique ſunt eiusmodi dies, ut ſtatim meridianis horis adveniendum ſit in eccleſiam, canendi hymni, celebranda oblatio.* De Sabbato, & Dominica poſteriora verba ſunt capienda, quibus ſolemnius erat, ſoluto ieiunio, Officium. Generaliter loquitur Eusebius: *Igitur & ſacrificamus & incendimus, alias quidem memoriam magni illius Sacrificii, ſecundum ea quæ ab ipſo tradita ſunt, myſteria celebrantes, & gratias DEO pro ſalute noſtra agentes, religioſosque hymnos & orationes ſanctas illi offerentes.* S. Augustinus, ut iam p. 32. memini, ſuo tempore cœptum *Carthagine* memorat morem, dicendi ad altare hymnos de pſalmorum libro, ſive ante oblationem, ſive cum oblata populo diſtribuerentur. Et S. Hieronymus in illud Isaiæ 66. *Quomodo ſi offerant filii* Israel *victimas ſuas mihi cum pſalmis in domo Domini*: *offerimus*, inquit, *ſpirituales hoſtias placentes DEO*: *pſallimusque ſpiritu & ſenſu* &c. Cantus vero, ut patet ex dictis, maxime reſponſorius fuit. Colligitur id etiam ex regula S. Pachomii. *In die Dominica & collecta, in qua offerenda eſt oblatio, absque præpoſito domus & maioribus monaſterii, qui alicuius nominis ſunt, nemo pſallendi habeat poteſtatem. Pſallente autem quolibet de maioribus, id eſt, dicente reſponſorium, ſi quis defuerit, ſtatim ante altare pœnitentiæ, & increpationis ordinem ſuſtinebit.* Monachis, ac Eremitis etiam ſolemne fuiſſe ad ſynaxin convenire die Dominica, ex Cassiano, & aliunde conſtat. In vita S. Samsonis Epiſc. *Dolenſis* poſt medium Sæc. VI. narratur, cum adhuc in eremo eſſet, per cunctos Dominicarum dies ad Miſſam cantandam, & ad Christi communionem veniſſe in oratorium. Et paulo poſt: *Caſtellum, ad quod Sanctus* Samson *cunctis Dominicarum diebus cum tribus . . . fratribus placabilem inibi DEO regulam colentibus ad Miſſam cantandam veniebat.* Antea, ut id obiter commemorem, animæ fratris mortui fit mentio, quæ *vix per eius ſuggeſtionem, & Sanctorum orationes, ac Miſſas multas cantatas redemta fuit.* Monachos vero, aliunde pſalmodiæ aſſuetos, iunxiſſe etiam ſuas vocibus cantantium, quis dubitet? communibus ſaltem populi reſponſoriis ad ſolemnes Sacerdotis, aut cantoris voces, aut promiſcuis fidelium cantibus, de quibus diximus capite ſuperiore. Exceſſum hic aliquem S. Ambrosius notare videtur, *circumſonare Sacramenta confuſis vocibus, ut impediatur oratio pro ſalute depromta omnium.* Sacramenta ſunt celebratio ſacrorum myſteriorum, ſeu Miſſæ apud antiquos, quam in rem vide complura teſtimonia apud Menardum. S. Augustinus hunc

L. I. c. 10. demonſt. evang.

C. 17. & 18.

T. I. Annal. Ord. S. Ben. p. 176.

L. III. de Virgin.

Not. 2. in libr. Sacram.

hunc univerſalem eccleſiæ uſum memorat, ISAIÆ eundem reſpiciens locum: *Comparavit autem*, inquit, *illos Dominus tanquam per ſimilitudinem filiis* ISRAEL, *offerentibus ei ſuas hoſtias cum pſalmis in domo eius, quod ubique iam facit Eccleſia.* Et in celebri ad IANUARIUM epiſtola de pſalmorum cantu omnia paucis complectitur: *Quomodo autem*, inquit, *non eſt tempus, cum in Eccleſia fratres congregantur ſancta cantandi, niſi cum legitur aut diſputatur, aut communis oratio voce diaconi indicitur. Aliis vero particulis temporum quid melius a congregatis chriſtianis fiat, quid utilius, quid ſanctius omnino non video.* In ſermone 251. de tempore, nunc S. CÆSARIO *Arelatenſi* vindicato, ſingulare habetur, quod hic notem: *Adhuc quoque, quod valde dolendum eſt, conqueri vobiſcum volo; quia ſunt aliqui, & maxime potentes iſtius mundi, qui cum veniunt ad Eccleſiam non ſunt devoti ad laudes DEI celebrandas, ſed cogunt Presbyterum, ut abbreviet Miſſam, & ad eorum libitum cantet.* Liturgia *Gallicana* antiquiſſima S. GERMANI ex codice MS. antiquiſſimo medii ſæculi ſexti deſcripta ac edita a MARTENIO T. V. *Anecdotorum* unica eſt ex illa antiquitate, quæ, quid etiam in choro cantaretur, contineat. Sic vero incipit: „ GERMANUS Epiſcopus *Pariſius* ſcripſit „ de Miſſa. Prima igitur ac ſumma omnium cariſmatum Miſſa canetur, „ in commemoratione mortis Domini, quia mors CHRISTI facta eſt vita „ mundi, ut offerendo proficerit in ſalute viventium & requiem defuncto- „ rum.“ Notandum hic eſt, quod de MUSÆO Presbytero *Maſſilienſi* GENNADIUS de Viris illuſtribus refert: *Sed & ad perſonam Sancti* EUSTASII *Epiſcopi ſucceſſoris prædicti hominis DEI, compoſuit Sacramentorum egregium, & non parvum volumen, per membra quidem pro opportunitate officiorum, & temporum, pro lectionum textu pſalmorumque ſerie & decantatione diſcretum: ſed ſupplicandi DEO, & conteſtandi beneficiorum eius ſoliditate ſui conſentaneum.* Apud eundem GENNADIUM VOCONIUS *Caſtelani* in *Mauritania* Epiſcopus compoſuiſſe dicitur volumen Sacramentorum. Eodem pertinet SIDONII *Apollinaris* liber *de Miſſis ab eo compoſitis*, cui ſe præfationem coniunxiſſe, teſtatur GREGORIUS *Turon.* Ubi plenius declaraverit, quod hic breviter narrat contigiſſe *Quadam die, ut ad feſtivitatem Baſilicæ monaſterii .... invitatus accederet: ablatoque*, pergit, *ſibi nequiter libello, per quem ſacroſancta ſolemnia agere conſueverat, ita paratus a tempore cunctum feſtivitatis opus explicuit, ut ab omnibus miraretur, nec putaretur ibidem hominem locutum fuiſſe, ſed Angelum.* TILLEMONTIUS putat librum illum eundem eſſe poſſe ac *conteſtatiunculas*, quas ipſe ſe dictaſſe teſtatur. *Conteſtationes* ſaltem conſtanter cum *collectarum* libris coniunctæ fuerunt. Sed eiusmodi libri Sacramentorum, quæ ad cantum ſpectabant, non complectebantur, quæ ad officium Sacerdotis pertinebant. Talis fuerit liber my-

L. XX. de civitate DEI c. 18.

p. 91. & ſeq.

c. 79.

c. 78.

L. II. hiſt. Franc. c. 22.

T. XVI. H. E. p. 277.
L. VII. ep. 3.

 ſte-

ſteriorum S. Hilarii, quem unacum libro hymnorum commemorat S. Hieronymus. Et laudatus Gennadius de S. Paulino *Nolano* : *Fecit & Sacramentarium* , *& hymnarium.*

De ſcript. eccleſ. c. 100. *c.* 48.

Mox in Introitu.

II. De Coelestino P. refertur in libro pontificali , & apud Anastasium : *Conſtituit ut pſalmi* David *CL. ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim ex omnibus* : *quod antea non fiebat* , *ſed tantum epiſtolæ B.* Pauli *recitabantur* , *& Sanctum Evangelium.* Antiquus Pontificum *Romanorum* catalogus apud Schelstratium habet, conſtituiſſe , *ut antiphona ante Sacrificium caneretur* , *quod antea non fiebat.* Quod idem ex MS. cod. *Palatino* citat Henschenius in actis SS. adnotatque : „ Scilicet cum aliquo ex „ dictis pſalmis, quod iam dicitur *Introitus Miſſæ*, conſtans antiphona una „ & pſalmo : ſed cuius ſolum principium cani, ipſumque addito *Gloria Patri*, & reſumta antiphona concludi , ſubſequentium ſeculorum uſu, uſque „ in hodiernum diem obſervato, invaluit." Qua de re ſuo loco. De modo vero ac ratione cantus antiphoni a Coelestino P. inſtituti nihil determinari poteſt. Apud Waræum Patricius ad *Hibernos* a Coelestino miſſus, in chronico Anonymi cuiuſdam Monachi Cœnobii *Malmesburienſis*, dicitur *conſtituiſſe*, *ut pſalmi antiphonatim canerentur a choro ad chorum.* Quod ad inſtitutionem Coelestini P. referri poteſt, quam ei in acceptis referunt, quotquot medio ævo de officiis divinis ſcripſerunt, ſub nomine Alcuini, centones , Amalarius , *Rhabanus* Maurus , *Walafridus* Strabo , Berno, & ex Hiſtoricis Marianus *Scotus* lib. II. Sigebertus ad an. 416. & Martinus *Polonus*, qui addunt : *Ex hoc inſtituto excerpti ex pſalmis* introitus, gradualia, offertoria *ante Sacrificium*, communiones *inter communicandum cum modulatione ad Miſſam in Eccleſia Romana cantari cœperunt.* Radulphus *Tungrenſis* : *Non autem intelligendum* , *quod* Coelestinus *primo introduxit pſalmos dici particulatim ante Sacrificium* , *imo ab initio diu ante eum a patribus ſunt ſervati. Unde* Cassianus *libro III. de inſtitutis Monachorum c.* 10. *Verum ne hoc quidem ignorandum*, *die Dominica unam tantummodo Miſſam ante prandium celebrari. In qua pſalmorum*, *atque orationum*, *ſeu lectionum pro ipſius collectæ vel communionis Dominicæ reverentia ſolemnius aliquid impendentes*, *in ipſa* tertiam, sextam*que pariter conſummatam reputant.* Licet vero *Tungrenſis* deceptus ſit in notione *Miſſæ*, quæ dimiſſionem in Cassiano ſignificat ; id tamen patet, quod ob Sacrificium pro ipſius collectæ vel communionis Dominicæ reverentia ſolemnius aliquid fuerit impenſum , *Tertia* ac *Sexta* ſimul conſummata, id eſt, publice in eccleſia, ut hodie fit, contra morem antiquiorem Monachorum celebrata. Alioquin adhuc tempore S. Augustini a ſalutatione (quemadmodum etiam apud *Græ-*

Eccl. Afric. Diſſert. II. c. 6.

T. I. Aprilis die 6. *p.* 544.

Annot. in Patricii opuſc. p. 144.

De obſervat. can. c. 23.

Græcos, ut palam eſt ex liturgia S. Marci) & lectione Scripturarum ſacrarum Officium ſacrum fuit incœptum: *Procedimus*, inquit, *ad populum, plena erat eccleſia, perſonabat vocibus gaudiorum, DEO gratias, DEO laudes*, pro miraculo ſcilicet ſanitatis cuidam iuveni collatæ, *nemine tacente, hinc atque inde clamantium. Salutavi populum, & rurſus eadem ferventiore voce clamabant. Facto tandem ſilentio, Scripturarum divinarum ſunt lecta ſolemnia.* Quod antea intelleximus ex Sigeberto, & aliis, Coelestini inſtituto excerptos fuiſſe ex pſalmis *Introitus &c.* confirmari videtur ex Concilii *Agathenſis* Canone 30. celebrati ineunte ſæculo ſexto, ubi ita habetur: *Et quia convenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri, ſtudendum eſt, ut ſicut ubique fit, & poſt antiphonas collectiones per ordinem ab Epiſcopis, vel Presbyteris dicantur.* Niſi tamen hoc potius ad horas canonicas ſpectet, more veteri *Gallicano* iuxta Card. Thomasium. Ad rem pertinet, quod ex liturgia S. Germani edocemur, ab antiphona fuiſſe inceptam Miſſam, quæ apud nos *Introitus*, in liturgia vero *Ambroſiana*, *Ingreſſa* dicitur, quamque cum verſu pſalmi & *Gloria Trinitatis* iam tunc chorus præcinebat, uti legitur in prædicta liturgia S. Germani, cum hoc barbaro quidem, ſicut pleraque, titulo *De prælegere*: „ Antiphona ad prælegendo „ canetur, in ſpecie Patriarcharum illorum, qui ante diluvium, adventum „ Christi myſticis vocibus tonuerunt . . . Sicut enim prophetantibus venit manus Domini ſuper arcam. . . . Ita pſallentibus Clericis procedit „ Sacerdos in ſpecie Christi de Sacrario tanquam de cœlo in arca Domini, „ quæ eſt Eccleſia.“ Sed hic cavendum, ne notionem antiphonæ, quæ poſtea inolevit, cum cantu ipſo antiphono ſeu alterno pſalmorum confundamus, quod ex inſtitutione Coelestini P. obtinuiſſe diximus; quem tamen modum canendi haud expreſſit S. Leo M. in anniverſario die aſſumtionis ſuæ ad Summi Pontificis munus, de Pſalm. CIII. verba faciens, accommodate ad Miſſam illius ſolemnitatis cantato: Unde (inquit) & *Davidicum* pſal„ mum dilectiſſimi non ad noſtram elationem, ſed ad Christi Domini glo„ riam conſona voce cantavimus. Ipſe eſt enim, de quo prophetice ſcri„ ptum eſt: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem* Melchisedech.“ Forte quis coniiciat, hunc ipſum verſum pro antiphona ad ſolemnitatem illam adhibitum fuiſſe. Sed nec quidem conſtat, an ad initium Miſſæ hæc pertinuerint, an poſt lectionem, ubi cantus reſponſorius fuit frequentatus? De quo mox. Ex Dionysio, vulgo *Areopagita*, diſcimus, etiam apud *Græcos* a pſalmorum melo fuiſſe incœptam liturgiam, at ordiente ipſo Pontifice, Ordine eccleſiaſtico proſequente. „ Pontifex auſpicatur ſacrum pſalmorum „ melos: omni Ordine eccleſiaſtico ſacram ipſi pſalmodiam ſuccinente. Et ſub nomine S. Thomæ Apoſtoli: „ Epiſcopus inchoans Euchariſtiæ celebra„ tio-

L. XXII. de civ. DEI. c. 8.

Præf. in pſalter. p. XI.

Serm. II.

De eccl. hier. c. 3.

„ tionem, ſecundum conſuetudinem Apoſtolorum incipit a thurificatione „ veniens de altari ad chorum, & iterum revertitur ad altare incipiens decantare pſalmos ſimul cum choro. (Et:) cum igitur huiusmodi hymno„ rum modulatio, quæ ſacra omnia continet, animales habitus noſtros con„ grua diſpoſitione præparaverit ad ea, quæ paulo poſt ſunt celebranda my„ ſteria, divinorumque carminum concentu, atque conſenſu unicam illam „ ad divina, & ad ſemetipſos, atque ad alterutrum conſenſionem, & con„ cordiam, quaſi una concordi & conſona ſacrarum rerum chorea inſtitue„ rit; ea quæ in pſalmorum modulatione ſpirituali conciſiora ſunt, atque „ adumbrata magis pluribus manifeſtioribusque figuris, ac recitationibus ſa„ cratiſſima divinarum ſcripturarum lectione dilatantur." In liturgia S. Iacobi, præmiſſa oratione Epiſcopi, ſequuntur orationes „ Cum incenditur thus „ in ingreſſu. Deinde canere incipit Diaconus in ingreſſu: *Unigenite fi„ li &c.*" De tribus antiphonis *Græci* ritus dicemus lib. II. Huc etiam pertinet ſolemnis ad ſtationem proceſſio cum litaniis ac pſalmis, quem veterem ritum iam S. Ambrosius appellat, ubi Monachis a Valentinianis prohibitum memorat, *Iter, quo pſalmos canentes ex conſuetudine, uſuque veteri pergebant ad celebritatem* Machabæorum *Martyrum.* Solemnes, *Romæ* imprimis, fuerunt ab antiquiſſimis temporibus ad condictam ſtationem a collecta populi alio in loco ſeu Eccleſia facta, proceſſiones, ut ex antiquiſſimis ordinibus *Romanis* conſtat. Quodque frequens *Kyrie eleiſon* in huiusmodi ſupplicationibus reſonabat, inde idem initio Miſſæ cantus originem ducere non dubito.

Epiſt. 40. ad Theod. n. 16.

Frequens Kyrie eleiſon &c. repetitio.

III. Iuxta liturgiam S. Marci mox poſt ſalutationem *Pax omnibus;* a Sacerdote dictam (uti etiam ex S. Augustino notavimus) Diacono inclamante *Orate,* populus ter dicit, *Kyrie eleiſon,* quod ſæpius deinceps repetitur in aliis etiam orientalibus liturgiis, imo uſu etiam apud gentiles frequenti, quod ex Arriano diſcimus: *DEUM invocantes precamur eum Kyrie eleiſon.* Videturque, idem factum fuiſſe ad ſingulas precationes διὰ προσφωνήσεως *per exclamationem* notatas in conſtitutionibus apoſtolicis: quemadmodum c. 7. præſcribitur pro catechumenis: *Porro in ſingulis horum, quæ Diaconus proloquitur, ut iam diximus, populus reſpondeat,* Kyrie eleyson, *& ante cunctos pueri.* Et pro baptizandis: „ Adhuc intente omnes pro ipſis „ dicamus; *Kyrie eleiſon.* Quemadmodum etiam in liturgia *Ambroſiana* in„ cipiente Diacono, & choro reſpondente *Domine miſerere.*" Et iam S. Augustinus ſeu potius *Vigilius* Tapsensis, vel quisquis eſt auctor altercationis cum Pascentio *Ariano* in appendice, univerſalem eum morem in Eccleſia collaudat: „ Sicut enim (inquit) *Græca* lingua quod eſt ὁμοούσιον; „ una

L. II. diſſ. Epictet. 7.

Lib. VIII. c. 9. 10.

T. II. p. 41. &c.

„ una dicitur vel creditur a fidelibus Trinitatis omnino ſubſtantia, ſic una „ rogatur ut miſereatur a cunctis *Latinis* & *Barbaris* unius DEI natura, „ ut a laudibus DEI unius nec ipſa lingua Barbara ſit, ullatenus aliena. „ Latine enim dicitur, *Domine miſerere.* Sola ergo hæc miſericordia ab „ ipſo uno DEO Patre, & Filio, & Spiritu Sancto lingua debet hebræa „ vel græca, aut ipſa ad poſtremum poſtulari latina, non autem & bar„ bara? ſi enim licet dicere, non ſolum *Barbaris* lingua ſua, ſed etiam „ *Romanis ſihora armen*, quod interpretatur, *Domine miſerere*, cur non „ liceat &c.“ Quod ſi ſecundum *Saxonem grammaticum* apud Du-Fresnium in *Gloſſario*, legendum ſit *Her thius forbarme* lingua *Gothica*, noſtræ *Germanicæ* conveniret. In Concilio *Vaſenſi* II. illuſtre habetur exemplum de perſonante ubique ſuaviter *Kyrie eleiſon:* „ Quia tam in ſede apo„ ſtolica, quam etiam per totas orientales, atque *Italiæ* provincias dulcis „ & nimium ſalutaris conſuetudo eſt intromiſſa, ut *Kyrie eleyſon* frequen„ tius cum grandi affectu & compunctione dicatur, placuit etiam nobis, ut „ in omnibus Eccleſiis noſtris iſta tam ſancta conſuetudo & ad matutinos, „ & ad Miſſas, & ad veſperam DEO propitio intromittatur.“ In liturgia S. Germani ſequentem in modum legitur ſententia non integra: „ Tres „ autem, qui ore uno ſequentes *Kyrie eleiſon*, hebræa ſcilicet, græca, & „ latina, vel trium temporum ſæculi, ante legem ſcilicet, ſub lege, & „ ſub gratia.“ Agitur autem ſimul de *Aius*, ſeu *Agios*, de quo paulo poſt.

Sub finem collat. cum Paſc. Ariano.

c. 3.

IV. S. Chrysostomus unacum *Kyrie eleiſon*, ἐλέησόν με ὁ Θεός, *miſerere mei DEUS*, meminit doxologiæ angelicæ *Gloria in excelſis DEO*, dum populum reprehendit ob indecoras geſticulationes, & inconditos clamores in Eccleſia a). Idem eiusdem hymni meminit, deſcribens, quomodo qui vitam aſceticam conſectantur, illico, poſtquam e lectulo ſurrexerint, choro conſtituto, integra conſcientia omnes quaſi ab uno conſonantes ore, diligenter hymnis laudare DEUM, gratias pro univerſis tam propriis, quam communibus beneficiis agere, & inter alia, ſimiles angelis in terra, canere ſoliti ſint *Gloria in excelſis.* Apud Cæsarium, & Aurelianum in regulis idem in matutinis horis pro diebus paſchalibus, itemque pro ſingulis dominicis, & maioribus feſtivitatibus præſcribitur. Et *Alexander* Acoemetes inſti-

Gloria in excelsis.

a

a) „ *Miſerere mei DEUS*, inquis (ait Homil. in Isaiam) ac mores a miſericordia alienos declaras. Clamas, *Serva me*, & corporis ſpeciem a ſalute alienam exprimis. Quid ad ſupplicandum conferunt manus, quæ ſemper in ſublime iactantur, & indecore circumaguntur, quid clamor vehemens, qui cum violento Spiritus impulſu ſtrepitum habet, nihil certi declarantem. An non iſta quidem partim ſunt mulierum in triviis meretriciam artem exercentium: partim vero eorum, qui in theatris vociferantur, ſunt exempla? Quomodo igitur audes Angelorum Deum glorificantium hymnis ἀγγελικῇ ταύτῃ δοξολογίᾳ dæmonum admiſcere ludicra?“

15. *Ianuar.* inſtituiſſe dicitur apud BOLLANDUM, „Hymnologiam Sanctorum Angelorum „ nocte ac die ſeptuagies ſepties decantari, ſcilicet: *Gloria in altiſſimis DEO,* „ *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*“ S. ATHANASIUS in libro *de Virginitate* eundem hymnum commendat Virginibus etiam privatim ſub di-
L. VII. c. 47. luculo recitandum, iamque in *Conſtitutionibus apoſtolicis* vocatur προσευχὴ ἑωθινὴ *Oratio matutina*: ubi integer, paucis immutatis reperitur, ut hodieque canitur. Ut adeo S. HILARIUS auctor additionum earum haberi non
C. 13. poſſit (quas Concilium *Toletanum* IV. ab eccleſiaſticis Doctoribus factas ſolummodo commemorat) quod inter alios auctor chronici *Turonenſis* apud MARTENIUM T. IV. in præfatione aſſerit: „Hic compoſuit *Gloria in ex-* „ *celſis DEO, & in terra pax hominibus.*“ Sunt vero qui a LUCIANO eum indigitari putent, ubi de hymno πολυωνύμῳ, tanquam a Chriſtianis uſurpari ſolito, loquitur: quos inter *Thomas* SMITH eccleſiæ *Anglicanæ* Presbyter, qui ad ſæculum II. & ætatem LUCIANI irriſoris referendum cenſet. Laudatus auctor chronici *Turonenſis* SYMMACHUM P. inſtituiſſe dicit, in Dominica, & feſtis Martyrum cantari *Gloria in excelſis;* olim vero in nocte Natalis Domini tantummodo decantatum fuiſſe. Liber pontificalis ſub nomine DAMASI TELESPHORO P. tribuit: „Ut ante Sacrificium hymnus diceretur angeli- „ cus, hoc eſt, *Gloria in excelſis DEO.*“ Qui medio ævo de officiis divinis ſcripſerunt, non tantum hac auctoritate nixi, eam inſtitutionem TELESPHORO tribuerunt, verum etiam paſſim adoptant, quod habetur in ſpuria eiusdem Pontificis decretali, de hymno illo in nocte ſancta Nativitatis Domini Salvatoris decantando, quoniam & eadem nocte ab Angelo paſtoribus nunciatus eſt. Dubium hic
De rebus eccleſiaſt. c. 22. movit *Walafridus* STRABO: „Si idem (inquit) hymnus huius Papæ tempo- „ ribus ante Sacrificium cœpit dici: cur longo tempore poſt ſub COELE- „ STINO legatur, tantum ante Sacrificium lectionem Apoſtoli, & evangelium „ præceſſiſſe, ut ille neceſſario de pſalmis DAVID antiphonas, quæ ante „ ipſas lectiones cantarentur, præpoſuiſſe videatur? Ubi reſpondendum eſt, „ conſtitutum quidem fuiſſe a TELESPHORO, ut idem hymnus in capite Miſ- „ ſæ diceretur, ſed apud poſteros ipſam eius Conſtitutionem intermiſſam, „ donec a ſequentibus plenius totus ordo Miſſæ componeretur: ſed ita ſta- „ tutum ab eo, ut ipſe hymnus in ſummis feſtivitatibus, & a ſolis Epiſco- „ pis uſurparetur, quod etiam in capite libri Sacramentorum deſignatum vi- „ detur, & ideo ſcriptum eſſe, uſque ad tempora COELESTINI ante Sacrifi- „ cium lectiones tantum habitas: ut ſubintelligatur, quamvis ille hymnus „ interdum ante Miſſas diceretur, ut prædiximus, non fuiſſe tamen, quod „ iugiter in omnibus Miſſis, ab omnibus Sacerdotibus ante lectiones pone- „ retur, antequam idem COELESTINUS antiphonas ad Introitum dicendas in- „ ſtituit.“ Omnia hic ex ingenio ſunt compoſita, vacillatque vel ipſa auctori-

ctoritas, qua hoc de hymno decantando decretum Telesphoro adiudicetur. Qua de re videri poteſt nota D. Coustant. in Epiſt. Summorum PP. Qui tamen addit: *Si vero angelici hymni nomine una intelligantur angelo-* T. I. p. 60.
rum verba, nil repugnat, quo minus ea ante Sacrificium dici Telesphorus *præceperit. Quamquam etiam illa non ante Sacrificium, ſed poſt divinam oblationem, & proxime ante Communionem fidelium apoſtolicæ conſtitutiones lib. VIII. c. 13. dicenda præcipiunt. Non me fugit, conſtitutiones illas poſt* Telesphori *tempora fuiſſe auctas. Sed inter illa additamenta cur Celeberrimi Papæ conſtitutio locum non habeat?* Sigebertus in chronico Symmachum Pontificem perhibet, conſtituiſſe omni die dominico, vel natalitiis Martyrum *Gloria in excelſis DEO* ad Miſſas cantari. Quem hymnum Telesphorus ſeptimus a Petro Papa, nocte tantum Natalis Domini ad Miſſas, a ſe in ipſa nocte inſtitutas, cantari inſtituerit, & in eo ad Angelorum verba, quæ ſequuntur, adiecerit. De Symmacho, librum pontificalem ſecuti haud dubie, conſentiunt Amalarius de eccleſ. Off. Berno *Augienſis* de c. 8.
Miſſ. Auctor ſub nomine Alcuini de Off. div. & Micrologus de eccl. Obſerv. c. 2. c. 45.
Rhab. vero Maurus: Telesphorus *Papa fertur conſtituiſſe, ut ante Sacri-* L. I. c. 32. de
ficium hymnus Gloria in excelſis *dicatur: quod tamen modo non ſemper agi-* inſt. Cler.
tur, ſed in diebus tantum dominicis, & in ſanctorum feſtivitatibus, quod Symmachus *Papa ita fieri mandavit.* S. Chrysostomus eiusdem hymni, ceu in ſacratiori liturgiæ parte poſt pſalmodias dici ſoliti, meminit unacum hymno cherubico: *Quis ſit*, inquit, *hymnus ſupernorum: Quid ſuperni di-* Hom. 9. in e-
cant Cherubim, ſciunt fideles. Quid dicebant Angeli? Gloria in excelſis DEO. piſt. ad Coloſſ.
Propterea poſt pſalmodias hymni, utpote res quædam divinior &c. Illud ἴσασιν ὁι πίςοι, *ſciunt fideles*, Miſſam innuunt fidelium. Et alibi: „DEUS Ange- Hom. 3. in e-
„los primos huc deduxit, & tunc hominem ad eos ſuſtulit. Cœlum facta piſt. ad Coloſſ.
„eſt terra, quoniam, quæ erant terræ, cœlum erat ſuſcepturum. Propterea εὐχαριςῦντες λέγομεν gratias agentes dicimus *Gloria in excelſis Deo* &c.“ Sed nuſpiam S. Chrysostomus additionum meminit, quemadmodum nec auctor conſtitutionum apoſtolicarum, dum refert, inter alia reſponderi illa angelica verba, quando Epiſcopus acclamavit *Sancta ſanctis*, populusque reſpondet; *Unus Sanctus, unus Dominus, unus IESUS Chriſtus in gloriam DEI Patris, benedictus in ſæcula amen. Gloria in altiſſimis DEO &c.* Attamen, ut diximus, ſub nomine προσευχὴ ἑωθινὴ integer, ut apud nos in Miſſa ca- Lib. VIII.
nitur, habetur, veluti etiam in antiquiſſimo codice *Alexandrino* Bibl. regiæ c. 48.
Londinenſis, ante annos plus 1300. exarato, poſt odas, quæ ſequuntur pſalmos, ſub titulo ὕμνȣ ἑωθινȣ͂, eadem manu deſcriptus legitur. Usserius in Vid. Bibl.
diſſert. *de Symbolis*; ex variis pſalteriis manuſcriptis Græco, & Latino idiomate Polyg. londin.
exaratis edidit, & Smithus in collectaneis de *Cyrillo* Lucario Patriarcha T. VI. p. 140.

Cpolitano eundem hymnum ad Codd. MSS. accurate, & magna plane diligentia recognovit. Vocatur a *Græcis* δοξολογία μεγάλη, magna doxologia ut a μικρᾶ, ſeu parva, id eſt *Gloria Patri* diſtinguatur. Auctor vetuſtiſſimus de curſuum eccleſiaſticorum origine apud MABILLONIUM de curſu, per Sanctum MARCUM inſtituto, agens, quem cum Miſſæ liturgia confundere videtur, *Sanctus*, vel *Gloria in excelſis*, vel orationem Dominicam, & *amen* ab univerſis tam viris, quam fœminis decantari affirmat. In liturgia S. GERMANI nuſpiam comparet ſive integer, ſive pars illius, ſed poſt antiphonam, hoc eſt, Introitum, ſequitur præfatio, ſeu admonitio ad populum, quam Sacerdos prælegebat ad hortandam plebem, ut, ad quam convenerat, ſolemnitatem debita cum veneratione celebraret. „Non me latet (ſunt „verba MARTENII) in prævia admonitione ad laudatam liturgiam, quoſdam „inter antiphonam & præfationem conſtituere hymnum angelicum a choro „decantandum. Verum id absque ullo auctoritatis fundamento. Nam duo „ex GREGORIO *Turonenſi* loca, quæ ad id probandum proferunt, nihil „prorſus evincunt, ſed hymnum illum in quibusdam aliis ſupplicationibus „publicis decantatum fuiſſe demonſtrant. Imo in liturgia *Gallicana*, quam „ex codice *Bobienſi* vulgavit MABILLONIUS, hymnus *Gloria in exelſis* DEO „pro gratiarum actionibus poſt Miſſam privatim recitandus conſtituitur. In „liturgia *Mozarabica* publice ante lectiones in natalitiis CHRISTI cani iube„tur.“

De curſu Gallicano p. 381.

T. V. anecdot. p. 8.

Populi ad ſalutationem reſponſio & collectæ.

V. Memóravimus paulo ante ex S. AUGUSTINO, mox in ingreſſu Pontificem ſalutare conſueviſſe populum. Quod idem S. CHRYSOSTOMUS teſtatur, & quam frequens id fuerit, ſimul commemorat: „Quum ingreſſus fuerit is, „qui præeſt eccleſiæ, ſtatim dicit: *Pax omnibus.* Quando ſermonem facit, „ac concionatur: *Pax omnibus.* Quando benedicit: *Pax omnibus.* Quan„do iubet ſalutare: *Pax omnibus.* Quando peractum fuerit Sacrificium: „*Pax omnibus.* Et rurſus intermedio: *Gratia vobis & pax.*“ Solemnis autem fuit ad eam ſalutationem populi reſponſio hodieque uſu recepta. „Ingreſſi (idem ait) in Eccleſiam ſtatim ſecundum legem iſtam dicimus: „*Pax vobiſcum*, & vos reſpondetis, *& cum Spiritu tuo.*“ Sæpiſſime aliis in locis idem teſtatur, habeturque in omnibus liturgiis: atque etiam paſſim in Conſtitutionibus apoſtolicis præſcribitur: „Salutet Epiſcopus eccleſiam, „& dicat: *Pax DEI cum omnibus vobis*; & populus reſpondeat; *& cum* „*Spiritu tuo.*“ Et ſequenti capite ad largiorem Epiſcopi benedictionem: „*Gratia omnipotentis DEI, & charitas Domini noſtri IESU Chriſti, &* „*communicatio S. Spiritus ſit cum omnibus vobis.* Atque omnes una „voce reſpondeant; *& cum Spiritu tuo.*“ Et ibidem in fine: „*Pax DEI* „*ſit*

Hom. 3. ad Coloſſ.

Hom. 33. in Matth.

Lib. VIII. c. 11.

„ *ſit cum omnibus vobis.* Cunctusque populus reſpondeat *Amen.*“ Sanctus Chrysostomus de hac ſolemni, frequentique populi acclamatione præclare teſtatur: „Niſi eſſet Spiritus Sanctus in hoc communi patre & Doctore, *Hom.* 3. „ quum paulo ante ſacrum hoc tribunal aſcendit, ac vobis omnibus pacem „ dedit, non ei ſimul omnes acclamaſſetis; *Et cum Spiritu tuo:* idcirco non „ quum aſcendit tantum, neque quum vos affatur, neque quum pro vobis „ orat, hac illi voce acclamatis: ſed quum huic ſacræ menſæ aſſiſtit, quum „ tremendum Sacrificium eſt oblaturus (nam quid dicam, norunt qui ſunt „ myſteriis initiati) non prius attingit propoſita, quam vobis ipſe gratiam „ fuerit precatus a Domino, vosque illi acclamaveritis: *Et cum Spiritu tuo.*“ In Concilio *Bracarenſi* præſcribitur, quæ eſt frequentior hodie, ſalutatio *Dominus vobiſcum,* cum altera illa initio tantum liturgiæ Epiſcopis ſit reſervata, quod eo ipſo Concilio, quadam de cauſa, videtur inhiberi: „Placuit, ut *Conc. I. c.* 21. „ non aliter Epiſcopi & aliter Presbyteri populum, ſed uno modo ſalutent, di- „ centes, *Dominus ſit vobiſcum:* ſicut in libro Ruth legitur, & ut reſpon- „ deatur a populo: *& cum Spiritu tuo;* ſicut & ab Apoſtolis traditum omnis „ retinet oriens, & non ſicut *Priſcilliana* pravitas immutavit.“ Putat Binghamus *Priſcillianam* pravitatem eo ſpectaſſe, ut populo libertas adimeretur, *L. XV. orig.* reſpondendi, ſecus ac in more poſitum fuit inde ab Eccleſiæ primordiis. *eccleſiaſt. c.* 3. „ Olim (ait Bona) univerſus populi cœtus Sacerdoti reſpondebat, ut ex *De reb. liturg.* „ liturgiis, earumque expoſitionibus apparet: idque Micrologus ſtatutum ait *lib. II. c.* 5. „ in Occidente a Concilio *Aurelianenſi*, ut ſcilicet non ſolum Clerici, ſed omnis „ populus reſponderet: *& cum Spiritu tuo.* At nunc ſoli Clerici, vel mi- „ niſtri reſpondent.“ Quod adeo vituperandum non eſt ad concentus decorem, licet ubi populus id facit, ut e. g. paſſim in *Galliis*, laudandum ſit. Id quod etiam ad lectiones ſcripturarum ſolemne fuit, & quidem ante lectionem & poſtea, uti obſervavit Mabillonius: „Audito (inquit) populi *De lit. Gallic.* „ reſponſo legit prophetiam, ad cuius titulum populus reſpondet: *DEO lib. I. c.* 2. „ *gratias*, & in fine *amen.*“ *n.* 10. Auctor ſub nomine S. Chrysostomi etiam, quod hodie lecto Evangelio dicimus, & ex Liturgia S. Germani diſcimus, Evangelium intonari ſolitum, clamantibus Clericis *Gloria tibi Domine*, olim reſponſum fuiſſe teſtatur: „Quando Diaconus lectionis curriculum ingreſſus „ eſt, confeſtim nos exurgimus acclamantes: *Gloria tibi Domine.*“ Haud dubie de Evangelio hoc eſt intelligendum, a Diacono legi ſolito: *Evangelium Chriſti*, ſcribit S. Hieronymus ad Sabinianum Diaconum, *quaſi Diaconus lectitabas.* Ex S. Cypriano colligimus, etiam lectorem ante lectionem populum ſalutaſſe, illo haud dubie reſpondente. „Auſpicatus eſt (inquit) „ pacem, dum dedicat lectionem. Antequam (ait Albaspinæus) Evangelii *Not. in Conc.* „ pronuntiandi initium faceret olim lector, elata voce proferebat, *Pax vobis*; *III. Carthag. c.* 4.

 „ per-

„ perinde atque hodierno die Diaconus dicit, *Dominus vobiſcum.* Hoc idem „ ex epiſtola D. CYPRIANI iisdem verbis probatur: Interim vobis hoc die „ auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem, quibus D. CYPRIANUS verbis allocutum & ſalutatum populum ait ab AURELIO, quum primo ei Evangelii recitandi poteſtas eſſet facta, & pacem & benedictionem CHRISTI Domini fidelibus condonaſſet.“ In liturgia *Gallicana* antiqua, uti hodie ante collectam ſeu orationem, indicto ſilentio, ut MARTENIUS obſervavit, Sacerdos populum ſalutabat, ac populi reſponſioni collectam ſubiiciebat a cunctis flexis genibus devote audiendam, ut probant S. CÆSARII quidam ſermones. Canone *Laodiceno* XIX. ſtatuitur, fidelium tres orationes fieri, unam quidem, ſcilicet primam διὰ σιωπῆς ſilentio; ſecundam vero, & tertiam διὰ προσφωνήσεως per enunciationem impleri. Habetur in conſtitutionibus apoſt. προσφώνησις ὑπὲρ τῶν πιςῶν *Enunciatio* ſeu *oratio pro fidelibus*, ad cuius capita ſingula haud dubie reſpondit populus κύριε ἐλέησον *Domine miſerere.* aut ut in fine orationis habetur: *Salva, & erige nos DEUS miſericordia tua.* Occurrunt huiusmodi enunciationes, ſeu exclamationes, non ſolum paſſim in liturgiis *Græcis*, ſed etiam *Ambroſiana*, & vetuſto officio a WICELIO ex Bibliotheca *Fuldenſi* deſcripto. Hucque interpretari forte liceat S. BASILII κηρύγματα ἐκκλησιαςικά. *Meminiſti*, inquit, *indictarum eccleſiaſticarum prædicationum, quum ſis inter fideles per DEI gratiam numeratus: quod nimirum pro iis intercedimus apud DEUM, qui peregre ſunt conſtituti &c.* Sed cum hæc de precibus etiam ſine cantu clare & alte prolatis intelligi poſſint, de hymnodia potius filum orationis proſequamur, in Eccleſia antiqua obſervata.

T. V. anecd. p. 87.

L. VIII. c. 9.

Epiſt. 155.

Cantus ante & poſt lectiones.

VI. Poſt Collectam in veteri liturgia *Gallicana* chorus cantabat *Sanctus*, & quidem græce, & latine, cum reſponſione *Amen*: quod ſequebatur canticum ZACHARIÆ, *Benedictus Dominus DEUS Iſrael.* Hoc tamen canticum in Quadrageſima cum aliis lætitiæ hymnis ſupprimebatur. Sequebatur lectio ex Prophetis, & Apoſtolo. Nam præter Evangelii lectionem duas, unam ex veteri, alteram ex novo Teſtamento, lectiones decantabant. Hæc ex liturgia S. GERMANI ſunt depromta. In argumentis pſalmorum apud THOMASIUM notari ſolet: *Lege ad evangelium* MATTHÆI, *ad Geneſim*, *ad* ISAIAM *&c.* De qua re THOMASIUS in præf. ad lectorem: „ Meminerit (inquit) oportet priſcæ conſuetudinis, qua inter Miſſarum ſolemnia poſt lectiones veteris vel novi Teſtamenti, ante lectionem vero evangelii integer „ pſalmus a toto Eccleſiæ cœtu reſpondebatur, propterea nuncupatus ab „ antiquis pſalmus reſponſorius. Qui ſane mos per totum Occidentem ad „ VI. uſque ſæculum perduravit: quem & in *Romana* item Eccleſia fuiſſe „ conſtat ex ſermone I. S. LEONIS Papæ. Reſpondebatur autem pſalmus

„ (ut

„ (ut loquitur S. Ambrosius) hoc ritu. Lector ſtans in ambonis gradu, pſal-
„ mi titulo præmiſſo, mox pſalmum ipſum præcinebat, quem per ſingulos
„ quosque verſus totus Eccleſiæ cœtus reſpondebat, hoc eſt repetebat: re-
„ petebat autem integros ipſos verſus haud poſtremas tantummodo ver-
„ ſuum clauſulas: ſic totus ipſe pſalmus lectore præcurrente ad finem uſque
„ perducebatur." Narrat Gregorius *Turonenſis*, quod ſibi acciderat, cum *Hiſt. Franc.*
an. 585. in aula Guntramni Regis eſſet: *Iubet Rex, ut Diaconum noſtrum, qui* *L. VIII. c. 3.*
ante diem ad Miſſam pſalmum reſponſorium dixerat, canere iuberem. Hic
vetus fuit mos. De modo diximus alibi. Conſtat ex S. Augustino, pſal-
mos lectionem inter Apoſtoli & evangelium fuiſſe decantatos. „ Lectiones *Serm. 112.*
„ (inquit) ſanctæ propoſitæ ſunt, & quas audiamus, & de quibus aliquid ſer-
„ monis adiuvante Domino proferamus. In lectione apoſtolica gratiæ agun-
„ tur Domino de fide gentium. In pſalmo diximus, *DEUS virtutum con-*
„ *verte nos &c.* in evangelio ad cœnam vocati ſumus." Et alibi: „ Apo- *Serm. 165.*
„ ſtolum audivimus, pſalmum audivimus, evangelium audivimus; conſonant
„ omnes divinæ lectiones." Et: „Hoc de apoſtolica lectione percepimus, *Serm. 176.*
„ deinde cantavimus pſalmum, exhortantes nos invicem, una voce, uno
„ corde dicentes: *Venite adoremus, & proſternamur ei, & fleamus coram*
„ *Domino qui fecit nos*: & ibi *præveniamus faciem eius in confeſſione, & in*
„ *pſalmis iubilemus ei.* Poſt hæc, *Evangelica lectio &c.*" Eundem in mo-
dum alibi loquitur. Referendum hic, quod Gregorius *Turonenſis* ſcri- *L. I. de mirac.*
bit: *Cui* (S. Ambrosio) *celebranti feſta dominici diei iſta erat conſuetudo, ut* *S. Mart. c. 5.*
veniens lector cum libro non antea legere præſumeret, quam Sanctus nutu
iuſſiſſet. Factum eſt autem, ut illa Dominica, prophetica lectione iam lecta,
ante altarium ſtante, qui lectiones Beati Pauli *proferret &c.* Duplicis hu-
ius lectionis etiam *Sulpitius* Severus meminit. Duas lectiones ritu *Gallicano*
in Miſſa, nullo interpoſito cantu, recitatas fuiſſe, etiam Vezzosius obſervat: *T. VI. Opp.*
„ At (pergit) contra eſt unicum documentum *Luxovienſis* lectionarii in Miſ- *Thomaſii præ-*
„ ſa Nativitatis Domini: ubi inter Isaiæ lectionem, & D. Pauli epiſto- *fat. p LII.*
„ lam ſcriptum legimus: Daniel *cum benedictione*, id eſt hymno trium pue-
„ rorum. In Miſſa S. Germani reponitur poſt utramque lectionem evange-
„ lium." Atque hic diverſitatem interceſſiſſe in *Gallicana* Eccleſia, ipſe pu-
tat le Brun. Nota porro, quod eſt in Concilio *Tolet.* IV. ſtatutum: „ In *Diſſert. IV.*
„ quibusdam quoque *Hiſpaniarum* eccleſiis Laudes poſt Apoſtolum decan- *art. 3.*
„ tantur, priusquam Evangelium prædicetur, dum Canones præcipiant poſt *Can. 12.*
„ Apoſtolum non Laudes, ſed Evangelium annunciari. Præſumtio eſt enim,
„ ut antea ponantur ea, quæ ſequi debeant. Nam Laudes ideo Evangelium
„ ſequuntur, propter gloriam Christi, quæ per idem Evangelium prædi-
„ catur. Circa omnes igitur Sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excom-

„ municationis pœnam ſuſcepturi, qui hunc ordinem perturbaverint.“ At ſi *Laudes*, ut mox dicemus, intelligas *Alleluia*, nihil contrarium S. Augustino hic habetur. Verum putat *Garſias* Loaisa in notis ad hunc canonem, indigitari hymnum trium puerorum, de quo tamen poſtea idem Concilium: „Hymnum quoque trium puerorum, in quo univerſa cœli terræ- „ que creatura DEUM collaudat, & quem Eccleſia catholica, per totum „ orbem diffuſa, celebrat, quidam Sacerdotes in Miſſa dominicorum die- „ rum, & in ſolemnitatibus Martyrum canere negligunt. Proinde ſanctum „ Concilium inſtituit, ut per omnes *Hiſpaniæ* eccleſias, vel *Galliciæ* in o- „ mnium Miſſarum ſolemnitate idem in pulpito decantetur: Communionem „ amiſſuri, qui & antiquam huius hymni conſuetudinem, noſtramque defi- „ nitionem exceſſerint.“ Uterque canon probe eſt notandus. De priore illo ita ſcribit *Walafridus* Strabo: „Reſponſoria & *Alleluia*, quæ ante Ev- „ angelium cantantur, deinde adiuncta videntur, poſtquam antiphonæ ad in- „ greſſum dici exſpirarunt, quæ & videntur prohibita canonibus *Hiſpano-* „ *rum*, qui longo poſt tempore ſunt conſtituti. In illis enim iubetur, ne „ aliquis hymnus inter lectionem apoſtolicam, & Evangelium in ordine „ Miſſæ ponatur.“ Ex quo intelligitur, id aliquos tentaſſe tunc temporis, ſed propter novitatem rei nondum fuiſſe ab omnibus receptum. Quod tamen poſtea uſu *Romano* commendatum, ad omnes *Latinorum* pervenit eccleſias. Idem repetit Berno *Augienſis.* Eadem vero mutatio facta eſt in Gradualibus, uti vocantur, inter Lectionem & Evangelium cani ſolitis, quæ circa Introitum inolevit; ut, cum iſta initio integra pſalmorum ſerie decantari mos eſſet, deinceps ſelecti verſus canerentur, quod Durandus Ambrosio, Gelasio, Gregorio I. in acceptis refert. S. Ambrosium, & S. Gregorium ſolum nominat Radulphus *Tungrenſis.* De Gelasio Berno teſtatur c. 7. *de quibusdam rebus ad Miſſam ſpectantibus: Gradualia, ſicut non ſolum in noſtris libris habetur inſertum, ſed etiam ut in quodam ordine ſecundum Sancti* Gelasii *Papæ auctoritatem reperi prætitulatum &c.* Hinc Thomasius, niſi titulus ordinis præfati mentiebatur, colligi poſſe putat, S. Gelasii P. tempore iam uſitata fuiſſe Gradualia, quorum forte auctor idem fuerit. Ordini vero a Bernone laudato conſentit liber Sacramentorum Eccl. *Romanæ*, qui Gelasio adſcribitur, in quo expreſſa extat mentio bini reſponſorii poſt lectiones Fer. VI. Paraſc. Thomasius, pſalmi Reſponſorii antiquum uſum adhuc Leonis I. tempore ſervatum fuiſſe, ſubindicari exiſtimat Serm. II. in anniverſario die aſſumtionis ſuæ ad Summi Pontificii munus, quem locum paulo ante adduximus, de Introitu agentes. Antiqui moris quoad pſalmos reliquiæ ſunt in Tractibus, qui quandoque integro abſolvuntur pſalmo: in-

de

Can. 14.

De Rebus eccleſ. c. 22.

C. I. de Miſſa.

Ration. Lib. IV. c. 19.

De Canon. obſerv. prop. 23.

Præfat. in Ant. lib. Miſſal. Rom. pag. XXII.

de quidem dicti iuxta Martenium, quod unus ſolus canat, nullo ſuccinente vel reſpondente, ſed audientibus omnibus. Secus ac in Gradualibus accidebat, & haud dubie etiam in cantico trium puerorum, uti hodieque ſolet Sabbatis Quatuor Temporum cantari: quod iam a Walafrido eſt notatum, ubi de laudato canone Concilii *Toletani* quarti loquitur in hæc verba: *In eiuſdem loci Concilio ſtatutum eſt, ut etiam hymnus trium puerorum ad Miſſam omni Dominica in pulpito cantaretur. Quod* Romani *propter multiplicitatem Officiorum non faciunt, niſi quatuor per annum diebus, quibus lectionum XII. numerus adimpletur.* Quæ eadem ad verbum fere repetit Berno c. 1. *de quibuſdam rebus ad Miſſam pertinentibus,* iam laudato. Eiusdemque hymni iam meminit Athanasius, vel quiſquis eſt auctor libri *de Virginitate*, qui eum virginibus, ſed privatim ſub diluculum dicendum commendat. In Conſtitutionibus apoſtolicis non abſimilis ſubnectitur hymno matutino *Gloria in excelſis &c.* S. Chrysostomus vero ubique terrarum cantari, & cantatum iri dicit. Lectionarium *Gallicanum* antiquiſſimum, ex codice *Luxovienſi* editum, eundem hymnum poſt Prophetarum lectionem cani iubet in Sabbatho ſancto, nonnihil a noſtro diverſum. *Hoc*, ait Mabillonius, *canticum in aliquibus differt ab eo, quod* Romanus *ordo præſcribit in Sabbatis Quatuor Temporum. Aliter in Lectionario noſtro habetur in Sabbato ſancto.* Ex his intelligimus, lectionem ex Apoſtolo non continuo poſt Prophetiam lectam fuiſſe in ordine *Gallicano.* Secus tamen videmus in Liturgia S. Germani, ubi Propheta & Apoſtolus ſimul memorantur, uti deinceps paſſim apud nos obtinuit, ac etiam adhuc in impreſſis Miſſalibus, quando prophetica & apoſtolica ſimul lectio in Miſſis Natalis Domini præſcribitur, addita eſt, ut ſuo loco videbimus, rubrica nonnunquam id expreſſe innuens, ut continenter dicantur. In laudata Liturgia S. Germani poſt lectionem propheticam præſcribitur hymnus trium puerorum canendus. *In figura Sanctorum veterum, qui ſedentes in tenebris adventum Domini exſpectabant. . . Secundum hoc etiam Eccleſia ſervat ordinem, ut inter benedictionem & evangelium lectio intercedat, niſi tantummodo reſponſorium, quod a parvolis canetur, inſtar innocentum, qui preſſi in evangelium conſortis Chriſti Nativitatem leguntur, vel eorum parvolorum qui properante ad paſſionem Domini, clamabant in templum* Osanna *&c.* Reſponſorium, cuius fit mentio, ipſe hymnus trium puerorum intelligi poteſt, decantatus modo reſponſorio (ut etiam Martenius obſervavit, putatque eundem dici pſalmum reſponſorium a Gregorio *Turonenſi*) a parvulis, quod hodieque apud nos in Sabbatis Quatuor Temporum fit. Additur adhuc *Aius*, ſeu *Agios*, canendum ante evangelium in laudata Liturgia, quod etiam ante prophe-

De antiq. eccl. diſcipl. c. 3.

De rebus eccleſ. c. 22.

L. VIII. c. 36.

Hom. Quod nemo læditur niſi a ſeipſo. c. 10.

De Lit. Gall. L. II.

T. V. Anecd. p. 92. *&c.*

L. VIII. c. 3. *hiſt. Francor.*

prophetiam canebatur, forte ut in Miſſa *Mozarabum*. In Liturgia S. Iacobi poſt Collectam ante lectiones, quæ continenter ex utroque Teſtamento legi iubentur, a cantoribus cani præſcribitur hymnus ter ſanctus, *Sanctus DEUS &c.* atque deinceps poſt orationes aliquas, & exclamationes, reſponſionesque populi, Lectores iubentur inchoare hymnum cherubicum cum aliis, ſubſequente triplici *Alleluia*. Eadem fere omnia in Liturgia S. Marci, ſed ante evangelium notantur. In Liturgia S. Chrysostomi, ante lectionem Apoſtoli & evangelii poſt tertium antiphonum, & troparia, notatur triſagium; hymnus autem cherubicus poſt ſecundam orationem fidelium. Qua de re pluribus L.II. Concilio *Cpolitano* ſub Menna celebrato id convenit, quod Act. V. habet: *Cantores ſupervenientes converterunt ſe dicere Triſagium. Et poſt lectionem ſancti evangelii ex more ſacra Miſſa finita & ianuis clauſis & ſancta lectione iuxta conſuetudinem lecta tempore diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno ſilentio circumcirca altare &c.* Triſagion etiam in Conciliis accini ſolitum ex Act. I. Concilii *Chalced.* ad finem patet. Tragicum eſt, quod Chron. Marcellini Comitis habet: *Dum iubente* Anastasio *Cæſare per* Platonem *in Eccleſia pulpito inſiſtentem in hymnum Trinitatis DEI, Paſſianorum quaternitas additur, multi Orthodoxorum priſtina voce pſallentes in eiusdem eccleſiæ gremio cæſi ſunt.* In Liturgia S. Germani *Sanctus* cantari iubetur a Clero, redeunte ſancto evangelio, in ſpeciem, ut ibi habetur, Sanctorum, qui redeunte Domino Iesu Christo de inferis canticum laudis Dominum ſequentes cantaverunt &c.

T. XII. Opp. p. 783. — *T. V. Conc. Labb. p. 185.* — *P. 93.*

Præſertim Alleluia.

VII. *Alleluia* maxime in hac parte liturgiæ fuit frequentatum, uti etiam in Liturgia S. Iacobi & Marci obſervavi, & in occidentalibus Liturgiis omnibus notatur unacum reſponſorio. *Laudes* in Concilio IV. *Toletano* vocatur verſiculus cum *Alleluia*, quæ poſt Evangelium priſco more *Hiſpaniarum*, ut obſervavit Cardinalis Bona, dicuntur, ei prorſus conformiter cantui, qui ritu *Romano* poſt reſponſorium cantatur. Ipſum vero reſponſorium cantabant *Hiſpani* poſt lectionem Veteris Teſtamenti, quæ in eorum Miſſali Epiſtolæ, ſeu lectioni Novi Teſtamenti præmittitur. At poſt Epiſtolam Chorus reſpondet *Amen*, & ſequitur immediate Evangelium. Eodem fere ritu utuntur *Ambroſiani*, nam poſt lectionem Veteris Teſtamenti ſequitur pſalmellus, quem vocant, inſtar Gradualis *Romani*. Verſum cum *Alleluia* concinunt poſt Epiſtolam. In Liturgia *Maronitarum* poſt lectam Epiſtolam dicit Sacerdos etiam verſus quosdam cum frequenti *Alleluia*. Quod vero *Laudes* idem olim fuerint, ac *Alleluia*, clarum fit ex Liturgia S. Germani: „*Laudes* autem, hoc eſt, *Alleluia*, Iohannes in „*Apocalypſi* poſt Reſurrectionem audivit pſallere. Ideo hora illa Domini „pal-

Rer. liturg. L. II. c. 6. — *P. 95. D.*

„ palleo quaſi Christus tegitur cœlo, Eccleſia ſolet angelicum canticum „ (ſupple *cantare*) quod autem habet ipſa *Alleluia* prima & ſecunda & tertia „ ſignat tria tempora ante lege, ſub lege, ſub gratia.“ Innuit nimirum ter illud fuiſſe repetitum. Ad finem Liturgiæ iterum de eo, & aliis canticis in Quadrageſima omitti ſolitis, fit mentio, utpote gaudium ſolemnitatis mônſtrantibus. „ Et pro hac (inquit) cauſa in Quadrageſima pro humiliatione non utetur (ſtola) ſicut nec *Alleluia* in noſtra Eccleſia, *Sanctus*, „ vel prophetia, hymnum trium puerorum, vel canticum rubri maris illis „ diebus decantantur. Stola alba namque Angelus præcinctus apparuit, quando ſedens in monumento Domini, ſolemnitatem reſurrectionis illius nunciavit. Ideo in Quadrageſima prohibendum hæc cantica, quia cœleſtia, & „ angelica ſunt. De cœlis enim cōlumna ignis in nocte, & columna nubis in die, Angelus in camino flammæ in cœlis audita eſt. *Alleluia* vel „ Sancti (id eſt breves orationes illæ, quæ a verbo *Sanctus* incipiebant, quales cantabantur ante Prophetiam, ante, & poſt Evangelium) tacentur ergo „ in pœnitentia, ut nova fiant in Reſurrectione Dominica, quando referantur & baptiſma. Oportet ergo Levita cœleſtem cantet canticum.“ Diximus de hac re ſuperius, refertque Victor *Vitenſis* tragicum exemplum, quod in *Africa* tempore *Paſchalis* ſolemnitatis acciderat. *Tunc forte*, inquit, *audiente, & canente populo DEI, lector unus pulpito ſiſtens, alleluiaticum melos canebat. Quo tempore ſagitta in gutture iaculatus, cadente de manibus codice, mortuus poſt cecidit ipſe.* Iam etiam olim feſtiviore melodia, variantibus ſemper tropis, cantatum eſſe *Alleluia*, diſcimus ex Cassiodoro, in titulum pſalmi CV. ſic loquente: *Hoc eccleſiis votivum: hoc ſanctis feſtivitatibus decenter accommodum. Hinc ornatur lingua cantorum: iſtud aula Domini læta reſpondet: & tanquam inſatiabile bonum tropis ſemper variantibus innovatur.* Nota illud reſponſorio modo fuiſſe decantatum. De voce *Halleluia* doctum programma haud pridem *Wittenbergæ* edidit Werensdorffius, ubi uſum etiam eius liturgicum illuſtrat a prima Eccleſiæ ætate.

L. I. Perſec. Vandal.

VIII. Nec prætereundus eſt hic Symboli uſus, inde a prima Eccleſiæ ætate in baptiſmi celebratione potius ad conteſtationem veræ fidei, quam ritus ſolemnitatem (licet, etiam hanc in publica baptiſmi actione iam olim cum cantu transactam eſſe, inter liturgicos ritus inveniamus) adhibitus, ſucceſſu temporis etiam in liturgia adoptatus. Eo quidem necdum referendum eſt, quod S. Ambrosius fieri vult: *Symbolum quoque ſpecialiter debemus, tanquam noſtri ſignaculum cordis, antelucanis horis quotidie recenſere. Quod etiam, cum horremus aliquid, animo recurrendum eſt.*

Symbolum.

T. IV. Bibl. PP. Pariſ. p. 49. &c. De Virginib. L. III.

Prius autem in Oriente, quam in Occidente in ſacram Liturgiam eſt introductum ſymbolum. Sunt quidem, qui carmen, quod Priſci Chriſtiani apud Plinium Christo quaſi Deo dixiſſe leguntur, Symbolum fuiſſe putent. Platina, a Marco P. Silvestri ſucceſſore, mandatum narrat, *ut omnibus diebus ſolemnibus ſtatim poſt Evangelium Symbolum a Clero, & populo magna voce cantetur, eo quidem modo, quo fuerat a Concilio* Nicæno *declaratum.* Quod etiam Radulphus *Tungrenſis* confirmat. (*De Canon. obſ. Prop.* 23.) Innocentius vero III. *L. II. de myſt. Miſſæ c.* 49. & alii, id Damasum iuſſiſſe ad exemplum *Græcorum*, volunt. At nec *Græcis* id in more fuiſſe tempore Damasi, conſtat, teſteque Theodoro Lectore: (*L. II. Collectan.*) Petrum Fullonem *dicunt inſtituiſſe, ut in ſingulis Collectis Symbolum recitaretur.* Quem ſequuntur Cedrenus lib. II. & *Nicephorus* Calixtus. Idem tamen alibi: (*L. XV. Hiſt. eccl. c.* 28.) „Nonnulli, inquit, ut Macedonium, per„inde atque trecentorum illorum Symbolum non comprobaret, calumnia„rentur, Timotheum *Cpolitanum* Epiſcopum, non *Petrum* Cnapheum in„ſtituiſſe dicunt, ut in ſynaxi, & conventu eccleſiaſtico quovis Symbolum „id diceretur, quod antea ſemel tantum anno quolibet Paraſceves Paſſio„nis ſancto die in Eccleſia legi ſolitum fuerat, cum Epiſcopus primas re„ligionis noſtræ conſtitutiones docere oporteret.“ Dum nimirum baptizandos catechizabat Epiſcopus, ut laudatus Theodorus narrat, Timotheum Symbolum fidei trecentorum & octodecim Patrum in ſingulis Collectis recitari præcepiſſe. A quo rem accepit Nicephorus; vixit enim Sæc. XI. demum. Theodorus vero hiſtoriam ſuam a morte Theodosii *Iunioris* uſque ad Iustinum deduxit, cui, & quidem *Iuniori*, quod Symbolum tempore Sacrificii populo concinendum præceperit, S. Isidorus, & Ioannes Abbas *Bicharenſis* in Chronico tribuunt; at iam viginti fere antea annis in Concilio *Conſtantinopolitano* ſub Menna mentio illius invenitur, (*An.* 536. *Act.* 5. *T. V. Conc. p.* 185.) tanquam ex more recitari ſoliti inter lectionem Evangelii & diptychorum. In Concilio *Toletano* III. (*Tolet. Can.* 2.) primum in Occidente inſtitutum legitur exemplo *Græcorum*, & quidem ante orationem dominicam: uti etiamnum ante Communionem dicitur ritu *Mozarabico* a). Laudatus vero Isidorus in libro Originum, Symboli formam tota *Græcorum* & *Latinorum* confeſſione in eccleſiis prædicari, dicit Sæc. VI. Verum non ſtatim idem uſus, ut

a) „Pro reverentia ſanctiſſimæ fidei, & propter corroborandas hominum invalidas mentes conſultu piiſſimi, & glorioſiſſimi Domini noſtri Reccaredi Regis, ſancta conſtituit Synodus, ut per omnes eccleſias *Hiſpaniæ*, *Galliæ*, ſecundum formam orientalium eccleſiarum Concilii *Cpolitani*, hoc eſt centum quinquaginta Epiſcoporum, ſymbolum fidei recitetur; ut priusquam dominica dicatur oratio, voce clara prædicetur, quod eſt fides vera, manifeſtum teſtimonium habeat, & ad Christi Corpus, & Sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant; ut priusquam dominica dicatur oratio, voce clara à populo decantetur. Vid. *Chriſt.* Lupi Symbolum *Nicænum* ſcholiis & notis illuſtratum T. I. Opp. c. 6. p. 194. &c.

ut in *Hiſpania* , ſic in aliis etiam eccleſiis occidentalibus inolevit (ut Libro II. inquiremus) uſque ad CAROLUM M. Uti quidem contendit PAGIUS in Critica BARONII : „Imitatæ id poſtmodum (inquit) ſunt quædam ſub CARO- *Ad an.* 325.
„ LO M. *Gallicanæ* eccleſiæ, aliæ tamen, ac ipſa capella regia, imitari non *n.* 25.
„ auſæ ; ideoque a LEONE III. Pontifice veniam impetrarunt. " Aliter ſtatuendum foret , ſi *Trecanum* in Miſſa S. GERMANI Symbolum interpretari luberet, quod ſatis probabile habent auctores Hiſtor. litter. *Franciæ* , ita ut *T. III.*
illud ſit Symbolum Apoſtolorum , cui poſtea *Cpolitanum* fuerit ſubſtitutum. *p.* 315.
At *Gallia Narbonenſis* unacum *Hiſpania* a tempore Concilii *Tolet.* III. *Cpo- Circa an.*
litano uſa eſt. Diſcrimen apoſtolici & *Cpolitani* Symboli ſunt , qui adhi- 589.
bendum putant , dum Eccleſiæ *Romanæ* inſuetum fuiſſe, & quidem uſque ad BENEDICTI VIII. ætatem in BERNONE *Augienſi* legunt , ſub quo hic mos in *An.* 1014.
Eccleſiam *Romanam* admiſſus ſit : „ Ne (ſunt verba LUPI) a ſubditis ſibi *Hi- Schol. in*
ſpaniarum & *Galliarum* eccleſiis , morem deponere nolentibus , diſſonaret." *Conc. Nic. T. I. C.* 4.
In Chronico *Turonenſi* apud MARTENIUM legitur DAMASUM Papam in odium *T. IV. Ampl.*
MACEDONII Epiſcopi *Cpolitani* , qui Spiritum Sanctum Patri, Filioque con- *Coll. Præf.*
ſubſtantialem negabat , inſtituiſſe Symbolum *Cpolitanum* in Miſſa celebrari. Concordat ALBERICUS apud eundem in hæc verba : „ Solemnibus diebus de-
„ cantari inſtituit ex decreto univerſalis Synodi a centum quinquaginta Epi-
„ ſcopis *Cpoli* celebratæ." Nulla vero Symboli fit mentio in primo ac antiquiſſimo ordine *Romano ;* mox tamen in ſecundo itidem antiquiſſimo , & quidem *Cpolitani* initium ponitur. Quod , aliaque teſtimonia BERNONI opponit MARTENIUS : imo non uſum , ſed cantum Symboli negaſſe BERNONEM putat , etſi cantari in Ord. II. dicatur : quod de ſola Miſſa Pontificali interpretatur. Quid præterea dici veriſimiliter poſſit, exponemus Libro II. a) a

IX. Cum

a) „ Et tamen (ſubdit MARTENIUS) plerique exiſtimant *Romanam* Eccleſiam in ſacra liturgia Symbolum non recitaſſe ante tempora HEINRICI II. Imp. àtque ad id probandum , BERNONIS Abbatis *Augienſis* & teſtis oculati , qui id revera aſſerit , afferunt auctoritatem . . . . At huic BERNONIS teſtimonio repugnant antiquiſſimi Ordines *Romani* a MABILLONIO vulgati. Nam in II. ord. quem *Onufrius* PANVINIUS *Gelaſianum* eſſe cenſet , a S. GREGORIO emendatum, hæc leguntur : *Poſt lectum Evangelium candelæ in ſuo loco extinguuntur, & ab Epiſcopo* CREDO IN UNUM DEUM *cantatur &c.* Nec deſunt etiam graviſſimi ſcriptores , qui idem confirment, IOANNES P. VIII. LEO III. AMALARIUS, & *Walafridus* STRABO. His perculſi auctoritatibus cenſent nonnulli , per illud intervallum , quod a medio ſæculo IX. effluxit ad initium ſæculi XI. Symboli in Miſſa recitationem fuiſſe intermiſſam, quod vix credi poteſt. Et certe, ſi BERNONIS verba ſedulo diſcutiamus, non omnino negare videtur a *Romanis* in Miſſa recitatum fuiſſe, ſed tantummodo decantatum : quia revera non ſolemni vocis modulatione decantabatur , ſed tantum recitabatur, ad eum fere modum , quo etiamnum ſubdiaconus in eccleſia *Lugdunenſi* , præter aliarum eccleſiarum morem epiſtolam absque ulla cantus inflexione recitat. Et ne quis gratis a nobis aſſertum id obiiciat, ſententiæ noſtræ vadem aſſerimus LEONEM III. qui in *Aquisgranenſi* cum CAROLO M. collatione clariſſimis id ac perſpicuis verbis affirmat. *Quod vero* (inquit)

Offertorium. IX. Cum olim populus oblationes ipſemet ad altare facere conſueverit, factum eſt, ut antiphona, quæ interim canebatur, *Offertorium* ſeu *offerenda* diceretur, uti Introitus & Graduale ſucceſſu temporis magis ſecundum varietatem temporum & feſtorum ex pſalmis potiſſimum ſunt collecta. *Deinde ſequitur offerenda*, ut inquit REMIGIUS Altiſiodorenſis, *quæ inde hoc nomen accepit*, *quod tunc populus ſua munera offerat. Sequuntur verſus a vertendo dicti, quod in offerendis revertantur, dum offerenda repetitur. Offertorium*, ait BERNO Augienſis, *quod inter offerendum cantatur*, *quamvis a prioris populi conſuetudine in uſum Chriſtianorum veniſſe dicatur*, *tamen quis ſpecialiter addiderit, aperte non legimus.* Plura dicemus ſuo loco lib. II. quia ſerius induci cœperunt hæ antiphonæ, nec hodieque apud orientales comparent, qui *Anaphoram* proprie ſic dictam a *præfatione*, ſeu gratiarum actione auſpicantur, quæ in miſſali *Gothico*, & *Gallicano*, *Inlatio* etiam nominatur, de qua ISIDORUS: *Infertur illatio in ſanctificatione oblationis.* In liturgia S. GERMANI vocatur *ſonus*, ſeu *ſonum*, quod tunc canitur. *Sonum autem*, *quod canetur*, *quando procedit oblatio*, *huc traxit exordium. Præcepit Dominus* MOYSI, *ut faceret tubas argenteas*, *quas Levitæ clangerent*, *quando offerebatur hoſtia*, *& hoc eſſet ſignum*, *per quod intelligeret populus*, *qua hora inferebatur oblatio*, *& omnes incurvati adorent Dominum*, *donec veniret columna ignis aut nubes*, *qui benediceret Sacrificium. Nunc autem procedentem ad altarium Corpus* CHRISTI *non iam tubis inrepræhenſibilibus* (ita codex) *ſed ſpiritualibus vocibus præclara* CHRISTI *magnalia dulci melodia pſallet eccleſia.* Conveniunt hæc cum laudatis BERNONIS verbis, moreque illorum temporum, ut ſacra Euchariſtia deferretur ipſo oblationis tempore ad altare: qua allata „Fiebat panis & vini conſecrandi oblatio (ut obſervat MARTENIUS) atque interim chorus canebat *Sonum*, id eſt antiphonam, quæ noſtro Offertorio reſpondebat, aut quid ſimile. Forte *ſonus* aliud nihil erat quam quod expoſitio noſtra mox *laudes* appellat. *Laus* autem in miſſali *Mozarabum* conſtat ex *Alleluia*, & uno verſiculo, ſed in *Gallicana* liturgia ter repetitum fuiſſe *alleluia* &c.“ Huc ſpecialiter referri poteſt, quod S. AUGUSTINUS contra HILARIUM egit, inceſſentem morem, „qui tunc eſſe apud *Carthaginem* cœperat (ut loquitur) ut hymni ad altare dicerentur de pſalmorum libro, ſive ante oblationem, ſive cum diſtribueretur populo, quod fuiſſet oblatum.“ Apud *Græcos* eodem pertinet,

Ap. P. le Brun Explicat. des Priéres &c. p. 284.

De quibusdam ad Miſſam pertinentibus. C. I.

L. I. c. 15.

Pag. 94.

Pag. 87.

L. II. Retractat. c. II.

aſſeritis, *ideo vos ita cantare Symbolum*, *quoniam aliquos in iſtis partibus vobis priores audiſtis decantaſſe*, *quid ad nos*, *qui id ipſum non cantamus*, *ſed legimus.* Unica ſupereſt difficultas. Nam antiqui ordines *Romani* non ſimpliciter legi Symbolum præcipiunt, ſed cantari, & quidem alta voce. Difficultatem ſolvimus reſpondendo, decantatum quidem fuiſſe Symbolum in Miſſa pontificali, at vero ſolummodo recitatum in qualibet alia Miſſa, Sacerdote non Pontifice celebrante.“

tinet, quod fit, dum more mox laudato, non quidem ipſa ſacra Euchariſtia ad altare defertur, ſed ſymbola, magna pompa & reverentia: *Dum interim cantores gravi cantu cherubicum hymnum modulantur.* In liturgia Marci præſcribitur: *Hic pſallant,* Qui Cherubim myſtice: *dum interim incenſum offert Sacerdos, & preces fundit;* quæ noſtris ſecretis videntur reſpondere, forte inde ſic dictis, quod aut durante, aut ceſſante iam cantu a Sacerdote dicerentur. Hanc liturgiæ partem deſignat Dionysius vulgo *Areopagita* de cœleſt. Hierarch. *Qui in miniſtrorum ordine primas tenet, unacum Sacerdotibus divino altari panem ſacrum, Calicemque benedictionis imponunt, ab univerſa plenitudine eccleſiæ communi hymnologia præmiſſa.* *Cap. 3.*

X. In liturgia ſolemnis ſemper inde ab eccleſiæ primordiis fuit illa gratiarum actio, quam nos *præfationem* dicimus, ad hodiernum usque diem conſtanter uſitata, quam fere ſolam S. Iustinus commemorat inter ea, quæ ipſam Euchariſtiæ celebrationem antecedunt, & conſequuntur. *Deinde,* inquit, *ei, qui præeſt fratribus, panis affertur, & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis laudem & gloriam* αἶνον καὶ δόξαν *univerſorum parenti per nomen Filii, & Spiritus Sancti emittit, & Euchariſtiam ſive gratiarum actionem, pro his ab illo acceptis donis, prolixe exequitur. Poſtquam preces & Euchariſtiam abſolvit, populus omnis acclamat amen.* πᾶς ὁ λαὸς ἐπιφημεῖ ἀμήν. Huc referendum, quod apud Eusebium ex epiſt. Dionysii ad Sixtum *Rom.* Epiſc. de quodam ab hæreticis baptizato habetur: *Cum enim & gratiarum actionem in eccleſia audiſſet, & ad illam unacum aliis* Amen *accinuiſſet.* (Εὐχαριςίας ἐπακούσαντα συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμήν.) Iterum laudatus S. Iustinus paulo poſt bis adhuc repetit, conſtanterque in omnibus liturgiis reperitur ſolemnis hæc Præfatio, uti iam vocat S. Cyprianus: *Sacerdos ante orationem, Præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes dicendo:* Surſum corda; *ut dum reſpondet plebs:* habemus ad Dominum, *admoneatur, nihil aliud ſe quam Dominum cogitare debere.* Nihil adeo conſtanter in utraque eccleſia orientali, & occidentali in ſacra liturgia fuit conſervatum, quam ſingula fere huius præfationis verba, ac ſenſus, quoad gratiarum actionem, ſeu Euchariſtiam ipſam, unde Sacrificium ac Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nomen accepit. Eadem vero fuerunt a primæva eccleſiæ ætate ſolemnia illa acclamationis & reſponſionis verba, adhuc hodie uſitata: uti iam in conſtitutionibus apoſtolicis leguntur ad ſolemnem Sacerdotis apprecationem: „Atque omnes una voce reſpondeant; *Et cum Spiritu tuo.* „Tum Pontifex, *ſurſum mentem:* Et omnes; *Habemus ad Dominum.* Et „Pontifex; *Gratias agamus Domino:* Et cuncti, *dignum & iuſtum eſt.* Et „Pontifex dicat; *Vere dignum & iuſtum eſt, ante omnia laudare te &c.*

Præfatio. — *Apol. 2.* — *L. VII. c. 9.* — *De orat. dominica.* — *L. VIII. c. 12.*

P 3 Non

Non opus eſt adhuc aliarum liturgiarum quarumcunque verba eadem referre, nec etiam inſtituti noſtri ratio id fert accumulare Doctorum verba, quibus in ſuis homiliis & ſermonibus ad hoc fideles provocant, ut memores & attenti ad ea, quæ reſpondent, ſint verba. „ Ac ſi (ut verbis S. CYRILLI

Catech. XXIII. n. 4. „ *Hieroſolymitani* utar) præcipiat Sacerdos, ut omnes circa illam horam „ deponant curas vitæ huius & domeſticas ſollicitudines, habeantque ſurſum „ in cœlo cor ad clementem DEUM. Deinde reſpondetis: *Habemus ad* „ *Dominum;* ei præcepto per eam, quam pronuntiatis confeſſionem, aſſen- „ tientes … Poſtea hæc Sacerdos ait: *Gratias agamus Domino.* Vere enim „ gratias agere debemus, quod, quum indigni eſſemus, ad tantam nos vo- „ cavit gratiam, quod inimici cum eſſemus, nos reconciliavit, quod Spi- „ ritu adoptionis eſt dignatus. Ad hæc vos ſubiicitis: *Dignum & iuſtum.*" Refert deinde eandem fere, quæ in liturgia S. IACOBI habetur, gratiarum actionem, ſeu, ut olim etiam vocari conſuevit, conteſtationem ac præfationem: Uti iam in S. CYPRIANO vidimus. Nec dubium eſt, quin huc ſpectet can. XII. Concilii *Milevitani*, ubi præſcribitur, *Ut preces, vel orationes, & Miſſæ, ſive Præfationes, quæ probatæ fuerint in Concilio ab omnibus celebrentur.* Præfationis locum habent ad mox ſequentem hymni angelici cantum, ſacratioraque conſecrationis verba: ἱεροὺς τῶν θεουργικῶν ὕμνους

Cap. 3. *ſacros divina effectivorum hymnos* vocat DIONYSIUS de hierarch. eccl. quem

L. I. c. 89. Gem. anim. HONORIUS *Auguſtod.* auctorem Præfationis Miſſæ facit. In eccleſia *Romana* GELASIUS *Præfationes*, quæ canonem præcedunt, cantu quidem, & ſermone

Sigeb. in Chron. ad an. 581. eleganti compoſuit. Eæ iuxta decretalem, quæ circumfertur, epiſtolam PELAGII, novem numero ſunt legitimæ, cum alias innumeræ fere olim fuerint. Decimam ad honorem Deiparæ URBANUS II. (ut ſuo loco dice-

L. III. Decret. c. 69. mus) addidit. Et quidem, ut eſt apud BURCHARDUM & SIGEBERTUM, PELAGIUS ille Pontifex decrevit, quotidianam Sacramentorum præfationem ad Miſſas novem tantummodo præfationibus, ſecundum antiquum *Romanorum* ordinem, eſſe commutandam, ſcilicet in *Natali Domini*, in *Apparitione*, in *Paſcha*, in *Aſcenſione*, in *Pentecoſte*, de *SS. Trinitate*, de *Apoſtolis*, de *ſancta Cruce*, de *ieiunio Quadrageſimali.*

De hymno SANCTUS &c.

Berno Aug. De quibusd. rebus ad Miſſ. ſpectantibus c. 1.

XI. De hymno triumphali *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, quis ſpecialiter addiderit, BERNO *Augienſis* dicit, non legi. Idem tamen teſtatur, non deeſſe, qui putent, SIXTUM P. ad Miſſam addidiſſe. Id quod auctores medii ævi non ſolum, qui de Officiis divinis ſcripſerunt, ſingillatim auctor ſub nomine ALCUINI, Micrologus, RADULPHUS *Tungrenſis*, ſed etiam Chronographi paſſim, SIGEBERTUS, MARIANUS *Scotus*, MARTINUS *Polonus*, auctoritate haud dubie libri Pontificalis aſſeruerunt; ubi SIXTUS I. conſtituiſſe dicitur:

citur: „ Ut Miſſarum actionem Sacerdote incipiente, populus hymnum de-
„ cantaret *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus DEUS ſabaoth &c.* URSPERGENSIS hoc COELESTINO P. attribuit a). In Conſtitutionibus apoſtolicis a
idem legitur: „ Et omnis populus ſimul dicat: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, L.VIII.c.12.
„ *Dominus ſabaoth: pleni ſunt cœli & terra gloria eius: benedictus in ſæ-*
„ *cula. Amen.* Et Pontifex poſtea dicat: *Sanctus enim vere es, ac Sanctiſ-*
„ *ſimus, Altiſſimus, & Superexaltatus in ſæcula. Sanctus quoque unigenitus*
„ *tuus Filius, Dominus noſter, & DEUS, IESUS Chriſtus &c.*" Illuſtrantur hæc clarius ad confeſſionem totius Sanctæ TRINITATIS, ter repetito *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, verbis S. AMBROSII ad hunc ipſum Eccleſiæ uſum provocantis: *Seraphini*, inquit, *laudant*, *omnis Beatorum chorus laudat, ut ſanctum DEUM dicat, Sanctum Filium, Sanctum Spiritum. Quomodo igitur non omnia habet, quæ DEI ſunt, qui cum Patre & Filio a Sacerdotibus, & in baptiſmo nominatim, & in oblationibus invocatur cum Patre & Filio.* Similiter S. HIERONYMUS eundem hymnum in confeſſionem TRINITATIS cani teſtatur: „In confeſſionem Sanctæ TRINITATIS erum-
„ pimus dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS ſabaoth.*" Quam vero antiquum hoc ſit in celebratione ſacræ liturgiæ, ex actis SS. PERPETUÆ & FELICITATIS apud RUINARTUM, & ad calcem LACTANTII *de morte Perſecutorum*, colligere licet: ubi S. PERPETUA in viſione quadam, viſa ſibi Euchariſtiam accipere, inter alia dicit: „Introivimus, & audivimus vocem
„ unitam *Agios*, *Agios*, *Agios* ſine ceſſatione." S. CYRILLUS *Hieroſolymit.* expreſſe ὑμνῳδίας, ſeu pſalmodiæ ac cantus meminit: *Propterea enim traditam nobis a Seraphinis hanc Theologiam* (*ſeu DEI celebrationem*) *recitamus, ut communi laudum modulatione cum ſuperioribus mundo exercitibus coniungamur. Deinde, poſtquam noſmetipſos per hos ſpirituales hymnos ſanctificavimus, DEUM benignum exoramus &c.* S. ATHANASIUS *Arianos*, qui *Triſagion* mutata voce canebant, ad finem ſermonis in illud, *Omnia mihi tradita ſunt*, inceſſit his verbis: „ Nec vero ullus e ſanctis Prophetis, qui
„ in huiusmodi viſione maxime ſunt digni habiti, nobis renunciavit illos ma-
„ gna voce uſos eſſe cum *Sanctus* prima vice proferrent, minus clara ſecun-
„ da vice; ſubmiſſa denique tertia vice: deindeque prima ſanctitatem Do-
„ mini ſignificari, ſecunda ſubiectionem indicari, tertia demum inferiorem
„ deſignari ordinem." Nullus S. CHRYSOSTOMO frequentius meminit myſticæ melodiæ, ut vocat ſæpiſſime, ſolita imprimis eloquentia & energia hunc chriſtiani populi cum angelis concentum deprædicans. A CHRISTO demum hos ad nos hymnos delatos aſſerit, atque cani præceptos b). Id ei

L. III. c. 18. de Spiritu S.

De XLII. manſionibus in initio.

Ruin. Act. ſincera MM. p. 98.

Catech. XXIII. n. 6.

T. I. P. I. p. 108.

Epiſt. 2. ad Olymp. hom. 3. de pœnit. hom. 16. L. &c.

a) Vid. etiam MABILLONIUS ſupra p. 106. laudatus.

b) „IESUS (inquit Hom. 23. ad *Epheſios*. T. XI. N. E. n. 3.) Filius Patris miſericordiarum, filius eius

ei ſolemne eſt, populum ex hac concentus cum Angelis conſociatione ad officia chriſtiana a profanis præſertim cantilenis advocare: *Quomodo*, inquit alicubi, *non eſt abſurdum poſt myſticam illam vocem e cœlis delatam, a Cherubim dico, meretriciis cantibus, & fractis melodiis theatri aures inquinare?* Alibi vero commemorans, quomodo aſſoleat perſæpe cum ipſo etiam Sacerdote populus verba, ac vocem coniungere, ad eundem potiſſimum provocat hymnum a). Quodam loco populum inde multum collaudat, & dignationem, ut cum choris exercitibusque Angelorum ſuas conſociet voces, deprædicat b). Loquitur autem de vigiliis, & ſtationibus nocturnis, ut videri poſſit, tunc etiam peculiariter dictum fuiſſe hymnum illum, niſi malis intelligere de coniuncta ſimul tunc liturgia. SEVERIANUS Epiſcopus *Gabalenſis* in homilia de filio prodigo eiusdem hymni meminit, addictis ſacroſanctis nominibus, explicationis, ut puto, cauſa: *Recordamini*, inquit, *tremendorum myſteriorum, ubi ſubiunguntur voces Angelorum collaudantium de cœlis & dicentium* ἅγιος ὁ πατὴρ, ἅγιος ὁ υἱὸς, ἅγιος ὁ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ τὴν θυσίαν τελεσιουργῆσαν. Alius vero eſt cherubicus hymnus in liturgia *Græca* ad illationem ſacrorum Symbolorum cani ſolitus:

Hom. 21. ad pop. Antioch.

qui eſt vere DEUS, omnem tulit virtutem, omnes qui inde ſunt fructus, hymnos nempe ad nos detulit cœleſtes. Nam quæ in cœlis (ἄνω) dicunt Cherubim, ea nos quoque iuſſit dicere: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*.“ Et homilia in Seraphim: (T. VI. N. E. p. 141.) „Antea quidem in cœlis tantum hymnus iſte canebatur: poſtquam autem in terram venire dignatus eſt Dominus, hunc etiam concentum ad nos detulit. Propterea quoque magnus Pontifex cum iuxta ſacram hanc menſam conſtiterit, ut rationalem cultum exhibeat, & ſacrificium offerat incruentum, non ſimpliciter nos ad hanc fauſtam acclamationem invitat, ſed ubi prius Cherubim nominavit, & Seraphim mentionem fecit, tum demum ad hanc tremendam vocem mittendam omnes adhortatur, & dum eorum nos admonet, qui nobiſcum choros agitant, mentem noſtram a terra ſubducit, unumquemque noſtrum his propemodum verbis excitans: Unacum Seraphim canis, unacum Seraphim ſta, cum illis alas extende, cum illis regium ſolium circumvola.“

a) Hom. XVIII. in 2. *Cor.* „In tremendis quoque myſteriis, ut Sacerdos pro plebe, ita plebs pro Sacerdote vota facit. Hæc enim verba *& cum Spiritu tuo* nihil aliud quam hoc ſignificant. Rurſus ea oratio, qua DEO gratiæ aguntur, utrisque communis eſt; neque enim ipſe ſolus gratias agit, ſed etiam plebs univerſa. Nam quum primus illorum vocem ſumſit, atque illi aſſenſerunt, id digne ac iuſte fieri, tum demum gratiarum actionem auſpicatur. Quid autem eſt, quam ob rem tibi mirum videatur, ſi cum Sacerdote plebs interdum loquatur, quum etiam cum ipſis Cherubim, ac ſupernis virtutibus ſacroſanctos illos hymnos communiter in cœlum mittat.“

b) „Eoquod (ſunt verba laudati Doctoris Hom. in laudem eorum, qui comparuerint in eccleſia) angelicorum ordinum ſtationem imitantes, ſine ceſſatione laudes, & hymnos offertis conditori. O mira CHRISTI dona! in ſupernis exercitus Angelorum canunt gloriam: in terris eandem hominum depromit multitudo, communiterque tum cœleſtium, tum terreſtrium feſtivus conventus congregatur: una gratiarum actio, una exſultatio, una gaudentis choreæ ſtatio. Hanc enim ineffabilis Domini ſeſe ad nos demittentis bonitas conſtituit, hanc Spiritus congregavit ſanctus: huius vocum concentus paterno beneplacito congruit: e cœlis habet modulorum conſonantiam, dum a Trinitate velut a plectro quopiam movetur, delectabile illud ac felix reſonat melos; illam angelicam cantionem, illum deſinere neſcium concentum.“

tus : οἱ τὰ χερουβίμ. Alius item in ſacris *Græcorum* frequentatus hymnus τρισάγιος, quem nos quotannis die Paraſceve græce, & latine cantamus. Hunc ad tempora Concilii *Chalcedonenſis* ad an. 402. referendum, colligitur ex actis eiusdem Concilii. Nec multo poſt in *Orientis* eccleſiis receptum, *T. IV. edit. Labb. p.* 610. & publico uſu confirmatum eſſe, vel ex eo patet, quod multas deinde turbas excitaverit facta ei additio : *Qui paſſus eſt pro nobis*, vel : *Qui crucifixus eſt pro nobis*, quæ facta eſt a *Petro* FULLONE. Paſſim THEODOSIO *Iuniore* imperante demum in eccleſia cani cœptum aiunt, divinitus quidem S. PROCLO *Patr.* edocto, ut NICEPHORUS, *Io.* DAMASCENUS, PAULUS *Diaconus*, & CEDRENUS *L. XIV. c.* 46. narrant a). a Sunt quidem, ut obſervat CANGIUS V. *Triſag.* qui decantatiſſimum *Græcis* hunc hymnum τρισάγιον *Sanctus DEUS* &c. longe ante PROCLUM, circa medium ſæc. V. *Cpolitanam* ſedem tenentem, in uſu fuiſſe putent, quod in omnibus ſacris liturgiis IACOBI, MARCI, BASILII, CHRYSOSTOMI, reperiatur. Sed S. CHRYSOSTOMUS conſtanter de altero illo loquitur, quem triumphalem ideo dicimus, quod iſtum *Domino DEO exercitum in ſublimi gloriæ throno ſedenti, velut DEO forti, & cuncta potenti, cœleſtis militiæ duci, inimicarum legionum debellatori feliciſſimo, victoriæque omnis datori, angelici Spiritus vidente* ISAIA c. 6. *cecinerunt*, ut ait GOARUS. *Euchólog p.* 135. Accidit alicubi in Occidente, ut non ubique in omnibus diceretur Miſſis: quem abuſum ſuſtulit Concilium *Vaſenſe* II. ſtatuens: „Ut in omnibus Miſſis, *Can.* 3. „ ſeu matutinis, ſeu in Quadrageſimalibus, ſeu in illis, quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, ſemper *Sanctus, Sanctus, Sanctus* eo ordine, „ quo ad Miſſas publicas dicitur, dici debeat. Quia tam dulcis & deſiderabilis vox, etiamſi die noctuque poſſit dici, faſtidium non poterit generare. “ b) Colligi hinc videtur, quod in Miſſis, quæ forte ſine cantu b cele-

a) Ut enim laudati auctores referunt, cum regnante THEODOSIO terra ipſis quatuor menſibus motibus continuis agitaretur, accidit, ut illa vehementius aliquando fluctuante, omnique populo intenſius *Kyrie eleiſon* acclamante, adoleſcentulus, nemine non vidente, in äera ſublatus, divinam audierit vocem, præcipientem ſibi, Epiſcopo populoque nunciaret, ut litanias agerent, dicentes : ἅγιος ὁ θεὸς κ. τ. λ. *Sanctus DEUS, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis*, quin aliud quidquam adderent. Quod ubi PROCLUS fieri mandaſſet, moremque mandatis fideles geſſiſſent, quiete terræ reſtituta, ab THEODOSIO hoc *Triſagion* omnibus totius orbis eccleſiis commendatum fuiſſe. De hac tamen re nihil apud coævos auctores legeris. Vid. *Chriſt.* LUPUS ad Conc. *Trull.* T. III. p. 145. *Petr.* ALLIXIUS in peculiari lib. de *Triſagio.* BORREMANSIUS in Veſperis Gorinch. p. 16. *Conr.* SCHURTZFLEISCHIUS, & alii de hymnis eccleſiæ veteris.

b) Pro explicatione huius canonis nota ex obſervantia omnium temporum locum S. EPIPHANII in ſynopſi n. 22. de *Synaxibus, quæ quarta, & pro ſabbato ad horam nonam fiunt, in die Dominica matutinis horis* κατὰ τὰς πρωϊνάς. Ut vero illis diebus ſtationum ad nonam, ſic in Quadrageſima ad veſperam ſynaxes agebantur. Unde alibi diſtinguuntur, veluti can. 29. Conc. *Aurelianenſis* III. an. 538. *Sacrificia matutina Miſſarum, ſive veſpertina* nominantur, quæ eadem ſunt, ac quadrageſimalia. Eo pertinet,

celebrabantur, ſeu minus ſolemnibus, omitteretur, dum cani alias conſueverat. Occurrit tamen in omnibus liturgiis tam orientalibus, quam occidentalibus, quandoque etiam græce, uti in *Mozarabica* iſte: *Agios, Agios, Agios Dominus DEUS Rex æterne, tibi laudes & gratias.* Et in liturgiæ S. GERMANI expoſitione *Aius*, ſeu *Agios*, & *Sanctus* ante prophetiam, & iterum ante Evangelium *Agios*; *Sanctus* vero poſt Evangelium canendum præſcribitur, ſicut iam diximus: idemque de liturgia *Mozarabica* notandum, in qua præter *Agios*, ac *Sanctus*, quod canonem præcedit, repetitis etiam vicibus canitur, uti in liturgia S. GERMANI, ſed non eodem loco. Uſus iſte, ut alia eius liturgiæ, haud dubie ab oriente venit. Edidit nuperrime WERENSDORFIUS programma *de prece* HOSIANNA, *eiusque in liturgia uſu*, quem iam in conſtitutionibus apoſtolicis obſervamus, atque in liturgia S. CHRY-
a SOSTOMI, & aliis tam *Græcis*, quam *Latinis* ad hodiernum uſque diem. a)

De Conſecratione. 2. Tim. I. XII. S. AUGUSTINUS ad S. PAULINUM reſcribens Epiſt. 149. n. 16. N. ed. de illo Apoſtoli: *Obſecro itaque primum omnium fieri obſecrationes &c. ut* ait, *precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici: orationes cum benedicitur, & ſanctificatur &c.* Orationes hæ poſtea canon Miſſæ ſunt appellatæ, ſub quo conſecratio fit. Sic etiam *Precem* vocat INNOCENTIUS I. in epiſt. ad DECENTIUM; & VIGILIUS P. ad PROFUTURUM, *canonicæ precis textum.* Quodſi, ut fit, ſecreto factæ illæ orationes non fuerunt, lo-
Ep. LV. n. 34. cum habere potuit, quod ſupra iam retulimus ex eodem S. AUGUSTINO: *Quando autem non eſt tempus, cum in eccleſia fratres congregantur, ſancta cantandi, niſi cum legitur, aut diſputatur, aut Antiſtes clara voce deprecatur, aut communis oratio Diaconi indicitur.* Quod dicit Antiſtitem clara voce deprecari, *Græcis* nuncupantur ἐκφωνήσεις, ſeu iuxta Concilium *Laodicenum orationes* διὰ προσφωνήσεως, quæ ſunt orationes altiori vocis ſono pronuntiandæ. Quales IUSTINIANUS Imp. in Nov. Conſ. 123. hic fieri vult μὴ κατὰ σεσιω-

quod in Conc. *Matiſconenſi* I. (an. 583.) can. 9. ſancitur, ut a feria S. MARTINI uſque ad natale Domini, ſecunda, quarta, & ſexta Sabbati ieiunetur, & Sacrificia Quadrageſimali debeant ordine celebrari.

a) Id quidem noſtrum nihil attinet inſtitutum, quod dicit de ſignificatu huius vocis compoſitæ ex הושיע & אנא, quam in unico loco Pſ. CXVIII. LUTHERUS optime tranſtulerit: *O Herr hilf*: *Domine auxiliare* interpretatus, atque eo ſenſu populus, & pueri *Hebræorum* CHRISTO acclamaverint ad auxilium, redemtionemque a MESSIA impetrandam. Inde vero haud video, quare inceptum adeo illius vocis uſum concludat tum in liturgia, cum etiam in proceſſionibus, atque acclamationibus, quæ prima eccleſiæ ætate Epiſcopis ſubinde fieri ſolebant, atque etiam ex EUSEBIO diſcimus, IACOBO *Apoſtolo*, dum verba faceret *Hieroſolymis*, acclamatum eſſe.: *Hoſanna filio* DAVID; quippe qui ex ſtirpe DAVID erat oriundus, ex qua MESSIAS exſpectabatur naſciturus.

σεσιωπημένον, ἀλλὰ μετὰ φωνῆς πιστοτάτῳ λαῷ ἐξηκουσμένης, *non tacite, ſed voce a fideli populo percipienda.* Tales etiam ἐκφωνήσεις ſunt verba, quibus orationes concluduntur, atque ad eas reſpondet populus. Sic iam ex Iustino M. retulimus: „Poſtquam preces, & Euchariſtiam abſolvit, populus o- *Apol. II. n.* 10.
„ mnis acclamat *amen.*" Et iterum: „Panis offertur, & vinum cum aqua „ ei, qui præſidet cœtui. Is preces, & gratiarum actiones ſimiliter, quan- „ tum poteſt, DEO fundit: ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, & populus accla- „ mat, dicens *amen.* Tunc fit diſtributio &c." Et ex Eusebio: „Cum *L. VII. hiſt. c.* 9.
„ enim & gratiarum actionem in eccleſia audiiſſet, & ad illam unacum aliis „ *amen* acciniſſet συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμήν." Quod intelligi poteſt de huiusmodi reſponſionibus inter ipſa ſacratiora verba, iuxta liturgias *Græcas*, & *Ambroſianam*, ipſo S. Ambrosio eius rei mentionem faciente in libro de iis, qui myſteriis initiantur: „Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſe- „ crationem Sanguis nuncupatur. Et tu dicis *amen:* hoc eſt, verum eſt." Quod ritu *Romano* in precis canonicæ concluſione etiamnum ante orationem dominicam ſolemne eſt.

XIII. Orationis dominicæ tam conſtans fuit in liturgia uſus, ut fue- De oratione dominica, & benedictione.
rint, qui, ad eam ſolam celebraſſe Euchariſtiam Apoſtolos, putarint. Viderique queat, Lucianum huc reſpexiſſe, dum hymnum apud Chriſtianos ſolemnem in Sacris memorat ἀπὸ τοῦ πατρὸς *a Patre* incipientem. Nihilominus in conſtitutionibus apoſtolicis non notatur, niſi in baptiſmi liturgia, a baptizato *L. VII. c.* 44.
dicenda. S. Cyrillus *Hieroſolymitanus* eandem commemorat, a populo haud dubie communi voce dictam; „Tum vero (inquit) poſt hæc illam reci- *Cat. XXIII. n.* 11.
„ tamus orationem, quam Salvator propriis ſuis diſcipulis tradidit: DEUM „ cum pura conſcientia patrem nuncupantes, dicentesque: *Pater noſter* &c." Poſt populum Sacerdos: *Et ne nos inducas in tentationem*, ſubdit iuxta liturgiam S. Iacobi, quæ convenit alias cum liturgia S. Cyrilli; additque S. Cyrillus, quod in illa S. Iacobi liturgia habetur, ut populus reſpondeat *Amen.* In liturgia S. Marci (ubi iam notavi ex vetuſtiſſimo auctore de curſuum eccleſiaſticorum origine, *Sanctus*, vel *Gloria in excelſis*, vel *orationem dominicam*, & *amen* ab univerſis tam viris, quam fœminis decantari) primum a Sacerdote, deinde a populo dicenda præſcribitur: ſed a Sacerdote haud dubie ſubmiſſa voce, cum mox ſequens oratio ſit *elata voce* dicenda. Puto unam intelligendam etiam orationem dominicam ex illis, quas Concilium *Laodicenum* implendas διὰ προσφωνήσεως per enunciationem dicit. Coniungitur hic tam Orientis, quam Occidentis conſuetudo, *L. VII. epiſt.* 64. *Vet. ed.*
quam notat S. Gregorius M. dominicam orationem apud *Græcos* ab omni populo dici; apud nos vero a ſolo Sacerdote. Utrumque tamen Mabillo- *De liturg. Gallic. lib. I. c.* 5.
nius in eccleſia *Gallicana* obſervavit, nimirum ut a Sacerdote, & omni

populo diceretur. In liturgia vero *Mozarabica* a Sacerdote quidem dicitur, ut tamen populus ad ſingulas petitiones *Amen* reſpondeat. Quæ diverſitas nihil officit; quin declarat, ſemper quadam ratione populi partes interveniſſe, etiam *Romano* ritu, quo populus ſaltem poſtremam eius ſuccinit partem. Conſtatque, eam in liturgiis omnibus in ſacratiſſima parte fuiſſe
L. II. contra Parmen. dictam. Quam etiam OPTATUS *Milevitanus* deſignat: *Inter vicina momenta,* inquit, *dum manus imponitis, & delicta donatis, mox ad altare converſi, dominicam orationem prætermittere non poteſtis.* Ex S. AMBROSIO, vel quisquis
L. V. c. 4. eſt auctor librorum de Sacramentis, idem patet: „Dixi vobis, quod ante „verba CHRISTI, quod offertur, iam non panis dicitur, ſed corpus appel„letur. Quare ergo in oratione dominica, quæ poſtea ſequitur, ait: *Panem* „*noſtrum* &c.“ S. HIERONYMUS præfationem videtur indigitare, quæ ſolet hodieque orationi dominicæ in ſacra liturgia præmitti: „Sicut docuit Apo„ſtolos ſuos, ut quotidie in corporis illius ſacrificium credentes audeant „loqui, *Pater noſter* &c.“ Sæpiſſime S. CHRYSOSTOMUS ad hanc dominicam orationem a fidelibus dici conſuetam provocat, ut officii commoneat, & adhortetur, præſertim quoad petitionem illam *& demitte nobis* &c. At-
Retract. lib. I. c. 19. que S. AUGUSTINUS: „In eisdem mandatis eſt, quod iubemur dicere: „*Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quam „orationem uſque in finem ſæculi tota dicit Eccleſia.“ S. CÆSARIUS *Arelat.*
Serm. 282. in append. indiſcriminatim hic de populi cantu loquitur: „Quum enim maxima pars „populi, imo, quod peius eſt, pene omnes recitatis lectionibus exeunt de „eccleſia, cui dicturus Sacerdos, *Surſum corda:* nunquid reſpondere poſ„ſunt, quando deorſum in plateis & corpore ſimul & corde diſcedunt? „vel qualiter cum tremore ſimul & gaudio clamabunt: *Sanctus Sanctus San-* „*ctus benedictus qui venit in nomine Domini?* Aut quando oratio dominica „dicitur, quis eſt qui humiliter & veraciter clamet, *Dimitte nobis debita* „*noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?* Cum enim etiam illi, „qui ſe in eccleſia continent, ſi non dimiſerint debita debitoribus, ad iu„dicium magis quam ad remedium orationem dominicam proferunt ex ore,
Reg. c. 13. „quam implere non probentur in opere &c.“ Hinc etiam a S. BENEDICTO oratio dominica in matutinis laudibus, & veſperis iubetur dici, audientibus omnibus: „Ut conventi per ipſius orationis ſponſionem, qua dicunt, „*Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris,* pur„gent ſe ab eiusmodi vitio.“ Antea iam dixerat CÆSARIUS: „Qui vult „Miſſas ad integrum cum lucro animæ ſuæ celebrare, uſquequo oratio „dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore, & com-
An. 506. „puncto corde ſe debet in eccleſia continere.“ Sancitum id variis in Con-
Can. 47. ciliis fuit, veluti *Agathenſi.* Ibi: „Miſſas die dominico a ſæcularibus totas teneri

„ſpe-

„ ſpeciali ordinatione præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis e-
„ gredi populus non præſumat.“ *Aurelianenſi* I. „ Cum ad celebrandas Miſſas *Can.* 26.
„ in Dei nomine convenitur, populus non ante diſcedat, quam Miſſæ ſo-
„ lemnitas compleatur, & ubi Epiſcopus fuerit, benedictionem accipiat Sa-
„ cerdotis.“ Idem repetitur in Conc. *Aurel.* III. Solemnes formulas huius *Can.* 29.
benedictionis, quæ ante communionem ſolebat impertiri, afferemus ſequentibus in libris.

XIV. Iam ſupra attuli S. Augustini locum ex Retractat. de ſuo libro *contra* Hilarium *de canticis ad altare*, quem etiam S. Possidius recenſet in Indiculo operum, quo morem eccleſiæ *Cartagin.* defendebat, ut hymni ad altare dicerentur de pſalmorum libro, ſive ante oblationem, ſive cum diſtribueretur populo, quod fuiſſet oblatum. Hactenus retulimus, qua ratione vocibus, & cantibus tum Sacerdotis aut miniſtrorum, tum populi, ſacra inſtaurabatur liturgia, præcipueque ad dignam Euchariſtiæ tractationem, ſuſceptionemque excitabantur fidelium mentes. Par erat, rite etiam conſummari Sacrificium. *Tu adfuiſti*, inquit S. Chrysostomus, *hymnum cantaſti, cum dignis omnibus te es profeſſus, eoquod cum indignis non receſſeris. Quomodo manſiſti, & menſæ non es particeps? Sum, inquis, indignus. Ergo illa quoque communione, & ſocietate, quæ eſt in precibus, es indignus. Non enim ſolum per propoſita: ſed etiam undique per cantica deſcendit Spiritus.* Tempore communionis etiam piæ audiebantur voces & cantus. Ut enim nihil dicam de ſolemni illa acclamatione, qua aut fideles ad dignam præparationem excitabantur, acclamante Sacerdote: *Sancta ſanctis*, reſpondentibus vero fidelibus: *Unus Sanctus, unus Dominus*: aut dum ſub ipſum communionis tempus ad verba illa *Corpus* Christi, *Sanguis* Christi, ſolemniter prolata, quisque accipientium, ſimulque univerſi elata voce reſponderunt *Amen*: veluti ex iam laudatis SS. Perpetuæ, & Felicitatis actis diſcimus, dum in viſione S. Perpetua Euchariſtiam, ſacræ liturgiæ præſens, viſa eſt participare: *Ego*, ait, *accepi iunctis manibus, & manducavi, & univerſi circumſtantes dixerunt* Amen. Scimus prima illa ætate peculiarem pſalmum, trigeſimum tertium nimirum, eſſe dictum inter ipſam communionem: *Pſalmus autem*, ut habetur in Conſtitutionibus apoſtolicis, *trigeſimus tertius dicatur, dum reliqui omnes communicant. Cumque univerſi, & univerſæ communicaverint, accipientes Diaconi, quæ ſuperſunt, inferant in paſtophoria. Et Diaconus, quando, qui pſallit, fecerit finem, pronunciet*: percepto pretioſo corpore &c. Vides hic diſtinctam pſallentis, ac pronunciantis orationem, Diaconi vocem. Et ex illo pſalmo imprimis huc peraccommodum verſiculum: *Guſtate, & videte, quam ſuavis eſt Dominus*, ſingulari quadam, & divina

De cantu in fractione, & Communione.

L. II. c. 11.

Hom. 3. *in Epheſ.*

Ad calcem Lactantii de mort. perſecutorum.

L. VIII. c. 13.

melodia cantatum fuiſſe, S. Cyrillus *Hieroſolymitanus* teſtatur. „ Audiviſti
Cat. XXIII. n. 20. „ deinde (inquit) vocem pſallentis, divina quadam melodia vos ad ſancto-
„ rum myſteriorum communionem invitantis, ac dicentis: *Guſtate & vi-*
„ *dete, quod bonus eſt Dominus.*" Ad quem cantum repetendum videmus
T. II. Biblioth. max. PP. p. 8. etiam in liturgia S. Iacobi ſpecialiter Diaconi admonitionem præceſſiſſe. *Dia-*
conus: „ *In pace* Christi *cantemus.* Cantores: *Guſtate & videte, quod*
„ *benignus eſt Dominus.*" Idem factum ex liturgia *Mozarabica* intelligi-
mus, atque eundem locum communiter ſanctos Patres de ſacra Euchariſtiæ
Ib. p. 7. participatione interpretatos, conſtat. Aſſignantur in eadem S. Iacobi liturgia
L. I. de Euchar. c. 5. etiam pſalmi in fractione & mixtione panis & calicis. Mornæus ex variis
monumentis antiquis deſignat, quinam pſalmi in Euchariſtiæ diſtributione cani
conſueverint. Nimirum Pſ. XXII. *Dominus regit me.* XXXIII. *Benedicam Do-*
minum in omni tempore. XLI. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes a-*
quarum. CIII. *Benedic anima mea Domino.* CXVI. *Laudate Dominum*
omnes gentes. CXLIV. *Exaltabo te DEUS meus Rex.* Regula *Aureliani* præ-
ſcribit, ut pſallendo omnes communicent. Cantus antiphonus præſcribi-
tur in liturgia S. Germani his verbis: *Sacerdote autem frangente, ſupplex*
clerus pſallet antiphona, quia patiente dolore mortis omnia trementis teſtata
ſunt elementa. Tempore communionis præſcribitur *Trecanum,* quod quid
T. V. Anecd. p. 90. ſit, difficile eſt divinare. „ Erit forte (inquit Martenius) qui *Trecanum*
„ interpretetur Symbolum Apoſtolorum, Sanctæ Trinitatis fidem explicans,
„ quod in miſſali quidem *Mozarabum* poſt conſecrationem ante commu-
„ nionem dicendum præſcribitur: in *Gallicana* vero liturgia poſt commu-
„ nionem recitaretur." Videturque huic opinioni favere, quod ibi de hoc
p. 90. *Trecano* dicitur: *Trecanum vero quod pſalletur, ſignum eſt catholicæ fidei*
de Trinitatis credulitate procedere. Sed adverſantur quæ ſequuntur, indi-
cantque potius repetitionem ſtropharum, aut verſiculorum. *Sic enim prima*
in ſecunda, ſecunda in tertia, & rurſum tertia in ſecunda, & ſecunda ro-
tatur in prima. Ita Pater in Filio myſterium Trinitatis complectet. Res
illuſtrari queat ex liturgia *Mozarabica,* in multis conveniente cum hac S.
p. 330. Germani ac veteri *Gallicana,* ut inter alios Brunus in opere liturgico, &
T. VI. p. 99. 105. Pinius in actis SS. *Iulii* declarant, etiam quoad hoc, quod *Trecanum* can-
taretur eodem plane loco in Miſſa S. Germani, quo canitur *Guſtate, &*
videte in miſſali *Mozarabico,* quod *reſponſum ad accedentes* dicitur, atque
in eo ubique occurrit ternarius numerus. 1. Conſtat tribus verſibus, nimi-
rum *Guſtate. Benedicam,* & *Redimet.* 2. Ter dicitur *Alleluia* poſt verſus
iſtos ſingulos. 3. Subditur illis doxologia, *Gloria, & honor,* in qua no-
minatim exprimuntur tres perſonæ divinæ. 4. Doxologiæ iſti ſubiungitur
ter *Alleluia.*

XV. De-

XV. Demum ſolemnis etiam dimiſſionis hic mentio facienda eſt, Diacono eadem haud dubie verba, *Ite miſſa eſt*, quæ etiamnum uſitata ſunt, a priore Eccleſiæ ætate fidelibus acclamante: a) unde & *Miſſæ* nomen eadem ex ratione aliis divini officii partibus eſt inditum, uſu repetito a profanis eiusmodi dimiſſionibus, prout apertiſſime Avitus declarat inquiens: *A cuius proprietate ſermonis in eccleſiis palatiisque ſive prætoriis Miſſa fieri pronuntiatur, cum populus ab obſervatione dimittitur.*

Dimiſſio populi.

a

Epiſt. I. apud Sirm. T. II. opp. Var. p. 3.

a) Duplicem eiusmodi dimiſſionem fuiſſe, ex veteri Chriſtianorum liturgia colligimus, quarum alia Catechumenos, cæteros fideles alia ſpectabat. Iſta finitis precibus, quibus Catechumenis, atque Energumenis adeſſe licuit, hæc vero poſt ἐυχὴν ἀπολυτικὴν a Diacono recitatam fiebat. Ipſum vero Miſſæ nomen quod attinet, ſane antiquum id ſatis eſt, atque ad finem tertii ſæculi, aut paulo ante ad mentem Clar. Casauboni inventum; quod ex epiſtola Cornelii (aut ſi quis forte alius eiusdem auctor eſt) ad Lupicinum *Viennenſem*, circa annum Domini 250. ſcripta, Vir laudatus clarum fieri aſſerit (Exercit. XVI. ad ann. Bar.) ea iam ætate Miſſæ nomen notum fuiſſe. Certe iam S. Ambrosius ep. 13. ad Marcellinam ſoror. it. ſerm. 34. & S. Cæsarius *Arelatenſis* hom. 12. Miſſæ nomine integram liturgiam, ſeu omnia, quæ ad celebrationem Sacrificii incruenti pertinebant, comprehenderunt; cum tamen credere vix liceat, iſtud vocabulum ſtatim ab incunabulis ſuis tam late patuiſſe, ut non potius populi olim dimiſſioni id proprium fuerit.

CA-

CAPUT III.

Cantus ac muſica ſacra aliis in locis, partibusque officii divini.

I.

Sacri Chriſtianorum in hymnis ſpiritualibus conventus publici, die noctuque per feſta.

Apolog. c. 39.

Erant fidelibus inde ab Eccleſiæ primordiis ſtata divini ſervitii tempora, quæ die noctuque in hymnis, pſalmis, & canticis ſpiritualibus traducebant, prout paſſim in ſuperioribus oſtendimus, ac deinceps magis patefiet: ubi quisque invitabatur ad cantandas laudes Dei ex ſcriptura, vel proprio ingenio, uti ex Tertulliano p. 29. audivimus. Intelleximus porro, malevolos ob nocturnas pervigilias cavillandi non ſemel accepiſſe occaſionem; dum boni tamen omnes, & pii laudarunt, propagaruntque. *De nocte ſiquidem*, inquit S. Basilius, *populus conſurgens antelucano tempore domum precationis petit; inque labore, & tribulatione, ac lacrymis indeſinentibus, facta ad DEUM confeſſione, tandem ab oratione ſurgentes ad pſalmodiam inſtituuntur.* In maioribus urbibus, ubi plures erant eccleſiæ, diviſis etiam populis in turmas, nihilominus pii Paſtores ſtudebant ubique per vices adeſſe, & ſacris operam dare a). Vidimus ſuperius p. 21. Luciani teſtimonium de Chriſtianis, ad hymnos tota nocte decantandos vigilantibus. Meminitque earundem vigiliarum in feſtis chriſtianis *Ammianus* Marcellinus his verbis: *In ſtatione primis tenebris obſervata cuſtodum abſentia, qui die feſto chriſtiani ritus in eccleſia pernoctabant* &c. S. Athanasius de *Virginitate* hoc ſtudium perpetuis hymnis, & glorificationibus Deum celebrandi, ſingulariter

Ep. 207. — a — *L.* 28. *n.* 3.

a) „ Iam dudum (ſunt verba eiusdem S. Doctoris in pſalm. CXIV.) occupato hoc ſacro Martyrum templo, a media nocte ad hanc uſque meridiem DEUM Martyrum, dum adventus noſter exſpectaretur, hymnis placare perrexiſtis. Itaque vobis parata merces eſt, qui Martyrum honorem, DEIque cultum & ſomno & quieti prætuleritis. Quod ſi opus eſt ut noſtram ipſorum defenſionem ſuſcipiamus, cauſam cur moras interpoſuerimus, vosque deſeruerimus diutius, dicturi ſumus: quod alteram huic parem DEI eccleſiam, non mediocri intervallo a vobis disiunctam, adminiſtrantes, iſtud diei ſpatium in id inſumſerimus. Cum igitur tribuerit Dominus, ut & apud illos impleverim miniſterium, nec ſim a veſtra charitate fruſtratus, mecum largitori benefico gratias agite, qui hanc quam videtis corporis noſtri debilitatem inviſibili ſua potentia levavit. Porro ne diutius detentis vobis ſimus moleſti; ubi pauca ex eo pſalmo quem vos canentes deprehendimus, diſſeruerimus, ac verbo conſolatorio pro noſtris viribus paverimus veſtras animas: ſingulos ad habendam corporis curam dimittemus. Quid igitur erat quod a vobis canebatur: *Dilexi*, inquit, *quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* “

ter Deo dicatorum eſſe vult. *Ea autem eſt voluntas* Christi, *ut is, qui ipſi conglutinatus eſt, nihil ſecum omnino ſæculi ferat, nihil terreſtria curet, ſed ſolum, ut crucem eius, qui pro ſe crucifixus eſt, baiulare velit, curamque ac ſollicitudinem gerat, ut perpetuis hymnis, & glorificationibus eum celebret.* Sic S. Gregorius *Naz. Cpoli* abiens dolenter valedixit *Nazaræorum* choris, pſalmodiarum concentibus, atque ſtationibus nocturnis. Et S. Basilius laudata epiſt. *Scire autem vos volo, nos laudi ducere, quod virorum, & mulierum cœtus habeamus, quorum converſatio in cœlis eſt .... noctu, diuque perſeverant in orationibus: quorum os non loquitur opera hominum, ſed hymnos DEO noſtro concinunt continenter.* S. Ambrosius in celebri ad *Vercellenſes* epiſtola in hac re S. Eusebium *Vercellenſem*, & eius diſcipulos hiſce verbis collaudat: *Qui in hymnis dies, ac noctes perſonant. Hæc nempe Angelorum militia eſt, ſemper eſſe in DEI laudibus: orationibus conciliare crebris, atque exorare Dominum ſtudent.* S. Chrysostomus, ne repetam, quod idem ea de re in laudem Monachorum ad populum *Antiochenum* dixit, iſtud totius populi ſtudium, ac pietatem, homilia in laudem eorum, qui comparuerunt in eccleſia, extollit: *Nimirum*, inquit, *ex hoc concurſu, ex eo quod eccleſiam omnium matrem ſtudioſe occupatis, ex hac pernocte perpetuaque ſtatione, ex eo quod angelicorum ordinum ſtationem imitantes, ſine ceſſatione laudes, & hymnos offertis conditori* &c. Et poſtquam ſatis deprædicaſſet populi felicitatem, qui angelicis choris veluti ſociatus, in eccleſia eorum cantus cœleſtes imitaretur: *Hic eſt*, ſubdit, *ſtudii præſentis finis, hi conventus noſtri fructus: eoque gaudeo, talem conſpiciens celebritatem: gaudeo, dum animorum veſtrorum lætitiam conſidero, dum gaudium ſpirituale, dum ſecundum DEUM exultationem. Neque enim ulla res tantum affert gaudii vitæ noſtræ, quantum hoc, quod ex animo gaudeatis in eccleſia congregati.* Adhærebat templis Epiſcopi cum ſuo clero habitatio: inde rationem repetunt *Patres* Conc. *Matiſconenſis* II. ne Epiſcopi canes alant: *Cuſtodienda eſt igitur*, aiunt, *epiſcopalis habitatio hymnis, non latratibus, operibus bonis, non morſibus venenoſis. Ubi igitur DEI eſt aſſiduitas cantilenæ, monſtrum eſt, & dedecoris nota, canes ibi, vel accipitres habitare.* Illuſtre eſt Paulini ad Victricium, *Morinorum* & *Nerviorum* Apoſtolum, teſtimonium de eccleſiarum illic nova conſtitutione: *Ubi quotidiano*, ait, *ſapienter pſallentium per frequentes eccleſias, & monaſteria ſecreta concentu, caſtiſſimis ovium tuarum & cordibus delectantur, & vocibus.* Idem de Niceta canit redeunte in *Daciam*:

207. n. 2. *T. VI. p. 95.* *An. 585.* *Can. 13.* *Epiſt. 2.*

Quis mihi pennas daret ut columbæ,
Ut choris illis citus intereſſem,

Qui DEUM CHRISTUM, *duce te, canentes*
ſidera pulſant.
Sed licet pigro teneamur ægri
Corporis nexu, tamen evolamus
Mentibus poſt te, Dominoque tecum
dicimus hymnos...
Audient AMEN *tremefacta cete,*
Et Sacerdotem Domino canentem
Læta laſcivo procul admeabunt
monſtra natatu...

Item: *Orbis in muta regione per te*
Barbari diſcunt reſonare CHRISTUM
Corde Romano, placidamque caſti
vivere pacem...
His precor cum te domus alma Sancto
Ceperit fratrum numeroſa cœtu
In choris, & nos pietate chari
pectoris abde.

Vigiliæ Paſchales, & aliorum præcipuorum Feſtorum.

II. Olim etiam haud rara fuit pia iſta fidelis populi contentio, atque paſtorum cura, ut ad hoc fideles obſtringerent, maxime feſtis præcipuis. In Conc. *Matiſc.* II. de Paſchate præcipit canon ſecundus: *Nullus ſervile opus audeat facere: ſed omnes ſimul coadunati, hymnis paſchalibus indulgentes perſeverationis noſtræ præſentiam quotidianis ſacrificiis oſtendamus, laudantes creatorem veſpere, mane, & meridie.* Præcipua ſemper paſchalis ſolemnitas ita eſt traducta. *Quis nocturnis*, inquit TERTULLIANUS de gentili nupto chriſtianæ, *convocantibus, ſi ita oportuerit, a latere ſuo eximi libenter feret? Quis denique ſolemnibus paſchæ abnoctantem ſecurus ſuſtinebit?* Et THEOPHILUS *Alexandrinus* Epiſtola I. paſchali contra *Origeniſtas*: *Forſitan hæc audientes eccleſiaſticæ congregationis amor ſubeat, & recordentur fraternæ in commune lætitiæ: hymnorum, quibus cum cæteris Dominum concinebant.* Iam prius meminerat pſalmi CXVII. inde ab antiquiſſimis temporibus in ſolemnitate paſchali cantari ſoliti, ubi, „Totis itaque (ait) viribus animas noſtras ab omni „contagione purgantes, dignas celebritati, quæ imminet, præparemus, ut „poſſimus cum ſanctis canere: *DEUS Dominus, & illuxit nobis.*" Sic feſtiva cantica ſolemnitatis paſchalis excipiebant luctum proxime antecedentium dierum paſſionis, ac mortis dominicæ: quemadmodum in antiquiſſimo ſacramentario *Gelaſiano* præſcribitur de Cœna Domini. *Eodem die non pſallitur, nec ſalutat*: id eſt non dicit: *Dominus vobiſcum*, quod hodieque in horis canonicis eorum dierum obſervatur. S. GREGORIUS *Turonenſis* magnum

L. II. ad Uxorem.

T. V. Bibl. PP. p. 849.

p. 844.

L. X. hiſtor. Fr. c. 31.

gnum numerum recenſet vigiliarum tum in feſtis Domini, cum Sanctorum, quibus in eccleſiis, ſeu ad quas eccleſias procedendo a S. Perpetuo Epiſcopo *Turonenſi* celebrandæ fuerint, inſtitutæ Sæc. V. In Vita S. Ioannis *Eleemoſynarii* apud Rosweidum ſic Leontius Epiſcopus loquitur: „ Hy- *p.* 205.
„ mnodia enim anniverſaria poſt multum temporis dormitionis Sancti celebrata in templo ſuperius memorati Sancti Tychonis . . . erat autem, „ quæ colebatur ſacra vigiliæ hymnodia annuæ recordationis Sancti miraculorum factoris Tychonis." Ex *Africana* eccleſia teſtis nobis idoneus eſt Victor *Uticenſis*, qui L. II. de Perſecutione *Vandalica* de feſto Epiphaniæ agens, ſub S. Eugenio *Carthag.* Epiſcopo, *Iam enim*, inquit, *ob celebritatem feſtivitatis hymni nocturni per eccleſiam canente populo concrepabant.* In Occidente deinceps præcipue S. Cæsarius ad hoc in ſuis ſermonibus fideles incitavit, promiſcuam plebis inducendo pſalmodiam. Et S. Nicetius hac potiſſimum cantus ſuavitate fideles ad idem permovit. „ Quid „ hac (inquit) delectatione iucundius, quia & pſalmis delectamur, & ora- *De bono Pſal. c.* 3.
„ tionibus irrigamur, & interpoſitis lectionibus paſcimur." Et in peculiari tractatu de Vigiliis ſervorum DEI, mox initio: „ Novimus autem (inquit) *Cap.* 1.
„ multos hominum, ut aut maioribus ſuis placeant, aut ſibi aliquid peculiariter proſint, noctis particulam ad aliquod opus ſegregare, & id pro lucro ducere, quod, furati de ſopore ſuo, operari potuerunt. Quodſi in „ carnalibus inſtrumentis, id eſt, victui ac veſtitui neceſſariis, qui vigilant, „ non reprehenduntur, imo laudantur, quanto magis nos ſacras vigilias, „ tam ſpirituali opere fructuoſas, orationibus ſcilicet, hymnis, lectionibus fœcundas obſervare, & amare debemus, ut a Domino DEO merce„ dem recipiamus?" Diſcimus autem ex eodem, Sabbati & Dominicæ huic *Cap.* 2.
tam ſancto operi fuiſſe deſtinatas noctium particulas: cum apud Monachos, ac etiam Clericos quotidianum eſſet hoc ſervitutis penſum. Invenimus etiam extraordinarias pervigilias in ſingularibus neceſſitatibus. Cuiusmodi exemplum Orosius refert efficax contra Gildonem tyrannum. „ Igitur „ (ſcribit) Mascelzel iam inde a Theodosio ſciens, quantum in rebus de- *L. VII. c.* 36. *hiſt.*
„ ſperatiſſimis oratio hominis per fidem Christi a clementia DEI impetra„ ret, *Caprariam* inſulam adiit, unde ſecum ſervos DEI aliquot permotos „ precibus ſuis ſumſit, cum his, orationibus, ieiuniis, pſalmis dies, & „ noctes continuans, ſine bello victoriam meruit, ac ſine cæde vindictam." Et paulo poſt: „ Subſtitit, ac tertio demum die, per noctem orationibus, „ hymniſque pervigilem, ab ipſis cœleſtium Sacramentorum myſteriis in ho„ ſtem circumfuſum proceſſit." Extat eiusdem ætatis epiſtola reſponſoria SS. Lupi *Tricaſſini*, & Euphronii *Auguſtodunenſis* ad commonitorium, nempe Talasii, Epiſcopi *Andegavenſis*, quæ inter alia de vigiliarum duratio-

ne, & ſolemniis in Paſchate, Epiphania, & Natali Domini diverſimode a-
a gendis inter *pſallendum*, & *legendum* a) tractat. Idem Prætextati, Epiſcopi
Rotomag. necem narrans, „Adveniente autem (inquit) Dominicæ Reſurre-
„ctionis die, cum Sacerdos ad implenda eccleſiaſtica officia, ad eccleſiam ma-
„turius properaſſet, antiphonas iuxta conſuetudinem incipere per ordinem
„cœpit. Cumque inter pſallendum formulæ incumberet, crudelis adſuit
De hier. eccl. c. 2. „homicida &c.“ Dionysius conſecrationem aquæ baptiſmalis, fieri ſoli-
tam in Paſchæ, & Pentecoſtes vigilia, deſcribens, inter alia refert, Sacerdo-
tem *ſacroſanctum DEO afflatorum Prophetarum divinæ aſpirationis hymnum
ceciniſſe.* Neque hic præterire fas eſt, quod in vita S. Remigii apud Hinc-
marum narratur de Clodoveo, *Francorum* Rege, ad baptiſmum deducto,
*præcedentibus ſacroſanctis Evangeliis, & crucibus cum hymnis, & canticis
ſpiritualibus, atque letaniis, Sanctorumque nominibus acclamatis, ſubſequente
Regina, & populo.* Quod ſemper fuit ſervatum in ſolemni fontium con-
ſecratione, & baptiſmi collatione. Cuius rei meminit S. Gregorius *Naz.*
Orat. in S. Paſcha. „Statio (ait) in quam poſt baptiſma ante magnum altare conſtitueris, ventu-
„ræ gloriæ eſt præludium. Pſalmodia, cum qua ſuſciperis, laudis ventu-
Orat. 2. de Paſchate. „ræ eſt anteambulatrix.“ Quem in locum Nicetas commentans: „Præ-
„clara etiam (inquit) fuit heſterna luminum celebritas, hoc eſt cœtus ille,
„qui ad veſperam magni Sabbati celebrabatur. Pervigilem enim noctem
„traducebant uſque ad horam ſeptimam cantantes, ac lampades accenden-
„tes, atque imminentem Servatoris noſtri reſurrectionem exſpectantes.“
Epiſt. 12. Diem illum deſignat S. Paulinus, *quando* Alleluia *novis balat ovile choris.*
S. Chrysostomus celebritatem cantus ea ſolemnitate ſatis innuit his in ſer-
T. II. p. 440. mone de Reſurrectione verbis: „Non enim quovis modo participes nos
„fieri Spiritu iam oportet, ſed ſpiritu impleri, pſalmis, hymnis, canticis
„ſpiritualibus, quibus repleti eſtis.“ Hinc dies Dominica per annum fe-
ſtive fuit celebrata, ut ſupra ex Apologia S. Iustini M. vidimus, isque
ſtatus dies eſt, quo teſte Plinio antelucanis horis convenire ſolebant Chri-
ſtiani ad canendum DEO carmen. S. Hieronymus vero de Monachis,
Epiſt. 22. præcipue ad Eustochium, perhibet, *Dominicis diebus orationi tantum, &
cantionibus vacant: quod quidem & omni tempore completis opuſculis fa-
ciunt.*

a) „Vigilia (aiunt T. IV. Conc. Labb. p. 1048.) natalis Domini longe alio more, quam Paſchæ vigilia, celebranda: quia hic nativitatis lectiones legendæ ſunt, illic autem paſſionis. Epiphaniæ quoque ſolemnitas habet ſuum ſpecialem cultum. Quæ vigiliæ vel maxime, aut perpete nocte, aut certe in matutinum vergente, curandæ ſunt: paſchalis autem vigilia a veſpere raro in matutinum uſque perducitur. Deinde in Vigilia Paſchæ diverſorum librorum lectiones ſunt recenſendæ, quæ totæ habeant aliquid de præfiguratione, aut vaticinio paſſionis: antedicta autem vigilia, prout viſum fuerit, inter pſallendum, & legendum, ſive de Prophetis, ſive de novo teſtamento, quod quisque voluerit, non legali, ſed voluntaria lectione præſumet.“

ciunt. Laudatum *Matiſconenſe* Concilium de eodem die: *Eſtote omnes in hymnis & laudibus DEI corpore & animo intenti.* Fuiſſe etiam feſta Sanctorum ita concelebrata, inſignis eſt THEODORETI locus, ubi poſtquam dixiſſet PETRO, PAULO, THOMÆ, SERGIO, MARCELLO &c. aliiſque ſanctis Martyribus ſolemnia populari epulo peragi, ſubdit: „Proque illa veteri pompa, „ pro turpi obſcœnitate, ac impudentia, fiunt modeſtæ, caſtæ, ac temperantia plenæ feſtivitates, non illæ quidem ad ebrietatem uſque productæ, neque comeſſantium laſcivia, & cachinnis diſſolutæ, ſed divinis canticis perſonantes, ſacrisque ſermonibus audiendis intentæ, in quibus ad „ DEUM preces non ſine ſanctis lacrimis, ac ſuſpiriis ſummittuntur.“ Eodem teſte, hymnos Sancti EPHREM feſta SS. Martyrum lætiora feciſſe, iam retulimus. Idem S. MARIM *Perſam* laudat, quod, cum iuvenis ſonoram haberet vocem, ſolitus ſit in locis, ubi feſta Martyrum celebrarentur, canere; qua celebritate feſta præcipua fuerint transacta. Occurrit hic animo, quod S. GREGORIUS *Niſſ.* in Vita S. GREGORII *Taumaturgi* narrat. „ Cum „ animadvertiſſet, (inquit) quod propter corporeas delectationes in idolorum „ errore permaneret puerile vulgus, & imperitum, ut interim in eo, quod „ eſt præcipuum, nempe in DEUM ſe recte gererent, pro illis inanibus ſuperſtitionis ritibus permiſit eis, ut in ſanctorum Martyrum memoriis ſe „ exhilararent, exultantesque oblectarent.“ De pravis conſuetudinibus, quæ ex gentilium imitatione in ſacra etiam, ac ſolemnitates chriſtianas irrepſerunt, dicemus capite ſequenti, nunc unum Concilii *Toletani* III. Canonem 23. ponimus: „Exterminanda omnino eſt irreligioſa conſuetudo, quam „ vulgus per Sanctorum ſolemnitates agere conſuevit; ut populi, qui debent „ officia divina attendere, ſaltationibus, & turpibus invigilent canticis; non „ ſolum ſibi nocentes, ſed & religioſorum officiis perſtrepentes.“ Sed innocuus, ac ſumme laudabilis fuit feſtivus in quibusvis Chriſtianorum celebritatibus cantus. CONSTANTINO primum ad fidem converſo, Eccleſiæ a ſtatu preſſo emergenti, publicos cantus celebrare demum palam licuit. Primum, quod hic referam, eſt, quomodo Chriſtiani devicto LICINIO per CONSTANTINUM, *choreis etiam, & hymnis tam per agros, quam per civitates, primum quidem DEUM omnium, prout edocti fuerant, deinde piiſſimum Imperatorem, & DEO cariſſimos eius filios, celebrarint*, ut apud EUSEBIUM legitur. Pluribus vero exemplis idem prodit in Vita CONSTANTINI, quomodo, Imperatore hoc CHRISTO nomen dante, cultus chriſtianus celebritatem aſſecutus fuerit, feſtivitate etiam ſacrarum cantionum, e. g. in ſolemniſſimis eccleſiarum magnificentiſſime exſtructarum dedicationibus. Is inſuper aliique recenſent, quæ ex pſalmis in encæniorum ſolemnitate decantari conſueverint. Alias eiusmodi ſolemnitates etiam fuiſſe, antea allatum

Can. 1.

Feſta Sanctorum.

Serm. VIII. de Græc. affect. curatione.

Hiſt. ſac. c. 20.

Aliæ Solemnitates.

L. IX. hiſt. c. 9.

tum S. Basilii teſtimonium prodit, atque ea quoque evincunt, quæ ſuperius ex SS. Ambrosio & Chrysostomo, qui præcipui cantus & pſalmodiæ inſtauratores, atque etiam inſignes præcones habentur, iam retulimus.

Etiam in carceribus, & martyrio, proceſſionibus, translationibus reliquiarum, exceptionibus hoſpitum &c. cantus.

III. Nec ſolum publicis eiusmodi conventibus, ac celebritatibus in Eccleſia, verum etiam aliis occaſionibus, opportunis hiſce pietatis ſtudiis vacabant in divinis concinendis laudibus, aut quando adhuc locus ipſe, vel occaſio deerat publica feſtivitate perſolvendi, id certatim agebant. In ipſis Apoſtolorum Actis c. XVI. Lucas affert exemplum Pauli & Silæ, quod in carcere detenti, media nocte orantes hymnos decantarint, προσευχόμενοι ὕμνȣς. Solemne id fuit etiam aliis, exemplo Pauli & Silæ confluentibus fidelium cœtibus. *Multi*, inquit S. Chrysostomus, *contempta præſenti vita, frequenter eos viſitando ſacras apud eos vigilias continuis pſalmis perficiebant.* Sanctus Vincentius M. poſt dira tormenta horrido incluſus ergaſtulo, teſtis ſtrato, divinitus recreatus, *Pſalmum*, ut Acta apud Ruinartum habent, *DEO & hymnum dicens, lætus exultat. Sicque ſolitudo horribilis Angelorum relevatur frequentia. . . . Dantur hinc laudes DEO, & reſonante organo vocis angelicæ modulata ſuavitas procul diffunditur.* Audientes hæc, cernentesque cuſtodes in Christum credunt. *Africani* Martyres, Saturninus Presbyter, Dativus, & alii magno numero capti, in urbe Abitinensi *ex more dominicum celebrantes*, vincti *Carthaginem* ducti, alacres, ac læti per totum iter hymnos Domino, canticaque pſallebant. Acta SS. Perpetuæ & Felicitatis apud Ruinartum perhibent, dum procederent *de carcere in amphitheatrum, quaſi in cœlum, hilares. . . .* Perpetua *pſallebat, caput iam* Ægypti *calcans.* Antea S. Perpetua viſionem, quam pridie habuerat, narrans, *Cœpit*, inquit, *populus clamare, & favitores mei pſallere.* Quod moris erat. Exempla etiam adſunt aliorum Martyrum, qui aut pœnam mortis ſubeuntes, aut ad ſupplicium properantes, læti hymnis indulgebant. Veluti iam p. 48. de S. Babyla, Theodoro, & S. Gordio M. cum de Cantu reſponſorio ageremus, narravimus; ac præterea Acta martyrii Marciani, & Sociorum apud Bollandum perhibent (quod partem operis de Martyribus ab Eusebio ſcripti habent *Bollandiſtæ*:) „ Poſt hæc cum tempus præ„ eſſet, quo illorum animæ ad propria loca, & ſuum DEUM propera„ rent; Martyres ipſi, multis hymnis, & laudibus DEO prænuntiatis, pu„ riſſimas, ut decebat, animas DEO tradiderunt . . . Nos vero chriſtiani „ homines *Gloriam* canamus *Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc, &* „ *in ſæcula ſæculorum, Amen.*" Sic apud Ruinartum, *S.* Irene *pſalmos canens, & DEI gloriam celebrans in rogum ſe coniecit.* Victor *Uticenſis* paſſionem Martyrum *Carthag.* ſub Hunerico Rege enarrans, ſimile exemplum

Hom. in SS. Iuventinum, & Maximum MM. P. 370. *n.* 8.

Ruin. p. 383.

p. 100.

T. I. Iunii p. 421. *ex MS. Vatic. Gr.*

p. 395.

L. V. de Perſec. Vandal.

plum habet a). Licet vero temporum iniquitas non adeo tulerit, nec conſuetum ſemper fuerit, feſtivis hymnis celebrare Sacra chriſtiana, non tamen ſemper id refugiebant periculi: quin etiam quandoque extra ſacros conventus id agebant palam in profanorum contemtum. Cuiusmodi quædam exempla, quæ IULIANO Imperante accidiſſe conſtat, iam laudavi; eſtque imprimis illud in translatione reliquiarum S. BABYLÆ celebre, quas IULIANUS loco moveri, atque a chriſtianæ religionis cultoribus exportari iuſſerat b). Ab hoc ſeiungi non debet, quod SOZOMENUS de translatione S. MELETII *Antiochiam* narrat. Ubi, reliquiis iuxta loculum BABYLÆ Martyris conditis, „Fertur autem (inquit) eas regia continue via ex Imperato- „ris mandato intra mœnia in civitatem fuiſſe receptas, præter conſuetu- „dinem *Romanis* uſitatam; & alternatis pſalmorum cantibus unoquoque lo- „co honoratas, donec *Antiochiam* uſque transportarentur.“ Hic innuitur alternus, ſeu antiphonus cantus, in ſuperiore autem exemplo reſponſorius. BARONIUS ad an. CCCCXXXVIII. ex COSMA *Veſtiario*, de translatione haud abſimili S. CHRYSOSTOMI *Cpolim*, refert, ſublatam ſacram ſarcinam humeris Sacerdotum, præcinentibus Clericis. Et S. HIERONYMUS VIGILANTIUM inceſſens, eiusmodi exemplum translationis Beati SAMUELIS profert, magna celebritate factæ, Epiſcopis portantibus, omnium eccleſiarum populis occurrentibus, *ut de* PALÆSTINA *uſque* CHALCEDONEM *iungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem una voce reſonarent.* Auctor miraculorum D. STEPHANI, in eccleſia *Utalenſi* iuſſu EVODII conſcriptorum, memorat: „Adventare innumeros populos gaudentes ſane, atque pſallentes, & cæte- „ros luminaria cum grandi celebritate geſtantes, & quaſi quendam candi- „datum

a b *L.VII. c.* 10. *C.* 2.

a) „Incedebant itaque (inquit) cum fiducia ad ſupplicium, quaſi ad epulas concurrentes, una voce per ambitus platearum Domino decantantes: *Gloria in excelſis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Votiva nobis hæc dies eſt, & omni ſolemnitate feſtivior. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, quando pro fide Domini noſtri perferimus præparatum ſupplicium, ne amittamus acquiſitæ fidei indumentum. Sed & populis publica voce clamant: „*Ne timeatis, o populi DEI! neque formidetis minas, atque terrores præſentium tribulationum. Sed potius moriamur pro* CHRISTO, *quomodo & ipſe mortuus eſt pro nobis, redimens nos pretio ſui ſanguinis ſalutaris.*

b) „Hi (inquit THEODORETUS L. III. c. 10.) alacri animo ad lucum venientes, arcam carpento, quod a bigis trahebatur, impoſuerunt: eamque catervatim præcedentes, cum tripudio in urbem duxere, *Davidicos* hymnos canentes, & ſingulis verſibus hanc clauſulam addentes: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia.*“ Paſſim eam rem commemorant eorum temporum hiſtorici (SOCRAT. L. III. c. 16. RUFIN. L. I. c. 35.) atque voces uſque ad cœlum reſonuiſſe teſtantur. Imprimis vero memorabilia ſunt SOZOMENI verba L. V. c. 18. „Ferunt eo tempore viros & mulieres, iuvenes & virgines, ſenes & pueros mutua ipſorum cohortatione incitatos, per totum iter pſalmos cantaſſe. Qui quamvis ſimularent, ſe, quo labores itineris levarent, ceciniſſe, tamen canebant revera ardenti ſtudio, & propenſa erga pietatem voluntate incenſi, propterea quod Imperator aliter omnino, atque ipſi, de DEO ſentiebat. Pſalmos autem ordiebantur hi, qui eos canere accurate norunt: multitudo autem ſimul voces fudit cum concentu, huncque verſum addidit: *Confundentur &c.*“

„ datum comitantes, eique iteratis vocibus inclamantes: *Confeſſor Chriſti,* „ *Confeſſor Chriſti.*“ Et paulo poſt: „ Suſceptis ibi reliquiis, atque Sacra- „ mentis fidelium celebratis, exinde cantantes, atque pſallentes cum im- „ menſæ multitudinis choris ad civitatem regredi cœpimus.“ De translatione corporis S. LAUNOMARI in *Curbionenſe* monaſterium legitur, *Cum fideli devotione ſanctum corpus poſuiſſe in ſecreto*, ut eum e civitate *Carnotina* ad fluviolum *Aduræ* X. Kal. *Nov.* in hymnis, & canticis ſpiritualibus adducerent. De reliquiis S. IOANNIS *Baptiſtæ*, & aliorum Sanctorum, *Cyrum* a ſe translatis, THEODORETUS ita loquentem inducit IACOBUM *Anachoretam* in Hiſtoria religioſa: „ Quando hos civitatis Patronos, qui a *Phœ-* „ *nicia* venerant, & *Palæſtina*, cum *Davidica* excepiſti chorea, venit in men- „ tem, num hæ eſſent inſignis IOANNIS illius reliquiæ, & non alterius Mar- „ tyris, qui eſſet eiusdem nominis. Poſt unum ergo diem, ego quidem „ ſtabam ad hymnos decantandos: video autem quemdam candida veſte „ indutum, & dicentem: *Frater* IACOBE, *cur nobis advenientibus non ve-* „ *niſti obviam?*“ Ipſi, qui hæc narrat, THEODORETO ſimilem obtigiſſe honorem ex Actis Concilii *Cpolitani* II. diſcimus: Imaginem, THEODORETI nimirum, ANDRONICUM Presbyterum, & GEORGIUM Diaconum in currum impoſuiſſe, & in *Cyreſtenam* civitatem introduxiſſe pſallentes. Quod ibi vitio quidem vertunt Patres; ſed inde, quod fidei integritas THEODORETI in dubium vocabatur: unde inquiri iuſſum, „ ſi quod dicitur de imagine, „ factum eſt, & ſi pſalmum, cuius mentio geſtis *Antiochiæ* confectis inſer- „ ta eſt, pſallentes ad imaginis honorem præcedebant; & ſi SERGIUS re- „ verendiſſimus cum hæc poſt *Antiochiæ* confectis inſerta eſt, pſallentes ad „ imaginis honorem ea cognoviſſet, & Clericos admiſit, & divinis eis „ communicavit myſteriis.“ Nec hic prætereundum, quod de CLODOVEI, primi chriſtiani *Francorum* Regis, ſolemni in urbem *Virdunenſem* ingreſſu in vita S. MAXIMINI, Abbatis *Miciacenſis*, legitur: „ Sed & Clerus proce- „ dere ordinatus eſt, Regem cum laudibus, & DEO dignis cantilenis ſuſce- „ pturus, per quæ & Principi dignum ſedulitatis ſuæ monſtraret obſequium, „ & liberationis propriæ Domino offerret tripudium.“ In altera eiusdem Sancti vita plebem etiam iunxiſſe voces legitur: „ Præeunte Clero, itemque plebe ſequente cum devotarum laudum vocibus exceperunt ducem.“ In vita S. GALLI, Epiſcopi *Arvernenſis*: „Exinde cum multo pſallentio (pſal- „ modia) in civitatem recipitur, & in eccleſia Epiſcopus ordinatur.“ Iam meminimus p. 122. Epiſcopis *Hoſanna* acclamatum. Huc revocandum eſt, quod in vita S. PACHOMII apud BOLLANDUM narratur de S. THEODORO, S. PACHOMII diſcipulo, dum S. ATHANASIO obviam eſt progreſſus. „ Patrum er- „ go præcipuis, & Fratribus ad DEI laudes concinendis valentioribus ſecum „ aſſumptis,

T. I. Act. Ord. S. Ben. p. 345.

T. V. Conc. Ed. Lab. p. 560.

T. I. Act. O. S. B. p. 583.

Ib. p. 593.

Ib. p. 118.

Ad diem 14. *Maii p.* 332.

„ aſſumptis, iter ingreſſus Abbas Theodorus, dum Athanasium reperit, „ poſt mutuas ſalutationes, ipſe aſinum Pontificis manu ducens, procedebat „ ante eum fratribus pſallentibus. Hinc auditæ voces fratrum religioſe pſal- „ lentium, qui ad centum omnino erant.“ S. Gregorius *Naz.* eundem, ab exilio revertentem, *Alexandriæ* choro canentium fuiſſe exceptum, meminit. *Orat. in S. Athanaſ.* S. Porphyrio circa an. D. 402. *Cpoli Gazam* reduci, cives *Maiumæ* pſallentes obvios memorat Marcus *Diaconus* in eius vita apud Bollandum: *T. III. Febr. p.* 649. „ Poſtquam deſcendimus, cognoſcentes nos, qui illic erant Chriſtiani, ex- „ ceperunt cum pſalmodia: ſimiliter vero ex civitate quoque, cum audi- „ viſſent, occurrerunt nobis, habentes ſignum venerandæ Crucis, & ipſi „ pſallentes.“ Idem de proceſſione cum pſalmodia eiusdem Sancti ad pluviam *Gazenſibus* impetrandam: „ Quum (ait) fuiſſet autem mane, accepto „ ſigno venerandæ Crucis, quod nos procedebat, egreſſi ſumus cum hy- „ mnis ad antiquam eccleſiam &c.“ Refertur ibi, Gentiles idem ab idolo *Marna* obtinere conatos, per ſeptem dies *hymnos dicentes*, civitatem fuiſſe egreſſos: Sanctum autem Præſulem vera religione ieiunium indixiſſe, ac vigilias; „ Fecimus vero tota nocte triginta preces, & totidem genuflexiones, „ præter choros, & lectiones. Quum fuiſſet autem mane, accepto &c.“ Omitti non debet, quod in vita S. Gildæ, Abb. *Ruyenſis* de ſolemni gratiarum actione, ob impetratam divina virtute nimis anguſtæ ad habitationem insulæ dilatationem, legitur: „ Tunc iterum revertitur ad oratorium Senior, „ & præ gaudio effuſus in lacrimas, cum venerando diſcipulorum grege cla- „ ra voce hymnos, ſummasque laudes, rerum omnium Creatori Domino „ decantat, qui prope adeſt omnibus invocantibus ſe in veritate.“ *T. I. Act. O. S. B. p.* 140. In Actis Synodi *Epheſ.* fidei cauſa Archimandritæ cum catervis monachorum narrantur, *hymnos & pſalmos canentes*, ad regiam contendiſſe. Comitabatur, ut porro ibidem refertur, eosdem etiam non parva Orthodoxorum turba. Cum vero intra palatium eſſent, Archimandritæ ab Imperatore acciti, recta mox ad illum ingrediuntur. Plebs vero, & monachorum turba, antiphonarum & pſalmorum modulationi intenta, foris remanſit. Redierunt ſimiliter ad eccleſiam S. Mocii, ibi cum hymnis excepti. Demum adiungimus, quod V. Beda, Ioannes *Diaconus* in vita S. Gregorii M. & Gotzelinus in vita S. Augustini, *Anglorum* Apoſtoli, narrant, ut hic, accepta a Rege venia, ovans cum ſolemni cantu, quem *letanialem antiphonam* vocat Gotzelinus, Metropolim *Doroberniam cum beato Sanctorum choro* ſit ingreſſus, canticis etiam uſus ad prædicationis officium a). *V. Beda L. I. hiſt. Angl. c.* 25.

IV. a

a) „ Ad civitatem Augustinus cum ſociis, prælata Cruce, ſeu Salvatoris imagine, appropinquans cecinit dicens: *Deprecamur te Domine &c.*“ Quæ ſunt Ioannis *Diaconi* verba, & Be-

Cantus in ſtatis litaniarum ſeu Rogationum proceſſionibus.

IV. Antiquiſſimus eſt in Eccleſia ſupplicationum publicarum, ſeu litaniarum uſus, cum quibusdam proceſſionibus, etiamſi videatur apud Tertullianum aliter hæc vox accipienda. Earum varii generis iam non paucas indigitavimus, potiſſimum extraordinarias; nunc præcipue demum ſtatæ ſunt commemorandæ. Quas inter ſolemnes primo veniunt *Romæ* uſitatiſſimæ ad ſtationem proceſſiones, de quibus plura libro II. dicemus. Id monachis alibi prima hac ætate in more fuiſſe ex epiſtola S. Ambrosii ad Theodosium diſcimus, fruſtra *prohibentibus iter* Valentinianis, *quo pſalmos canentes ex conſuetudine uſuque veteri pergebant ad celebritatem* Machabæorum *Martyrum.* Sunt præterea celebres uſque ad hodiernum diem Sæc. V. a B. *Mamerto* Claudiano, *Viennenſi* Epiſcopo, inſtituti Rogationum dies, ſeu litaniæ, tribus continuis ante Aſcenſionem Domini diebus. Antequam genuini ab aſcititiis ſermonibus S. Augustini accurate diſcriminarentur, mirum non eſt, fuiſſe, qui id inſtitutum longe vetuſtius S. Mamerto haberent. Inter eos enim ſermones, qui nunc ad calcem tomi V. operum S. Augustini leguntur, atque S. Cæsarii *Arelat.* eſſe comprobantur, tres ſunt ordine ſermones pro tribus ſuis litaniarum diebus, *quos,* ut primo ſtatim ſermone dicitur, *regulariter in toto mundo celebrat Eccleſia:* atque paulo poſt modus eas celebrandi deſignatur *legendo*, *pſallendo, vel orando* a). Gennadius de Honorato *Maſſilienſi, Litanias,* inquit, *ad ſupplicandam DEI clementiam cum plebe ſibi credita pro viribus agit.* Quæ, aliaque capitis illius verba, viventem adhuc innuunt. Eius forte eſt homilia Eusebii *Emeſeni*, vel *Gallicani* de litaniis, niſi malis cum auctoribus hiſt. litter. *Franciæ* Cæsario *Arelat.* adſcribere. Cauſam, quare ſint inſtitutæ, mox etiam per alias eccleſias propagatæ, S. Gregorius *Turonenſis* declarat: cum urbs tunc *Vienna* inſolitis terræ motibus quateretur, „ceſſantibus

T. V. p. 297.

p. 298.

a

De Viris illuſtribus c. 99.

dæ. „Fertur quoque, appropinquantes civitati *Dorovernenſi*, regni metropoli, more ſuo cum Cruce, & imagine Chriſti hanc litaniam conſona voce modulatos eſſe: *Deprecamur te Domine &c.* " Gotzelinus: Act. S. Bened. T. I. p. 511. „Itaque appropinquans poſſidendæ civitati pacifer Augustinus cum beato Sanctorum choro, elato ex more Crucis Domini argenteæ triumphali vexillo, cum imagine vivifica ipſius ſempiterni regis IESU Chriſti, invocat ſupliciter ſuper eam Salvatoris ſalvatricem clementiam. Tum hanc letanialem antiphonam dulcimode intonat, & eum excipiente primitiva *Anglorum* nutrice eccleſia, conſona modulatione ac devotione decantat: *Deprecamur te Domine in omni miſericordia tua, ut auferatur furor tuus, & ira tua a civitate iſta, & a domo ſancta tua, quoniam peccavimus.* " Et paulo poſt: „Illum (Chriſtum) canticis, illum prædicationum tonitruis, & ſignorum corruſcationibus, magis ac magis perſonabant. "

a) Et iterum repetitur, monenturque fideles, ut „perſeverent in opere bono, & otioſas, vel ſæculares fabulas velut venenum mortiferum reſpuentes, magis pſallere, & orare conentur, & contemnentes amaritudinem mundi, in eccleſia requirant, unde accipiant dulcedinem Chriſti. Qui vero negligentes ſunt, & ad eccleſiam non ſolum tarde veniunt, ſed etiam, priusquam myſteria compleantur, abſcedunt; & in ipſa eccleſia otioſis fabulis vacantes, nec ipſi pſallunt, nec alios pſallere, vel orare permittunt: qui tales ſunt, cito ſe corrigant: ne ſibi in eo loco præparent mortem, ubi invenire poterant vitam." Idipſum in ſequenti ſermone frequentius inculcatur.

„ bus quoque exinde terroribus (ait) per cunctas provincias diſperſa facti fa-
„ ma cunctos Sacerdotes imitari commonuit, quod Sacerdos fecit ex fide, *Hiſt. L. II.*
„ quæ uſque nunc in CHRISTI nomine per omnes eccleſias in compunctione *c.* 34.
„ cordis, & contritione ſpiritus celebratur.“ Opportune hic inferimus, quod
idem de GEORGIO geſtum refert, „ cum lues inquinaria populum primæ
„ *Germaniæ* devaſtaret. Cum autem omnes terrerentur huius cladis auditu,
„ concurrit *Remenſium* populus ad Sancti ſepulchrum, congruum huius cau-
„ ſæ flagitare remedium. Accenſis cereis, lychniſque non paucis, hymnis,
„ pſalmiſque cœleſtibus per totam excubat noctem. Mane autem facto, quid
„ adhuc precatui deſit, in tractatu rimatur: reperiunt etenim revelante DEO,
„ qualiter oratione præmiſſa, adhuc maiori propugnaculo urbis propugna-
„ cula munirentur; adſumpta igitur palla de beati ſepulchro componunt in
„ modum feretri, accenſiſque ſuper cruces cereis, atque ceroferalibus dant
„ voces in canticis, circumeunt urbem cum vicis &c.“ Ad dies Rogatio-
num redimus. Narrante FORTUNATO in vita S. GERMANI *Pariſiorum* Epi-
ſcopi, quædam mulier, *dum tempore letaniarum præ cæcatis oculis non poſ-* *c.* 33.
ſet ire cum populo, audiens chorum pſallentium, cum lacrymis domi GER-
MANI *implorat auxilium.* Tertio die recepto lumine, *mulier clareſcente*
die ad Miſſam cum populo progreditur in proceſſu. *Sidonius* APOLLINARIS
ipſum S. MAMERTUM ob hoc inſtitutum laudat. Cauſam etiam, & originem *L. VII. ep.* I.
ſupplicationum alibi exponens, earumque, quæ olim fuerunt, mentionem
faciens, „ In his autem (inquit), quas ſupra fatus Summus Sacerdos, &
„ protulit pariter, & contulit, ieiunatur, oratur, pſallitur, & fletur: *L. V. ep.* 14.
„ quarum nobis ſolemnitatem primus MAMERTUS Pater, & Pontifex reve-
„ rentiſſimo exemplo, utiliſſimo experimento invexit. Erant quidem prius
„ (quod ſalva fidei pace ſit dictum) vagæ, tepentes, infrequentesque, ut-
„ que ſic dixerim, oſcitabundæ ſupplicationes, quæ ſæpe interpellantum
„ prandiorum obicibus hebetabantur, maxime aut imbres, aut ſerenitatem
„ deprecaturæ. Ad quas, ut nihil amplius dicam, figulo pariter, atque
„ hortulano non oportuit convenire.“ Et AVITUS *Viennenſis* ortum &
progreſſum in aliis etiam eccleſiis, non tamen iiſdem ſemper diebus, ex-
ponit, ſermonem de Rogationibus exorſus de communi earum per totum
orbem obſervantia, earum inſtitutorem laudans prædeceſſorem ſuum, *qui-*
bus pſalmorum officia lacrimarum functionibus annuis perſolverentur, ut ibi a) a
loqui-

a) Integer locus ſic habet: „ Prædeceſſor namque meus, & ſpiritalis mihi a baptiſmo Pater MAMERTUS Sacerdos, cui ante non paucos annos pater carnis meæ, accepto, ſicut DEO viſum eſt, Sacerdotii tempore ſucceſſit, totas in ea, quam ſupra diximus, vigiliarum nocte concepit animo Rogationes, atque ibi cum DEO tacitus definivit, quidquid hodie pſalmis, ac precibus mundus inclamat. Revoluta ergo ſolemnitate paſchali non iam quid, ſed quomodo, aut quan-

An. 511. loquitur. Concilium *Aurel.* I. ſtatuit: *Rogationes, id eſt, litanias ante*
Can. 27. *Aſcenſionem Domini ab omnibus eccleſiis celebrari.* In Concilio *Gerundenſi*
An. 517. *C.* 2. aliud aſſignatur tempus, ut etiam ritu *Ambroſiano* ſervatur, haud dubie, ut
paſchale tempus a ieiunio ſit immune. *De litania, ut expleta ſolennitate*
Pentecoſtes, ſequenti ſeptimana, a quinta feria uſque in ſabbatum per hoc
Can. 3. *triduum abſtinentia celebretur.* Et mox ſecundæ litaniæ eodem ritu menſe
ineunte *Novembri* decernuntur. S. Gallus, *Avernenſis* Epiſcopus, *Rogatio-*
Act. O. S. B. *nes illas* inſtituiſſe dicitur circa medium Sæc. VI. *ut media Quadrageſima*
T. I. p. 119. *pſallendo ad baſilicam beati* Iuliani *Martyris itinere pedeſtri venirent.* Con-
An. 567. cilium *Lugdunenſe* II. *Gerundenſe* in ſecundis litaniis inſtituendis eſt ſecu-
C. 6. tum, *ut in prima hebdomada noni menſis, hoc eſt ante diem Dominicam,*
quæ prima in ipſo menſe illuxerit, litaniæ, ſicut ante Aſcenſionem Domini
ſancti Patres fieri decreverunt, deinceps ab omnibus eccleſiis, ſeu parochiis
An. 566. *C.* 17. *celebrentur.* In Concilio *Turon.* II. de ieiuniis antiqua a monachis inſtituta
ſervanda decernuntur, *ut de Paſcha uſque Quinquageſimam* (id eſt Penteco-
ſten) *exceptis Rogationibus omni die Fratribus prandium præparetur. . . .*
Et quia inter Natale Domini, & Epiphania omni die feſtivitates ſunt, item-
que prandebunt. Excipitur triduum illud, quo ad calcandam Gentilium con-
ſuetudinem Patres noſtri ſtatuerunt privatas in Kalendis Ianuarii *fieri litanias,*
ut in eccleſiis pſallatur, & hora octava in ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſa
DEO propitio celebretur.

Cantus in conviviis, Agapis, inter laborandum, aliisque diei momentis.

V. Nec in ipſis conviviis veteres Chriſtiani ceſſabant a concinendis divinis laudibus, non ſolum ante & poſt cibum *DEO gratias* referentes, aut antequam cubitum concedebant, verum etiam inter ipſas epulas, ſobrias menſas, ac chriſtianas *agapas* iuxta D. Pauli monitum, „ Fuit tempus „ (ut cum *Oliverio* Bonartio loquar) in DEI Eccleſia, quo non ſolum in „ templis, ſed etiam in conviviis, quæ a charitate *agapæ* vocabantur, au- „ rei illius ſæculi chriſtiani, cantica reſonabant ſobria, gravia, modeſta, „ plena religionis & gratiæ, ad quæ canenda non modo in locis DEO di- „ catis, ſed etiam in cœnaculis hortabatur illos Apoſtolus ad *Epheſ.* V. *No-* „ *lite*, inquit, *inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed implemini Spiritu* „ *Sancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritua-* „ *libus,*

L. III. de inſtitut. horar. canonicarum.

do fieri debeat, ſecreta primum collatione tractatur. . . . Eligitur tempus triduum præſens, quod inter aſcenſionis ſacræ cultum, diemque Dominicum quaſi quodam opportunitatis propriæ limbo, circumpoſitis ſolemnitatibus, marginaretur . . . Secutæ ſunt ſucciduo tempore quædam eccleſiæ *Galliarum* rem tam probabilis exempli: ſic tamen quod hoc ipſum non apud omnes iisdem diebus, quibus penes nos inſtitutum fuerat, celebraretur. Nec porro magni intererat, quod triduum eligeretur; dummodo pſalmorum officia lacrimarum functionibus annuis perſolverentur. Tamen cum dilectione rogationum, etiam Sacerdotum creſcente concordia, ad unum tempus, id eſt, ad præſentes dies univerſalis obſervantiæ cura conceſſit.“

„ *libus* , *cantantes* , *&* *pſallentes in cordibus veſtris Domino.* *Gratias agen-* „ *tes ſemper pro omnibus* , *in nomine Domini noſtri IESU Chriſti* , *DEO* *&* „ *Patri.*“ Egregie vero S. Chrysostomus in eum locum declarat, quomodo iuxta Apoſtolum læti pſallendo & cantando in cordibus Domino ebrietatem fugere, & gratos nos DEO pro donis ſuis redhibere debeamus a). a
S. Clemens *Alexandrinus Sacrificium DEO*, inquit, *ſunt pſalmi* *&* *hymni*, *L.VII. Stromatum.*
dum cibus ſumitur , *&* *antequam cubitum itur.* Nimirum, ut pro acceptis beneficiis grati animi laus manca haud ſit, nec diminuta, vult eandem pſallendo præſtari, & ante cibum, in potu etiam, & antequam nos noctu quieti damus b). b
Cavet deinde, ne imitemur *Græcos* in conviviis ad compotandum inſtitutis, ad hebraicorum quidem pſalmorum ſimilitudinem comparato cantico, quod appellabatur σκολιὸν; maxime autem ab amatoriis canticis abſterret, ad Sacrum potius cohortans concentum in fidelium conventibus. „ Sint autem (ait) cantica DEI laudes: *Laudent*, inquit (David), „ *nomen eius in choro*, *in tympano* *&* *pſalterio pſallant ei.* Et quis eſt cho- „ rus, qui pſallit? Ipſe tibi narrabit Spiritus: *Laudatio eius in eccleſia San-* „ *ctorum* *&c.*“ Et libro VI. *Stromatum* uſum ab abuſu ſecernit, & finem rectum præſtituit: „ Certe etiam in convivio nobis invicem pſallendo propi- „ namus, noſtram incantantes cupiditatem, & DEUM glorificantes pro- „ pter copioſam donationem eorum, quibus utuntur & fruuntur homines, „ & perpetuo ſuppeditata fuerint nutrimenta ad augmentum corporis & a- „ nimæ. Eſt autem ſupervacanea reſpuenda muſica &c.“ Fuerant tunc tempora, quibus apud Gentiles in turpem uſum nempe gulæ & libidinis incentiva convertebantur. „ Præteream certe ego (inquit S. Ambrosius de *c.* 15.
„ Elia & Ieiunio) citharam, pſalteria, tympana, quæ cognovimus convi- „ viis

a) „ Vis (inquit ille Hom. 19. in Epiſt. ad *Epheſ.*) lætari? Vis diem conſumere? Ego do tibi potum ſpiritualem. Ebrietas enim bene ſignificantem linguæ noſtræ exſcindit vocem, ut balbutiamus efficiens, oculosque, & omnia, ut ſemel dicam, pervertens. Diſce pſallere, & videbis rei voluptatem. Nam qui pſallunt, implentur Spiritu Sancto, ſicut, qui ſatanica canunt cantica, ſpiritu immundo. Quid eſt, *in cordibus veſtris Domino?* Hoc eſt, ſapienter animum adhibentes. Nam qui animum non adhibent, temere canunt, verba loquentes, corde alibi vagante. *Gratias*, inquit, *ſemper agentes* *&c.* id eſt, petitiones veſtræ cum gratiarum actione innoteſcant apud DEUM. Nihil enim æque DEUM lætitia afficit, ut quando quispiam eſt gratus. Maxime autem poſſumus gratias agere, abducentes animum noſtrum ab iis, quæ prius dicta ſunt, & eum expurgantes iis, quæ dixit: *Sed implemini*, inquit, *Spiritu.*“

b) „Quemadmodum autem (ait L. II. Pædag. c. 4.) antequam ſumamus alimentum, laudare nos convenit factorem univerſorum: ita etiam in potu nos ei decet pſallere, cum eius creaturarum efficimur participes. Eſt enim pſalmus numeroſa, & modeſta laudatio. Poſtremo autem, antequam nos ſomnus invadat, pium, & ſanctum eſt DEO gratias agere, ut qui eius benignitatem, & gratiam fuerimus conſecuti, ita cum divino quodam afflatu nos ad ſomnum conferamus: *Et confitemini ei*, inquit (Eccleſiaſticus) *in canticis labiorum*, quod in eius iuſſu fiat, quidquid ei viſum eſt, & ad eius ſalutare nihil eſt neque mancum, neque diminutum.“

S 3

„ viis huiusmodi frequenter adhiberi, ut vino, & cantu excitentur libi-„ dines.“ Inceſſere nihilominus paulo poſt Chriſtianos videtur, mane etiam inter potum muſicis ludentes inſtrumentis. „ Non immerito ergo væ il-„ lis, qui mane ebrietatis potum requirunt, quos conveniebat DEO laudes „ referre, prævenire lucem, & vacare orationi, occurrere Soli iuſtitiæ, qui „ nos viſitat, & exurgit nobis, ſi nos CHRISTO, non vino & ſiceræ ſurga-„ mus. Hymni dicuntur, & tu citharam tenes? Pſalmi canuntur, & tu „ pſalterium ſonas, aut tympanum? Merito væ, qui ſalutem relinquis, „ mortem eligis.“ Qua miſſa compotationes inter & commeſſationes licentia, reiectisque muſicis inſtrumentis, hymnis & canticis ſpiritualibus iuxta Apoſtoli monitum ſtudebant pii Paſtores, in rectum ad DEI laudem, piumque convivalia oblectamenta revocare uſum, ut, cum nullum tempus vacare debeat officio, in DEI laudem etiam illud, quo a DEO quotidianum beneficium alimentorum accipimus, rite impendatur. *Nec ſit*, ut ſcribit S. CYPRIANUS ad DONATUM, *vel hora convivii gratiæ cæleſtis immunis, ſonet pſalmos convivium ſobrium, & ut tibi tenax memoria eſt, voce canora aggredere hoc munus ex more. Magis cariſſimos paſces, ſi ſit nobis ſpiritalis auditio, prolectet aures religioſa mulcedo.* Haud obſcure id vult ſanctus Martyr, ut, quæ memoria retineant fideles ex Eccleſiæ cantibus, etiam in conviviis adhibeant ad DEUM laudandum. Quis autem dubitet, hoc potiſſimum factum fuiſſe in feſtivis primorum Chriſtianorum conviviis, quæ ἀγάπαι ſunt dictæ? De quibus loqui videtur CLEMENS *Alexandrinus*: *Ante comeſtionem prologuia ſcripturarum* ἐντεύξεις τῶν γραφῶν, *pſalmi*, *& hymni poſt comeſtionem.* Sed aperte TERTULLIANUS: *Poſt aquam manualem*, ait, *& lumina, ut quisque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium DEO canere. Hinc probatur, quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit.* Paulo ante dixerat: *Non prius diſcumbitur, quam oratio ad DEUM prægustetur.* Ut perhibent acta converſionis S. AFRÆ apud VELSERUM: *Epiſcopus autem veniens, ut cibum caperet, orare cœpit, & pſallere.* De conviviis porro cum gloriarentur *Platonici*, quos cantus PLATO in iis adornaſſet, EUSEBIUS nos docet, quam pii paſtores, moderatoresque invigilaverint, ut in conviviis nonniſi divinæ canerentur laudes. *Iure igitur*, inquit, *hic apud nos in conviviis odas, & hymnos in DEI laudem canendi receptus mos eſt: quo in genere honeſtati ac modeſtiæ noſtri quoque moderatores invigilant, atque proſpiciunt.* Iam prius laudarat morem, pueros etiam ad hoc inſtituendi, ut divinorum Prophetarum odas, hymnosque de DEO ſcriptos terere ſæpius, & repetere conſueſcant. Idemque S. CHRYSOSTOMUS monet, tam in menſa, quam etiam alibi faciendum, ac curandum domi a patribusfamilias, ut loco laſcivo-rum

L. VII. Strom.

Apol. c. 39.

L. XII. de Præpar. evang.

rum ſpiritualia cantica illi maxime doceantur, qui canendi dulcedine permulcere præprimis poſſunt; oportereque ante & poſt menſam ἐπιτειχίζειν τὴν ἀπὸ τῶν ψαλμῶν ἀσφάλειαν. a) Orationem a pſalmorum cantu diſtinguit non officio pietatis, ſed modulo, & contentione vocis. Studioſe olim hoc officium pſalmos canendi privatim etiam ubicunque locorum monachi præſtabant. „ In Christi villa (inquit S. Hieronymus, de monachis, & mo- a
„ naſteriis *Bethlehemiticis* loquens) tota ruſticitas eſt: extra pſalmos ſilen- *Ep.* 18. *Ed.*
„ tium eſt, quocunque te vertas, arator ſtivam tenens *alleluia* decantat: *vet.*
„ ſudans meſſor pſalmis ſe avocat, & curva attondens vites falce vinitor ali-
„ quid *Davidicum* canit.“ Et S. Augustinus de opere monachorum: „ Can- *c.* 17.
„ tica divina cantare etiam manibus operantes facile poſſunt, & ipſum laborem tanquam divino celeumate conſolari. An ignoratis, opifices quibus vanitatibus, & plerumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda, & linguas ſuas, cum manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit ſervum DEI, manibus operantem, in lege Domini meditari, & pſallere nomini Domini Altiſſimi.“ S. Basilius: „ Ecquid igi- *Epiſt.* 2.
„ tur (ait) beatius, quam in terra concentum angelorum imitari; ſtatim quidem, ac dies incipit, ad preces ſurgentem, hymnis & canticis Creatorem venerari; exinde ſole iam clare diluceſcente ad opera converſum, comitante ubique oratione, hymnis etiam opera tanquam ſale condire? Siquidem hilarem, iucundamque animæ æquabilitatem hymnorum ſolatia conferunt.“ Loco ſtatarum horarum diurnarum iugia hæc officia fuiſſe Cassianus de monachis *Ægypti* teſtatur: „ Apud ipſos etenim hæc officia, *L. III. c.* 2.
„ quæ

a) „ Ubi ſunt quidem (inquit Expoſ. in Pſ. XLI. n. 2.) meretricia cantica, illic congregantur dæmones: ubi autem cantica ſpiritualia, illuc advolat Spiritus gratia, quæ os ſanctificat & animam. Hæc dico, non ut vos tantum laudetis, ſed ut filios & uxores doceatis talia canere cantica, non ſolum in texendo, aliove opere faciendo, ſed maxime in menſa. Cum enim diabolus ut plurimum inſidietur in conviviis, ebrietatis, ingluviei, riſusque profuſi, & remiſſi animi auxilio utatur, tunc maxime oportet & ante menſam, & poſt menſam, ſe munire pſalmorum præſidio, & ſimul cum uxore ac liberis ſurgentes a convivio, hymnos ſacros DEO canere. Si enim Paulus, cui intolerabilia flagella imminebant, cum ligno alligatus in carcere habitaret, media nocte, quando eſt omnibus ſomnus iucundiſſimus, cum Sila DEUM perpetuo laudabat, & nec locus, nec tempus, nec ſolicitudines, nec ſomni tyrannis, nec illi labores, nec dolores, nec quidquam aliud cum coegit, modulationem illam intermittere: multo magis nos, qui iucunde vivimus, & DEI bonis fruimur, hymnos, quibus DEO gratiæ agantur, oportet emittere, ut ſi vel ebrietas, vel ingluvies noſtræ animæ turpe aut abſurdum quid fecerit, ubi ingreſſa fuerit pſalmodia, omnia illa mala & improba conſilia reſiliant. Et quemadmodum nonnulli divites impleta balſamo ſpongia, menſas abſtergunt: ut ſi ex cibis ulla remanſerit macula, ea extracta puram menſam oſtendant: ita nos quoque faciamus, pro balſamo os implentes melodia ſpirituali: ut ſi ex ſaturitate ulla in anima macula remanſerit, eam per illam modulationem abſtergamus, & ſimul omnes ſtantes dicamus: *Delectaſti nos Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exſultabimus.* Poſt pſalmodiam autem addatur etiam oratio, ut cum anima ipſam quoque domum ſanctificemus.“

„ quæ Domino ſolvere per diſtinctiones horarum, & temporis intervalla, cum „ admonitione compulſoris adigimur, per totum diei ſpacium iugiter cum „ operis adiectione ſpontanee celebrantur.“ Idem de pſalmodia ad cœnam
L. III. c. 12. *in ſolemnibus prandiis vel canonica ieiuniorum refectione*: „ Quam (inquit) „ & præcedere conſuetudinarii pſalmi ſolent, & ſubſequi, niſi in extraordinariis refectionibus in Sabbato, vel Dominica, ſeu feriatis temporibus.“
L. VIII. c. 37. Regula divinitus S. Pachomio tradita iuxta Palladium in *Lauſiaca*: „Quan„ do autem videretur comedendum multitudini, conſtituit, ut unusquis„ que ordo in unaquaque oratione pſalmum prius caneret.“ Neque id præ-
§. 116. terierim ex regula S. Pachomii: „Quando farinam conſpergunt aqua, & „ maſſam ſubigunt . . . mane quoque, quando tabulis ad furnum, vel ad „ clibanos deportant panes, ſimile habebunt ſilentium: & tantum de pſal„ mis, & de ſcripturis aliquid decantabunt, donec opus impleatur.“ Op-
L. VII. c. 23. portunum etiam hic eſt commemorare, quod Sozomenus refert de Flaviano, Imperatoris animum, ob deiectas ſtatuas in *Antiochenos* exacerba-
a tum, lenire omni arte ſtudente. a)

Et in funere Chriſtianorum. VI. Solemne ſemper fuit funeris & exequiarum apud Chriſtianos officium cum pſalmodia, & hymnis. Nicephorus feſtivum funus B. Virgi-
L. II. c. 22. nis cum hymnis delatum deſcribit: „Deinde (inquit) cereis ardentibus „ prælatis, & unguentis, floribusque ſparſis, atque angelis cœlitus phe„ retrum, vel præeuntibus, vel ſtipantibus, vel etiam conſequentibus di„ vinis Patribus, & Apoſtolis, mirifica quædam carmina concinentibus, intel„ lectualis illa, atque ſpiritualis arca ex *Sion* in *Gethſemani*, apoſtolicis eam „ geſtantibus manibus fertur.“ Quam equidem rem, ex Pſeudo-Dionysio expreſſam, non ut aſſertam adduco, nec quod ex paſſione SS. Petri, &
p. 159. lit. Gallic. Pauli in lexionario *Luxovienſi* apud Mabillonium legitur: „Et compre„ henderunt eos in loco, qui dicitur *catacumbas*, via *Appia*, milliario ter„ tio: & ibi cuſtodita ſunt corpora anno uno, & menſibus ſeptem, quo„ uſque fabrecarentur loca, in quibus fuerunt poſita corpora eorum, & „ ibi revocata ſunt cum gloria, & hymnorum cantica &c.“ Apud Ros-
p. 211. weidum in vita SS. Epicteti Presbyteri, & Astionis Monachi, Martyrum, his verbis eorum ſepultura deſcribitur: „Circa ſolis vero occaſum veniens

„ Vigi-

a) „ Non modo (inquit) in publicis privatisque chriſtianæ plebis congreſſibus DEUM hymnis & pſalmis invocari voluit, ut iram Imperatoris mitigaret, ſed easdem etiam lugubres, & ad æternum DEUM ſupplices cantilenas τὰς ἐν ταῖς λιταῖς τῶν Ἀντιοχέων ψαλμῳδίας adoleſcentibus tradidit, qui ad menſam imperatoriam canere ſolebant, ut illas coram Imperatore concinerent. Quibus valde luctuoſis Imperator ita fuit commotus, ut, cum phialam manu teneret, lacrimis abſtinere non potuerit, eaque ratione urbi, cui graviſſime ob negatum tributum, & per ſeditionem deiectam Placillæ ſtatuam ſuccenſebat, reconciliatus eſt, omnemque iram illico ex animo depoſuit.“

„ Vigilantius cum omni domo ſua, & cum aliis Chriſtianis, occulte tu-
„ lit corpora Sanctorum Martyrum: & perfundens ea myrrha, & aromati-
„ bus pretioſiſſimis in loco congruo & aptiſſimo, cum hymnis, & pſalmis,
„ & cum magna devotione ſepelivit.“ Nec reticendum, quod in martyrio
S. Ignatii referunt teſtes oculati, atque in viſione de gloria Martyris edo-
cti: „ Cum hæc (aiunt) vidiſſemus, & ſomniorum viſa conferremus, Deum
„ datorem bonorum hymnis celebravimus, ſanctum Virum beatum prædi-
„ cavimus, vobis & diem & tempus ſignificavimus, ut tempore eius mar-
„ tyrii convenientes communionem noſtram teſtificemur.“ Auctor Conſti-
tutionum apoſtolicarum iuſta præſcribens, quæ quibusvis fidelibus etiam
Martyribus perſolvantur, „ Congregemini (inquit) in cœmeteriis, lectionem *L. VI. c. 30.*
„ ſacrorum librorum facientes, atque pſallentes pro defunctis Martyribus, &
„ omnibus a ſæculo Sanctis, & pro fratribus veſtris, qui in Domino dor-
„ mierunt: item antitypam regalis Corporis Christi, & acceptam, ſeu gra-
„ tam Euchariſtiam offerte in eccleſiis veſtris, & in cœmeteriis, atque in
„ funeribus mortuorum, cum pſalmis deducite eos, ſi fuerint fideles in Do-
„ mino.“ Legenda eſt Cotelerii nota in hunc locum, ubi antiquos aucto-
res citat: quos inter imprimis memorabilis locus eſt Constantini Impe-
ratoris ad Sanctorum cœtum, quo recenſentur ὕμνοι ϗ ψαλτήρια, ϗ εὐφημίαι, *c. 12.*
ϗ εὐχαριστίας θυσία, hymni, pſalteria, publica præconia, & Euchariſtiæ ſa-
crificium. De ipſa pompa funebri Constantini Eusebius agit in eius vi- *L. IV. c. 70.*
ta. Quod vero de funere Constantii Gregorius *Nazianzenus* narrat,
hic imprimis memorandum eſt. „ Ille igitur (inquit) publicis præconiis, & *Orat. IV. in Iulian. II.*
„ celebri pompa deducitur, religioſisque etiam his noſtris officiis, hoc eſt
„ nocturnis cantionibus, ac cereorum ignibus, quibus nos Chriſtiani pium
„ e vita diſceſſum ornandum exiſtimamus.“ Nocturnæ nimirum cantiones
ad cadaver fiebant, dum in itinere *Cpolim* deferretur, in eccleſiis nocte de-
poſitum, quod diu obtinuit, ut tota etiam nocte pſalmodiæ cantus inſti-
tueretur, donec traderentur corpora ſepulturæ. Id vero memorabile im-
primis, quod ſubdit: „ Vox quidem e ſummis locis a nonnullis exaudie-
„ batur, veluti pſallentium, & proſequentium (angelicarum opinor virtutum)
„ quod pietatis illi præmium erat, ac funebris remuneratio. Atque his
„ verbis, commentatur Elias *Cret.* habitis Constantii funus cum impii a
„ DEO inviſi Iuliani funere comparat.“ Socrates Pauli *Novatiani* Epi- *L. VII. c. 46.*
ſcopi corpus pſalmodia uſque ad ſepulchrum deductum dicit. S. Grego-
rius *Naz.* deſcribit funus S. Basilii, & Cæsarii fratris cum multiplici hy-
mnorum cantu deductum, pſalmorum cantu luctum conſopiente; quam
myſticam pompam vocat S. Gregorius *Niſſænus* de obitu ſororis ſuæ Ma-

a CRINÆ, atque etiam in vigiliis cantum notat celebrem a). Et poſtquam pompam funebrem deſcripſiſſet: „Quæ quidem (pergit) pompa non care„bat myſterio, cum a principio ad finem uſque decantatio pſalmorum ea„dem voce, triplicique canentium ordine, ſicut ille trium puerorum can„tus, abſolveretur.“ Idem in Orat. funebri PULCHERIÆ Imp. „Tunc „DAVID ſuos hymnos & laudum decantationes lamentationibus accommo„davit, ac pro hilari choro ſumto invicem triſti, ac lugubri cantilenis ad „lamentationes invitavit.“ *Pſallentium* poſtea nominarunt cum alias, tum hoc etiam in officio funebri pſalmorum cantum. Sic *Turonenſes Pictavienſibus* S. MARTINI præripientes corpus „Ingreſſisque Ligeris alveum ad urbem „*Turonicam* cum magnis laudibus, pſallentioque dirigunt copioſo,“ ut narrat S. GREGORIUS *Turon.* S. GREGORIUS *Niſſænus* in ſermone *de Aſcenſione Domini*, DAVIDEM, uti iucundiſſimum humanæ vitæ comitem, ſic in luctu & funere conſolationem eſſe, dicit. Et EPIPHANIUS in funerum deductione ſacras DAVIDIS odas, ad luctum & dolorem minuendum, dicit cantatas. De funere ROMANII PRUDENTIUS: „Docta (inquit) mulier e pſal„terio hymnum canebat, carminis DAVIDIS: *Pretioſa Sancti mors ſub aſpe*„*ctu DEI.*“ In exequiis matris ſuæ MONICÆ, EVODIUM Epiſcopum pſalmum CI. ceciniſſe, S. AUGUSTINUS teſtatur. S. HIERONYMUS varia eiusmodi exempla commemorat in epitaphiis PAULÆ, & FABIOLÆ, ut mox videbimus. In vita S. PAULI *Eremitæ* aſſerit, S. ANTONIUM in eius funere, licet ſolum, huic non defuiſſe muneri, *obvoluto, & prolato foras corpore, hymnos quoque, & pſalmos de chriſtiana traditione decantantem.* De S. SABA ſimiliter refertur, hymnos, & cantica ei de more ceciniſſe fideles, cum ſepeliretur. Fuit autem Epiſcopus, & monachus. Solemne id fuit maxime apud monachos a primæva inſtitutione, uti in regula S. PACHOMII præſcribitur, ut tamen ſelectus, & ordo in pſallendo teneretur: *Si Frater dormierit, omnis eum Fraternitas proſequatur. Nemo permaneat absque maioris imperio, nec pſallat, niſi ei iuſſum fuerit.* Ea iuſta quomodo ipſi S. PACHOMIO ſint perſoluta, ex vita eius diſcimus apud BOLLANDUM: *Noctem deinde totam*, ut ibidem narratur, *lectione & precatione tranſigentibus Monachis, Viri ſancti corpus de more curatum, & cum pſalmis in montem fuit delatum, ac ſepulturæ traditum.* Et

S. Greg. Tur. L. I. hiſt. c. 43.

Hær. 71.

In Vit. PP. p. 73.

T. III. Maii p. 325. B.

a) „Factum eſt (inquit) ut Virginum cantu lamentationibus commixto reſonaret locus.... Cum igitur perfecta eſſet nocturna pervigilatio canendis pſalmis, ut in Martyrum celebritate, & crepuſculum adveniſſet, confluentium vicinis e locis omnibus virorum, & mulierum multitudo pſalmorum decantationem fletibus interpellabat. Ego autem, quamvis propter calamitatem animæ eſſem conſternatus, tamen ex rebus præſentibus, quoad fieri potuit, operam dedi, ut nihil in tali funere deſideraretur. Itaque confluentem populum in genera diſtribuens, mulierumque multitudinem admiſcens Virginum choro, virorum autem turbam adſcribens Monachorum cœtui, unum quemdam ſtudui ex utrisque aptum concinnumque, tanquam in pſalmos canentium congreſſu, ex communi omnium concentu apte coniunctum ordinem conſtituere.“

Et poſtea de S. THEODORO: *Vigiliis igitur de more actis, ſequenti mane* THEO- p. 333.
DORI *corpus, ad ſepulturam rite compoſitum, in monte cum multo pſalmo-*
rum cantu detulerunt. Aliter faciendum ipſe PACHOMIUS iuſſit circa Mona-
chum quemdam, qui male vixerat. *In monaſterio*, ut ibidem perhibetur, p. 321.
obierat aliquis; nec tamen PACHOMIUS *paſſus eſt, ut in monte ad cadaver*
pſallerent fratres, velut moris eſt: ſed neque ſacrificium Miſſæ pro eo factum
eſt. Veſtimenta autem eius colligens, in medio monaſterii exuri iuſſit, ſalu-
tari ſuos timore complens, ne vitam ſuam negligerent a). Sic negatur fratri, a
qui defuit in vita ſuo officio, quæ plena ſpei eſt, Chriſtianorum pro de-
functis pſalmodia; illis contra cum lætitia impenſa, qui poſtquam ſanctiſſi-
mam vitam produxiſſent, fatis conceſſerunt: ut præfato S. THEODORO S.
ATHANASIUS faciendum putavit, ne lacrymis ſui eum proſequerentur: *No-* l. c. p. 33.
lite igitur, fratres dilectiſſimi & deſideratiſſimi THEODORI *mortem lacrymis,*
& planctu proſequi. Nemo, cum illius recordatur, plorandum ſibi eſſe exi-
ſtimet; ſed illius potius vitam pro viribus imitari ſatagat: neque enim par
eſt, ut vices illius doleamus, qui ad locum doloris omnis expertem migravit.
S. HIERONYMUS in epitaphio PAULÆ celebritatem funeris ita deſcribit. „Cum c. 13.
„alii Pontifices lampades, cereoſque proferrent, alii choros pſallentium du-
„cerent.. . . hebræo, græco, latino, ſyroque ſermone pſalmi in ordine
„perſonabant, non ſolum triduo, donec ſupter eccleſiam, & iuxta ſpecum
„Domini conderetur, ſed & per omnem hebdomadam.“ Et in epitaphio
FA-

a) Aliud non minus tragicum exemplum in vita eiusdem S. PACHOMII pag. 335. num. 5. refertur, dignum, ut integrum exſcribatur: „Contigit alias, ut ſanctus Pater noſter PACHOMIUS in aliud pergeret monaſterium, fratres in eo commorantes viſitaturus. Proficiſcenti igitur, fratris neſcio cuius, eodem in monaſterio defuncti, oblatum per viam eſt funus, comitantibus illud univerſis monaſterii fratribus cum ſolenni pſalmorum cantu: amici quoque & parentes fratris demortui funebribus intererant. Simul autem atque S. PACHOMIUM ad ſeſe venientem a longe obſervarunt fratres, in terram depoſuerunt feretrum, ut cum adveniſſet vir ſanctus, ſuas ſuper defuncto preces perſolveret. Subſiſtebant ergo fratres, atque unacum ſecularibus pſalmos decantabant. Adveniens deinde B. PACHOMIUS, cum aliquamdiu orationi vacaſſet, fratribus edixit, ut ne amplius pſalmos pro defuncto concinerent. Tum veſtes defuncti in medium afferri, easque in omnium conſpectu cremari præcepit; quo facto, cadaver tolli & abſque ulla pſalmodia terræ mandari voluit. At vero fratres eius & propinqui ad pedes PACHOMII ſe abiicientes, ſummis contendebant precibus, ut non ſine ſolito pſalmorum cantu mortuus ſepeliretur, quos tamen PACHOMIUS non audiit.“ Et deinde n. 6. ad eos PACHOMIUS: „Vere dicam, fratres, maior me huius defuncti, quam vosmetipſos capit miſeratio; cumque maiorem de ipſo curam, ad inſtar patris amantiſſimi, ſuſcipiam, omnia, quæ vidiſtis, ut fierent, mandavi. Vos ſiquidem corporis ſolum exanimis cura facit ſolicitos, at ego ut animæ eius bene ſit, unice laboro. Si enim cum pſalmorum cantu ei parentare volueritis, plures defunctum & graviores cruciatus excipient, cum de recitatis ſuper eum pſalmis ratio ſit repoſcenda ab eo, qui pſalmorum gratia & virtute deſtitutus obiit. . . . Eam ob rem rogo vos, ut, ſi cruciatus defuncti cupitis reddere leviores, ſine pſalmis eum ſepulturæ mandetis: poſſet enim DEUS, cum bonus ſit & miſericors, ob hanc ei factam ignominiam, requiem aliquam eidem præbere.“

Fabiolæ: „Sonabant pſalmi, & aurata tecta templorum reboans in ſublime „ quatiebat *Alleluia.*“ Verba eadem *Anonymus* de funere Agapeti Pontificis ex Hieronymo adhibet. In occidente etiam *Alleluia* ad funera cantari
T. I. Act. Ord. S. Ben. p. 333. ſolitum, colligimus ex vita S. Radegundis Reginæ. „Dum ſub muro cum „ pſallentio ſanctum eius corpus portaretur, quia conſtituerat, ut nulla vi„ vens foras monaſterii ianuam egrederetur, tota congregatio ſupra murum „ lamentans, ita, ut planctus earum ſuperaret ipſum pſallentium: pro pſalmo „ lacrimas, pro cantico mugitum, & gemitum pro *Alleluia* reddebant.“
Ib. p. 677. Eadem periodus poſterior in vita S. Cæsarii *Arelat.* legitur. In funere eiusdem S. Cæsarii id peculiare obſervatur, extraneos etiam, ac *Iudæos* planxiſſe. „ Nam quis in exſequiis illis ſanctus, vel extraneus propter lacrimas pſal„ mum cecinit? Sed omnes omnino boni malive, iuſti & iniuſti, Chriſtiani „ vel *Iudæi*, antecedentes vel ſequentes voces dabant: Væ, væ, & quotidie „ amplius væ, quia non fuit dignus mundus diutius talem habere præco„ nem, ſeu interceſſorem.“ Alias merita ſummorum virorum gaudium potius eliciebant. Cantu pſalmorum, non modo e pluribus choris, ſed diverſis etiam, ut videtur, linguis concinnato, celebre memoratur S. Meletii funus, *Antiochiam* deportatum, a S. Gregorio *Niſſæno* in præfa-
a ti Sancti vita a). Hæc celebritas divinum illum virum ſequebatur; atque ſpem vitæ perennis, quæ de Chriſtianis concipitur, conſequitur.
De SS. Martyr. Bernice, & Proſdoce. „ Principio quidem (inquit S. Chrysostomus) ſuper mortuos planctus & „ lamentationes fiebant: nunc autem pſalmi, & cantus hymnorum. Fle„ verunt igitur Iacob quadraginta diebus, fleverunt & Moysen totidem die„ bus aliis *Iudæi*, & planxerunt, quoniam mors tum temporis mors erat: „ iam vero non ita, ſed hymni ſunt, preces, & pſalmi, quæ omnia voluptatem in ea re eſſe declarant; pſalmi enim tranquilli, & hilaris animi ſignum „ ſunt: *Æquo enim eſt animo quis in vobis, pſallat.* Quoniam igitur lætitia affluimus, idcirco pſalmos ſuper mortuos pſallimus, qui nos cohortan„ tur, ut mortem non timeamus.“ Multis in locis S. Chrysostomus in importunum ſuper mortuos luctum invehitur, lætitiam potius, & in iuſtis
b his ſacrificii potiſſimum euchariſtici requirit lætitiam b). Dionysius can-
De hier. eccl. c. 7. tica hæc victoriæ ſymbola dicit chriſtiani obeuntis, *Quod ad optatum victo-*

riæ

a) „ Exponite (inquit Greg.) quomodo præclarus David multifariam multisque modis in innumeros ordines ſeſe diſtribuens, inter diverſæ ſimul, & eiusdem linguæ homines circa tabernaculum tripudiabat, & ſaltabat. Vult dicere, (notat in hunc locum Gretserus L.II. de funere chriſt.) Nissænus, pſalmos *Davidicos* diverſis linguis in funere Meletii decantatos eſſe, prout de funere S. Paulæ Hieronymus commemorat.“

b) Notanda hic ſunt, quæ in illud Apoſtoli *De dormientibus* perorat. Et hom. IV. in epiſt. ad *Hebr.* „ Nonne (inquit) ſicut athletas mortuos comitamur? Quid etiam hymni? Nonne ut DEUM glorificemus, eique gratias agamus, quod iam coronavit diſcedentem, quod a laboribus liberavit, quod a timore liberatum apud ſe habet? Nonne propter hoc hymni? Nonne propter hoc pſalmodia? Omnia iſta gaudentium ſunt.“

riæ bravium pervenerit, auctorique victoriæ cantica gratiarum ſolvunt (eius propinqui). Idem in theoria: *Cantica*, inquit, *divinarum promiſſionum, ac lectiones explicant nobis ſedes illas beatiſſimas* &c. Et porro refert, quod Diaconi *veriſſimis de reſurrectione promiſſis, quæ divinis ſcripturis inſerta ſunt, iisdem conſona, atque æquivalentia pſalmorum cantica concinuerint*. S. Augustinus de funere S. Monicæ matris agens, licet ſuum, ac potiſſimum Adeodati filii planctum commemoret, ſimul tamen illum coercitum dicit: „Neque „enim (ait) decere arbitrabamur, funus illud quæſtibus lacrymoſis, gemitibusque „celebrare.... Cohibito ergo a fletu illo puero, pſalterium arripuit Evodius, & „cantare cœpit pſalmum. Cui reſpondebamus omnis domus: *Miſericordiam „& iudicium cantabo tibi Domine*. Audito autem quid ageretur, convenerunt „multi fratres, ac religioſæ fœminæ, & de illis, quorum officium erat, fu- „nus curantibus &c.“ Fuit hic Evodius *Uzalenſis* poſtea Epiſcopus, cuius inter epiſtolas S. Augustini eſt 158. Ubi de hoc ipſo pietatis obſequio inſigne habetur documentum in morte piiſſime obeuntis pueri cuiusdam Presbyteri Aemeni *Melonitani*: „Exequias (inquit) præbuimus ſatis honora- „biles, & dignos tantæ animæ, nam per triduum hymnis Dominum col- „laudavimus ſuper ſepulchrum ipſius, & Redemptionis Sacramenta tertio „die obtulimus.“ Corripus in laudem Iustini *Minoris* celebritatem funeris cum cantu ita deſcribit:

L. IX. Conf. c. 12.

T. II. p. 560. F.

L. III.

Omnis in exequias ſexus convenit & ætas.
Quis numerare poteſt tantæ miracula pompæ?
Hinc Levitarum venerabilis ordo canentum.
Virgineus tonat inde chorus, vox æthera pulſat.

Indigniſſimum eſt viſum, & deplorandum, Gensericum in *Africa* iuſſiſſe, Catholicorum corpora ad ſepulchrum deferri ſine celebritate hymnorum, & pſalmorum cantu, uti Victor *Vitenſis* narrat. *Quis vero*, inquit, *ſuſtineat, ac poſſit ſine lacrymis recordari, cum præciperet noſtrorum corpora defunctorum, ſine ſolemnitate hymnorum, cum ſilentio ad ſepulturam perduci?* Iuſtum ex adverſo, quod in Concilio *Toletano* III. eſt moderamen conſtitutum: „Religioſorum omnium corpora, qui divina vocatione ab hac vita „recedunt, cum pſalmis tantummodo, pſallentium vocibus debere ad ſe- „pulchra deferri. Nam funebre carmen, quod vulgo defunctis cantari ſo- „let, vel pectoribus ſe, proximos, aut familias cædere, omnino prohibe- „mus. Sufficiat autem, quod in ſpe Reſurrectionis, Chriſtianorum corpo- „ribus famulatus divinorum impenditur canticorum.“ In Conc. *Arelat.* apud Binium prohibentur carmina profana: *ſi quis autem cantare deſiderat,*

L. I. de perſec. Wandal. c. 5.

Can. 22.

 Kyrie

Kyrie eleyſon *canat.* Huc pertinet, quod BALSAMON annotat in canon. 106. Concilii *Carthagin.* „In ſynodo huius Reginæ urbium diverſa fuerunt edicta, „ ſignificantia eos celebrandorum ſacrorum ſuſpenſioni eſſe obnoxios Anti- „ ſtites, qui in nobilium, & procerum defunctorum exequiis officium „ agunt, & dicunt laudatorias preces cum Iambis, vel etiam ſoluta ora- „ tione. Multi enim hæc facere deprehenſi ſunt. Similiter & ſynodali edicto „ excommunicati ſunt lectores, qui in eisdem muſica, & querulas nugatio- „ nes edunt, & pro epitaphio epithalamium celebrant."

Obſequia moribundis exhibita, ante & poſt ſepulturam. *T. I. Act. Ord. S. Ben. p.* 287.

VII. Abſente etiam funere hæc iuſta perſoluta fuiſſe, intelligimus ex vita S. MAURI, divinitus de morte S. P. BENEDICTI edocti: „Noctem illam, „ quæ duodecimo Kalend. *Aprilis* habebatur, & qua ſacratiſſimum Vigilia- „ rum Paſchæ illuceſcebat Sabbatum, tam beatiſſimus MAURUS, ac nos, „ qui cum eo ibamus, quam ſanctus *Romanus* cum aliquibus diſcipulis ſuis, „ ieiuni pervigilem duximus; Unusquisque noſtrum ſecreto apud ſe, ut „ illis diebus in Eccleſia *Romana* mos erat, pſalmos & orationum preces de- „ vote pro exitu eiusdem Patris noſtri DEO dilectiſſimi BENEDICTI conſum- „ mantes." Præibant hæc officia exitum, cum „Beatiſſimus MAURUS in „ eccleſia conſiſtens tranſitum eius, qualicunque eveniret hora, orando & „ pſallendo præmunire, longe licet poſitus, ſatageret." Colligimus autem, iam tum in eccleſia *Romana* ſtatas fuiſſe preces, & pſalmos pro moribundis, ut ſemper hactenus mos fuit, olim etiam a mortis articulo uſque ad ſepulturæ tempus, corpore in eccleſiam deportato, pſalmorum officia præſtare, *quatenus expleto Miſſarum præconio ſepulturæ traderetur*, ut in vita

Ibid. p. 358. S. EBRULFI *Abb. Uticenſis* legitur, & paulo poſt de ipſo ſancto viro mortuo: „ Quem fratres cum magna reverentia in eccleſia deportantes, diebus tri- „ bus ac noctibus hymnos & laudes DEO canentes, ſanctum illius corpus „ diligenter viſi ſunt cuſtodiſſe, exſpectantes conventum ſervorum DEI." Et

Ibid. p. 333. in vita S. RADEGUNDIS Reginæ: „Exſpectabatur Pontifex loci, ut eam cum „ digno ſepelirent honore. Tota congregatio circa eius torum ſtans pſal- „ lebat, ubi pſallentium vel paululum quieſcebat, intolerabilis planctus ade- „ rat." Eodem referri poſſunt, vel potius ad ea obſequia, defunctis etiam poſt ſepulturam certis diebus usque ad anniverſarium impendi ſolita, quæ iam apud TERTULLIANUM, in conſtitutionibus apoſtolicis, & alibi, prima hac ætate, definita leguntur. Ad eandem quoque rem id, quod in S. Do-

Ibid. p. 253. ROTHEI Abb. *Pariſ.* vita occurit, ſpectat. „Huius anima felix civibus iuncta „ æthereis cum una concrepet Alalagma tonanti, ſuperna diſpoſitione, quæ „ ſanctos ſuos, & in hac vita mirificat, meritorum titulis iugiter turba Fra- „ trum monaſtici ordinis ante eius mauſoleum concinit æterno Regi dulci- „ flua carmina laudis."

VIII.

VIII. Habetur ad Bassulam ſocrum ſuam Sulpitii *Severi* epiſtola, quomodo B. Martinus ex hac vita ad immortalem tranſierit, in qua inter alia hæc verba: *Hoc igitur beati Viri corpus uſque in locum ſepulchri hymnis canora cœleſtibus turba proſequitur.* Et mox, Martino *divinis plauditur pſalmis*, Martinus *hymnis cœleſtibus honoratur*, in memoriam revocant, quod S. Gregorius *Turon.* accidiſſe S. Severino Epiſc. *Colonienſi* ſcribit a). Cui geminum eſt, quod S. Gregorius M. de audita pſalmodia ad corpus S. Hermenegildi *Mart.* & de obitu S. Romulæ monialis narrat, divinitus choros virorum, & fœminarum reſpondentium eſſe auditos: paſſimque in vitis PP. exempla leguntur b). Idem officium Leontius Simeoni *Salo*, cum deeſſet humanum, cœlitus præſtitum narrat c): De Anuph apud Rufinum & Bollandum narratur, continuo poſt mortem animam eius ab Angelis in cœlum deferri viſam, *ita ut vocem hymnorum audirent etiam ipſi, quibus unacum Angelis anima eius abſcedens Dominum collaudabat.*

Voces ac cantus cœlitus auditi.

a

b

c

IX. In quotidiano divini officii penſu ſemper horæ quædam ſingulariter divinis ſunt deſtinatæ laudibus d), exemplo tum ex veteri teſtamento, præſertim

Horarum canonicarum curſus.

d

a) „Dum dic Dominica (inquit Turonensis lib. I. de mirac. S. Martini c. IV.) loca ſancta ex conſuetudine poſt matutinos cum ſuis Clericis circuiret, illa hora, qua beatus obiit, audivit chorum canentem in ſublimi. Vocatumque Archidiaconum interrogat, ſi aures eius perciperent voces, quas ille attentius audiret. Reſpondit nequaquam; cum ille diligentius, inquit, auſculta. Archidiaconus autem cœpit ſurſum collum extendere, aures erigere, & ſuper ſummos articulos, baculo ſuſtentante, ſtare. Sed credo, eum non fuiſſe æqualis meriti, a quo hæc non merebantur audiri. Tunc proſtrati terræ ipſe pariter & beatus Epiſcopus, Dominum deprecantur, ut hoc ei divina pietas audire permitteret. Erectus autem, rurſum interrogat ſenem: *Quid audis?* Qui ait: *Voces pſallentium in cœlo audio, ſed quid ſit, prorſus ignoro.* Cui ille, *tibi narrabo. Dominus meus* Martinus *Epiſcopus migravit de hoc mundo, & nunc Angeli canendo eum deferunt in excelſum.*“

b) S. Gregorius M. L. III. Dial. c. 31. „Nam cœpit in nocturno ſilentio pſalmodiæ cantus ad corpus eiusdem Regis, & Martyris audiri.“ Et lib. IV. dial. c. 16. „Ecce ſubito in platea ante eiusdem cellulæ oſtium duo chori pſallentium conſtiterunt: & ſicut ſe dicebant ſexus ex vocibus diſcreviſſe, pſalmodiæ cantus dicebant viri, & fœminæ reſpondebant. Cumque ante fores cellulæ exhiberentur cœleſtes exequiæ, ſancta illa anima carne ſoluta eſt: qua ad cœlum ducta, quanto chori pſallentium altius aſcendebant, tanto cœpit pſalmodia lenius audiri, quousque & eius pſalmodiæ ſonitus, & odoris ſuavitas elongata finiretur.“

c) „Eum portantes (inquit) duo quidam abſque eo, quod eum laviſſent, & ſine pſalmodia, & ſine cereis, & ſine ſuffumigationibus eum ſepelierunt in ſepulchro peregrinorum. Cum autem tranſirent per domum illius vitreorum poculorum opificis, olim *Hebræi*, quem quidem ipſe fecerat Chriſtianum (ut ſuperius diximus) ii, qui eum portabant, & ibant ad eum ſepeliendum, audit is, qui dictus eſt, pſalmodiam, cuius ea erat harmonia, ut nulla vox humana eam poſſit pſallere: & tantam multitudinem vidit, quantam humanum genus non poteſt congregare. Stupefactus ille ſono numeroſæ, & concinnæ vocis angelicæ, exiit, & videt ſanctum, qui efferebatur a duobus tantum, qui venerandum eius corpus portabant. Tunc dixit, qui numeroſum hunc cantum audierat: *Beatus es,* Sale, *quod cum non habeas homines tibi canentes, habes cœleſtes poteſtates, quæ te hymnis honorant,* & ſtatim deſcendens, eum ſuis manibus ſepelivit; & tunc a ſe audita incorporeorum cantica narravit omnibus.“

d) Vid. Bellarm. L. I. c. 13.

ſertim ex pſalmiſta, cum etiam ex novo a CHRISTO, & Apoſtolis deſumto. Earum iam myſticas rationes ex myſteriis CHRISTI Domini deſignat auctor

L. VIII. c. 34. conſtitutionum apoſtolicarum: „Mane (inquit) gratias agentes, quod Do„minus abducta nocte, & inducto die, illuminavit nos. *Tertia* hora: quo„niam in ea Dominus ſententiam damnationis excepit a PILATO. *Sexta:* „quod in ea crucifixus eſt. *Nona:* quia cuncta cruxifixo Domino com„mota ſunt, dum horrent impiorum *Iudæorum* temeritatem, nec ferre poſ„ſunt contumeliam Domino illatam. *Veſpere:* gratias agentes, quod no„bis noctem dederit, laborum diurnorum requietem. In *gallorum cantu*: „eoquod illa hora nunciet adventum diei, ad facienda opera lucis. Si „propter infideles impoſſibile eſt ad eccleſiam procedere, in domo aliqua „congregationem facies Epiſcope..... ſi neque in domo, neque in eccleſia „congregatio poteſt agitari; unusquisque apud ſe pſallat, legat, prece„tur.“ Hæc quidem ea tantum Eccleſiæ tempora deſignant, ubi tyrrannorum perſecutionibus preſſa, tribus prioribus ſæculis, & ineunte adhuc quarto ingemuit; de quibus ex ſupra adductis tam extraneis, quam domeſticis teſtibus edocemur, horis potiſſimum antelucanis, & matutinis, ſolemne chriſtianis fuiſſe, ad canendum CHRISTO carmen, atque pſallendum, quando ſimul Euchariſtia celebrabatur, convenirent. Diſcimus tamen ex TERTUL-

De corona Militis. c. 3. LIANO, id tum mane, tum alias ſolemne fuiſſe. *Euchariſtiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præſidentium ſumimus.* Alibi tres potiſſimum horas deſignat, *Tertiam, Sextam, Nonam*, pariter ac CLEMENS

De Ieiun. c. 10. *Alexand.* ORIGENES, CYPRIANUS. „Porro (inquit) cum in eodem com„mentario LUCÆ & tertia hora orationis demonſtretur, ſub qua Spiritu San„cto innitiati pro ebriis habebantur, & ſexta, qua PETRUS aſcendit ad ſu„periora: & nona, qua templum ſunt ingreſſi: cur non intelligamus, ſalva „plane indifferentia, ſemper & ubique, & omni tempore orandum: ta„men tres iſtas horas, ut inſigniores in rebus humanis, quæ diem diſtri„buunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publice reſonant, ita & ſolemnio„res fuiſſe in orationibus divinis.“ Nolim argutari, aut captare verba illa, *quæ publice reſonant*, facileque largiar, hæc ad privatas potius preces pertinere: quemadmodum etiam locum iſtum ex libro VII. Stromatum S. CLEMENTIS *Alexandrini: Quod ſi nonnulli certas ac definitas horas conſtituunt precationi, ut verbi gratia,* Tertiam, Sextam, Nonam; *at Gnoſticus per totam orat vitam*, in alium ſenſum non interpretor, uti nec illa, quæ ORI-

N. 33. & 35. GENES *de oratione*, ac CYPRIANUS *de oratione dominica* de iisdem orationis horis perhibent. Tempore S. CYPRIANI liturgia etiam veſpere fuit celebrata: quandoquidem illos in epiſtola ad CÆCILIUM graviter redarguit, qui

qui mane aqua ſola utebantur, tempore vero cœnæ, ſeu veſpere, calice mixto ex more. In Conſtitutionibus apoſtolicis iubetur Epiſcopus, cum *L.VIII.c.35.* fuerit *veſpera*, congregare Eccleſiam: *Et poſtquam dictus fuerit pſalmus lucernalis, recitabit Diaconus orationes pro catechumenis, energumenis, competentibus, & pœnitentibus, ut ſupra diximus.* Ubi nempe de celebratione Euchariſtiæ agebatur. Alias vero *veſpertinis* etiam horis, & *Nona*, iuxta Concilium *Laodicenum*, *liturgia precum fuit celebrata.* Laudatus auctor *Can. 18.* Conſtitutionum apoſtolicarum de hac quotidiana Chriſtianorum conſuetudine monet: *Singulis diebus congregemini mane & veſpere, pſallentes, &* *L. II. c. 59.* *orantes in ædibus dominicis,* Mane *quidem dicentes pſalmum ſexageſimum ſecundum*, Veſperi *vero centeſimum quadrageſimum.* S. Hilarius: *Dies in* *In Pſ. 64.* *orationibus*, ait, *inchoatur, dies in hymnis clauditur.* S. Epiphanius: *Expoſit. fidei* *Matutini etiam hymni in ipſa ſancta Eccleſia perpetuo fiunt, & orationes* *n. 23.* *matutinæ, lucernalesque ſimul pſalmi.* Sozomenus narrat, S. Zenonem, *L. VII. c.* *Maiumenſem* Epiſcopum iam ſenem, equidem natum plus minus annos cen- *27.* tum, nunquam vel *matutinos*, vel *veſpertinos* hymnos neglexiſſe, niſi forte morbus ipſum impediret. Nicephorus addit, eum principio pſalmodiarum *L.XII. c.45.* adeſſe, eisque præire ſolitum. S. Chrysostomus eorundem ſæpe meminit temporum, dum populum dicit ad *matutinos*, *veſpertinos*que hymnos, ut vocat, pro more convolaſſe. Quando vero de monachis agit, plures, & eas- *Hom. 18. in* dem, quæ hodieque celebrantur, canonicas horas deſignat: „*Tertiam*, *acta.*
„ inquit, *Sextam*, *Nonam*, & *Veſpertinas* orationes celebrant, & in qua- *Hom. 58. ad pop. Ant.*
„ tuor partes diem diſpartiti, dum ſingulæ partes implentur, pſalmodiis, &
„ hymnis DEUM venerantur.“ Homilia 14. in 1. *ad Timoth.* eaſdem horas canonicas luculenter recenſet, & S. Athanasius, ſeu alius vetuſtus auctor *In Pſ. 118.* libri *de Virginitate*, ita virginem ſacram inſtituit: „Habeto pſalterium, &
„ pſalmos ediſce. Sol oriens videat librum in manu tua: poſt *Tertiam* ho-
„ ram peragito communionem, quoniam hac hora adductum eſt lignum
„ Crucis. *Sexta* hora celebrato preces cum pſalmis, plorationibus, & ob-
„ ſecrationibus, quoniam hac hora Filius DEI ſublatus eſt in crucem. Ho-
„ ra *Nona* rurſus eſto in hymnis & laudibus DEI cum lacrymis confitens pec-
„ cata tua &c.“ S. Antonius, ut legitur in eius vita apud S. Athanasium, ad pſallendum, *veſpere*, *mane*, & *meridie* diſcipulos ſuos hortatur. De Publio Theodoretus refert; cum diverſi generis haberet monaſteria duo, *In Philotheo* templum commune conſtruxit, *in quod iuſſit & hos, & illos convenire* *c. 5.* *incipiente die, & deſinente: ut veſpertinos, & matutinos hymnos DEO ſimul offerrent, in duas quidem diviſi partes, & ſinguli ſua voce utentes, ex ſucceſſione autem canticum emittentes.* Generatim Sozomenus de mo- *L. VI. c. 33.* nachis *Syris*, & *Perſis* narrat, *DEUM indeſinenter precationibus, & hymnis,*

ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem laudaſſe. Capite ſequenti communem eam monachorum politiam fuiſſe teſtatur, ut preces, ieiunia, ac divinos hymnos frequentarent, inque iſtis ſeſe plurimum exercerent. S. Basilius obſervandas eſſe horas vult, quas ſancti Patres ad orationem demonſtrarunt per certas intercapedines pſalmodiæ, & genuflexionis contentionem; licet alias vita quidem omnis orationis tempus ſit. Et in regulis fuſius diſputatis, quamvis *precationi, & pſalmodiæ, ſicut & pluribus aliis rebus nullum non tempus idoneum eſſe*, dicat, *ita ut interea, dum admovemus manus ad opera, modo quidem ipſa lingua (quando id fieri poteſt, aut conducit potius ad fidei ædificationem) ſin minus, corde in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus DEUM collaudemus;* ſtatas tamen mox easdem cum diſtinxiſſet horas, ſubdit: *Diverſitatem autem, atque varietatem in precibus, & in pſalmodia, quæ ſtatis horis fiunt, utilem eſſe arbitror, quod in æquabilitate quidem torpeſcat ſæpe, neſcio quomodo animus, atque præſens abſens eſt. Mutatis vero, & variatis pſalmodia, & cantu, per ſingulas horas renovatur eius deſiderium, & attentio inſtauratur.* S. Hieronymus eundem morem in epitaphio S. Paulæ declarat. „Poſt *Alleluia* cantatum (inquit) quo „ ſigno vocabantur ad collectam, nulli reſidere licitum erat... *Mane*, hora „ *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Veſpere*, *noctis medio* per ordinem pſalterium can„ tabant.“ Nihilominus ex Cassiano, & aliunde diſcimus, horas, quas nos vocamus minores, a monachis privatim in ſuis cellis fuiſſe perſolutas, exceptis diebus ſabbati, & Dominica a). S. Benedictus omnes horas ſuis temporibus in publico conventu celebrandas inſtituit: „His horis referamus laudes Creatori noſtro, *Matutinis*, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, „ *Veſpere*, *Completorio*, & *nocte* ſurgamus ad confitendum ei.“ Meminit ſubinde moris, *ſicut pſallit Eccleſia Romana*, quem etiam ſcriptor vetuſtiſſimus *de Curſuum eccleſiaſticorum origine* apud Spelmannum parum diſcrepaſſe a curſu S. Benedicti, qui quinto loco ponitur, teſtatur. Primus *Aſiaticus* vocatur apud Mabillonium, quem a S. Ioanne *Evangeliſta*, eiusque diſcipulo Polycarpo, *Smyrneorum* primo Epiſcopo, inſtitutum dicit auctor ille antiquus, ac deinde per Trophimum *Arelatenſem*, tum per Photinum

Serm. I. de Inſtitutione Monachorum.

Reg. 37.

a

Reg. c. 16.

De Lit. Gall. §. 1.

a) „Quam ob rem (ait lib. III. c. 2.) exceptis veſpertinis, ac nocturnis congregationibus, nulla apud nos per diem publica ſolemnitas, absque die Sabbati, vel Dominica, celebratur, in quibus hora tertia ſacræ Communionis obtentu conveniunt.“ In regula S. Aureliani c. 38. ſic præſcribitur: „Curſum diurnum vel nocturnum, id eſt, matutinos, vigilias ſeu nocturnos, veſperam, & duodecimam in Baſilica dominæ Mariæ congregatio dicat. Quodſi hiems aſpera fuerit, matutinos tantum, veſperam, & duodecimam in prædicta Baſilica dicite. Secundam vero, Tertiam, Sextam, nonam in interiori oratorio.“ Eugippius Abbas in vita S. Severini c. 9. „A diſcipulorum ſuorum (inquit) cellula ſpiritualis Doctor longius habitabat, in orationibus, & abſtinentia iugiter perſeverans, cum quibus tamen matutinas orationes, & propriam noctis principio pſalmodiam ſolemniter adimplebat; reliqua vero orationum tempora parvo complebat oratorio, quo manebat.“

TINUM & IRENÆUM, *Lugdunenſes* Epiſcopos, in *Gallias* propagatum. Alterum *Alexandrinum* notat, auctore MARCO *Evangeliſta*; qui curſus in monaſteriis *Lerinenſi*, & *Maſſilienſi* CASSIANI receptus ſit, atque inde per SS. GERMANUM *Antiſiodorenſem*, & LUPUM *Tricaſſinum*, Antiſtites, in *Scotiam*, & per CÆSARIUM in *Arelatenſem* eccleſiam inductus: quem demum COLUMBANUS apud *Luxovium* admiſerit. Tertius curſus *orientalis* a S. CHROMATIO, HELIODORO, beato PAULINO, & ATHANASIO Epiſcopo editus, in *Gallorum* conſuetudine non habetur. Eum S. MACARIUS per duodenas horas, ſingulis nimirum horis decantavit. Quartus curſus *Ambroſianus* dici poteſt, ſeu *Mediolanenſis*, quem beatus AMBROSIUS propter hæreticorum ordinem diſſimilem compoſuit, & alium quidem, quam cuius iam antea uſus in *Italia* invaluit. Obſervat porro MABILLONIUS, quod alias notavimus, auctorem hunc curſus eccleſiaſticos cum liturgia confundere. Nam agens de curſu, per S. MARCUM inſtituto, ita illum deſcribit, „ ut *Sanctus*, vel *Gloria in* „ *excelſis*, vel *Orationem dominicam*, & *Amen* univerſi tam viri, quam fœ„ minæ decantarent." Alias vero curſus, ſeu decurſus nomine divina officia horarum canonicarum veniunt, quod curſu ſuo quotidiano perſolvantur, ſeu decurrantur. In hunc ſenſum regula S. MACARII eam curſus nomenclaturam accipit: *Curſum monaſterii ſuper omnia diligas: qui vero ſæpius orare voluerit, uberiorem inveniet miſericordiam DEI.* Idem forte obſervare liceret, ſi GREGORII *Turonenſis* ſupereſſet liber de Curſibus eccleſiaſticis, quem condidiſſe ſe, ipſe teſtatur. Apud BEDAM ſingulariter nominatur *curſus canendi*, quando ſub AGATHONE P. IOANNES, præcentor *Romanus*, in *Angliam* miſſus perhibetur, ut curſum canendi annuum, ſicut ad *S. Petrum* agebatur, edoceret. Magis accommode ſumitur in Concilio *Calchutenſi*: *ut omnes eccleſiæ publicæ canonicis horis curſum ſuum cum reverentia habeant.* Canonicæ vero horæ dici potuerunt, poſtquam etiam canonibus eccleſiaſticis, præſertim pro Clericis, ſunt conſtitutæ, ac omnia ordinatim diſpoſita, quandoque expreſſe exceptionibus factis ſingularium monaſticarum conſuetudinum, veluti in Concilio *Bracarenſi* I. *Placuit omnibus communi conſenſu, ut unus, atque idem pſallendi ordo matutinis, vel veſpertinis officiis teneatur, & non diverſæ, ac privatæ monaſteriorum conſuetudines contra eccleſiaſticas regulas ſint permixtæ*, vel: *cum eccleſiaſticis regulis ſint permixtæ.* Ex monaſticis Congregationibus aſſumti ſacrorum præſules formam illam retinere adamabant. Quod in FAUSTO *Regienſi*, ex monacho *Lirinenſi* Epiſcopo, laudat APOLLINARIS *Sidonius*: „ Precum per„ itus *Inſulanarum*, quas de palæſtra Congregationis eremitidis, & de Se„ natu *Lirinenſium* cellulanorum in urbem quoque, cuius eccleſiæ ſacra „ ſuperinſpicis, transtuliſti, nil ab Abbate mutatus per Sacerdotem: quip-

Cap. 9.

L. X. hiſt. c. ult.

V. Beda L. IV. c. 18. hiſt.

Can. 7.

Can. 19.

L. IX. ep. 3.

„ pe cum novæ dignitatis obtentu, rigorem veteris diſciplinæ non relaxa-
„ veris. “

Extraordinaria etiam, aut aſſidua pſalmodia acœmetorum.

S. Greg. Niſſ. in vit. S. Greg. Taum. c. 8.

S. Iſidorus ap. Rosw. p. 609.

L. II. Inſtit. c. 5.

Sæc. I. Act. O. S. B. p. 744.

X. Neque hic ſubſtiterunt ſingularis ſanctitatis viri, excedentes etiam pietatis ſtudio privato divini officii ordinarium curſum. „ Cum (teſte „ S. GREGORIO *Niſſ.*) *Taumaturgus* ſubiiſſet templum (in quo ſcilicet dæmo- „ nes reſponſa dabant) illic manſit pro more totam noctem in orationibus, „ & hymnis decantandis, vigilans.“ Præterea ſingulare veterum anachoretarum, & monachorum fuit ſtudium: *Ego*, inquit ISIDORUS, *quando eram iuvenis, & ſedebam in cella mea, non habebam numerum pſalmorum, quos dicebam in miniſterio DEI: nox enim, & dies in hoc expendebatur.* CASSIANUS narrat, qua ratione in tanta varietate fixus modus orationum, ac cantus pſalmorum Angeli indicio ſit conſtitutus, *cum prius pro ſuo unusquisque fervore, infirmitatis immemor alienæ, id ſtatui debere cenſeret, quod contemplatione fidei, ac roboris ſui facillimum iudicabat.* Libertas tamen ſemper privato devotionis ſtudio fuit relicta, atque officium publicum chori etiam privatim fuit perſolutum. S. GERMANUS, Epiſcopus *Pariſ. equitans, in itinere ſemper de DEO aliquid aut verbo contulit, aut cantavit, curſum nudo capite dicens, etſi nix, aut imber urgeret.* Id S. BENEDICTUS fratribus, qui longe ab oratorio laborant, aut in via ſunt, de con-
a ſuetis horis præcipit a). De S. GERMANO, ſervato ſemper cantandi vocabulo, dum de privata ſolum pſalmodia extra ordinem ſit ſermo, in eius vita mox ſubditur, „ Quantam vero vigiliarum curam ſemper impenderet, „ quis enarret, aut toleratos algores ardore fidei prædicet? cum frequenter „ in lectulo, antequam reliquos de ſopore commoneret adſurgere, quin- „ quaginta pſalmos, vel amplius indefeſſus in templo ſui pectoris Domino „ decantaret . . . Qui celebrata vigilia remeans ad lectulum, quaſi nihil „ egerit, tunc primum reliquos excitaret. Quanta vero ad pſallendum „ fuit conſtantia, dum velut ferri rigore inducta caro ſubſiſteret . . . ut ſe „ mutantibus Clericis ſine viciſſitudine, ipſe decantandi modulamina non „ finiret. Cum pene hoc incredibiliter dicitur, quod ſcitur, quia tertia no- „ ctis hora ingrediens in eccleſiam, non eſt egreſſus ulterius pſallentium ab or- „ dine, donec clareſcente die decantatus ſolemniter curſus univerſus conſum-
Ib. p. 253. n. 6. „ maretur ex canone.“ S. DOROTHEUS Abbas, S. GERMANI diſcipulus, *Præceptoris ſui exiſtens imitator ſedulus carnem ieiuniis attenuabat, crebrius corpus domabat pernoctationibus, nimiisque afficiebat algoribus. Cuius plectrum linguæ*

a) „ Fratres (inquit c. L. Reg.) qui omnino longe ſunt in labore, & non poſſunt occurrere hora competenti ad oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita eſt, agant ibidem opus DEI, ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ, ſed ut poſſunt, agant ſibi, & ſervitutis penſum non negligant reddere.“

linguæ organa Davidica *ſemper reſonabat*, ut in eius vita legitur. Et poſtea in vita Sancti Mauri, diſcipuli Sancti Benedicti: „ Nemo illum unquam vidit de lectulo cum cæteris ſurgere fratribus, ſed „ ſemper nocturnos vigilando prævenire hymnos attentius procurabat: plerumque quinquagenos, ſæpe etiam centenos pſalmos, nonnunquam vero „ totum ex ordine pſalterium ante nocturnalem conſummans ſynaxim. " Eiusmodi pietatis operi deditus etiam fragilior ſexus, ipſaque Regina S. Radegundis celebratur: „ Ubi ſurgendi horam media faceret nox, quamquam „ antea totum impleviſſet curſum, quæ adhuc nec ſoporem ſenſerat, iam „ parata de ſtratu ad Domini ſervitium gaudens ſurgebat, ut cum fiducia „ diceret: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi Domine.* Nam fre„ quenter & dormire viſa eſt, & pſalmum decantare in ipſo ſopore, ita, ut „ recte, & veraciter diceret: *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.* Poſtea: „ Et ſi pro infirmitate aliquoties requieſcere voluiſſet, ſpiritu vigi„ lante dicebat, tanquam admonens eam, quæ pſalmum dicebat: *Age dic.* „ Nulli dubium eſt, quod aut ſpiritaliter cum Sanctis pſallebat, aut certe „ nec ſopor eam ſuperabat. Conſuetæ vero pſalmodiæ, uſque ad diem „ tranſitus ſui, nunquam minuit curſum implere." In vita S. Theodulphi, Abbatis *Remenſis*, cum adhuc ſub Theodorici diſciplina terram coleret, *ſtupendum quoque valde* narratur, *quod, cum in tam duro ſervitio intentus eſſet, nec deficeret, noctes ab agro rediens ſæpe unam, frequenter duas pervigiles, hymnorum & pſalmorum cum laudibus dicebat.* Factus poſtea Abbas *fabricarat baſilicam in honorem S.* Hilarii, *quo officii ſui curſus duplicaret laboris. Signo ſiquidem, & conventu horarum cum fratribus hymnologiarum laudes perſolvebat: ſed ut duplex eſſet corona meriti, quaſi nihil ante geſſiſſet, iterum prædicta in eccleſia vota reddebat.* Credibile eſt, utraque in eccleſia per vices fuiſſe pſallentium chorum. Fuit vero in Oriente ſingulare monachorum ἀκοιμήτων, ſeu *inſomnium* inſtitutum ab Alexandro primum, cui ſucceſſit Ioannes, deinde a Marcello propagatum. Qui, in turmas diviſi, per vices in hymnis DEO canendis nunquam die, noctuque a pſallendi aſſiduitate remittebant. Ita quidem Metaphrastes, ex cuius monaſterio, tanquam ex magna *Eden*, profluxiſſe ſalutaria diſciplinæ acœmetorum per univerſum fere orbem fluenta, refert. Plura idem in vita S. Ioannis *Calybitæ* ſub diem 15. *Ianuarii.* Nicephorus originem *Romæ* petit, ſub Gennadio, Archiepiſcopo *Cpolitano.* „ In epiſcopatu huius (ait) „ Studius quidam vir præclarus *Roma Conſtantinopolim* pervenit, & divo „ Præcurſori templum erexit, in quod monachos ex domicilio eorum, qui „ ἀκοίμητοι, hoc eſt *inſomnes* dicuntur, induxit. Horum domicilium Mar„ cellus diviniſſimus conſtruxerat, in quo perpetuis carminibus nunquam

Sæc. I. Act. O. S. B. p. 279.

Ib. p. 329.

Ib. p. 332.

Ib. p. 346. Num. 3.

Ad diem 29. Dec. apud Sur. in vita S. Marcelli.

L. XV. c. 23.

„ non hymni DEO canerentur, ſodalitate monachorum eam ob rem in „ tres cœtus diviſa. In ea mandra IOANNES quoque *Calybetes* monachum „ egit.“ Iungimus, quod ſubdit NICEPHORUS de *pervigiliis*, quas *Græci* *παννύχιδας* vocant, ab ANTHIMO eodem tempore *Cpoli* inſtitutis: „ Ea tem-„ peſtate TIMOCLES etiam, & ANTHIMUS tropariorum poetæ floruere, qui „ ſuas uterque ſodalitates habuerunt. Et qui *Chalcedonenſis* Synodi decre-„ ta comprobabant, ANTHIMI concentus frequentabant, qui etiam pervi-„ gilium inter eos inſtituit.“ In primaria charta fundationis monaſterii *Agaunenſis*, factæ a SIGISMUNDO *Burgundionum* Rege, ſimile acœmetorum inſtitutum, poſt initia Sæc. VI. legitur apud LABBEUM, „ ut ſecundum ple-„ niſſimam devotionem Domini Regis ex pſallendi inſtitutionibus fiant no-„ vem normæ, id eſt, *Granenſis*, *Iſiana*, *Iurenſis*, & *Meluenſis*, & cæ-„ tera: ut ſuccedentes ſibi in officiis canonicis, id eſt, *Nocturnis*, *Ma-„ tutinis*, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Veſpertina*, in hac die noctu-„ que indeſinenter Domino famulentur.“ SIGISMUNDUM *pſallentium ibi aſ-ſiduum* inſtituiſſe, memorat GREGORIUS *Turonenſis*, quod alibi *pſallentium quotidianum* vocat. Verum tam iſta, quam alia etiam, ex actis Martyrum *Thebæorum*, auctore EUCHERIO, Epiſcopo *Lugdunenſi*, ut a SURIO ſunt edita, ex veteri hiſtoria *Agaunenſi*, per ACHIVUM, tertium loci Abbatem allata teſtimonia, impugnat COINTIUS.

T. IV. Conc. p. 1559. *L. III. hiſt. Franc. c. 5.* *De glor. MM. L. I. c. 75.* *T. I. Annal. Franc. p. 534.*

Communi etiam fidelium concentu officium divinum perſolutum.

XI. Populum etiam ſuas olim habuiſſe partes in præcipuis divini officii partibus, ex ſupra dictis abunde patet, atque ex iis præcipue, quæ de S. ATHANASIO SOCRATES refert, quomodo ab *Arianis* quæſitus, *in media pſallentium turba evaſit, cum in recitatione pſalmi ſuavis concentus totius multitudinis extitiſſet.* Et S. BASILIUS ſeſe huius rei cauſa purgans, ad quas non chriſtianas Societates provocat? *Omnes uno verbo*, inquit, *apud quos vigiliæ, preceſque, & communes pſalmodiæ in pretio ſunt.* S. HIERONYMUS Epiſt. ad MARCELLAM: *Hieroſolymis*, ait, *vox quidem diſſona, ſed religio una, tot pene pſallentium chori, quot gentium diverſitates.* Memorabile eſt, quod GREGORIUS *Nazianzenus* in oratione *de funere patris ſui* narrat, cum is adhuc in Gentiliſmo degeret, nihil non egiſſe piiſſimam coniugem NONNAM, ut pſalmorum cantui aſſueſceret, licet adigere nunquam potuerit, donec in viſione, ac ſomno ſemel id agere ſibi videretur. „Putabat ſe (ut rem proſequitur) quod ante nunquam fecerat (quamvis uxor „ in oratione frequens eſſet) ex DAVIDIS pſalmis eam partem canere: „ *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.* „ Novus erat, & inſuetus hic cantus: ſimulque cum cantu cupiditas ingredi-„ tur.“ Haud dubie ſollicita de ſalute mariti uxor hoc ſuavi cantus incitamento illum

Socrates L. II. c. 1. *S. Baſil. Ep. 207.*

illum ad eccleſiam convocare ſtuduit, ut in illis divini officii partibus, qui-
bus etiam non initiati adeſſe poterant, præſens, cantus ſuavitate alliceretur,
& forte ipſe etiam ſuam cum aliis coniungeret vocem: quod maxime in
ſacra pſalmodia fiebat, ut omnium una eſſet vox, ac concentus, ſeu *cele-
bres hymnorum ſonitus*, ut vocat S. Hilarius. Et ibid. Idem S. Grego-
rius matrem ſuam laudans: *Ecquæ*, ait, *jejuniis*, *vigiliisque carnem ſuam
magis extenuavit*, *aut diurnæ*, *nocturnæque pſalmorum ſe ipſum cantioni
affixit?* Eodem tempore, ſub Constantio nimirum Imperatore, Flavia-
nus, & Diodorus adhuc laici, noctu, diuque ad pietatis ſtudium populum
excitantes, eundem, *Davidicos* hymnos per vices canere, docuerunt, Theo- *Hiſt. eccl.*
doreto teſte, adiungente; hoc quidem primum *Antiochiæ* inſtitutum, dein *L. II. c. 24.*
ubique pervagatum, ad ultimos terræ fines pervaſiſſe. S. Chrysostomus *Hom. 30. in*
de ipſis Virginibus, & viduis aſſerit: *Ipſæ autem noctu*, *& interdiu pſal-* *1. ad Cor.*
lunt, *& adſunt.* Socrates refert Theodosium *Iuniorem* Imperatorem ſum- *L. VII. hiſt.*
mo diluculo cum ſuis ſororibus Marina, Flacilla, Arcadia, Pulcheria, ſo- *c. 22.*
lemnes Deo pſalmos, & laudes, non ſecus ac myſtæ, in templis alternatim quo-
tidie concinuiſſe. In Occidente S. Ambrosius promiſcue fidelem populum
ad iugem pſalmodiam hortatur a). S. Augustinus præcipuam huius inſtituti a
laudem ipſi S. Ambrosio tribuit, ut ſupra p. 90. vidimus. Putat Bellar-
minus, recitata ibidem S. Augustini verba, non de toto Occidente eſſe in-
telligenda, ſed ſolum de locis, in quibus ipſe erat. *Nam certe*, ait, *te-* *L. I. de bonis*
ſtimonium ex Hilario *adductum*, *videtur omnino cogere*, *ut credamus*, *in* *Opp. c. 17.*
Gallia *fuiſſe conſuetudinem*, *ut populus in eccleſia caneret*, *etiam ante* Am-
brosii *tempora.* Mihi tamen, quod ipſa S. Augustini verba produnt, vi-
detur, S. Doctorem de aliis quoque officii divini partibus præter liturgiam,
præſertim in pernoctibus vigiliis, ibi mentionem feciſſe. Quomodo etiam
Paulinus non *Nolanus* ille, ſed alius non longe poſterior, qui Perpetuo *L. III.*
Turonenſi libros ſuos de vita S. Martini dicavit, canit:

. . . . . . *Vigil ocius omnis*
Turba ad conſuetos modulamina dulcia pſalmos
Advolat, *& ſanctis ſolatia quærit in hymnis*,
Quæ pellant ſegnes vegetato corpore ſomnos,
Cantibus & ſacris nocturna ſilentia vincant.

S. Chry-

a) „Divide ſaltem (inquit in pſal. CXVIII.) DEO, & ſæculo tempora tua, vel quando non potes agere in publico, quæ ſunt iſtius mundi, & tenebræ prohibent noctis: DEO vacato, indulge orationibus, & ne obdormiſcas, pſallito, ſomnum tuum bona fraude fraudato, mane feſtina ad eccleſiam. Defer primitias pii voti, & poſtea, ſi vocat ſæcularis neceſſitas, non excluderis dicere: *Prævenerunt oculi mei mane meditari verba tua.* Et ſic ſecurus procedis ad tuos actus. Quam iucundum inchoare ab hymnis & canticis, a beatitudinibus, quas in evangelio legis: quam proſperum, ut te Christi ſermo benedicat, & dum recantas Domini Benedictiones, ſtudium alicuius virtutis aſſumas, ut etiam id benedictionis divinæ meritum recognoſcas.“

S. Chrysostomi in componendis hymnis, quos ad *Arianorum* confuſionem ab *Omouſianis* noctu cani iuſſerat, eximium ſtudium iam p. 43. laudavimus, ubi horum reſponſiones, quas cantantibus *Arianis* opponebant, de clauſula *Gloria Patri*, pſalmis ſubiungi ſolita, intelligi poſſe, diximus; ut forte ad eam ſuccinendam populus adduceretur, ſolemneque fuit, verſus ſaltem quosdam reſponderi: qui fuit conſuetus totius populi cantus. *InPſ.26. n.1.* S. Augustinus paſſim eum eſſe *Africæ* morem teſtatur: *Voces iſtæ pſalmi,* *Num.* 1. inquit, *quas audivimus, & ex parte cantavimus &c.* Et in pſalm. XLVI. *Itaque in hoc pſalmo, quem cantatum audivimus, cui cantando reſpondimus, ea ſumus dicturi, quæ noſtis.* Quod putant S. Augustinum exemplo S. Ambrosii in *Africam* induxiſſe. Nos vero ſuperius locum Tertulliani *Cap.* 27. *de Orat.* attulimus, diligentiores ſolitos, in orando ſubiungere *alleluia*, & hoc genus pſalmos, quorum clauſulis reſpondeant, qui ſimul ſunt. Quid vero S. Ambrosius inſtituerit, Paulinus in eius vita perhibet: *Hoc in tempore primo antiphonæ, hymni, ac vigiliæ in eccleſia* Mediolanensi *celebrari cœperunt.* Populi hoc in concentu partes iam ſupra declaravimus. Non loquimur de privato pietatis ſtudio, quo ſubinde viri etiam principes, uti lib. II. plura proferemus exempla, choris pſallentium ſeſe iunxiſſe memorantur: legiturque in *T.I.Act.O.S. B. p.* 136. vita Clodoaldi, Clodomiri Regis filii, antequam monaſticum indueret habitum: *In divina laude choris pſallentium magis volebat intereſſe, quam illecebroſa verba virorum inlicite audita percipere.* Pertinet hoc ad ea tempora, poſtquam iam vergente hac prima ætate, chori pſallentium ordinatius inſtitui cœperunt. Qua de re in *Gallia Mamertum* Claudianum, a Sidonio laudatum p. 82. retulimus. Aperte autem S. Cæsarius nominatur, populo hic feciſſe par- *L. I. n.* 10. tes, in eius vita, a Cypriano *Tolonenſi* Epiſcopo conſcripta: „De profe- „ctibus itaque cunctorum ſollicitus, & providus paſtor, ſtatim inſtituit, ut „ quotidie *Tertiæ*, *Sextæ*que & *Nonæ* opus in S. Stephani baſilica Clerici „ cum hymnis cantarent: ut ſi quis forte ſæcularium, vel pœnitentium ſan- „ ctum opus exequi ambiret, absque excuſatione aliqua quotidiano intereſſe *Num.* 11. „ poſſet officio.“ Et poſtea: „ Adiecit etiam, atque compulit, ut laicorum „ popularitas pſalmos, & hymnos pararet, altaque, & modulata voce, in- „ ſtar Clericorum, alii græce, alii latine proſas, antiphonasque cantarent, „ ut non haberent ſpatium in eccleſia fabulis vacandi.“ Fuit is potiſſimus auctor Canonum *Vaſenſis* II. Concilii, ubi ſaluberrimæ eiusmodi de pſalmorum, ac hymnorum cantu habentur inſtitutiones. Populum vero in ſer- *Serm.* 140. monibus ad hoc frequenter hortatur: „ Rogo vos (inquit) fratres chariſſimi, *Serm.* 283. *in append. T.V. S.Aug.p.*471. *&c.* „ ad *Vigilias Matutinas* ſurgite, ad *Tertiam*, ad *Sextam*, ad *Nonam* ante omnia convenite.“ Expertus fuerat non fruſtra verba perdidiſſe, ſed adhuc plus urget in hunc modum: „ Gaudeo, fratres dilectiſſimi, & DEO

„ gratias

„ gratias ago, quia vos ad audiendas lectiones divinas video ad eccleſiam „ fideliter currere; ſed ſi & profectum veſtrum, & gaudium noſtrum com„ plere ad integrum vultis, maturius convenire debetis . . . Et ideo ro„ go vos, ut & maturius conveniatis, & cum veneritis, magis orare, vel „ pſallere, quam otioſis vos, vel ſæcularibus ſtudeatis fabulis occupare.“ Sermone ſequenti impenſe ſibi gratulatur de proſpero ſucceſſu, quod attinet hanc populi ad officium divinum frequentiam, & ad concentum in officio divino a). De S. GERMANO *Pariſienſi* iam ſuperius retuli, quod de eo canit FORTUNATUS: a L. II. Carm. 10.

Pontificis meritis, Clerus, plebs pſallit & infans.

Quam vero ſedulus hic fuerit populus, etiam in pervigilibus noctibus, declarat:

Flagranti ſtudio populum domus irrigat omnem
Certatimque monent, quis prior ire valet.
Pervigiles noctes ad prima crepuſcula iungens,
Conſtruit angelicos turba verenda choros.

In celebri pſalterio apud S. GERMANUM *de Pratis Pariſiis* ſervato, quod vetus traditio nos docet, teſte P. TASSIN, auctore novi tractatus diplomatici, uſui fuiſſe S. GERMANO, Epiſcopo *Pariſienſi*, qui mortuus eſt 28. *Maii* an. 576. Ad oram ſæpe occurrit R transfixum linea horizontali: quod laudato auctori ſignificari videtur, verſum ei reſpondentem antiphonam eſſe, quam populus repetere debeat. „ Reperiuntur illic non pauci pſalmi, qui illam notam non habent, alii vero ſunt, qui duplicem habent. Quod inde eſt, quia mutabatur antiphona, vel reſponſorium. Itaque ℟ iſtud transfixum notare vult *reſponſorium.* Signum iſtud bis comparet in pſalmo *Miſereatur* ad verſum: *Confiteantur tibi populi, DEUS. Confiteantur tibi populi omnes.* Scriptor repetierit ℟; quia idem verſus, qui revera *reſponſorius* erat, repetitus invenitur.“ Pſalterium iſtud diu in theſauro inter reliquias fuit cuſtoditum, poſtea in gratiam T. III. P. II. Sect. IV. c. 3. art. 2. p. 163.

a) „ Gaudium (exorditur) quod mihi Dominus de veſtra ſancta, & fideli devotione conceſſit, verbis non valeo explicare. Plures enim erant anni, quod de hac re æſtuabat animus meus, & tota cordis intentione deſiderabam, ut iſtam pſallendi conſuetudinem vobis pius Dominus inſpiraret. Unde benedico Dominum meum, & quantas poſſum iugiter gratias ago, qui dignatus eſt implere deſiderium meum. Cum enim vos ego ita pſallere deſiderarem, quomodo in aliis civitatibus pſallebatur; taliter DEUS præparavit animum veſtrum, ut hoc etiam melius, adiuvante Domino compleatis. Quid nunc inter ipſa gaudia noſtra agere convenit, niſi ut totis viribus Domino ſupplicemus, ut quomodo dedit initium, etiam conſummationem dare dignetur; & quibus tam ſanctam pſallendi contulit devotionem, etiam feliciſſimam perſeverantiam pro ſua pietate concedat.“

tiam litteratorum in bibliothecam translatum: ubi a me eſt viſum. *Sacriſta* S. Germani *de Pratis* an. 1269. in catalogo reliquiarum ſuæ cuſtodiæ concreditarum, pſalterium S. Germani recenſet.

Divina pſalmodia, ſeu curſus eccleſiaſticus paſſim inſtitutus, *Bellote p.* 204.

XII. Maxime autem ſemper fuit pſalmodiæ apud perſonas DEO, divinoque ſervitio conſecratas perennis occupatio a prima origine. Cum autem *pſalmus*, ut obſervat Bellote in Obſerv. in ritus *Laudunenſes*, *Græcis* idem ſit, quod *Latinis cantus*, & *pſallere* idem, ac *pſalmum canere*, nulli dubium fuerit, pſalmos olim apud veteres cantari ſolitos. Veluti magnus Antonius inſtituit monaſteria plena choris pſallentium. Solus etiam, ut iam memini, ad corpus S. Pauli *Eremitæ* pro conſuetudine pſalmos cantavit, teſte S. Hieronymo in eius vita. Et in vita Malchi idem teſtatur, Malchum captivum abductum, pſalmos, prout in monaſterio didicerat, cum gregem Domini ſui paſceret, cantare non deſtitiſſe. S. Pachomius regulam, modumque pſallendi acceperat ab Angelo. In regula S. Macarii hoc breviter inculcatur apud Holstenium: *Curſum monaſterii ſuper omnia diligas*, *curſum* nimirum *orationum*, *vel pſalmorum*, *ſicut dudum ſtatutum eſt*: uti habetur in regula Patrum apud eundem. Cassianus copioſe de hac re libro II. & III. *Inſtitut.* agit. Et lib. I. quidem *Collationum* inter alia refert Isaaci verba, quantum mulcedine iſta abripi mens debuerit, amoris, ac devotionis igniculis eliquata. „Nonnunquam etenim pſalmi cuiuscunque verſiculus occaſionem orationis ignitæ decantantibus nobis præbuit. „Interdum canora fraternæ vocis modulatione ad intentam ſupplicationem „ſtupentium animos excitavit. Novimus quoque diſtinctionem, gravitatemque pſallentis, aſtantibus plurimum contuliſſe fervoris.“ Nihil adeo acerbe habuit S. Gregorium *Naz. Cpoli* valedicentem, quam *Nazaræorum* chori, pſalmodiarum concentus, ſtationes nocturnæ. S. Chrysostomus in homiliis ad populum *Antioch.* non poteſt ſatis deprædicare divinam hanc monachorum harmoniam, uti iam in ſuperioribus vidimus. An vero idcirco homiliæ in epiſtolam ad Timotheum *Antiochiæ* potius habitæ dici debeant, ut Montfauconius contra Tillemontium ſentit, vel ob id, quod ex Nazianzeno retuli, nolim arbitrari. Inde coniici poteſt, *Cpoli* etiam cauſam eſſe
a potuiſſe S. Chrysostomo extollendi præſertim cantus illam ſuavitatem a). S. Hie-

P. I. p. 47. *n.* 9.

Ib. p. 37.

a) „Dehinc (inquit Hom. 14. in 1. ad Timoth.) poſtquam ſurrexere, ſtant hymnos canentes propheticos cum multo ſuavi concentu, & melodia. Non cithara, non fiſtulæ, non inſtrumentum aliud muſicum talem emittit ſonum, qualem iſtic audire eſt, in profunda quiete, & in ſolitudine canentibus ſanctis illis. Hæc porro cantica utilia ſunt, & opportuna, atque amore DEI plena. *In noctibus* (inquit) *extollite manus veſtras ad DEUM &c.* Cantica quoque *Davidica*, multos lacrymarum fontes moventia, cum canit dicens: *Laboravi in gemitu meo &c.* Quando item cum Angelis canunt; nam & Angeli tunc canunt: *Laudate Dominum de cœlis &c.*“

S. Hieronymus in epiſtola ad Rusticum: *Dicas pſalmum in ordine tuo.* Et alibi tam de cœnobitica, quam privata aſceſi in *Ægypto* verba faciens, tam virorum, quam mulierum hanc primariam occupationem memorat: *Poſt virorum monaſterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures Virgines, quas e diverſis provinciis congregarat, tam nobiles, quam medii, & infimi generis, in tres turmas monaſteriaque diviſit, ita duntaxat, ut in opere & cibo ſeparatæ, pſalmodiis & operationibus iungerentur.* Ad Lætam ſcribens de educatione filiæ: *Aſſueſcat*, inquit, *ad orationes & pſalmos, nocte conſurgere, mane*, Tertia, Sexta, Nona *ſtare in acie, quaſi bellatricem* Christi, *accenſaque lucerna reddere Sacrificium veſpertinum.* Et de monaſterio S. Paulæ: Mane, *hora* Tertia, Sexta, Nona, Veſpere, noctis medio, *per ordinem pſalterium decantabant; nec licebat cuiquam ſororum ignorare pſalmos, & non de ſcripturis quotidie aliquid diſcere.* Die Dominica ad eccleſiam procedebant, ex cuius habitabant latere, cœtus etiam monialium. Nec dubium eſt, quin pro more in publicis etiam conventibus eiusmodi diebus feſtis voces ſuas eccleſiæ iunxerint, quæ aliis diebus ſuavem hunc concentum privatim in oratoriis DEO reddebant; veluti etiam S. Augustinus moniales inſtituit: *In oratorio nemo aliud agat, niſi ad quod eſt factum, unde & nomen accepit. Pſalmis & hymnis cum oratis DEUM, hoc verſetur in corde, quod profertur in voce: & nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum: quod autem non ita ſcriptum eſt, ut cantetur, non cantetur.* Ex regula S. Aureliani pro monialibus iam audivimus curſum diurnum, & nocturnum ordinarie in Baſilica impleſſe. An ſolæ in eccleſia pſallerent, non liquet, an cum publico conventu; ſicut dudum ante de monachis meminit *Sidonius* Apollinaris, quod id alternis cum Clericis egerint. *Cultu*, inquit, *peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine Monachi, Clericique pſalmicines concelebraverant, quisque in diverſa ſeceſſimus, non procul tamen, utpote ad tertiam præſto futuri, cum Sacerdotibus res divina facienda.* Ex eodem mox laudavimus Faustum *Regienſem*, precum peritum inſulanarum, quas nempe de palæſtra congregationis eremitidis cellulanorum in urbem tranſtulerit. Ita paulatim a monaſteriis etiam ad eccleſias fuit perducta pſalmodia horarum canonicarum. *Neque enim*, inquit Martenius, *poſt redditam eccleſiæ pacem in baſilicis etiam cathedralibus ſtatim invaluit mos omnes officii divini canonicas horas quotidie ſolemniter decantandi.* Refert deinde ex Gregorii *Turon.* lib. X. hiſtoriæ *Francorum*, exemplum Iniuriosi *Turonenſis* Epiſcopi, qui inſtituit *Tertiam*, & *Sextam* in Eccleſia dici. De pſalmodia Cleri *Pariſienſis* Fortunatus ſic canit:

Epiſt. 27. c. 10.

In Epiſt. S. Paulæ.

Ep. 109. vet. Edit.

L. V. Ep. 17.

De antiq. Eccl. diſc. c. 2.

Celſa PARISIACI *Cleri reverentia pollens,*
Eccleſiæ genium, gloria, munus honos:
Carmine DAVIDICO *divina poemata pangens,*
Curſibus aſſiduis dulce revolvit opus.
Inde Sacerdotes, leviticus hinc micat ordo:
Illos canities, hos ſtola pulchra tegit.
Illi iam ſenio, tamen hi bene veſtibus albent:
Ut placeat ſummo picta corona DEO.
In medio GERMANUS *adeſt Antiſtes honore,*
Qui regit hinc iuvenes, ſubrigit inde ſenes.

An. 465. In Concilio *Venetico* Clero civitatenſi hæc obligatio graviter fuit impoſita:
Can. 14. *Clericus quem intra muros civitatis ſuæ manere conſtiterit, & a matutinis hymnis ſine probabili excuſatione ægritudinis inventus fuerit defuiſſe, ſeptem diebus a communione habeatur extraneus: quia in miniſtrum ſacrorum eo tempore, quo non poteſt ab officio ſuo ulla honeſta neceſſitas occupare, fas non eſt a ſalubri devotione ceſſare.* Vicus erat territorii *Burdegalenſis*, ubi de *duobus Presbyteris pſallentibus* etiam poſt mortem cum choro Clericorum in-
a auditam rem S. GREGORIUS *Turon.* narrat a). In Concilio *Epaonenſi* can. 25.
An. 517. ſtatutum habemus, ne reliquiæ in oratorio ponantur, ubi pſallendi munus qui obirent, non adeſſent Clerici: *Sanctorum reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur, niſi forſan Clericos cuiuscunque parochiæ vicinos eſſe contingat, qui cineribus pſallendi frequentia famulentur.* Fuerit ne hic curſus *Gallicanus*, de quo, etiam in *Britanniam*, & *Scotiam* translato, USSERIUS ex MSc. nongentorum annorum inſigne teſtimonium profert, affirmate dicere non licet, niſi eo fundamento, quo ex monaſtica pſalmodiæ ratione etiam eccleſiaſticum curſum formam accepiſſe, conſtat. Ita vero
Brittan. eccl. antiq. p. 343. habet MSc. illud apud USSERIUM: „Ordinem curſus *Gallorum* beatiſſimus „CASSIANUS, qui *Lirinenſi* monaſterio B. HONORATUM habuit comparem, „& poſt ipſum B. HONORATUS primus Abbas, & S. CÆSARIUS Epiſcopus, „qui fuit in *Arelate*, & B. PORCHERIUS Abbas; qui in ipſo monaſterio fuit, „ipſum

a) De glor. Confeſſ. c. 47. „Unius eorum ſepulchrum a parte Auſtri, alterius habetur ad Aquilonem. Igitur cum ad implendum officium Clerici pſallentium cœperunt exercere, & choris a ſe factis Domino turba canora concinere, miſcetur publica vox utriusque pſallentis: & unus quidem chorus unius vocis adiutorio adiuvatur, alius vero alterius vocis modulamine convalescit. Tantæque eſt ſuavitatis huius concentus, ut audientium ſæpe mulceat adtentos auditus: probantur & cum his pleraque indulgeri beneficia, ſi fidelis oratio præmittatur. Agitur autem hoc in vico *Vodolucenſi.*“

„ ipſum curſum decantaverunt. Qui B. Lupum, & B. Germanum Mona-
„ chos in eorum monaſterio habuerunt: & ipſi ſub normam regulæ ipſum
„ curſum decantaverunt, & poſtea in *Britanniis*, vel *Scotiis* prædicaverunt.“ Huc referri queat antiphonarium monaſterii *Benchorenſis*, probabilius quidem *Hiberniæ*, unde S. Columbanus prodiit, atque ſocio S. Gallo etiam *Alemanniam* noſtram non ſolum fidei chriſtianæ luce, verum etiam vitæ aſceticæ principiis imbuit. Hinc haud dubie prima apud nos curſus eccleſiaſtici, ex pſalmis, canticis, hymnis, collectis, & antiphonis promiſcue compoſiti, norma deſumta fuit: ita ut collectæ, ſeu collectiones, ut ibi vocantur, & antiphonæ pſalmis, & canticis familiaribus accommodatæ ſint, quæ eſt ipſa forma, quam Cassianum, ab Oriente ſumto exemplo, in *Gallias* induxiſſe, veriſimillimum eſt. Concludimus rem Iustiniani verbis ad Atarbium prætorio præfectum: *Sancimus ut omnes Clerici per ſingulas eccleſias conſtituti per ſeipſos pſallant* Nocturna, & Matutina, & Veſpertina, *nec ex ſola eccleſiaſticarum rerum conſumtione Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini DEI.* *L. I. Cod. tit. 3. c. 41.*

XIII. Non abs re pſalmodiæ nomen curſui huic eccleſiaſtico inditur, quandoquidem & pſallendi munus habet, & pſalmis potiſſimum *Davidicis* conficitur, iisque omne fere divini officii penſum conſtat. Dionysius *Alexandrinus* laudat pſalmorum cantus multiplices, quibus plerique ex fratribus delectantur. „Hic (ut cum S. Ephrem. loquar) ſolitudines inhabitat, con-
„ ciones temperat, rudibus eſt inſtructio, proficientibus incrementum, per-
„ fectorum firmamentum, & vox eccleſiæ. Hic feſta colluſtrat, hic dolo-
„ rem ſecundum DEUM operatur. Etenim pſalmus ex lapideo etiam corde
„ lacrymas excutit. Pſalmus Angelorum opus eſt, cœleſte munus, atque
„ adminiſtratio, incenſum ſpirituale. Pſalmus mentium illuminatio, ac cor-
„ porum ſanctificatio. In hoc fratres nunquam exerceri deſiſtamus, & do-
„ mi, & extra, in viis, & dormientes, & excitati, loquentes nobismet-
„ ipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus.“ Prolixas eiusmodi pſalmorum commendationes ex SS. Patribus ſuperius attulimus. Hic vero iterum digitus intendendus eſt ad celebrem S. Athanasii ad Marcellinum epiſtolam, qua diſtributionem pſalmorum ampliſſimam facit pro ſingulis materiis, occaſionibus, ac etiam diebus. *Pſallere vis*, inquit, *in ſabbato? habes nonageſimum primum. Vis gratias agere dominico die? habes vigeſimum tertium. Vis ſecunda Sabbati pſallere? dic, quæ ſunt in nonageſimo quarto. Canere vis die Paraſceves? laudem habes in nonageſimo ſecundo &c.* Necdum tunc adeo exacta habebatur divini officii diſtributio, ſed, ſi quod

Ex pſalmorum jugi cantu. — *L. VII. c. 24.* — *Enc. in pſalmos.* — *T. I. P. II. p. 982.* — *Ib. p. 996. E.*

res eſt, dicere velimus, melior ordo, & ſelectus, & amplior etiam pſalmorum uſus. „Cum igitur (inquit idem) pſalmi tali ordine diſpoſiti ſint, liceat deinceps legentibus in ſingulis deprehendere, uti ſupra dixi, motus, & conſtitutionem animæ ſuæ, atque ſingulis in rebus formam, doctrinamque, quidve dicendo placere poſſit Domino; cuiusmodi verbis ſeſe poſſit corrigere, Dominoque gratias agere.“ Qui ſub nomine eiusdem S. ATHANASII habetur liber de Virginitate, iam præceptum dat ediſcendi pſalterium. *Habeto pſalterium, & pſalmos ediſce.* Diſcimus vero ex genuina S. ATHANASII ad orthodoxos epiſtola, fuiſſe tunc in manibus fidelium etiam Virginum pſalterii librum, qui *Arianis* exprobrat, Virginem *adhuc pſalterium præ manibus tenentem publice flagellari* iuſſam. In vita S. MARIÆ neptis S. ABRAHÆ *Eremitæ* ſic legitur: „Erat autem in medio utriusque cellulæ feneſtra permodica, per quam docebat eam pſalterium, aliasque ſcripturas, & cum ea in laudibus Domini vigilabat, & pſalmos nihilominus concinebat.“ Eodem pertinet, quod in regula S. BENEDICTI præcipitur: *Quod vero reſtat poſt vigilias, a fratribus, qui pſalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inſerviatur.* Pſalmos memoriæ ad verbum mandari, S. HIERONYMUS paſſim a teneris annis, tenerisque etiam virgunculis petit. Atque ad RUSTICUM, perfectum monachum delineans, præcipit: *Diſcatur pſalterium ad verbum.* Et GAUDENTIO tradens regulam pro PACATULA, ex utero per parentes DEO oblata, *Cum virgunculam ſeptimus annus exceperit*, vult, ut *diſcat memoriter pſalterium.* In litteris ad EUSTOCHIUM laudans diſciplinam, ac moniales *Hieroſolymitani* monaſterii exſtructi, a S. PAULA *Romana per ordinem pſalterium* cantaſſe dicit. Quare *non licebat cuiquam ſororum ignorare pſalterium.* Et ad LÆTAM ſcribens de *Hunnis* etiam barbaris catholicam religionem amplecti incipientibus, HUNNI, inquit, *diſcunt pſalterium.* CYRILLUS *Scythopolitanus*, in vita S. SABBÆ, commemorat, novitios monachos non fuiſſe reliquis iunctos: *Donec pſalterium addiſcerent, & pſalmodiæ regulam &c.* Et in vita S. THEODOSII: *Et addiſcit pſalterium, & reliquas divinas ſcripturas.* Plura eiusmodi documenta affert LUPUS in ſcholio ad canonem II. Concilii *Nicæni* II. quo ſancitur, *omnem, qui ad Epiſcopatus provehendus eſt gradum, omnino noſſe pſalterium: ex hoc etiam omnis, qui ſub eo eſt Clericus, ita moneatur, & imbuatur.* Quod ex veteri diſciplina eſt repetitum. Sic GENNADIUS *Cpolit.* Archiepiſcopus, *nullum Sacerdotem conſecravit, qui non prius pſalterium ſedulo in ore habuiſſet*, teſte NICEPHORO. Idem in Occidente diu obtinuit, ut nullus ordinaretur pſalterii neſcius. *Quia nimirum pſalmorum modulatio*, iuxta DIONYSIUM, *omnibus ferme ſacerdotalibus myſteriis iungitur, & ſubſtantiæ ratione cohæret.* Quandoquidem & pſalmorum perpetuus eſt uſus in omnibus eccleſiaſticis

Pag. 992. B. — Pſalterium ediſcendum. — *Ap. Rosweid. p. 368.* — *Cap. 8.* — *Epiſt. 4.* — *Ep. 12.* — *Ep. 7.* — *L. XV. c. 23.* — *De eccl. hier. c. 3.*

ſticis officiis, & ex pſalmis ſunt depromta etiam, quæ ſucceſſu temporum articulatim iuxta feſtorum, & dierum diverſitatem ſunt poſita; veluti *typica* apud *Græcos* nihil aliud ſunt, quam verſuum, ex pſalmis hinc inde congeſtorum, & ad ſolemnitatis arcana exponenda aptiorum ecloga. Nihil hic dicam de illo veterum anachoretarum more frequenti, per diem, aut per noctem, pſalterium integrum, etiam cum canticis abſolventium, uti in vita S. Palæmonis Abbatis legitur: *Erat vero ſancti Senis miniſterium ſimile, nocte canebat totum pſalterium, & cantica ſine ullo ſtrepitu.* Eo reſpexit S. Benedictus in ſua regula, diſtributionem pſalmorum relinquens *Reg. c. 18.*
ordinandam, ſi quis melius aliter iudicaverit: „ Dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada pſalterium ex integro numero centum quinquaginta pſalmorum pſallatur, & dominico die ſemper a capite repetatur ad vigilias. Quia nimis iners devotionis ſuæ ſervitium oſtendunt monachi, qui minus pſalterio cum canticis conſuetudinariis per ſeptimanæ circulum pſallunt: cum legamus, ſanctos Patres noſtros uno die hoc ſtrenue impleviſſe, quod nos tepidi utinam ſeptimana integra perſolvamus.“ Hildemarus in commentario MS. in regulæ hoc caput apud P. Herrgott *Præf. de vet. diſc. monaſt. §. 3.*
eos inceſſit, qui relicto ritu monaſtico canonicorum officium ſecuti ſunt: „ Si *Romanum* officium facitis, minus pſallitis, quam regulæ officium contineat: nam in hebdomada poſt *Paſcha* ... & *Pentecoſten* ... totum pſalterium in officio *Romano* non canitur. Et tamen præcipit regula, per unamquamque ſeptimanam totum omnimodo eſſe canendum cum canticis ſuis.“ Radulphus *Tungrenſis* triplicem hic facit ordinem S. Ambrosii, *Prop. 10. de Canonum obſervantia.*
Hieronymi, & Benedicti. Et quamvis ordinem S. Hieronymi videatur eundem facere cum *Romano*, in hoc tamen cum S. Benedicto conſpirare vult S. Hieronymum, ut ſingulis hebdomadibus pſalterium, licet non eodem ordine, abſolvatur, ſecus ac in ordine *Ambroſiano* contingat a). In regula S. Ferreoli ſimiliter præſcribitur, ut per ordinem pſalterium decantetur, præter id, quod quisque privata devotione ſibi ſuſcipiendum duxerit: *a Cap. 12.*

a) „ Venerabiles vero (inquit) Patres Hieronymus, & Benedictus, ex Sanctorum Patrum obſervatione conſiderantes, totum pſalterium ex integro qualibet hebdomada perſolvi debere, aliter pſalterium diſtinxerunt. Nam pro aliquibus horis diurnis certis pſalmis reſervatis, reſiduos omnes in ſeptem nocturnos diſtribuerunt, videlicét Hieronymus pro Dominica octodecim, & Benedictus duodecim: ambo vero pro qualibet feriarum ſimiliter duodecim pſalmos deputantes. Feſtivitates autem beatus Benedictus in numero pſalmorum dominicis adæquavit, ut cap. 33. Hieronymus vero illas reſpectu Dominicæ mediavit: quia illis tantum novem pſalmos dedit, & ſi tres pſalmi addantur, qui more *Romano* in feſtivitatum vigiliis de ſero perſolvuntur... Similiter in feſtivitatibus ad noctem pſalmi duodecim habebuntur. In ſecunda autem parte pſalterii diſtribuenda Benedictus diſcrepat ab Ambrosio, & Hieronymo. Eius autem diviſio ex ſua regula ſciri poteſt. Utriusque autem diviſione, licet alia & alia, totum pſalterium qualibet ſeptimana, niſi feſtivitas occurrat, eſt complendum. “

xerit: „Ut omni tempore pſalmi uſque ad finem pſalterii in ordine decanten-„ tur: ſibi tamen ſecretius propter propriam mercedem, excepto publico pſal-„ lendi curſu dominico, quantum per ſingulos dies DEO tamen ſcienter lau-„ des offerat occulta ruminatione.“ De S. GERMANO *Pariſienſi*, in libello de eius vita a FORTUNATO conſcripta, id notatur: *Ut quinquaginta pſalmos, vel amplius in templo ſui pectoris decantaret.* Et poſtea: *Tertia noctis hora ingrediens in eccleſiam, non eſt egreſſus ulterius pſallentium ab ordine, donec clareſcente die decantatus ſolenniter curſus univerſus conſummaretur ex canone.* Qualis hic canon fuerit, ut eſt rata ac fixa pſalmodiæ norma, pronum non eſt decidere; id aliunde conſtat ex eodem FORTUNATO de Clero

L. II. c. 10. *Pariſienſi*, ex *Davidicis* pſalmis conſtitiſſe curſum:

Carmine DAVIDICO *divina poemata pangens,*
Curſibus aſſiduis dulce revolvit opus.

Quo etiam innuitur, quod idem in vita S. GERMANI declarat, Clero per vices ſibi ſuccedenti, aſſidua pſalmodia ſanctum Pontificem conſtanter adhæſiſſe: *Ut ſe mutantibus Clericis, ſine viciſſitudine ipſe decantandi modulamina non finiret.* Poſtremo demum id ex *typico Græcorum* eſt notandum, ceſſare pſalterium a *magna feria quinta* uſque ad *Sabbatum Antipaſchæ.* Quod intelligi poteſt de ordinaria pſalterii proſecutione. Quomodo etiamnum in Occidente illi, qui canonem monaſticum S. BENEDICTI ſequuntur, tamen illis diebus ritui ſe *Romano* conformant. Pſalmis alia ſemper ſunt accenſita cantica, tum veteris, cum novi Teſtamenti, ita ut deinceps hi pſalmi maiores ob præſtantiam novi Teſtamenti, illi minores ſint dicti. Nota demum frequentem in regula S. BENEDICTI locutionem: *pſalmum imponere*, nimirum cantando præire choro. Sic cap. 44. Reg. *Ut pſalmum, & lectionem, vel aliud quid non præſumat in oratorio imponere, niſi iterum Abbas iubeat.* Et cap. 63. *Ergo ſecundum ordines, quos conſtituerit* (Abbas) *vel quos habuerint ipſi Fratres, ſic accedant ad pacem, ad Communionem, ad pſalmum imponendum, in choro ſtandum.* S. BENEDICTO, uti omni retro antiquitati eccleſiaſticæ, uſitatiſſima eſt vox pſallendi, a pſalmis dicta, cum, ut poſtea notabimus, alias id nominis inſtrumentis muſicis tribueretur. In

Cap. 28. hiſtoria *Lauſiaca* PALLADIUS „Pſalmum (inquit) pſallit ANTONIUS, quem noverat, & cum eum duodecies ceciniſſet, duodecies oravit, ut in hoc quo-„ que PAULUM probaret.“ Ubi vides promiſcuum pſallendi, & canendi vocabulum diſtinctum ab orando. Sic mox: „Menſa autem rurſus appoſita, cum & rurſus ceciniſſet, & oraſſet, ſero veſpere ſederunt ad comeden-

Cap. 10. „dum.“ Apud eundem Abbas ADOLIUS: „A *Veſpera* uſque ad illud tem-„ pus, quo congregabatur Fraternitas in oratoriis, in *Oliveto*, in colle Aſ-„ ſum-

„ ſumtionis, unde aſcendit IESUS, perpetuo ſtabat pſallens, & orans, & „ ieiunabat; & ſive pluebat, ſive grandinabat, manebat immobilis. Impleto autem tempore conſueto, excitatorio malleo pulſabat cellas omnium, „ eos congregans ad oratoria, & in unoquoque oratorio unacum eis pſal- „ lens unam, aut duas antiphonas, & unacum eis orans: & ſic die appro- „ pinquante ibat in cellulam . . . Et cum quieviſſet uſque ad horam tertiam, „ pſalmodia excitatus, erat ei intentus uſque ad veſperam.“ Ad priorem illam diſciplinam referendum, quod apud Anonymum *Græcum* in vitis PP. de ſe teſtatur ROMANUS monachus in *Scithi*: „Et rurſus pro calamis, & cithara, „ vel alio muſico opere, quo delectabar in conviviis meis, dico mihi duo- „ decim pſalmos in die, & duodecim in nocte.“ Nempe ante converſionem Palatinus nobiliſſimæ familiæ delectabatur muſica illa. *Roſw. L. V. p. 604.*

XIV. Licet autem olim, ut iam diximus, uſitatum plerumque fuerit, præter antiphonum, ſeu alternum canendi modum, ut unus quidam pſalmum præcineret; ſolemne tamen etiam fuit reſpondere, qui reſponſorius vocatur canendi modus: *Quod uno canente*, ut ait S. ISIDORUS, *chorus perſonando reſpondet.* Iſtud S. AMBROSIO eſt *reſpondere pſalmum.* CASSIANO: *Pſalmos uno modulante reſpondere.* EUCHERIO: *Reſpondere, cum pſalmus canitur.* Sic S. ATHANASIUS de ſe teſtatur: „ Reſidens in ſede præcepi, ut „ Diaconus pſalmum legeret; populi reſponderent, *Quoniam in ſæculum* „ *miſericordia eius.*“ Et SOZOMENUS de celebri S. BABYLÆ translatione: „ Ferunt autem, tunc & viros, & mulieres, & adoleſcentes, & virgines, „ ſenes, ac pueros, interea dum urnam traherent, mutuo ſeſe adhortatos „ eſſe, ut toto itinere perſeveranter pſallerent, prætextu quidem, ut labo- „ rem itineris pſalmis ſolarentur, revera autem, ut eo zelo, & voluntate „ moti oſtenderent, haud eſſe Imperatorem perinde, atque ipſi erga DEUM „ animatum. Præcinebant autem aliis, qui ſtudio pſallendi præſtabant, & „ multitudo concentu ſuo, ac voce ſonora ſuccinendo ſequebatur, & illud „ Pſalmiſtæ cantabat: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia*, & *qui* „ *glorientur in ſimulacris.*“ Ita intelligendum eſt, quod S. AMBROSIUS ad MARCELLINAM ſororem perſcribit: „ Matutinis horis lectum eſt, ut meminiſtis, fratres, quod ſummi animi dolore reſpondimus: *DEUS venerunt* „ *gentes in hæreditatem tuam.*“ Clare vero S. CHRYSOSTOMUS: „Et is, qui „ pſallit, ſolus pſallit: etiamſi omnes reſpondendo reſonent, tanquam ex uno „ ore vox fertur.“ Ut iam etiam ſimiles ex S. AUGUSTINO quosdam locos retulimus. Fueruntque deinceps hi vocati pſalmi *reſponſorii*: veluti apud S. GREGORIUM *Turonenſem* legitur de S. NICETIO: „ Quodam mane, cum „ ſurrexiſſet ad *Matutinas* ſanctus NICETIUS, exſpectatis duabus antiphonis

Per cantum RESPONSORIUM,

L. I. de off. div. c. 8. *S. Ambr. in c. 15. Luc.* *Caſſ. L. III. de Inſt. mon. c. 8.* *Eucher. Serm. de orat.* *S. Athan. L. V. hiſt. tripart. c. 2.* *Sozom. L. V. c. 19.* *De tradendis baſilicis.* *Hom. 36. in 1. Corinth.* *De vitis PP. c. 8.*

„ egreſſus eſt in ſacrarium, ubi dum reſideret, Diaconus *reſponſorium* pſalmum canere cœpit.“ Occurrit etiam præciſum *reſponſorii* nomen apud

Num. 58. „ S. Ambrosium in Pſ. XXXVII. „ Nam ante *reſponſorium* proximum verſiculus eſt: *Et proiecerunt me, ſicut mortuum abominatum.*“ Et in Pſ.

Num. 15. XLV. „Unde & illud, quod hodie in pſalmi *reſponſorio* decantatum eſt, „ plurimum noſtræ conducit aſſertioni: *Exſpectans exſpectavi Dominum.*“ Adnotant vero *San-Maurenſes*: „ *Reſponſoria* proprie dicuntur cantus, qui „ ſingulis lectionibus ſubiicitur . . Verum, hic non ſumi eo ſenſu *reſponſoria*, manifeſtum eſt, cum dicatur non lectionis, ſed pſalmi *reſponſorium.* Itaque haud illibenter exiſtimaremus, poſt pſalmos ſingulos decantari olim conſueviſſe ſingula *reſponſoria*: præſertim cum Gennadius *de* „ *Script. eccl.* tradat, Musæum Episc. *Maſil.* ſcripſiſſe *reſponſoria* pſalmorum. „ Et Rhabanus *lib. I. de Inſtit. Cler. c.* 51. auctor ſit, *reſponſoria* in uſu „ longe ante antiphonas in *Italia* fuiſſe. At vero eadem poſſe etiam pro „ ipſis pſalmi verſiculis uſurpari, Ambrosius oſtendit in pſalm. XXXVII. „ *n.* 58. *col.* 841. *Nam ante reſponſorium proximum*, inquit, *verſiculus eſt*: „ *Et proiecerunt me &c.* Ubi clarum eſt, per vocem *reſponſorium* intelligendum verſiculum illum: *Sed tu ne derelinquas me &c.* ut patebit conſideranti. Neque vero mirum videri debet, ſi pſalmorum verſiculi, alternis choris perſoluti, *reſponſoria* vocitentur; cum iam laudatus Card. (Bo-

De div. pſalm. c. XVI. §. 10. *n.* 1. „ na) pſalmos quoque ob eandem rationem antiphonas poſſe nominari autumet.“ Confuſa nonnihil menti doctiſſimorum virorum in nota ad hunc locum oberravit antiquioris reſponſorii cantus notio; quæ tamen ex adductis locis clarior redditur, ad conciliandas varias circa hanc rem ſententias.

Ad c. 57. *L. II. Conſtit. apoſtol.* Cotelerius vult, veteres conſueviſſe, non illud totum, quod a præcentore audierant, canendo reſpondere, ſed poſtremas ſolum voces. Et hac de cauſa illud Conſtit. ἀνὰ δύο κ. τ. λ. interpretatur: *Peractis per binos lectionibus, quidam alius* Davidis *hymnos pſallat, & populus extrema verſuum ſuccinat*: quaſi τὰ ἀκροςίχια non initia verſuum, ſed poſtrema ſignificent. Cotelerio ea in re accedit *Henr.* Valesius in *Annotationibus* ad Eusebium,

T. II. p. 484. Socratem, & Sozomenum. Hos ſequuntur Binghamus, & *Thomas* Mangey in *noviſſima editione operum* Philonis, ut adnotavit Vezzosius *Præf. T. II. Opp. Ven.* Thomasii, ſubditque: Opinionem, ut minus firmam, & Patrum documentis diſſonam, quum inveniſſet Thomasius, refutandam aggreſſum eſſe. At inter tot Patrum loca, a Cotelerio allegata, unicum potiſſimum expendit, utpote qui affirmanti, chorum ſuccinuiſſe repetendo integrum illud, quod præcentor cantaverat, negotium aliquod facere pot-

L. II. hiſt. eccl. c. 17. eſt apud Philonem, & Eusebium, ubi vox ἀκροτελεύτια occurrit. Item-

L. 8. *hiſt. c.* 8. que apud Sozomenum, ubi de hymnis, ab *Arianis* uſurpatis, ait: Καὶ ἐις συ-

ςήματα

ϛήματα μεριζόμενοι κατὰ τὸν τῶν ἀντιφώνων τρόπον ἔψαλλον, ἀκροτελεύτια συντιθέντες πρὸς τὴν αὐτῶν δόξαν πεποιημένα. Quæ ſic interpretatur VALESIUS: *Et in cœtus diviſi, antiphonatim pſallebant, clauſulas quasdam iuxta ipſorum dogma compoſitas adiicientes.* SUFFRIDUS *Petrus*, qui SOZOMENI tres libros poſtremos latinos fecit, *corollaria*, quæ VALESIUS *clauſulas*, interpretatur. Clauſulas autem *Arianorum* putat doxologiam *Gloria Patri per Filium &c.* At hoc VEZZOSIO videtur idem, ac integrum verſum, ſeu integram præcentoris ſententiam repetere, non poſtrema tantum illius verba. Suadere hoc putat, & ad conciliandam horum doctiſſimorum Virorum ſententiam facere, quod THOMASIO veriſimile viſum, veterem illam diviſionem pſalmorum in minores verſus, quam ipſe ex vetuſtiſſimo MS. Cod. *Vatic.* verſionis LXX. publici iuris fecit, uſurpatam in Eccleſia fuiſſe a ſui exordio uſque ad illud temporis, quod AUGUSTINUM inter, & CASSIODORUM interceſſit, utpote, quæ ſatis commoda erat ad eam *reſponſorii* cantus rationem, de qua agitur. Præter varios vero a me iam cap. I. & paulo ante de cantu fidelium allatos locos, Venerabili Viro libenter expendendos, ſi viveret, proponerem citatos S. AMBROSII locos, quibus reſponſorium pſalmi indigitat. Et MUSÆUS *reſponſoria* pſalmorum ſcripſiſſe memoratur GENNADIO, quæ ἀκροϛίχια ἀκροτελεύτια, clauſulæ a pſalmis diſtinctæ fuiſſe videntur; aut a pſalmis excerptæ, atque diei, ſeu feſto accommodatæ, ut a populo ſuccinendo reſponderentur. Certe *reſponſorium* pſalmi: *Exſpectans exſpectavi Dominum, & reſpexit me*, quod AMBROSIUS notat, ex Pſ. XLV. non eſt deſumtum, ſi quidem illius pſalmi *reſponſorium* fuerit. Ad finem capitis primi MUSÆUM *Maſſilienſem*, & AUTMUNDUM *Tullenſem* Antiſtitem laudavimus in elucubrandis reſponſoriis celebratos.

XV. Cantus *Tractus* vocari ſolet, dum unus ſolus canebat, nullo ſuccinente, ſed audientibus cunctis. De quo intelligi poteſt S. HIERONYMUS ad RUSTICUM: *Dicas pſalmum in ordine tuo.* CASSIANUS clare hic uſitatam exponit diſtributionem de nocturnis orationibus. „ Prædictum duodenarium „ numerum ita dividunt, ſi duo fuerint fratres, ſenos pſallant; ſi tres, quaternos; ſi quatuor, ternos. Quo numero nunquam minus in congregatione decantant; ac proinde quantalibet multitudo convenerit, nunquam amplius pſallunt in ſynaxi, quam quatuor fratres.“ Et iam antea: „ Unus in medium pſalmos Domino cantaturus exurgit. Cumque ſedentibus cunctis (ut eſt moris nunc uſque in *Ægypti* partibus) & in pſallentis „ verba omni cordis intentione defixis, undecim pſalmos orationum interiectione diſtinctos contiguis verſibus parili pronunciatione cantaſſet, duodecimum ſub *alleluia* reſponſione conſummans, ab univerſorum oculis

TRACTUM, totius pſalmi decantatione ab uno facta,

L. II. c. II.

Cap. 5.

 „ repente

„ repente ſubtractus, quæſtioni pariter, & cæremoniis finem impoſuit." Legendus eſt Card. THOMASIUS in Præfat. *in Pſalterium cum canticis*, ubi de ritu hoc veteri, diu in *Hiſpaniis*, ac *Galliis* perſeverante, agit, orationes nimirum pſalmis, loco antiphonarum, ſubnectendi. In pleriſque regulis antiquorum monachorum hac in re ordo quidam præſcribitur apud HOLSTENIUM a). Obſervandum etiam eſt, quod antea de eo, qui pſallenti reſpondebat, in eadem habetur regula: „ In die dominica, vel oblationis tem- „ pore, nullus deerit de hebdomadariis, ſedens in loco Ebiymii, pſallenti- „ que reſpondens ex una duntaxat domo, quæ in maiori ſervit hebdoma- „ da &c." Non liquet, an hoc ſolummodo de reſponſione ad ultimum pſalmum, de qua mox laudatus CASSIANUS, nimirum de *alleluia* ſit intelligendum. Singulare etiam eſt, & a communi illa regula diverſum, quod in regula SS. PAULI, & STEPHANI legitur apud eundem HOLSTENIUM: „ Initium verſuum pſallentium in choro priores, qui in eis ſtant, incipiant: „ aut ſi eis adverſatur infirmitas, hi incipiant, quibus iuſſerit Pater. Qui- „ bus incipientibus mox omnes, ſi poteſt fieri, in prima, aut ſecunda ſyl- „ laba pariter, unanimiter, & uno ore ſubiungant; ut non ſit diſſonantia „ cantantium, quæ maxime ab inordinato initio, & quodammodo conten- „ tioſa varietate ſolet accidere." Idem hoc eſt, quod in regula S. BENEDICTI antiphonam, vel pſalmum imponere.

[Margin: a *n.* 14.]

[Margin: *P. II. p.* 76. *n.* 5.]

[Margin: Alternum, ſeu antiphonum, cui opponitur *in directum.*]

XVI. Frequentem eſſe in regula S. BENEDICTI locutionem, pſalmum, vel antiphonam imponere, iam obſervavimus. Sic cap. 24. Reg. *Privati autem a menſæ conſortio iſta erit ratio, ut in oratorio pſalmum, aut antiphonam non imponat, nec lectionem recitet, uſque ad ſatisfactionem.* Et cap. 47. *Pſalmos autem, vel antiphonas, poſt Abbatem ordine ſuo, quibus iuſſum fuerit, imponant.* De imponendis pſalmis paulo ante ex eadem regula exempla peculiaria attulimus, quæ perinde ad cantum alternum referri poſſunt. Prout non multo poſt eodem vertente ſæculo VI. S. NICETIUS Epiſcopus *Lugdun.* in epitaphio, in eccleſia *Lugdunenſi* alternos canentium choros inſtituens,

[Margin: *T. IV. Gall. chr. p.* 53.]

Pſallere præcepit, normamque tenere canendi,
Primus & alterutrum tendere voce chorum.

Diſcimus

a) P. I. c. VI. p. 29. „ Adſtantibus ergo ad orationem, nullus præſumat ſine præcepto, qui præeſt, patris pſalmi laudem emittere. Ordo iſte teneatur, ut nullus priorem in monaſterio ad ſtandum, vel pſallendum ordine præſumat præcedere." Et in alia regula SS. PP. p. 37. n. 4. „ Illud quoque obſervandum eſt, ut præſente ſeniore quocunque, vel præcedente in ordine pſallendi, ſequens non habeat facultatem loquendi, vel aliquid præſumendi, niſi tantum is, qui in ordine, ut dictum eſt, præcedere videtur." In regula S. PACHOMII p. 65. n. 17. „ In die Dominica & collecta, in qua offerenda eſt oblatio, abſque præpoſito domus, & maioribus monaſterii, qui alicuius nominis ſunt, nemo pſallendi habeat poteſtatem."

Diſcimus etiam ex *Sidonio* Apollinari dudum ante ad S. Iusti ſepulchrum *Lib.V. ep.*17. vigilias, alternante mulcedine, monachos, clericosque concelebraſſe. Eodemque referri poſſunt, quæ ſupra capite primo de antiphonis, ſeu cantu alterno ex inſtituto S. Ambrosii, vel Damasi P. S. Basilii, Flaviani, & Theodori, vel etiam S. Ignatii M. diximus. Modo ex Palladii hiſt. *Lauſiaca* attuli locum de Abbate Adolio, qui *impleto tempore conſueto excitatorio malleo pulſabat cellas omnium, eos congregans ad oratoria, & in unoquoque oratorio unacum eis pſallens unam, aut duas antiphonas, & unacum eis orans.* *C.* 104. Publium inſtituiſſe ex Theodoreto in *Philoth.* iam meminimus, *C.* 5. *ut veſpertinos, & matutinos hymnos DEO ſimul offerrent, in duas quidem diviſi partes, & ſinguli ſua voce utentes, ex ſucceſſione autem canticum emittentes.* Mentionem etiam p. 45. fecimus, duos ſibi e Congregatione S. Mauri adverſari monachos, *Hugonem* nempe Menardum, & *Edmundum* Martenium, quorum alter negat, alter affirmat S. Benedictum alternum apud ſuos cantum ſecutum fuiſſe. Cum vero pſalmos dicere cum antiphonis, tribus modis intelligi poſſit: aliisque ſit, pſallere choris alternis, ac diviſis; aliis, pſallere cum cantu, & modulatione; aliis, pſalmis certas quasdam ſententias inſerere, quas antiphonas vocant, eoquod ad earum cantum alternis verſibus viciſſim pſalmi decantentur, hic perinde queri poteſt: an veteres, præſertim monachi, alternis choris pſallerent? aut pſalmos voce plena, ut aiunt, decantarent, atque ad meram potius recitationem accederent? anne cum pſalmis etiam antiphonas eo, quo nunc in eccleſia accipiuntur, ſenſu celebrarent? Quod Martenius de antiquis monachorum ritibus operoſe diſquirit. Similiter Hæftenus *lib. VII. Tr. IV. diſq.* 3. & Menardus in *concordiam reg. ad c.* 23. *p.* 354. ubi ſic loquitur: *Antiphona a Græco* ἀντιφωνεῖν, *id eſt, ex adverſo, reciproce & alternatim, ſeu viciſſim canere, idque dupliciter. Primo pſalmodia, choris alternos pſalmos aut eorum verſiculos viciſſim modulantibus: ſecundo per antiphonas, quæ olim verſiculis conſtabant, quos duo chori alternatim concinebant, ut planum eſt ex S.* Isidoro *lib. VI. Orig. c.* 19. Inter reſponſorios autem, & antiphonas hoc differt, quod in reſponſoriis unus verſum dicit, in antiphonis autem verſibus alternant chori. Hodie aliter: nam per antiphonas duo iunguntur ſimul pſallendo chori, ſed non eſt proprie ἀντιφωνεῖν, hoc eſt per antiphonas canere, quia nulla eſt ibi vocum reciprocatio, ſeu alternatio. S. Benedictus pſalmis interſerit antiphonas: quæ tamen olim ſeorſum a pſalmis canebantur, ut liquet ex Cassiano. Qua in re ſi arbitrandum ſit, ex *L. III. c.* 8. prima origine alterni cantus, ſeu per antiphonas, res eſt diiudicanda. S. Benedicti cantus per antiphonam fuiſſe videtur alternus, ſeu alternantibus choris, ut aut ſingulis, aut quibusdam verſibus antiphona interponeretur,

aut ante pſalmum imponeretur, & poſt pſalmum ſubderetur. Huiusmodi antiphonas, ſeu verſiculos ſelectos in officio iuxta S. BENEDICTI regulam fuiſſe, dubitare non licet, cum in c. XIIII. de Sanctorum feſtivitatibus, vel omnibus ſolemnitatibus, ſicut die dominico agendis ſubdat: *Excepto, quod pſalmi, aut antiphonæ, vel lectiones ad ipſum diem pertinentes, dicantur.* Sed non hoc præciſe intelligendum eſt, quando c. XVII. dicit: *Si maior congregatio fuerit, cum antiphonis: ſi vero minor, in directum pſallantur,* quin ſimul includatur, qui proprie antiphonus, ſeu alternus eſt cantus, choris alternantibus. „Id porro (inquit V. THOMASIUS) primum omnium „animadverti volumus, reſponſorii, ac antiphonæ vocabula in eccleſiaſtico „ritu non tantum denotare ſententias aliquas, ſive orationes certis verbis „compoſitas, quæ in eccleſiis canuntur; quantum canendi rationem, mo„dumque in eis uſurpandum: his enim vocabulis indicare cenſuerunt noſtri „maiores, qua id ratione modulandum, cui titulum præfixerunt reſponſorii, „vel antiphonæ: quomodo alia item vocabula inſtituerunt, ut diſcrimina „omnia eccleſiaſtici cantus ſignificarent: hinc *Tractus* in Miſſa; hinc et„iam cantus *Directus*, vel *Directaneus* in officiis *Mediolanenſibus*, & mona„ſticis.“ Antiphonas cum pſalmis canendi ritum iam ſupra ex græcis ad latinos translatum meminimus, SIGEBERTO, & IVONE in chronicis id S. AMBROSIO tribuentibus. Ab aliis SIRICIO adſcribitur, quod antiphonas pſalmis admiſcuerit. Quod intelligi debet de ſelectis verſiculis, olim cantu alterno ſæpe repeti ſolitis, ſecus ac hodie fit, excepto cantu reſponſorio, non antiphono, in *invitatorio*, ſeu pſalmo *Venite exultemus.* De quo S. BENEDICTUS in ſua regula: *Poſt hunc pſalmus nonageſimus quartus cum antiphona, aut certe decantandus.* Et dum alias cum antiphona canere, & in directum, ſolet S. Pater ſibi opponere, non in hoc præciſe diſtare hic colligitur, quod alterum cum modulatione, alterum ſine modulatione recitare ſit: cum dicat de pſalmo nonageſimo quarto, *cum antiphona, aut certe decantandus.* Quæ verba miror apud EUSTACHIUM a S. UBALDO in diſquiſitione *de cantu a D.* AMBROSIO *in* Mediolanenſem *eccleſiam inducto* §. 9. accipi, *Ut idem ſit*, ſunt verba *Pauli Auguſtini* a IANUA, ſeu de FERRARIIS, *decantare, ac non cantare, ſed ſimpliciter ſine vocis modulatione recitare.* Neque rem evincit, quod HÆFTENUS ad eandem rem confirmandam affert *Diſquiſit. monaſt.* „Voluit (ait) S. BENEDICTUS per pſalmodiam cum antipho„na deſignare eam officii divini partem, quæ fit cum nota, & melodico con„centu, quod ipſe ſatis indicat: cum enim dixiſſet, *modulatis, ut ſupra di„ximus, ſex pſalmis:* idipſum paulo poſt exprimens dicit: *Poſt quas lectiones „ſequantur ex ordine ſex alii pſalmi cum antiphonis, ſicut anterius;* unde ma„nifeſtum eſt, cum antiphona pſallere idem S. BENEDICTO eſſe, atque pſalmos „mo-

Præfat. in Reſp. & antiph. — *Cap. 9.* — *C. 12. 13. 17.* — *In cap. 12. Reg.* — *L. VII. Tr. IV. diſq. 3.*

„ modulari. “ Mihi enim vero contrarium ex hoc etiam loco manifeſtum videtur, putoque in regula S. Benedicti proprio ſenſu opponi *cum antiphona* canere & *in directum*, ut cum antiphona canere idem ſit ac cantu alterno, ita ut *in directum* oppoſitum ſit in modo canendi, non in ipſo cantus modulo præciſe. Multo minus, ut viſum eſt Holstenio, *directaneum* eſt, quod a ſtantibus recitatur, ſed id, quod non alternis choris, vel nullis interpoſitis antiphonis canitur, aut recitatur, olim haud dubie ab omnibus ſimul. Quomodo etiam in breviario *Mediolanenſi Ambroſiano* idem eſt, ac communiter, non alternatim ab utroque choro ſtante dici. „ Cum totus ſimul chorus (ſunt „ verba V. Thomasii) communiter canit, non alternis, ſed uno veluti o- *Præfat. in*
„ re, unoque concentu. Hunc cantum ab Antiquis *Directum*, vel *Directa-* *Reſp. & an-*
„ *neum* appellatum arbitror. Accipio hoc loco cantum pro vocum conſo- *tiph.*
„ nantia, etſi fortaſſis ſine ſpeciali muſicæ tono. Pſalmi directanei extat „ mentio in regula S. Benedicti, aliiſque antiquis monumentis. *Mediola-* „ *nenſis* eccleſia in matutinis laudibus pſalmum unum poſt capitulum decan- „ tat, quem *directum* appellat, *qui*, ut in breviario *Ambroſiano* habetur, *ab* „ *utroque choro ſtante dicitur communiter*, *& non alternatim.* Eodem mo- „ do cantari conſueviſſe pſalmos directaneos, vel ipſa vocabulorum ſimilitu- „ do oſtendit: ſed de cantu directaneo alibi ſit locus. Hic tantummodo no- „ tabo obiter, eo modo olim in Miſſa conſueviſſe cantari *hymnum angelicum*, „ *Sanctus*, *Agnus DEI*, & in officiis aliqua item, ut, *Domine ad adiuvan-* „ *dum me feſtina*, cum *Gloria &c.*“ Directaneum opponitur antiphonæ in regula SS. Cæsarii, & Aureliani: „ Dicite antiphonam, reſponſorium, *n. 21.*
„ & aliam antiphonam: antiphonas ipſas de ordine pſalterii. Poſt hæc di- „ cant matutinos, directaneum: *Exaltabo te DEUS meus*, *& rex meus.* „ Deinde in ordine totus matutinarius in antiphonas dicatur. “ In regula S. Aureliani: „ Ad lucernarium directaneus parvulus, id eſt, *Regna terræ* *n. 40.*
„ *cantate DEO*, *pſallite Domino.* Alia die: *Laudate pueri Dominum*, anti- „ phonæ tres a). “ In officio *Ambroſiano* annotantur pſalmi directi die dominico; qui nempe recitantur poſt pſalmos conſuetos laudum ſimul ab utroque choro ſtante, & non alternatim, ut obſervat Muratorius, ſubditque: *T. IV. antiq. Ital. p. 840.*
„Cen-

a) Et mox: „ Ad duodecimam imprimis directaneus parvulus: *Sol cognovit occaſum ſuum.* Sex ſorores binos pſalmos cum ſuis alleluiaticis dicant: antiphonas tres; lectiones duas, unam de Apoſtolo, aliam de evangelio. Ad nocturnas paſchales deinde ſicut in duodecima deſignavimus. Ad matutinos imprimis directaneum: *Exaltabo te DEUS meus*: *DEUS*, *DEUS meus, ad te luce vigilo*, cum *alleluia*. Deinde, *Confitemini Domino*, cum *alleluia*. Deinde, *Cantemus Domino*, cum *alleluia*. Poſtea: *Lauda &c.* totos tres cum *alleluia*. *Cantate Domino &c.* cum *alleluia*. *Magnificat &c.* aut cum antiphona, aut cum *alleluia*.“ Idem in regula S. Benedicti obſervare licet, quod pſalmi vel in directum, vel contra cum antiphona, aut cum *alleluia* dicantur. Cap. 12. „ In Matutinis dominico die imprimis dicatur ſexageſimus ſextus pſalmus ſine antiphona in directum. Poſt quem dicatur quinquageſimus cum *alleluia*.“

„ Cenſet autem Du-Cangius in gloſſario latino ad vocem *directaneus*, quod „ idem eſt, atque directus, eo vocabulo ſignificari pſalmos aut hymnos, qui „ unico vocis tono, nulla modulatione, pronunciarentur. Sed videndum, „ num potius ita pſalmi appellarentur, quod non alternatim, ſed continua- „ to progreſſu, atque una voce ab integro choro recitarentur, aut etiam „ canerentur.“ Ita Muratorius. Apud eundem p. 886. Beroldus ad rem præſentem: „ Oratione finita totus chorus canit leni voce vel privatim: „ *Qui habitat in adiutorio*, ſicut pſalmum directum. “

Repetitæ antiphonæ. *L. III. c.* 8.

XVII. Obſcurius Cassianus de antiphonis loquitur, quæ nonnihil explicatius ediſſerere conabimur. *Nam cum ſtantes*, inquit, *antiphonas tres concinnerunt, humi poſt hæc, vel ſedilibus humillimis inſidentes tres pſalmos, uno modulante, reſpondent, qui tamen ſinguli a ſingulis fratribus viciſſim ſuccedentibus ſibi præbentur.* Agitur de vigiliis tempore hyemali, quo noctes ſunt longiores, longius protrahendis. Cumque ſex fuerint ſingulis nocturnis diſtributi pſalmi, hic vero tres tantum uno modulante occurrunt, haud dubie tres priores ſub antiphonis ſtando concinendis intelliguntur. Rem clarius, & extra dubium facit, quæ idem Cassianus de diverſitate pſalmorum per diverſas provincias narrat, mox initio initi de hac re ſermonis:

Lib. II. c. 2.

„ Multos namque (inquit) comperimus, per alias regiones pro captu mentis ſuæ habentes quidem, ut ait Apoſtolus, zelum DEI, ſed non ſecun- „ dum ſcientiam, ſuper hac re diverſos typos, ac regulas ſibimet conſti- „ tuiſſe. Quidam enim vicenos, ſeu tricenos pſalmos, & hos ipſos anti- „ phonarum protelatos melodiis, & adiunctione quarundam modulationum „ debere dici ſingulis noctibus cenſuerunt.“ Illuſtratur hæc res egregie canone 19. Concilii *Turonenſis* II. huiusmodi: „Itemque pro reverentia Do- „ mini Martini, vel cultu, & virtute id ſtatuimus obſervandum, ut tam „ in ipſa Baſilica ſancta, quam in eccleſiis noſtris iſte ordo pſallendi ſerve- „ tur, ut in diebus feſtivis ad *Matutinum* ſex antiphonæ binis pſalmis ex- „ plicentur. Toto *Auguſto* manicationes fiant, quia feſtivitates ſunt, & „ Miſſæ. *Septembri* ſeptem antiphonæ binis pſalmis explicentur: *Octobri* „ octo, ternis pſalmis; *Novembri* novem, ternis pſalmis: *Decembri* decem, „ ternis pſalmis. *Ianuario*, & *Februario* itidem uſque ad *Paſcha*. Videtur hic ratio habita fuiſſe longitudinis noctium, ut pro earum incremento antiphonæ pſalmis intercinendæ multiplicarentur, tam quoad antiphonarum numerum, quam quoad pſalmos, quibus interſerantur: cum ex ſequentibus pateat, duodecim pſalmos in matutino fuiſſe dictos, licet binis tantum, vel ternis explicarentur antiphonis. Quod convenit cum illis, quæ ex Cassiano attulimus. Melius ita res explicatur, quam ſi cum Menardo, aut

Mabil-

Mabillonio dicas, binos aut ternos pſalmos fuiſſe pro ſingulis antiphonis. Iſtum pſallendi modum cum antiphonis Martenius in multis antiquis monaſticis ritualibus, & breviariis libris deprehendit, putatque præſcripſiſſe S. Benedictum, dum pſalmos cum antiphonis dicendos eſſe decernit, ut ſingulis pſalmis ſingulæ antiphonæ interſererentur. Diſquirit utrum cum pſalmis antiphonas decantarent veteres monachi. Diſtinguit primo cantum antiphonum, ſeu reciprocum, proprie ſic dictum. *Nunc vero*, inquit, *uſus invaluit, ut antiphonas vocaremus eas breves ſententias, quas pſalmis præponimus, & ſubiicimus; ſive quia ad earum tonum pſalmi alternis verſibus concinantur; ſive quia earum pars ab uno decantaretur, alia ab altero.* Antiphonas vero huiusmodi nullas niſi ex ſcripturis deſumtas decantari ſolitas ex regula Pauli, & Stephani probatur: *Nullus præſumat reſponſoria, vel antiphonas, quæ ſolent aliqui compoſito ſono pro ſuo libitu, & non ex canonica ſcriptura deſumta canere, in congregatione iſta vel meditari, vel legere.* Nota mentionem ſoni compoſiti. Recteque obſervat Martenius, cum antiphonæ ſint quædam quaſi cantilenæ, ad excitandam audientium devotionem compoſitæ, non niſi cum nota, & ſuavi modulatione debere cantari, atque imponi ordine. Modulationis voce S. Benedictus in ſua regula utitur; qualis vero ea prima hac ætate fuerit, quantum ſcire licet, capite ſequenti diſquiremus. Simplicem admodum fuiſſe, & ſine arte compoſitam, vel inde concludi poteſt, quod nuſpiam in eius ætatis regulis, aut canonibus eccleſiaſticis præcepta aut diſcendi, aut canendi inculcentur; niſi eo accipias tempus, quod S. Benedictus c. 8. & 48. meditationi pſalmorum aſſignat.

L. I. de ritib. monach. c. 2. n. 53.

c. 14.

XVIII. Cum in regula S. Benedicti capite nono ſex nocturnarum horarum priores pſalmi cum antiphonis canendi præſcribantur: *Sequantur*, ut verba S. Patris habent, *reliqui ſex pſalmi cum Alleluia.* Obiter notandum, Menardum in quodam codice inveniſſe loco *cum Alleluia*, *cum albis*, ſed retinenda eſt prior lectio. Quod paulo ante vidimus ex Cassiano pſalmum duodecimum concluſum eſſe *Alleluia*, quadantenus cum D. Benedicti inſtituto convenit. In Conc. *Turon.* II. an. 566. reſpicitur ad eandem normam viſione angelica oſtenſam, conſummandi ſcilicet duodenarium pſalmorum numerum ſub *Alleluia* reſponſione, ut apud Cassianum narratur. *Supereſt*, habet 18. laudati Conc. canon, *ut vel duodecim pſalmi expediantur ad matutinum, quia Patrum ſtatuta præceperunt, ut ad ſextam ſex pſalmi dicantur cum* Alleluia, *& ad duodecimam duodecim, itemque cum* Alleluia, *quod etiam Angelo oſtendente didicerunt.* Notandum autem ex eodem Cassiano, obſervatum omnino eſſe apud *Ægyptios* monachos, ut in reſponſione *Alleluia* nullus dicatur pſalmus, niſi is, qui in titulo ſuo *Alleluia*

Alleluia, Gloria Patri, orationes in fine.

L. II. c. 11.

Inſtit. lib. II. c. 5.

inſcriptione prænotatur. Eſt hoc, quod a S. ATHANASIO iam fuit præſcriptum. *Sed pſallere vis* ὑπακοὴν *reſponſionem, quæ habet* Alleluia, *habes centeſimum quartum &c.* Magno numero ibi recenſet eiusmodi pſalmos. Patet autem, aut ſæpius, aut ſaltem in fine fuiſſe repetitum *Alleluia*, ſicuti modo pſalmos terminamus doxologia *Gloria Patri.* Apud GREGORIUM *Turon.* gemina ei, quam ex CASSIANO attulimus, occurrit phraſis OPPILÆ LEWIHILDI *Wiſigothorum* regis legati verbis: *Gloriam non recte reſpondetis.* COINTIUS in annal. *Franc.* ſimpliciter exponit: *Gloria non recte canitis.* Cum de cantu reſponſorio ſit accipiendum, ut apud CASSIANUM explicatur. „Ut „(inquit) uno cantante in clauſula pſalmi omnes aſtantes concinant cum „clamore *Gloria Patri &c.* nuspiam per omnem Orientem audivimus, ſed „cum omnium ſilentio ab eo, qui cantat, finito pſalmo orationem ſuccedere. Hac vero glorificatione Trinitatis tantummodo ſolere antiphonam „terminari." Poſtrema hæc verba lucem affundunt aliquam iis, quæ in expoſitione antiquæ liturgiæ *Gallicanæ* apud MARTENIUM lego. *Antiphona autem dicitur, quia prius ipſa anteponitur, & ſic ponetur pſalmi verſiculum, cum gloria Trinitatis adnectetur.* Abſonum eſt, ut pſalmi verſiculum integrum intelligas pſalmum, qua ratione cum noſtro more conveniret. Quare dicendum, illos pſalmos, quorum verſiculis antiphona interponitur, ſolitos terminari *Gloria Trinitatis*, ſeu doxologia *Gloria Patri*, hoc diſcrimine, quod in Occidente omnibus pſalmis ſubnecteretur, ſecus ac in Oriente, ſaltem apud monachos in *Ægypto;* cum teſte THEODORETO, in liturgia, matutino, veſpertino, & tribus diei horis canonicis, quas τὸ τριτημέριον vocat, clerus populusque una voce ſuccinuerit *Gloria Patri &c.* In Concilio *Vaſenſi* III. an. 529. ad univerſalem etiam Orientis uſum provocatur c. 5. „Et quia non ſolum in ſede apoſtolica, ſed etiam per totum Orien„tem, & totam *Africam*, vel *Italiam*, propter hæreticorum aſtutiam, qui „DEI Filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed a tempore cœpiſſe, bla„ſphemant, in omnibus clauſulis poſt *Gloria*, *ſicut erat in principio* dici„tur, etiam & nos in univerſis eccleſiis noſtris hoc ita dicendum eſſe de„cernimus." Nota, *Græcos* ad præſens uſque tempus ſecundam hanc doxologiæ partem incipere a verbis καὶ νῦν κ. τ. λ. *Et nunc*, omiſſis illis *ſicut erat in principio.* In Concilio *Narbonenſi* III. an. 589. *definitum eſt, ut in pſallendis ordinibus per quemque pſalmum* Gloria *dicatur Omnipotenti DEO: per maiores vero pſalmos, prout fuerint prolixius, pauſationes fiant, & per quamque pauſationem* Gloria *Trinitatis Domino decantetur.* Videri queat S. BENEDICTUS diſtinguere pſalmum, qui cum *Gloria Patri*, ab eo, qui cum *antiphona* dicitur. *Cui*, inquit, *ſubiungendus eſt tertius pſalmus, &* Gloria. *Poſt hunc pſalmus nonageſimus quartus, cum* antiphona. S. Pater autem alias ſub-

Epiſt. ad Marcellinum.

L. VI. c. 40.

T. I. p. 144.

L. II. c. 8.

T. V. anecd. p. 97. *D.*

c. 9.

ſubiungi præcipit in fine pſalmi more Occidentalium *Gloria Patri*, atque etiam pſalmos dividi maiores vult *in duas*, ut loquitur, *Glorias*.

XIX. Sed hæc erant inſueta in *Ægypto*, ubi orationes intermiſcebant pſalmis, non antiphonas, ut mox videbimus: & ſingulare eſt, quod Cassianus loco paulo ante laudato habet: „Denique ſi quiſpiam iuniorum, vel „pro fervore ſpiritus, vel pro eo, quod necdum inſtitutus eſt, cœperit modum decantationis excedere, pſallentis progreſſio ſenioris interdicitur plauſu, quem dans manu ſua in ſedili, in quo ſedet, cunctos facit ad orationem conſurgere, illud omnibus modis providens, ne quod ſedentibus „tædium generetur prolixitate pſalmorum, quia is, qui decantat, non „modo per ſe ipſum intelligentiæ fructum amittat, ſed etiam per illos incidat detrimentum, quos faſtidium ſynaxeos nimietate ſua fecit incurrere." Iam ſuperius obſervavi, Thomasium eundem uſum, interponendi orationes ſingulis pſalmis, veteri *Hiſpanico*, & *Gallicano* curſui tribuere. In eo tamen ei aſſentiri non poſſum, quod in Occidente cœptum velit; cum veriſimilius ſit, Cassianum eum in *Gallias* adduxiſſe ex Oriente, unde etiam origo eſt antiquiſſimi ritus *Hiſpanici*. Notabilis autem eſt canon *Agathenſis* Concilii an. DVI. ubi ſimul antiphonis iunguntur orationes, dum præſcribitur c. 30. *Ut poſt antiphonas collectiones per ordinem ab Epiſcopis, vel Presbyteris dicantur*. Auctor libri de virginitate *Græcus*, inter opera S. Athanasii, etiam *Alleluia* per vices ſubiungere præcipit: „Ad quemlibet „pſalmum preces, & genuum inflexio cum lacrimis addatur . . . & poſt „tres pſalmos abſolutos dices *Alleluia*. Quodſi virgines tecum fuerint, & „illæ quoque pſallant, & ſingulæ ſingulas preces effundant." Adhuc ex Theodoreto eſt commemorandum, quomodo S. Iulianus Abbas inſtituerit monachos, ut poſt decantatum ab omnibus ſimul nocturnum officium, a mane bini in oratione diem ita exigerent, ut genuflexus Deum alter adoraret, ſtans alter pſalmos caneret quindecim: & viciſſim illo pſallente, hic adoraret; ſero autem convenientes, poſt aliquam quietem officium veſpertinum exſolverent. Idem de Publio teſtatur cap. 5. inſtituiſſe duo monaſteria, *Græcorum* unum, & *Syrorum* alterum, quibus una erat eccleſia, ad quam omnes convenirent mane, & veſpere, diviſoque choro laudes divinas illi græce, hi ſyriace celebrarent. Ita autem dies conſumebatur: *Pſalmodiam oratio*, ut ait, *orationem pſalmodia*, *& utramque eloquiorum divinorum lectio excipiebat*. Idem Theodoretus de Abrahame, ad epiſcopatum ex ſolitudine aſſumto, narrat, quod, pſalmorum de nocte retento numero, orationes duplicarit: *Quadraginta noctu alternas hymnodias explebat, interiectarum precum menſuram congeminans*. In vita Pauli *Simplicis*

Orationes, & lectiones inter cantum pſalmorum, poſt lectiones reſponſoria. *L. II. c.* 11.

Theodor. in hiſtor. relig. c. 2.

c. 17.

apud PALLADIUM in *Lauſiaca* c. 28. ita legitur: *Pſalmum pſallit* ANTONIUS, *quem noverat: & cum eum duodecies cecinisſet, duodecies oravit.* Et paulo poſt: *Surgit rurſus, & facit duodecim orationes, & pſallit duodecim pſalmos. Et poſt orationes primi ſomni parum dormiunt; & rurſus expergiſcuntur ad pſallendum a media nocte ad diem uſque.* Hunc morem fuiſſe in *Ægypto*, ex angeli traditione *pſalmos orationum interiectione diſtinctos* decantandi, CASSIANUS teſtatur. S. CÆSARIUS, qui etiam laicos ad divinam in eccleſia imbuerat pſalmodiam, hanc eis ſuadet viciſſitudinem a). Ipſa hæc in divinis officiis viciſſitudo varietatem quandam concentus ſacri faciebat pulcherrimam: unde etiam frequentes collectæ, ſeu orationes, quæ etiam Miſſæ dicebantur, ad finem præſertim ſubnecti ſunt ſolitæ, uti ſæpius in regulis antiquis monaſticis videre licet. In regula S. ISIDORI ſingularis eſt locus: „In cotidianis vero vigiliarum officiis primum tres pſalmi canonici recitandi „ſunt, deinde tres Miſſæ pſalmorum, quarta vero canticorum, quinta matutinorum officiorum. In dominicis diebus, vel feſtivitatibus Martyrum, „ſolemnitatis cauſa ſingulæ ſuperaddantur Miſſæ. Verum in vigiliis recitandi aderit uſus, in matutinis pſallendi, canendique conſuetudo, utroque „modo ſervorum DEI mentes diverſitatis oblectamento exerceantur, & ad „laudem DEI ſine faſtidio ardentius excitentur.“ Frequens orationum, ſeu Miſſarum uſus antiquus erat percommodus non ſolum inter cantica, ſed etiam lectiones. *Vigilias*, uti habetur in regula S. CÆSARII, *a menſe Octobri uſque ad Paſcha duos nocturnos faciant, & tres Miſſas. Ab una Miſſa legat frater folia tria, & orate: legat alia tria, & levet ſe.* Et mox: *Omni Dominica ſex Miſſas facite. Prima Miſſa ſemper reſurrectio legatur: dum reſurrectio legitur nullus ſedeat. Perfectis Miſſis dicite matutinos directaneo.* Reſurrectio haud dubie evangelii lectio eſt, in Dominica peculiariter fieri ſolita. Congruunt his, quæ notantur in regula S. AURELIANI: „Lectiones Apoſtoli, aut Prophetarum duæ ad capitellum. Completis nocturnis dicetis matutinos. In æſtate, id eſt poſt *Paſcha* uſque ad *Calendas Octobris* ipſe ordo erit. Sexta feria vero poſt nocturnos duæ Miſſæ fiant in „æſtate,

L. II. de inſtit. cœnob. c. 5.

c. VIII. §. 7.

Apud Holſt. P. II. p. 92.

P. III. p. 70.

a) „Quid tibi (inquit Serm. 285. in app. T. V. S. AUG.) prodeſt, quod fideliter pſallis, ſi poſteaquam pſallere deſinis, DEO ſupplicare nolueris? Et ideo unusquisque, quando pſallere ceſſaverit, cum omni humilitate oret, & ſupplicet Domino: ut quod verbis protulit ex ore, DEO auxiliante implere mereatur in opere. Sic eſt pſallere, fratres, quomodo ſementem iterum orando (arando) ſepelire, vel tegere. Sicut enim qui ſeminat in agro, ſi arando cooperire diſſimulaverit; venient volucres, & totum, quod ſeminatum eſſe videbatur, diripient; ita, qui in agro cordis ſui ſeminaverit verbum DEI, & pſallendo, vel legendo aſperſerit, niſi poſtea orando in corde ſuo recondiderit, & quodammodo ſepelierit, venient volucres, id eſt, cogitationes ſæculi huius volatiles, inanes, & vacuæ, & rapient, quod in corde fuerat ſeminatum. Et ideo ubi ceſſaverit aliquis pſallere, non ceſſet orare, ſi vult in agro cordis ſui meſſem divinæ miſericordiæ proficere.“

„ æſtate, & in hyeme tres. Nam Dominica omni tempore in æſtate, & in „ hyeme poſt nocturnos ſex Miſſæ fiant." Quoad tres Miſſas in hyeme paulo poſt explicat: *Ubi poſt celebratos ſecundos nocturnos, quia noctes creſcunt, quotidie ad librum facite Miſſas tres. Una ſoror legat paginas aut tres, aut quatuor, quomodo menſura fuerit libri.* Cassianus omnia complexus eſt libri ſecundi capite ſexto, de *conſuetudine duodecim orationum* inſcripto, poſtquam priore capite retulerat, qua ratione id Patres viſione angelica fuerint edocti a). Conveniuntque partim illis, quæ adhuc hodie obſervantur, partim iam ante mille trecentos annos ſunt ſancita in Concilio *Laodiceno* de Evangelio etiam Sabbato legendo, ut eodem modo ac die Dominica celebraretur: *Quod in Sabbatis Evangelia cum aliis ſcripturis legi conveniat.* c. 16.
Pertinet huc etiam ſequens canon: *Quod in conventu fidelium nequaquam pſalmos continuare conveniat: ſed per intervallum, id eſt, per pſalmos ſingulos recenſeri debeant lectiones.* c. 17. Quem canonem ſic explicat *Theodor.* Balsamon: „ Cum pſalmi ex antiqua traditione uno filo continuo recitarentur, „ & populus congregatus hanc ob rem moleſtia afficeretur, & defeſſus nullam eius curam amplius gereret, ſed eccleſia egrederetur; ſtatuerunt Patres, non eſſe pſalmos in ſacris congregationibus connexive recitandos, „ ſed intermedie etiam lectiones eſſe faciendas, ut populus quieſceret aliquantulum, & deinde rurſus caneret. Propterea enim & in ſeſſiones diverſas ſacrum diviſum pſalterium." Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ εἰς καθίσματα διάφορα τὸ ἱερὸν κατεμερίσθη ψαλτήριον. Conſtanter apud *Græcos* pſalterium in cathiſmata manet diviſum, de quibus Meursius, *Leo* Allatius, & le Moyne in Variis ſacris, eorum errorem recte notans, qui decepti interpretatione *Iſidori* *T. II. p.* 980. Mercatoris, vocem συνάξις *proceſſionem* interpretantur, cum apertiſſime ſacros conventus deſignet. Præter lectiones ex ſcripturis, etiam ex SS. PP. legebantur in nocturno officio iuxta regulam S. Benedicti. In vita S. Cæsarii *Arelat.* legitur: *Frequenter etiam ad Matutinos, ad lucernarium propter* *n.* 34. *advenientes homiliæ recitabantur, ut nullus eſſet, qui ſe de ignorantia excuſaret.* *Claudianum* Mamertum laudat *Sidon.* Apollinaris de lectionibus in *L. IV. ep.* 11. officio divino per feſta ordinatis.

Hic

a) „ Ex hinc venerabilis Patrum ſenatus, intelligens Angeli magiſterio, congregationibus fratrum generalem canonem non ſine diſpenſatione Domini conſtitutum, decrevit hunc numerum tam in veſpertinis, quam in nocturnis conventiculis cuſtodiri, quibus lectiones geminas adiungentes, id eſt unam veteris, & aliam novi Teſtamenti, tanquam a ſe eas traditas, & velut extraordinarias, volentibus tantum, ac divinarum ſcripturarum memoriam poſſidere aſſidua meditatione ſtudentibus addiderunt. In die vero Sabbati, vel dominico utrasque de novo recitant Teſtamento, id eſt, unam de Apoſtolo, vel actibus Apoſtolorum, & aliam de evangeliis. Quod etiam totis quinquageſimæ diebus faciunt hi, quibus lectio curæ eſt, ſeu memoria ſcripturarum. "

Hic ſolemnibus annuis paravit,
Quæ quo tempore lecta convenirent.

Adhuc tunc Miſſæ liturgia cum reliquis divini officii partibus arctius conſtricta, erat diſtincta in Miſſam Catechumenorum, & fidelium; ut Miſſa Catechumenorum fere fuerit, quod nunc officium matutinum, a lectionibus exorſum, mediis pſalmis inter lectiones V. & N. Teſtamenti, uti ex Con-
L. II. c. 57. ſtitutionibus apoſtolicis patet: „Medius autem lector in quodam loco ex„celſo ſtans, legat libros MOYSIS &c. Peractisque per binos lectionibus, qui„dam alius DAVIDIS hymnos pſallat, & populus extrema verſuum ſuccinat. „Dein acta noſtra recitentur, & epiſtolæ PAULI. . . Poſtea Diaconus, vel
Reg. c. 9. „Presbyter legat evangelia.“ In regula S. BENEDICTI reſponſoria ſingulis lectionibus ſubdi iubentur canenda, ita ut poſtremo *Gloria Patri* innectatur: „Poſt tertiam vero lectionem, qui cantat, dicat *Gloria.* Quam dum „incipit cantor dicere, mox omnes de ſedilibus ſurgant, ob honorem & „reverentiam Sanctæ TRINITATIS.“ In Regula S. FRUCTUOSI, Archiepiſcopi
c. 2. *Bracarenſis*, etiam reſponſoria memorantur: „Sabbatorum vero, & domi„nicarum noctium curriculis, ſeno Miſſarum ſupraiecto officio, ſenis etiam „Miſſis vigiliæ cum ſenis reſponſoriis celebrantur: ut reſurrectionis domini„cæ ſolemnitas ampliori officiorum pſalmodia magis honoretur.“ Ex hoc loco patet, quod ſicut iuxta inſtitutum S. BENEDICTI reſpônſoria ſingulis lectionibus, ita alibi ſingulis Miſſis, ſeu orationibus coniungi ſint ſolita. In horis tantum diurnis S. BENEDICTUS Miſſarum meminit his verbis: *Et Miſſæ ſint.* Qua de re SMARAGDUS in commentario: „Quod in aliis locis dicit „*completum eſt*, hac in clauſula *& miſſæ ſunt* dicit: *& miſſæ ſunt* re„petit. Orationes enim officii, quæ a nobis ſunt completæ, DEO ſunt „miſſæ, quia in illius honore ſunt celebratæ. Aliter orationes, id eſt, col„lectæ, quæ in fine curſus a Sacerdote dicuntur miſſæ, id eſt, DEO „miſſæ vocantur.“ Quam interpretationem probat MENARDUS in concordia regularum, not. ad c. XXIV. & paſſim alii auctores.

HYMNI. XX. Iuxta eandem vero regulam S. BENEDICTI in ſolemnitatibus, quando duodecim lectiones dicuntur, cum lectione evangelii, ante illam hymnus *Te DEUM laudamus*, poſtea vero *Te decet*, ut conſtanter fit, præſcribitur; alios vero hymnos, quos S. Pater *Ambroſianos* vocat, aut etiam generatim hymnos, ceu iam uſitatos in horis canonicis, non recenſet nominatim, ut S. AURELIANUS in ſua regula diverſos a noſtris. Subinde mentionem fecimus hymnorum matutini, & veſpertini *Græcorum*, cum quibus multum congruit hymnus *Te DEUM*, addito ſimul triumphali, ex quibus omnibus

bus compoſitus videtur. *Wil. Ern.* Tentzelius de hoc hymno idem fere tenet. Vulgaremque opinionem, ex chronico S. Pacii potiſſimum alias firmatam, qua tribuitur SS. Ambrosio & Augustino, ex tempore in baptiſmo S. Augustini eum concinentibus, refutat, præſertim ex ipſius Augustini, notatu alias digna omnia ad baptiſmi ſui celebrationem geſta, ſedulo annotantis, hac de re ſilentio. His tamen auctoribus vindicare conatur Eustachius a S. Ubaldo ſingulari diſquiſitione. Græce legitur in *Polyglottis Anglicanis* ex celebri codice *Alexandrino.* Usserius in epiſt. ad Vossium diſſert. *de ſymbolis* præmiſſa, laudat hymnorum partim latino, partim hibernico ſermone ſcriptorum codicem vetuſtiſſimum. In qua hymnorum collectione Nicetas *DEUM laudaſſe* legitur, dicens: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini: Te Deum laudamus, te Dominum confitemur &c.* In antiquiſſimo antiphonario monaſterii *Benchorenſis*, quod Muratorius edidit, hymnis referto, eundem *hymnum in die dominico* invenio eodem modo incipientem: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Te Deum laudamus &c.* Nihil vero de S. Niceta, prout in pſalterio, circa tempora Henrici I. exarato, inſcribitur *Hymnus* S. Niceti, *Lugdunenſis*, ut puto, aut *Trevirenſis*, cui eundem adſcribunt Usserius, & Stilingfletus in *Originibus Britannicis*, cum paulo poſt eius ætatem in regula Cæsarii *Arelatenſis* præſcribatur; uti etiam in regula S. Benedicti, ſunt, qui iſtum S. Hilario tribuant, qui tamen alibi Abundio, neſcio cuinam, alibi Sisibuto adſcriptus legitur. Hymno *Te Deum laudamus* in regula S. Cæsarii pro matutinis laudibus iungitur doxologia *Gloria in excelſis Deo &c.* qua etiam in Conſtitutionibus apoſtolicis *oratio matutina*, indeque ab aliis *hymnus matutinus* dicitur, antiquiſſimis temporibus uſitatus, a quo *hymnus veſpertinus*, a S. Basilio memoratus, itidem antiquiſſimus, ut iam ſuperius memini, diſtinguitur. Egimus capite primo de hymnodis græcis, & latinis, quave cautione, ac ſelectu tam in Oriente, quam Occidente admiſſi ſint ſtudio humano, ac metro compoſiti hymni; dudum antea in Oriente, quam Occidente, ubi nullus ante SS. Hilarium, & Ambrosium id genus compoſitionis elucubraſſe legitur: primus vero S. Ambrosius invexiſſe fertur in eccleſiam *Mediolanenſem*, teſte Paulino, vitæ eius auctore, *num.* 13. Qua de re in Prosperi Chronico, ſub Theodosio, leguntur *hymni Ambroſiani compoſiti, qui nunquam ante in eccleſiis latinis modulis canebantur.* Hic autem rememorandum eſt, quia hymnorum in omnibus divini officii partibus iugis fuit uſus ad divinas laudes concinendas, quid imprimis hymni rationem habeat. *Hymnus ergo*, iuxta S. Augustinum, *tria iſta comprehendit, & canticum, & laudem, & DEI.* Eſtque frequens apud veteres totius officii divini, matutini præſertim, & veſpertini

Exercit. ſelect. P. I. Exerc. 10.

T. IV. anecd.

In Pſ. 148.

In Pſalm. 64. tini hinc denominatio. *Progreſſus Eccleſiæ*, inquit S. Hilarius, *in matutinorum, & veſpertinorum hymnorum delectationes, maximum miſericordiæ DEI ſignum eſt. Dies in orationibus DEI inchoatur, dies in hymnis DEI clauditur.* Et Epiphanius in Doctrina compendiaria de fide catholica: *Matutini*, inquit, *hymni in Eccleſia perpetuo fiunt, & orationes matutinæ lucernalesque, ſimul pſalmi, & orationes.* Simile ex S. Chrysostomo teſtimonium antea attuli: atque in epiſtola S. Vigilii ad eundem S. Chrysostomum *Act. MM. ſincera. p.* 612. de martyrio SS. Sisinnii, Martyrii, & Alexandri apud Ruinartum, hymni nomine totum venit officium matutinum: *Ibique Levitis aliquantis, in Eccleſia deprehenſis, hymnum cantantibus matutinum, fit faſta depopulatio.* Quam in rem eſt imprimis memorabilis Concilii *Agathenſis* canon, quo omnes divini officii partes ſimul comprehenduntur. *Can.* 30. „Et quia convenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri, ſtudendum eſt, ut ſicut ubique fit, & poſt antiphonas collectiones per ordinem ab Epiſcopis, vel Presbyteris dicantur, & hymni matutini, vel veſpertini diebus omnibus decantentur, & in concluſione matutinarum, vel veſpertinarum miſſarum poſt hymnos capitella de pſalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad veſperam ab Epiſcopo cum benedictione dimittatur.

Uniformis ordo in divina pſalmodia.

XXI. Paſſim in aliis Conciliis idem uniformis ordo eſt conſtitutus, ut haud dubie horæ canonicæ etiam inde ſint dictæ. In Concilio *Venet.* habito an. 465. ſtatuitur: „Ut vel intra provinciam noſtram ſacrorum ordo, & pſallendi una ſit conſuetudo: & ſicut unam cum Trinitatis confeſſione fidem tenemus, unam & officiorum regulam teneamus: ne variata obſervatione in aliquo devotio noſtra diſcrepare credatur.“ In Concilio *Bracarenſi* II. (quod aliis primum dicitur, qui, quod *Bernardus* Brito edidit, pro genuino non habent) mox canone primo idem cavetur, ne etiam monaſteriorum conſuetudines cum eccleſiaſtica regula ſint permixtæ, ut iam retuli. Sic etiam canone primo Concilii *Gerundenſis* an. 517. tam quoad Miſſæ, quam pſallendi ordinem idem ſtatuitur: „Ut quomodo in metropolitana eccleſia fuerit, ita in DEI nomine in omni *Tarraconenſi* provincia tam ipſius Miſſæ ordo, quam pſallendi, vel miniſtrandi conſuetudo ſervetur.“ Ad huiusmodi canones provocant Patres Concilii *Toletani* IV. ne quid dicam de *Can.* 2. *Toletano* XI. & aliis poſterioribus. „Unus igitur ordo orandi, atque pſallendi nobis per omnem *Hiſpaniam*, atque *Galliam* conſervetur, unus modus in Miſſarum ſolemnitatibus, unus in veſpertinis, matutinisque officiis, nec diverſa ſit ultra in nobis eccleſiaſtica conſuetudo; qui in una fide continemur, & regno: hoc enim & antiqui canones decreverunt, ut unaquæque provincia & pſallendi & miniſtrandi parem conſuetudinem contineat.“

Sunt,

Sunt, qui velint in hoc, & mox ſequenti, aliiſque etiam huius Concilii canonibus, loco *Galliæ*, *Galliciæ* reponendum. At etiam *Gallia Narbonenſis* ad idem *Viſigottorum* pertinebat regnum. Id nempe tunc agebant, ut uniformitas officii divini in regno ſaltem, aut provincia conſervaretur, qualis in metropoli erat, quando iam eccleſiæ cathedrales ſuum ſibi proprium ordinem pſalmodiæ, a monaſtico diverſum, unde primum eum mutuaverant, ſervabant, ſecus ac fieri pronum erat, Epiſcopis potiſſimum ex monachatu aſſumtis, avitæ obſervantiæ forte tenacioribus. Opportune hic referimus, quod GENNADIUS de MUSÆO *Maſſilienſi* Presbytero narrat, eum hortatu S. VENERII Ep. excerpſiſſe ex SS. ſcripturis lectiones, totius anni feſtivis aptas diebus, reſponſoria etiam pſalmorum, & capitula, tempori, & lectionibus congruentia: *Quod*, addit GENNADIUS, *opus tam neceſſarium a lectoribus in eccleſia probatur, & expeditum, ut ſollicitudinem tollat, & moram, plebique ingerat ſcientiam, celebritatem, & decorem.* Ad finem ſæc. VI. AUTMUNDUS *Tullenſis* Epiſcopus in S. APRI veneratione *nonnulla ſcripta, ac reſponſoria ad poſterorum recordationem* exaraſſe dicitur apud MABILLONIUM. Sic præſules ornare ſacra chriſtiana elaboraverunt.

c. 79. de viris illuſtr.

L. VI. annal. n. 78.

De nocturnis vigiliis tum fidelium,

XXII. Ut vero ſingillatim aliquid de divini officii partibus dicam, a nocturnis vigiliis exordiar. Superius ſparſim de vigiliis etiam pernoctibus mentio eſt iniecta, quam GREGORIUS *Nazianz.* πάννυχον ϛάσιν vocat: atque etiam S. CHRYSOSTOMUS, ad OLYMPIADEM laudat ἱερὰς παννυχίδας, ἱερὰς ἀγρυπνίας. Et MAXIMUS in epiſt. 8. DIONYSII τὰς νυκτερινὰς τῶν ψαλμοδιῶν κάνονας, quod PAULINUS vocat Nat. VI. S. FELIC.

Orat. 33.
Epiſt. 2.

Exultare DEO, & pſalmos producere noctem.

Fuit vero etiam fidelium, ac promiſcui vulgi hæc contentio, exemplo PAULI, & SILÆ media nocte ad hymnum DEO dicendum ſurgentium. „ De tempore „ autem dimidiæ noctis (inquit S. BASILIUS in regulis fuſius diſputatis) quod „ id ad orationem neceſſarium ſit, traditum nobis eſt a PAULO, & SILA in „ Actis: ſcriptum eſt enim ſic: *Circiter autem mediam noctem* PAULUS, *&* SILA *laudabant DEUM.* Atque quidem etiam auctor pſalmorum confirmat, „ ſic dicens: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ* „ *tuæ.*" Eſt S. BASILIUS inter præcipuos, qui ſtudium fidelium auxit in nocturnis vigiliis, varietate pſalmodiæ concelebrandis, cantu præſertim reſponſorio, *uni ex ipſis hoc muneris dato, ut quid canendum eſt, prior ordiatur, reliqui ſuccinunt, atque ita pſalmodiæ varietate, precibusque ſubinde intermixtis noctem ſuperant:* uti ſuperius vidimus pariter de S. AMBROSIO, qui fideles ſæpe ad id hortatur. *Nocte*, inquit in Pſ. CXVIII. *orandum diu, & pro-*

c. 37.

trahenda pſalmis tempora &c. Et: *DEO vacato, indulge orationibus, & ne obdormiſcas, pſallito, ſomnum tuum bona fraude fraudato.* S. CHRYSOSTOMUS de pſalmodia fidelium etiam domi inter cænam, & convivia agens, tamen ad idem PAULI exemplum provocat. „Si enim (inquit) PAULUS, „ cui intolerabilia flagella imminebant, cum ligno alligatus in carcere habi- „ taret, media nocte, quando eſt omnibus ſomnus iucundiſſimus, cum SILA „ DEUM perpetuo laudabat, & nec locus, nec tempus, nec ſolicitudines, „ nec ſomni tyrannis, nec ulli labores, nec dolores, nec quidquam aliud „ eum coegit, modulationem illam intermittere: multo magis nos, qui „ iucunde vivimus, & DEI bonis fruimur, hymnos, quibus DEO gratiæ „ agantur, oportet emittere." In ſuis homiliis ſæpe mentionem facit de vigiliis nocturnis tum monachorum, cum etiam fidelium, eos hortando, ut in nocturnis precibus aſſidui eſſent (ut PALLADIUS in eius vita teſtatur) atque etiam in earum tædio ſublevando per cantum laboravit, ut ſupra di-
L. II. c. 9. ximus, teſteque SOCRATE, *Primus precationes, quæ in nocturnis hymnis*
L. VIII. c. 7. *fieri ſolent, amplificavit.* Atque ut narrat SOZOMENUS: *Exinde populus Cpolitanus matutinis, & nocturnis hymnis promtius uti cœpit.* Eadem laus, ut modo memini, in Occidente S. AMBROSIO tribuitur, ſub quo *primum antiphonæ, hymni, & vigiliæ in eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt,*
L. IX. c. 7. ut PAULINUS in eius vita teſtatur, & S. AUGUSTINUS in confeſſionibus, illud more orientalis eccleſiæ eum feciſſe, dicit: ubi præſertim S. ATHANASIUS *Alexandriæ*, DIODORUS, & FLAVIANUS *Antiochiæ* in hoc ſtudio pietatis eminuerunt. Et ſicut *Cpoli* S. CHRYSOSTOMUS, ita poſtea in eadem urbe ſub S. GENNADIO ANTHIMUS, ut THEODORUS Lector, THEOPHANES in chronographia, & CEDRENUS narrant, hymnis, & canticis, quæ componebat, atque diverſis choris per viros, & mulieres cani faciebat, vigiliarumque laborem, ac tædium leniit. Iam initio huius capitis quædam commemoravimus de nocturnis vigiliis in præcipuis feſtis.

Tum præſertim monachorum, & clericorum.

Hom. 57. ad Antioch.

L. II. c. 2.

XXIII. De monaſtici inſtituti ſectatoribus utriusque ſexus, non eſt, quod multa dicam, *Qui*, ut ait S. CHRYSOSTOMUS, *noctes dies faciunt, in gratiarum actionibus, & hymnodiis degentes. Nec vero viri tantum, ſed & mulieres hanc exercent Philoſophiam, naturæ infirmitatem promtitudinis abundantia ſuperantes.* Teſte CASSIANO paulo ante laudato, *Quidam vicenos pſalmos, & hos ipſos antiphonarum protelatos melodiis, & adiunctione quarumdam modulationum debere dici ſingulis noctibus cenſuerunt &c.* Totus eſt fere in hoc argumento de canonico nocturnarum orationum, & pſalmorum modo liber ſecundus de Inſtitutis cœnob. S. HIERONYMUS ubicunque de utriusque ſexus religioſis hominibus agit, & ad eos ſcribit, hoc offi-

cium

cium commemorat etiam tenerrimarum virguncularum. Appollinaris *Sidonius* ſolemnes deſcribit vigilias in feſto S. Iusti alternis Clericorum, & Monachorum choris celebratas: „Proceſſio fuerat antelucana, ſolemnitas „anniverſaria, populus ingens ſexu ex utroque, quem capaciſſima baſilica „non caperet, & quamlibet cincta diffuſis crypta porticibus. Cultu per- „acto vigiliarum, quas alternante mulcedine Monachi, Clericique pſalmi- „cines concelebraverant, quisque in diverſa ſeceſſimus; non procul tamen, „utpote ad tertiam præſto futuri, cum Sacerdotibus res divina facienda." L. V. ep. 17.
Contigit quandoque etiam duplicari curſum in præcipua ſolemnitate. Cuius-modi exemplum in vita Radegondæ Fortunatus *Pictavienſis* affert: *Quia*, inquit, *mos eſt in feſtivitate Beati* Hilarii *reliquis monaſteriis circumcirca proximis, quæ ſunt ibi, uſque in mediam noctem vigilias celebrare: de media nocte unusquisque Abbas cum ſuis fratribus ad ſuum revertitur monaſterium curſum celebrare.* Celebre eſt apud *Græcos* μεσονυκτικὸν ſeu μεσονύκτιον officium, quod media nocte ex pſalmis, hymnis, aliisque precibus perficitur, non ſolum a Monachis, ſed etiam a clero, ad quem ab illis tam in Oriente, quam in Occidente cum reliquis canonicis divini officii horis ſtatæ nocturnæ vigiliæ devenerunt, ſacris Conciliorum canonibus firmatæ, etiam pœnarum rigore, qui vel ſemel huic officio ſine ægritudinis neceſſitate defuerit: uti iam medio ſæculo quinto in Concilio *Venetico* fuit ſtatutum pro illis clericis, qui in civitatibus degerent, ubi numeroſior clerus huic muneri ſufficeret ad decantandas laudes divinas: *Clericus*, ut habet Concilium iſtud, *quem intra muros civitatis ſuæ manere conſtiterit, & a matutinis hymnis ſine probabili excuſatione ægritudinis inventus fuerit defuiſſe, ſeptem diebus a communione habeatur extraneus.* Citatur hic canon ab Ivone & a Burchardo. Quotidianum hunc fuiſſe Clericorum penſum, licet maior die dominico ſolemnitas omnium præſentia fuerit, ut ex Concilio *Tarraconenſi* diſcimus anni 517. ubi iubetur, ut omnis clerus die Sabbati ad veſperam ſit paratus, quo facilius die dominico ſolemnitas cum omnium præſentia celebretur, ita tamen, ut omnibus diebus veſperas, & matutinos celebrent. Docemur ex Gregorio *Turonenſi*, media nocte inceptum eſſe curſum. *Media nocte*, inquit, *ſurgentes ad reddendas DEO gratias &c. Ingreſſi ſumus explere curſum nunquam tamen pſallentibus nobis potuit excitari.* Apud Io. *Climac.* ſcalæ gr. 10. *de Monachorum vigiliis & nocturnis exercitiis*, veſpertinæ vocantur pernoctationes. *Quidam enim in veſpertinis pernoctationibus expeditiſſimi a cura mundi puras ad orationem extendunt manus. Alii cum pſalmorum modulatione aſſiſtunt. Alii lectioni magis incumbunt.* Longum foret ex regulis monaſticis SS. Benedicti, Cæsarii, Aureliani, ordinem varium vigiliarum pro temporum, & dierum feſtorum, vel pri-

T. I. act. ord. S. Benedicti p. 316.

Can. 14.

Parte VI. c. 244. *Burchard. L. II.* 153.

c. 7.

L. IX. hiſt. c. 6.

 vato-

vatorum diverſitate hic recenſere. CÆSARII intelligo regulam monialium apud BOLLANDUM ad diem 11. *Ianuarii.* In altera enim apud HOLSTENIUM, & STEVARTUM hæc ſolum habentur: „Vigilias a menſe *Octobri* uſque ad „ *Paſcha* duos nocturnos faciant, & tres Miſſas. Ab una Miſſa legat fra- „ ter folia tria, & orate: legat alia tria, & levet ſe. Dicite antiphonam, „ reſponſorium, & aliam antiphonam: antiphonas ipſas de ordine pſalte- „ rii.... Omni Dominica ſex Miſſas facite.“ Cum lectionibus nimirum ſociata oratione, ut Miſſam interpretor. Inſignis eſt locus de vigiliis in
T.III. ſpicil. Dach. f. 305. collatione Epiſcoporum an. 499. habita coram GUNDOBALDO *Burgundiæ* Rege adverſus *Arianos.* Déſignata fuerat a Rege *Burgundiæ* collatio ad diem feſtum S. IUSTI. In vigilia ipſius ſolemnitatis Epiſcopi decreverunt, ad eius ſepulchrum pernoctare, ut futuræ collationis ſucceſſum DEO commendarent. *Evenit autem, ut ea nocte, cum lector ſecundum morem inciperet lectionem a* MOYSE, *incidit in illa verba Domini:* Sed ego indurabo cor eius &c. *Deinde cum poſt pſalmos decantatos recitaret ex Prophetis, occurrerunt verba Domini ad* ISAIAM *dicentis:* Vade, & dices populo huic: audite audientes &c. *Cumque adhuc pſalmi fuiſſent decantati, & legeret ex Evangelio, incidit in verba, quibus Salvator exprobrat* IUDÆIS *incredulitatem:* Væ tibi Corozaim &c. *Denique cum lectio fieret ex Apoſtolo, pronuntiata ſunt verba illa:* An divitias bonitatis eius &c. *Quod cum ab omnibus Epiſcopis obſervatum fuiſſet; cognoverunt lectiones illas ſic occurriſſe volente Domino, ut ſcirent induratum eſſe cor Regis.* Patet inde viciſſitudine cantus pſalmorum, lectionisque ſacrarum ſcripturarum ex Heptateucho, Prophetis, Evangelio, & Apoſtolo vigilias eſſe transactas. Quod vero obſervatum eſt bonum ex decantatis pſalmis, & lectionibus omen, opportune hic aliis firmare iuvat exemplis. Quorum illud ſingularius eſt de S. MARTINI in Epiſcopum electione, ut a S. PAULINO, & SULPITIO *Severo*
a in eius vita narratur a). *Defenſor* nomen erat Epiſcopo, qui ſe contentioſius S. Viri electioni oppoſuerat. *Atque ita,* inquit SULPITIUS, *habitum eſt, divino nutu pſalmum hunc lectum fuiſſe, ut teſtimonium operis ſui Defenſor acciperet.* Alterum exemplum notat V. BEDA in vita S. PATRICII his verbis: *Eodem vero die, quo S.* PATRICIUS *ſacris benedictionibus conſecratus eſt, conve-*

a) Sic vero ille canit lib. II.

Dum mage condenſæ ſtipant altaria turbæ,
Ac ſua fautoris pendent in vota frequentes,
Nec prætenta poteſt tranſire obſtacula lector.
Sed Diaconus, qui forte aderat, vix codice rapto
Quem primum propere reſerati pagina pſalmi
Obtulerat ſubito feſtinus tempore verſum
Arripit, hæc priſci decantans verba Prophetæ:
Ex ore infantum, parvoque ex murmure laudem *
Lactantum teneras feciſti evolvere linguas.
Exoſos propter perverſum ut deſtruat iſta
Prolata a parvis laudatio Defenſorem.
Tollitur in cælum clamor præſensque probatur
Iudicium clamante DEO ſententia Chriſti.

* Pſal. VIII. 3.

venienter hoc Pſalmiſtæ canticum in choro pſallentium clericorum decantatum eſt: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchisedech.

XXIV. Officium, de quo nunc egimus, olim vigiliarum, ſeu nocturnorum nomen habuit, quod hodie nominamus *matutinum;* quo nomine appellata fuit ea divini officii pars, uti etiamnum a *Græcis* ὄρθρος dicitur, quam modo *laudes*, melius *matutinas laudes* vocamus. In vita S. Mauri vocantur *matutini hymni. Ecce,* de S. Mauro fit ſermo, *in hac noſtra baſilica cum aliis eiusdem habitus viris matutinos decantat hymnos:* ſemper autem tam in Occidente, quam Oriente arctius cum ipſis vigiliis coniunguntur, maxime, quando integræ vigiliæ παννυχίδες pernoctes fuerunt celebratæ: quales nobis omnium accuratiſſime S. Basilius in ſæpe laudata ad *Neocæſarienſes* epiſtola deſcripſit, atque ad rem præſentem memorat: *Illuceſcente iam die pariter omnes velut uno ore, ac corde confeſſionis pſalmum Domino offerunt.* Qui nimirum eſt pſalmus quinquageſimus, de quo Cassianus: *Denique per* Italiam, *hodieque conſummatis matutinalibus hymnis quinquageſimus pſalmus in univerſis eccleſiis canitur.* Auctor Conſtitutionum apoſtolicarum, qui doxologiam *Gloria in excelſis* orationem matutinam facit, ſingularem etiam pſalmum ὀρθρινὸν matutinum, quaſi omnibus iam notum, nominat: quem alibi dicit, eſſe ſexageſimum ſecundum, eundemque S. Chrysostomus ἑωθινὸν ψαλμὸν appellat. „Videamus autem (inquit) undenam incipiat, & quid nos doceat: *DEUS DEUS meus.*“ S. Athanasius, aut quisquis eſt auctor vetuſtiſſimi libri *de Virginitate*, eundem præter alios virginibus commendat: Πρὸς ὄρθρον δὲ τὸν ψαλμὸν τοῦτον λέγετε· Ὁ Θεός κ. τ. λ. διάφαυμα δὲ· εὐλογεῖτε πάντα κ. τ. λ. „Matutina hora hunc pſalmum dicite: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* „*Sitivit in te anima mea.* Sub diluculum vero: *Benedicite omnia opera* „*Domini Domino. Gloria in excelſis &c.*“ S. Ambrosius ad ſimiles pſalmos videtur alludere in Pſ. CXVIII. „DEO (inquit) vacato, indulge orationibus, & ne obdormiſcas pſallito, ſomnum tuum bona fraude fraudato, mane feſtina ad eccleſiam: defer primitias pii voti, & poſtea, ſi vocat ſæcularis neceſſitas, non excluderis dicere: *Prævenerunt oculi mei* „*mane meditari verba tua*, & ſic ſecurus procedis ad tuos actus. Quam iucundum inchoare ab hymnis, & canticis a beatitudinibus, quas in evangelio legis. Quam proſperum, ut te Christi ſermo benedicat, & dum recantas Domini benedictiones, ſtudium alicuius virtutis aſſumas, ut etiam „in te benedictionis divinæ meritum recognoſcas.“ Benedictiones hæ ſunt hymnus trium puerorum. Arnobius *Iunior* in Pſ. CXLVIII. „Quotidie „(inquit) huius pſalmi tuba, per totum mundum mox ut cœperit auro-„ra

De matutinis laudibus.

L. VIII. c. 37.

In pſ. 140.

„ ra diei inchoare principium, univerſa, quæ in cœlo & in terra ſunt, ad „ laudandum, & benedicendum DEUM provocamus.“ CASSIANUS adhuc
a alios, qui omnes hodieque ſunt in uſu, commemorat a). Conveniuntque
De Vitis PP. c. 6. his, quæ GREGORIUS *Turonenſis* de S. GALLO *Arvernenſi* epiſcopo iam animam exhalaturo narrat: „ Albeſcente iam aurora interrogavit, quid in ec-
T. I. act. ord. S. Ben. p. 119. „ cleſia pſalleretur. Dixerunt benedictionem ſe pſallere: at ille pſalmo quin- „ quageſimo, & benedictione decantata, & alleluiatico cum capitello expreſſo, „ conſummavit officium totum temporis matutini.“ Pſalmus CXLVIII. cum ſequentibus hic præciſe alleluiaticus dicitur, quia hebraice ab הללו *Laudate* incipiunt primus, & ultimus, qui etiam in titulo *Alleluia* habent, quos *laudes* vo-
cap. 12. cat S. BENEDICTUS, unde forte nomen *laudum* toti officio venit, quod S.
b BENEDICTUS matutinorum ſolemnitatem vocat, cum aliis illorum temporum b).
P. II. p. 93. S. CÆSARIUS apud HOLSTENIUM: „ Perfectis Miſſis dicite matutinos, directa- „ neo: *Exaltabo te DEUS meus, & Rex meus.* Deinde, *Confitemini.* In- „ de, *Cantemus Domino. Lauda anima mea Dominum.* Benedictionem: „ *Laudate Dominum de cœlis. Te DEUM laudamus. Gloria in excelſis* „ *DEO:* & capitellum.“ Pro Dominica nempe. Poſt directaneum vero *Exaltabo &c.* Cæteros cum antiphona pſallendos eſſe non repetit, qua prius præcepit, ut poſt prædictum pſalmum directaneum *in ordine totus matutinarius in antiphonas dicatur.* Ut vero dies feſtos a privatis, ita ſolemnitates a cæteris diebus feſtis diſtinguit in regula monialium apud BOL-
c LANDUM c). AURELIANUS triplicem ordinem præſcribit, peculiarem pro Sabbato & *omni Sabbato* hymnum *Te DEUM laudamus* dici iubet. In eo autem pro Dominica, tempore paſchali, & maioribus feſtivitatibus (ſecus ac in ter-

a) „ Illud quoque (inquit lib. III. Inſtit. c. 6.) noſſe debemus, nihil a ſenioribus noſtris, qui eandem matutinam ſolemnitatem addi debere cenſuerunt, de antiqua pſalmorum conſuetudine immutatum, ſed eodem ordine miſſam, quo prius in nocturnis conventibus, celebratam. Etenim hymnos, quos in hac regione ad matutinam excepere ſolemnitatem in fine nocturnarum vigiliarum, quas poſt gallorum cantum ante auroram finire ſolent, ſimiliter hodieque decantant, id eſt pſalmum 148. & reliquos, qui ſequuntur: quinquageſimum vero pſalmum, & ſexageſimum ſecundum, & octogeſimum nonum huic novellæ ſolemnitati novimus fuiſſe deputatos.“

b) Cap. XII. Reg. Quomodo matutinorum ſolemnitas agatur? „ In matutinis Dominico die imprimis dicatur ſexageſimus ſextus pſalmus ſine antiphona in directum. Poſt quem dicatur quinquageſimus cum *Alleluia.* Poſt quem dicatur centeſimus ſeptimus decimus, & ſexageſimus ſecundus. Inde benedictiones & laudes. Lectio una de Apocalypſi ex corde, & reſponſorium, & *Ambroſianum:* verſus, canticum de evangelio, litania: & completum eſt.“

c) Die 12. *Ian.* p. 736. „ Poſt hoc matutinales canonici dicantur privatis diebus cum antiphonis, feſtis vero diebus cum *Alleluia* pſallantur. Omni Dominica ſex Miſſæ fiant, poſtea matutinæ fiant. Imprimis dicite directaneum parvulum *Confitemini* cum antiphona, *Cantemus Domino:* & omnes matutinarii cum *Alleluia* dicantur; ſabbato enim & omnibus diebus feſtis vigiliæ celebrentur. In ſolemnitatibus vero ipſis, impletis matutinis, & hymnum dicant *Te Deum laudamus.* In exteriore oratorio procedendum eſt, & dicendus eſt directaneus parvulus. Poſt hoc canticum: *Cantemus Domino.* Deinde benedictio trium puerorum: poſt benedictionem *Gloria in excelſis.*“

tertio pro diebus privatis) *Magnificat*, & *Gloria in excelſis*, maioremque numerum pſalmorum requirit, nempe duodecim, ut omnino præcipitur in Conc. *Turon.* II. c. 18. *Quicunque minus quam duodecim pſalmos ad matutinum dixerit, ieiunet uſque ad veſperam &c* a). Qui nunc partim in laudibus, partim in veſperis dicuntur, quæ duæ officii divini partes inter ſe conveniunt. Hucque Radulphus *Tungrenſis* duos canones a nobis laudatos Concilii *Bracarenſis*, & *Agathenſis* trahit, quibus idem pſallendi ordo in matutinis, vel veſpertinis officiis tenendus præſcribitur. *Matutini*, inquit, *officium appellat, quod vocamus laudes. Utrobique ergo debet eſſe idem ordo pſallendi, quia ambo ſimiliter inchoantur &c.* Sed videtur in illis canonibus amplior ſignificatus *Matutini* eſſe. a *De canonum obſerv. propoſ.* 14.

XXV. S. Benedictus in ſua regula illud pſalmi citans: *Septies in die laudem dixi tibi*, ſeptenarium hunc numerum diurnis applicans horis, a nocturniſque diſtinguens, *Qui*, inquit, *ſeptenarius ſacratus numerus a nobis ſic implebitur, ſi Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, Completoriique tempore, noſtræ ſervitutis officia perſolvamus, quia de his horis dixit propheta:* Septies in die laudem dixi tibi. *Nam de nocturnis vigiliis idem ipſe Propheta ait*: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. *Ergo his temporibus referamus laudes Creatori noſtro ſuper iudicia iuſtitiæ ſuæ: id eſt matutinis, prima &c.* De matutinis ſeu *laudibus*, ut vocamus, diximus modo, quas primus Cassianus ab ipſa *Prima* noſtra nomine diſtinguit, ſi ipſe auctor eſt titulorum, ſeu ſynopſium, capitibus ſingulis præfixarum, qualis habetur libro III. c. 4. *Matutinam, quam nos Primæ horæ ſolemnitatem appellamus, non antiqua traditione ſtatutam, ſed noſtro tempore adinventam eſſe.* Etſi vero in contextu nomen *Primæ* non adhibuerit, officium tamen diſtinxit, quod a S. Benedicto *Prima* vocatur, qui Cassiano plurimum uſus eſt, ac etiam in ſua regula commendat, non tam libros de Inſtitutis monachorum, quam Collationes, ut tamen aliunde etiam, quæ inſtituto monaſtico commoda intellexit, depromeret. Cyprianus in vita S. Cæsarii ſic ſcribit: *De profectibus itaque cunctorum ſollicitus* *De horis diurnis. c.* 16. *L. I. n.* 110.

a) Ad matutinos (inquit Aurel. ap. Holsten. P. III. p. 70.) imprimis directaneum: *Exaltabo te Deus meus & rex meus.* Inde, *Indica me Deus. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo*, cum Alleluia. Deinde, *Confitemini Domino*, cum Alleluia. Deinde, *Cantemus Domino*, cum Alleluia. Poſtea, *Lauda anima mea Dominum. Laudate Dominum quia bonus eſt pſalmus. Lauda Hieruſalem Dominum.* Totos tres cum Alleluia. Deinde benedictio dicenda eſt. Poſt benedictionem, *Laudate Dominum de cœlis. Cantate Domino canticum novum. Laudate Dominum in Sanctis eius*: cum Alleluia. *Magnificat anima mea Dominum:* aut cum antiphona aut cum Alleluia. Hymnum, *Gloria in excelſis Deo*: & capitellum. Et complebitis matutinos ipſo ordine toto Paſcha. Sic omni die dominico, & omnibus maioribus feſtivitatibus, in quibus ab opere vacabitis.

tus & providus Paſtor ſtatim inſtituit, ut quotidie Tertiæ, Sextæque, & Nonæ opus in Sancti STEPHANI *baſilica clerici cum hymnis cantarent, ut ſi quis forte ſæcularium, vel pœnitentium ſanctum opus exſequi ambiret, abſque excuſatione aliqua quotidiano intereſſe poſſet officio.* Ipſe CÆSARIUS in append.
Serm. 140. S. AUG. *Et ideo rogo vos fratres cariſſimi, ad vigilias matutinas ſurgite: ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam ante omnia convenite.* Nuſpiam *Primæ* facit mentionem, dum de ſæcularibus agit. In appendice, quam regulæ monialium ſubiunxit, officium præſcribens pro diebus feſtis, *Deinde,* inquit, *dicenda eſt Prima cum pſalmis ſex, & hymnus* (Fulgentis auctor ætheris) *lectiones duæ una de veteri, alia de novo teſtamento, & capitellum. Hoc modo Dominica, vel Sabbato, & maioribus feſtivitatibus fieri debet.* Qui poſt AUXARIUM CÆSARIO ſucceſſit in epiſcopatu *Arelatenſi* S. AURELIANUS quotidie in ordine pſallendi duodecim pſalmos, hymnum &c. pro monachis aſſignat; in regula autem pro monialibus ſex tantum, ſicut etiam in aliis horis. Secus ac S. BENEDICTUS, qui ternis pſalmis, hymno, lectione, verſu *Kyrie eleiſon,* uti reliquas horas minores abſolvit, ut, *ſi maior*
c. 17. *congregatio fuerit cum antiphonis; ſi vero minor in directum pſallantur.*
L. III. c. 4. Quod etiam CASSIANUS de ſua *matutina* dicit, tribus pſalmis & orationi-
a bus celebranda a). Cum alicubi minoribus horis ſex pſalmos attributos
L. II. c. 2. aſſerat, aut etiam pro horæ numero plures: „Sunt (inquit) quibus in „ipſis quoque diurnis orationum officiis, id eſt, *Tertia, Sexta, Nonaque* „id viſum eſt, ut ſecundum horarum modum, in quibus hæc Domino „redduntur obſequia, pſalmorum etiam, & orationum putarent numerum „coæquandum: nonnullis placuit ſenarium numerum ſingulis diei conven-
Apud Bollandum d. 12. *Ian. T. I. p.* 736. „tibus deputari.“ S. CÆSARIUS in reg. Monial. alium ordinem pro quotidianis diebus, alium pro dominico & Sabbato ſtatuit b). S. AURELIA-
b NUS pro quotidianis diebus monachis duodecim pſalmos decantandos aſſi-
Reg. ad Mon. ap. Holſt. P. II. p. 111. gnat, cum in Regula monialium haud aliter, ac S. CÆSARIUS, ſex tantum-

a) „Secundum modum nempe, qui antiquitus in obſervatione tertiæ vel ſextæ trinæ confeſſionis exemplo ſtatutus eſt, & ſomno deinceps finem, & initium operationi, æquali ſimul moderamine facerent. Qui typus licet ex occaſione videatur inventus, & recenti memoria pro cauſa, quam diximus, ſtatutus appareat; tamen illum numerum, quem deſignat beatus DAVID, quanquam ſpiritalem quoque habeat intellectum, ſecundum litteram manifeſtiſſime ſupplet: *Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Hac enim adiecta ſolemnitate, ſepties ſine dubio ſpiritales hos conventus in die facientes, ſepties in ea laudes Domino dicere comprobamur. Denique cum hic idem typus de Oriente procedens hucuſque fuerit utiliſſime propagatus, in nonnullis nunc uſque per Orientem antiquiſſimis monaſteriis, quæ nequaquam vetuſtiſſimas regulas Patrum violari patiuntur, minime videtur admiſſus.“

b) „Quotidianis vero diebus ad *Tertiam, Sextam, Nonam* Seni pſalmi cum antiphonis, hymnis, lectionibus, vel capitellis ſuis dicantur. Dominica vero die vel ſabbatorum ad *Tertiam* pſalmi ſex; poſt quos lectiones tres, una de Prophetis, alia de Apoſtolo, tertia ex evangeliis, & poſt ipſas lectiones pſalmi ſex, antiphona una, hymnus & capitellum.“

tummodo præſcribat a). Quod vero ſuperius memoravimus ex eodem CASSIANO, fuiſſe apud monachos morem, diurnas horas privatim agendi in ſuis cellis, id forte *Ægypto* ſingulare fuit: cum viderimus paſſim horarum diurnarum *Tertiæ*, *Sextæ*, *Nonæ* in antiquiſſimis monumentis recurrere mentionem. Veluti CLEMENS *Alexand.* notat, nonnullos certas ac definitas horas, ut exempli cauſa *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam* orationi deſtinaſſe, concorditer iis, quæ ſuperius hanc in rem teſtimonia retulimus. Videturque in libro de Virginitate, S. ATHANASIO attributo, item in regulis S. BASILII fuſius diſputatis, & S. HIERONYMI epiſtola ad LÆTAM etiam *Matutina* (quæ poſtea *Prima* dici cœpit) deprehendi hora præter reliquas diurnas. Attamen recens a MONTFAUCONIO edita S. CHRYSOSTOMI homilia, commemoratis vigiliis, quatuor tantum pſalmodiæ & hymnorum tempora commemorat b).

a

L. VII. ſtrom.

q. 37.

T. XIII. p. 631.

b

DE VESPERIS & COMPLETORIO.

XXVI. *Veſpertinam* cum *Matutina* ſynaxi celeberrimam fuiſſe, ſuperius audivimus, citaturque iam a S. BASILIO antiquiſſimus hymnus veſpertinus, cuius auctorem ſe ignorare dicit. „Viſum eſt (inquit) Patribus noſtris ve- „ſpertini luminis (id eſt *Heſperi*) gratiam haudquaquam ſilentio arripere, ſed „mox ut apparuit, agere gratias. Quis autem fuerit auctor illorum ver- „borum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non poſ- „ſumus. Populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam unquam „viſi ſunt impietatem committere, qui dicunt, *Laudamus Patrem, & Fi-* „*lium, & Spiritum Sanctum DEI.*" Cumque ex vetuſtiſſimo MS. editus proſtet eiusmodi hymnus, qui omnia ea contineat, quæ a S. BASILIO memorantur, viſum eſt eum hic referre, prout in *Bibliotheca Græca Io. Alberti* FABRICII habetur: „Lumen hilare ſanctæ gloriæ immortalis Patris cœle- „ſtis, ſancti, beati, IESU CHRISTE, quum ad Solis occaſum perveneri- „mus, lumen cernentes veſpertinum, laudamus Patrem & Filium & Spiri- „tum Sanctum DEUM. Dignus es tempore quovis ſanctis vocibus celebra- „ri, Fili DEI, vitæ dator, quapropter mundus te glorificat." Alia προσφώνησις & ἐυχαριςία ἐπιλύχνιος, ſeu *proclamatio & gratiarum actio lucer-* *nalis*

De Spiritu S. c. 29.

T. V. p. 196.

a) Quotidianis igitur diebus ad *Tertiam* duodecim pſalmos dicite, antiphonam, hymnum: *Iam ſurgit hora tertia.* Lectionem & capitellum: *Fiat Domine.* Ad *Sextam* ſit ipſe numerus pſalmorum, antiphona, hymnus: *Iam Sexta ſenſim volvitur*, lectio & capitellum. Ad Nonam ipſo ordine dicendum: hymnus vero: *Ter hora trina volvitur.*"

b) „Deinde (inquit) *Tertiam, Sextam, Nonam*, & *Veſpertinas* orationes perſolvunt; & in quatuor partes totam diem dividentes, ſingulis in partibus pſalmodia, & hymnis DEUM honorant; aliis omnibus prandentibus, ridentibus, ludentibus, ciboque nimio ſeſe dirumpentibus, hi hymnis dant operam. Nullum fere menſæ, & ſenſilibus rebus tempus deputatur. Rurſus poſt prandium eadem exercitia reſumunt, poſtquam paulum ſomno ſe dederunt. At ſæculares interdiu etiam dormiunt, illi noctu vigilant. Vere filii lucis ſunt &c."

L.VIII.c.36. *nalis* habetur in Conſtitutionibus apoſtolicis non excluſo pſalmo centeſimo
L.II. c. 59. quadrageſimo, qui in iisdem *veſperi* dicendus commendatur, ἐπιλύχνιος,
ſeu *lucernalis* ideo a *Græcis* dictus. Celebre ſemper fuit apud eosdem λυχνικὸν,
ſeu *lucernale officium*, quod reſpondet *veſperis* noſtris. Sanciturque in Con-
Can. 18. cilio antiquiſſimo *Laodiceno*, „ Idem precum miniſterium omnino debere
„ fieri in *Nonis*, & *Veſperis.*“ Semper omnino id tempus aptum & con-
gruum viſum eſt, quo antequam nos cubitum recipiamus, DEO pro ac-
ceptis per diem beneficiis gratias agamus. „ Poſtremo autem (inquit S. Cle-
Lib. II. Pæ- „ mens *Alexandrinus*) antequam nos ſomnus invadat, pium & ſanctum eſt,
dag. c. 4. „ DEO gratias agere, ut, qui eius benignitatem & gratiam fuerimus con-
„ ſecuti, ita ut cum divino quodam afflatu nos ad ſomnum conferamus: &
„ *confitemini ei*, inquit, *in canticis labiorum*, quod in eius iuſſu fiat, quid-
„ quid ei viſum eſt, & ad eius ſalutare nihil eſt neque mancum, neque di-
„ minutum.“ S. Ambrosius, qui in Pſal. CXVIII. hymorum officii ve-
L. V. c. 12. ſpertini in Eccleſia meminit, in *Hexaem.* avicularum exempla proponit, ut ab
eis pſallere diſcamus, DEUMque aſſiduis concelebrare hymnis: *Quis enim*,
inquit, *ſenſum hominis gerens*, *non erubeſcat ſine pſalmorum celebritate
diem vel inchoare*, *vel claudere: cum etiam minutiſſimæ aves ſolemni de-
votione & dulci carmine ortus dierum*, *& noctium perſequantur.* Idem in
Præf. n. 9. Pſ. I. *Diei ortus*, ait, *pſalmum reſultat*, *pſalmum reſonat occaſus.* Dixi-
mus de hac re, non tantum quatenus eſt privatæ devotionis, ſed etiam publici
in Eccleſia officii pars; nihilque fidelibus, iis præſertim, qui ſeſe peculiari-
ter DEO conſecraverant, fuit antiquius, quam nonniſi ſolemnibus hymnis
in gratiarum actionem Creatori oblatis, cubitum concedere. *Poſtquam*, in-
Hom. XIV. quit S. Chrysostomus, *paululum ſederunt*, *hymniſque totum concluſerunt*,
in Ep. 1. *ad Tim.* *ſinguli quieſcunt in ſtratis*, *ad quietem*, *non ad delicias adornatis.* Ita in
c. 17, vita S. Macrinæ ſororis refert ipſe S. Gregorius *Niſſænus*, poſt cœnam,
familiareque cum ſorore colloquium, ſe ad eccleſiam recepiſſe, DEO reddere
veſpertinas gratias τὰς ἐπιλυχνίας εὐχαριστίας. *Cantantium*, inquit, *vox me
ad gratias agendas veſpertinas vocabat.* Videtur hic eccleſia fuiſſe publica,
prope quam monaſterium tam virorum quam mulierum erat, quod in ſua
domo mater S. Gregorii inſtruxerat: unde nihil obeſt, quo minus publi-
cus in eccleſia fuerit iſte veſpertinus conventus. Qualem etiam S. Augu-
L. XXII. de Civit. Dei n. 7. stinus memorat in *Victoriana* villa, quæ non longe ab *Hippone* diſtabat.
„ Memoria Martyrum ibi eſt (inquit) *Mediolanenſium* Protasii, & Ger-
„ vasii. Portatus eſt eo quidam adoleſcens, qui cum die medio tempore
„ æſtatis equum ablueret in fluminis gurgite, dæmonem incurrit. Ibi cum
„ iaceret vel morti proximus, vel ſimillimus mortuo, ad veſpertinos illuc
„ hymnos & orationes cum ancillis ſuis, & quibusdam ſanctimonialibus ex

„ more

„ more Domina poſſeſſionis intravit, atque hymnos cantare cœperunt.“ Forte dies aliquis feſtus erat, quibus, ut ſuperius memini, ſolebant ad conventus publicos etiam alicubi moniales accedere, pariter ac monachi, quotidianum cum reliquis fidelibus peragendo officium, veſpertinum imprimis ac matutinum. Palladius de monachis *Nitrienſibus* ſcribit, „*Veſpere* ap- *In Lauſ. c.7.*
„ petente (τῆς ἑσπέρας καταβάσης, quod Hervetus interpretatur *circa ho-*
„ *ram nonam*) licet ſtare & audire ab unaquaque cellula hymnos & pſalmos „ Christo decantatos, & preces ad hymnos emiſſas, adeo, ut exiſtimet „ quiſpiam, ſe in ſublime elatum transmigraſſe in paradiſum deliciarum.“ Cassianus poſt *Nonam*, *ad extremum*, inquit, *undecima*, *in qua lucer-* *L. III. Inſtit. c. 3.*
nalis hora ſignatur. In regula Moñ. S. Cæsarii pro diebus feſtis poſt *Nonam* immediate ſequitur: „Cunctis diebus feſtis ad duodecimam pſalmis, „ qui ad *Tertiam* dicendi ſunt, antiphonæ tres iungantur, lectiones vero de re, „ hoc eſt de ipſa feſtivitate dicantur.“ Tum poſtquam de vigiliis matutinis canonicis, & *Prima* egiſſet, ſubdit demum de veſperis: „ Ad veſperam ſimili mo- „ do in exteriori oratorio directaneus parvulus dicatur, & antiphonæ tres: „ hymnus una die: *Deus qui certis legibus*, altera die: *Deus Creator o-* „ *mnium.*“ Officium hoc veſperarum cum lucernario convenit in regula S. Aureliani, duodecima vero poſtponitur, cui paſchales nocturni æqui- *c. 18.*
parantur a). Lucernalium pſalmorum meminimus ſupra ex S. Epiphanio cum matutinis. Quod officium etiam cum veſpertino coniunctum innuitur in Concilio *Emeritenſi* in *Hiſpania*. *Oportet igitur, ut ſicut in aliis eccleſiis* *Can. 2.*
veſpertino tempore poſt lumen oblatum, prius dicitur veſpertinum, quam ſonum in diebus feſtis; ita & a nobis cuſtodiatur in noſtris eccleſiis. Lucernarium, de quo S. Isidorus, erat precatio quædam, ſeu pſalmodia ad ac- *Cap. 7. Reg.*
cendendas lucernas, quod præibat veſpertinum, iuxta canonem *Emeritenſem*, ac *ſonum*. In Concilio *Turonenſi* II. duodecim ſtatuuntur ad duode- *Can. 18.*
cimam pſalmi cum *Alleluia*, reſpiciendo ad numerum horæ, ſicut ad *Sextam* ſex ibidem præſcribuntur. Cassianus, ad nocturnas & veſpertinas ſolemnita- *L. II. c. 4 5. 6.*
tes in *Ægypto* duodecim pſalmos dici ſolitos, aſſerit. Ultra proceſſit S. Aurelianus mox citatus, *in ordine pſallendi* quotidiano præter hymnum decem & octo pſalmos præſcribens. Iterumque a lucernali officio diſtinguit, ut non deſint, qui cum *Completorio* eandem hanc faciant horam. Secus eſſe,

Mabil-

a) „Ad lucernarium directaneus parvulus id eſt, *Regna terræ cantate DEO, pſallite Domino.* Alia die, *Laudate pueri Dominum.* Antiphonæ tres. Hymnus: *Hic eſt dies verus Dei.* Et capitellum, quem hymnum tota Paſcha ad matutinos, & ad lucernarium dicite. Ad duodecimam imprimis directaneus parvulus: *Sol cognovit occaſum ſuum.* Sex ſorores binos pſalmos cum ſuis alleluiaticis dicant, antiphonas tres, lectiones duas, unam de Apoſtolo, aliam de evangelio. Ad nocturnos paſchales ipſo numero, ſicut in duodecima deſignavimus.“ Ap. Holsten. P. III. p. 69.

De curſu Gall. §. 5. n. 60. Mabillonius advertit, ex ipſa Aureliani regula colligi. Profecto enim Completæ, ſeu Completorii officium ibi ordinatur: *Quando repauſaturi eſtis, in ſchola, in qua manetis, Completa dicatur, imprimis directaneus, & pſalmus nonageſimus dicatur, deinde capitella conſuetudinaria.* Idem pſalmus in regula S. Benedicti cum aliis pro Completorio præſcribitur; de quo tamen officio nihil in regula S. Cæsarii legitur. In regulis S. Basilii, *c. 37.* fuſius diſputatis, occurrit aliquid, quod poſſit Completorio noſtro reſpondere. Nec abludit, quod ex S. Augustini ad Alipium epiſtola pri- *Ep. 29. n. 11.* mum edita habetur: *Acta ſunt veſpertina, quæ quotidie ſolent: nobisque cum Epiſcopo recedentibus, fratres eodem loco hymnum dixerunt, non parva multitudine utriusque* (ſexus) *ad obſcuratum diem manente, atque pſallente.* Summe memoranda eſt ea epiſtola, in qua narrat S. Augustinus, quibus adhortationibus obtinuerit demum, ut *Hipponenſes* Catholici abhorrerent a luxurioſis conviviis, quæ in Sanctorum natalitiis apud *Africanas* eccleſias celebrare mos erat. Id vero egit, *ut meridiano tempore divinis orationibus & pſalmis intereſſent, ita illum diem multo mundius atque ſincerius placere celebrandum.* Quod quam celebre fuerit, mox enarrat: *Pomeridiano autem die maior, quam ante meridiem affuit multitudo, & uſque ad horam, qua cum Epiſcopo egrederemur, legebatur alternatim, & pſallebatur: nobisque egreſſis duo pſalmi lecti ſunt &c.* Id quod de communi veſpertino officio intelligendum eſt, tunc longius protracto. Inde ergo fieri poteſt, ut communi officio veſpertino completo (quod ſemper ſolemne fuit apud fideles, eſtque ad hodiernum diem) dum, divino ſervitio arctius obſtricti, ſuos adhuc hymnos & pſalmos adderent, vel ante ſomnum pſalmodiæ peculiariter indulgerent, complerentque divina officia, Completorii peculiaris hora excreverit; cuius ſunt, qui auctorem faciant S. Benedictum, apud quem pri- *Reg. c. 17.* mum occurrit hoc nomen, officiumque trium pſalmorum dictione terminandum: *Qui pſalmi directanee ſine antiphona dicendi ſunt. Poſt quos hy- L. IV. c. 19. Inſtit.* *mnus eiusdem horæ &c.* Apud Cassianum huc pertinet, quod habetur de officiis, quæ ſibi per *Meſopotamiam, Palæſtinam*, & *Cappadociam*, ac totum Orientem ſingulis hebdomadibus viciſſim reddere fratres conſueverint, atque etiam S. Benedictus imitatus eſt: *Has autem*, inquit Cassianus, *ſeptimanas unusquisque ſuſcipiens, uſque ad cœnam dominici diei miniſtraturus obſervat. Qua perfecta miniſterium totius hebdomadis ita concluditur, ut hi, quibus ſuccedendum eſt, convenientibus in unum fratribus ad concinendos pſalmos, quos quieturi ex more decantant, omnibus in ordine pedes lavent.*

CAP. IV.

CAPUT IV.

Qualem habuerint, eſſeque voluerint prima Eccleſiæ ætate ſancti Patres eccleſiaſticum cantum.

I.

Reſtat, ut de cantus ac muſicæ veteris eccleſiaſticæ ratione aliqua dicamus, non admodum quidem multa: quantum nempe reſcire licuit ex veteribus chriſtianis Doctoribus, qui vix artem illam attigerunt, aut nobis aliquid reliquerunt. Quæ enim de ORIGENIS, & DYDYMI *Alexandrini* peritia muſica ab antiquis narrantur, præſertim de ORIGENE, quod eam cum reliquis ſcientiis docendo etiam gentilibus religionem chriſtianam ſimul inſtillaverit, ut HIERONYMUS de Scriptoribus eccleſiaſticis perhibet, non huc proprie ſpectat. Et quæ habemus S. AUGUSTINI, CASSIODORI, & BOETII ſcripta in hac materia, in alio ſunt genere a). S. Au- Vetus muſica RHYTHMICA & METRICA.

a

GUSTINUS

a) Veluti S. AUGUSTINI ſex libri de Muſica (deperdito eius libro, quem ipſe indicat lib. II. Retractat. c. 11. & POSSIDIUS in Indiculo Opp. S. AUG. „ *Contra* HILARIUM *de Canticis ad Altare*) „ In quibus (ut ait CASSIODORUS de Artibus & diſciplinis liberalium litterarum c. 5.) humanam vocem, *rythmicos* ſonos, & *harmoniam* modulabilem in longis ſyllabis atque brevibus naturaliter habere monſtravit.“ Ac libro primo quidem, quæ ad huius diſciplinæ conſiderationem pertinent, numeroſorum motuum ſpecies explicantur. In ſecundo de ſyllabis, pedibusque *metricis* diſputat. In tertio tractat de *rythmo*, *metro*, & *verſu:* primumque *rythmi* ratio, & proprietas traduntur; tumque incipit tractatio de *metro*, quæ in quarto libro continuatur. In quinto de *verſu* diſſeritur. Atque hæc ipſa S. AUGUSTINUS *nugacitatem* vocat, quam apud benevolos officioſi laboris nomine deprecatur initio libri ſexti, ubi deinceps ſtudioſorum mentes ex numerorum conſideratione ad DEUM provehit. Idem S. AUGUSTINUS de his libris ſcribens ad MEMORIUM Epiſcopum, Ep. 101. qui eos ardenter poſtulaverat, „Verumtamen (inquit) te hoc tantopere flagitaſſe pœnitebit. Difficillime quippe intelliguntur in eo quinque libri, ſi non adſit, qui non ſolum diſputantium poſſit ſeparare perſonas, verum etiam pronunciando ita ſonare morulas ſyllabarum, ut eis exprimantur, ſenſumque aurium feriant genera numerorum, maxime, quia in quibusdam etiam ſilentiorum dimenſa intervalla miſcentur, quæ omnino ſentiri nequeunt, niſi ut auditorem pronunciator informet. Sextum ſane librum, quem emendatum reperi, ubi eſt omnis fructus cæterorum, non diſtuli mittere Caritati tuæ, fortaſſis ipſe tuam non multum refugiet gravitatem.“ Nimirum ubi lectorem ex numerorum conſideratione ad DEUM provehit, non quatenus ſenſus afficit, ſed rationem: eodem quidem fine, quo etiam muſica ſacra tendit, „ Quæ (ut ait CASSIODORUS l. c.) & ſenſum noſtrum ad ſuperna erigit, & aures modulatione permulcet.“

L. I. de Muſ. c. 2.

GUSTINUS definit muſicam *ſcientiam bene modulandi;* ſed eam tractavit unice, quatenus ſoni in intervallorum ſpaciis, earumque certa dimenſione cantando, ſaltandoque nos mulcent, eſtque *rhythmica* ac *metrica* muſica

Loc. cit.

ab *harmonica* diſtincta. „*Harmonica* (iuxta CASSIODORUM) ſcientia eſt muſica, quæ diſcernit in ſonis acutum & grave. *Rhythmica*, quæ requirit in concurſione verborum, utrum bene ſonus vel male cohæreat. *Metrica* eſt, quæ menſuras diverſorum metrorum probabili ratione cognoſcit; ut verbi gratia, *heroicum*, *iambicum*, *elegiacum* & cætera.“ Præci-

L. XVI. c. 18.

ſius *Aul.* GELLIUS: „Longior menſura vocis ῥυθμὸς dicitur, altior μέλος. Eſt & alia ſpecies κανονικῆς (ſc. partis *Geometriæ*) quæ appellatur μετρική, per quam ſyllabarum longarum, & brevium, & mediocrium iunctura, & modus congruens cum principiis *Geometriæ* aurium menſura examinatur.“

L. II. de Ordine n. 39. 40.

S. AUGUSTINUS alicubi diſcutiens, quid humana ratio in muſica egerit circa ſonum, eumque triplicem „aut in voce animantis, aut in eo, quod flatus in organis faceret, aut in eo, quod pulſu ederetur: Videbat autem (inquit) hanc materiam eſſe viliſſimam, niſi certa dimenſione temporum, & acuminis gravitatisque moderata varietate ſoni figurarentur. Recognovit hinc eſſe illa ſemina, quæ in grammatica, cum ſyllabas diligenti conſideratione verſaret, pedes & accentus vocaverat. Et quia in ipſis verbis brevitates & longitudines ſyllabarum, prope æquali multitudine ſparſas, in oratione attendere facile fuit, tentavit, pedes illos in ordines certos diſponere, atque coniungere: & in eo primo ſenſum ipſum ſecuta, moderatos impreſſit articulos, quæ & cæſa & membra nominavit. Et ne longius pedum curſus provolveretur, quam eius iudicium poſſet ſuſtinere, modum ſtatuit unde reverteretur, & ab eo ipſo verſum vocavit. Quod autem non eſſet certo fine moderatum, ſed tamen, rationabiliter ordinatis pedibus, curreret, *rhythmi* nomine notavit, qui latine nihil aliud, quam numerus dici potuit.“ Hoc prioribus libris de muſica S. AUGUSTINUS propoſitum habet quoad ipſam ſyllabarum dimenſionem, quæ ſono, dum aliæ productiores, aliæ correptiores inter ſe miſcentur, demulcent. „Quare

L. II. c. 2.

(inquit) illud nunc quæro, utrum ſonus verſuum aliquando te aliqua per aures voluptate commoverit?“ Reſpondetque diſcipulus, qui interloquitur: „Prorſus ſæpiſſime, ita ut nunquam fere ſine delectatione verſum audierim.“ Agit deinde curate de ſyllabarum pedibus, eorumque ſtructura, qua ratione delectant, dum alii aliis, æqualitate ſervata, miſcentur. „Quid

Ibid. c. 9.

enim (inquit) auribus poteſt iocundius eſſe, quam cum & varietate mulcentur, nec æqualitate fraudantur?“ *Rhythmi* rationem, quoad melodicus

L. IX. de Nuptiis Philol.

eſt, ſic deſcribit *Martianus* CAPELLA: „Temporum alia ſimplicia ſunt, quæ

„*podica*

„ *podica* etiam perhibentur. *Pes* vero eſt numeri prima progreſſio per legitimos & neceſſarios ſonos iuncta. Cuius partes ſunt *arſis* & *theſis*. *Arſis* eſt elevatio; *theſis* depoſitio vocis ac remiſſio." S. Basilius mentionem facit τῶν ἁρμονικῶν ῥυθμῶν, *rhythmorum harmonicorum*, quem locum S. Ambrosius reſpiciens, *clauſtra rhythmorum* nominat. Et apud S. Chrysostomum ῥυθμῷ συγκείμενον θεῖον ᾆσμα, *rhythmo compoſitum divinum canticum* memoratur. Atque in anecdoto noſtro *Gerontico* Abb. Pambonis carpuntur monachi, qui μελῳδοῦσιν ᾄσματα καὶ ῥυθμίζουσιν ἤχους, *modulantur cantica, ac numero adſtringunt tonos.* Cum *rhythmo* coniunctum eſt *metrum*, quod poteſt dici ipſius *rhythmi* menſura. „ Vides (inquit S. Augustinus) „ ut opinor, quam recte utrumque nomen his rebus ſit impoſitum: nam „ quoniam illud pedibus certis provolvitur, peccaturque in eo, ſi pedes „ diſſoni miſceantur, recte appellatus eſt *rhythmus*, id eſt numerus: ſed „ quia ipſa provolutio non habet modum, nec ſtatutum eſt in quoto pede „ finis aliquis emineat, propter nullam menſuram continuationis non debuit „ *metrum* vocari. Hoc autem utrumque habet: nam & certis pedibus curritur, & certo terminatur modo. Itaque non ſolum *metrum* propter inſignem finem, ſed etiam *rhythmus* eſt propter pedum rationabilem connexionem."

Præf. in Pſ. I. n. 12.

L. III. c. 1.

II. Hæc pertinent ad illud ſacrorum hymnorum in Eccleſia genus, quod antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus in uſu fuit, in Oriente præſertim a S. Ephrem, inter *Latinos* a S. Ambrosio excultum, unde & *Ambroſiani* ſunt dicti hymni: non eo quod ſola *rhythmi*, aut *metri* ratio totam cantus ac muſicæ varietatem confecerit, ſed certi coaptati ſint moduli muſici. Ac totus quidem in eo eſt Eustachius *a S. Ubaldo, Diſq. II.* de cantu a S. Ambrosio in *Mediolanenſem* eccleſiam inducto, non cantum alternum, vel populi concentum primum induxiſſe in eccleſiam *Mediolanenſem* S. Ambrosium, ſed cantum ipſum modulatum antea inſuetum in eccleſia occidentali. Plures vero ſunt eruditi, qui demum ad ſæculi ſecundi exitum, aut initium tertii primordia cantus eccleſiaſtici revocant. Moshemius, in *primis rerum chriſtianarum initiis*, nulla adhuc publica, & omnibus nota adfuiſſe carmina exiſtimat, non totum itaque conciniſſe cœtum, ſed unum & alterum tantum, cui poeticæ nonnihil fuerit facultatis, inflatu Spiritus S. accenſum, cæteris tacentibus decantaſſe, ex loco Pauli 1. *Cor. XIV.* 26. infert: *Unusquisque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet*: „Ergo (inquit) ſacri veterum Chriſtianorum „ Poetæ erant ex eorum ordine, qui Prophetæ appellabantur, quos inſtinctus quidam divinus impellebat ad DEUM publice laudandum, & fratres „ docendos &c." Alii ut cantum modulatum primis Eccleſiæ ſæculis in-

An harmonica muſica primis ſæculis in uſu?

„ ſuetum

ſuetum afferant labiliori utuntur NICEPHORI auctoritate, agentis de ſancti EPHREM hymnis compoſitis ad *metrum* HARMONII, qui BARDESANIS hæretici filius errores patris conatus eſt carminum cantu propagare, cuius ſingula verba p. 72. & 77. recitavimus. Ex quibus, & quidem p. 77. relatis, modulati eccleſiaſtici cantus originem dignoſci exiſtimat EUSTACHIUS *a S. Ubaldo* in commentario de *Benedictione DEI*, *Obſerv. I. Sect.* 4. citatque in eandem ſententiam *Ant.* DEMOCHAREM, *lib. IV. adverſus Miſſoliturgos, c.* 12. *Franciſcum* BIARIUM *de veter. monach. T. II. cap.* 2. §. 2. *num.* 18. MARTENIUM *de antiq. monachorum ritibus lib. I. cap.* 2. *num.* 50. PIGNATELLUM *Conſult. Canonic. Conſ.* 41. Dicitur quidem NICEPHORUS MARTENIO, cantum melodicum primis Eccleſiæ ſæculis inſuetum aſſeruiſſe, ſed id in editionibus non præciſe legitur, quas præ manibus habeo. Id vero expreſſe habetur in hoc loco, quomodo a MARTENIO & HÆFTENO *Diſquiſit. monaſt.* refertur: *Cum iam per tria a Chriſto nato ſæcula ſimplex cantus, nullo modulationis fuco permixto, Chriſti populos nutriſſet; ecce tibi* HARMONIUS *quidam &c.* S. EPHREM vero *divinos hymnos ad* HARMONII *carminum leges compoſuit* ἀφ᾽ ὧν πρὸς ζῆλον καὶ οἱ μετέπειτα τῆς ἐκκλησίας μελοποιοὶ τὰς ἀφορμὰς τῶν μελῶν πορισάμενοι ἐπὶ μᾶλλον αὐξῆσαι ταῦτα καὶ ἐπιδοῦναι παρασκευάσαντο. *A quibus per æmulationis ardorem poſteriores Eccleſiæ cantores modulorum formulas mutuati magis etiam atque magis augere, atque propagare eas ſunt aggreßi.* Ab hoc tamen non videtur abludere, quod idem NICEPHORUS dicit, dum de *Arianorum* nocturnis cantibus *Cpoli* ſub S. CHRYSOSTOMO agit, quos hic æmulatus ſit. *Catholica autem Eccleſia*, ait, *principio eiuſmodi pſalmodiæ hymnorumque canendorum inde ſumto, ad hunc uſque diem conſuetudinem eam retinet, & ſacris cantilenis operatur. Morem autem antiphonorum, hoc eſt, alternis per reſponſionem carminum concinendorum, Eccleſia antiquitus iam inde ab Apoſtolis accepit.* Provocat NICEPHORUS præciſe ad morem poetarum antiquorum lyricorum, dum aut ſoli, aut alternis carmina ſua canebant. Quod factumne fuerit primum in ſacris hymnis, *metrice*, ac *rhythmice* compoſitis, non conſtat. Hymni eccleſiaſtici antiquiores, qui ſuperſunt, *metro* adſtricti haud erant, etſi, qua melodia etiam pſalmi, ac cantica a cantoribus fuerint decantata, manifeſtum ſatis non ſit. „Notandum autem (inquit WALAFRIDUS) hymnos dici non tantum, qui „*metris* vel *rhythmis* decurrunt, quales compoſuerunt AMBROSIUS, HILA„RIUS, & BEDA *Anglorum* Pater, & PRUDENTIUS *Hiſpaniarum* ſcholaſticus, „& alii multi: verum etiam cæteras laudationes, quæ verbis convenientibus, „& ſonis dulcibus proferuntur. Unde & liber pſalmorum apud *Hebræos* li„ber hymnorum vocatur.“ Dici hic queat, quod de ipſis pſalmis, aut canticis ſacræ ſcripturæ tenent, qui illos *metro* conſtare negant, ſtilum potius,

Marten. l. c. & de antiq. eccl. diſc. c. III. n. 8. *Hæften. L. VII. Tr.* 4. *Diſq.* 4.

L. XIII. c. 8.

De rebus eccleſ. c. 25.

tius, & orationis colores attendi debere: cuiusmodi ſane cantica ex tempore prolata in novo etiam habentur Teſtamento, certis tantum verſuum diſtinctionibus, & ſermone, figurisque elevatioribus compoſita, quæ etiam afficiunt, ac demulcent, quando harmonica acutorum vel gravium ſonorum accedit modulatio, quemadmodum in *rhythmica*, & *metrica* cum *harmonica* coniuncta. Quæ aliaque diſcernit auctor de Muſica inter opera S. BEDÆ. Cum enim primum attuliſſet *harmonicæ* definitionem, antea ex CASSIODORO poſitam: „Vel *harmonica* (ſubiungit *De Muſica quadr.*) eſt illa, *T. I. p.* 416. *ed. Baſil.*
„quæ conſiſtit in numeris dupliciter, & menſuris: una *localis*, ſecundum „proportionem ſonorum vocumque; alia *temporalis* ſecundum proportio„nem longarum breviumque figurarum. Alia, id eſt *harmonica*, quod di„ſcretio modulationis & varietatis canendi ſcientia: & facilis ad perfectio„nem canendi via, plurimumque vero diſſimilium proportionalis conſonan„tia, & ſcientia de numero relato ad ſonum.“ *Harmonica* etiam canonica dicebatur. Rationem exponit PTOLEMAIS *Cyrenaica*, cuius verba affert PORPHYRIUS in *Harmonicis* a). Longe aliter *Canonici* cantores nominantur *Can.* 17. *Conc. Laodiceni*, inde, quod Eccleſiæ adſcripti fuerint. Sunt etiam Canonarchæ apud *Græcos* e numero lectorum, ſeu cantorum, qui cæteris cantoribus ſuggerere ſoliti ſunt canones, qui ſunt hymni, ſive cantica eccleſiaſtica, certa ſerie compoſita. Quales iam memorantur in *Gerontico*, quod ex MS. *Vindob.* edimus, ubi ſic Abbatem PAMBONEM alloquitur frater *Alexandria* redux: Ἐν ἀμελέιᾳ δαπανῶμεν τὰς ἡμέρας ἡμῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ καὶ οὔτε κανόνας οὔτε τροπάρια ψάλλομεν· ἀπελθόντος (forte ἐπελθόντος) γάρ μου ἐν Ἀλεξανδρείᾳ εἶδον τὰ τάγματα τῆς ἐκκλησίας πῶς ψάλλουσι καὶ ἐν λύπῃ γέγονα πολλῇ διὰ τί καὶ ἡμεῖς οὐ ψάλλομεν κανόνας καὶ τροπάρια. *In ignavia tranſigimus dies noſtros in eremo iſta, neque canones, aut troparia canimus. Adveniens enim Alexandriam, vidi ordinem eccleſiæ quomodo pſallunt, ac multo ſum affectus mœrore, eoquod nos canones, & troparia non canimus.* Inſignis eſt hic locus, unde palam fit, quid monachi in eremo actitarint, quæ contra cantus


a) „Canonicum autem (inquit) ſtudium, ſecundum quos generalius eſt? Iuxta *Pythagoricos*. Quam enim nunc *harmonicam* vocamus, *canonicam* illi dicebant. Cur vero illam nominamus *canonicam*? Non ut aliquibus viſum fuit a canone inſtrumento, ſed a rectitudine. Siquidem ratio id, quod rectum eſt, reperit, utendo canonibus, ſive regulis *harmonicis*. Etiam inſtrumentis *harmonica* lege compoſitis *canonicum* appellant, quod in fiſtulis, tibiis, atque aliis inſtrumentis adhibeant ſtudium, ac curam: quæ etſi non ſit *canonica*, ſic tamen vocatur, quia fiat ſecundum rationes, & theoremata *canonica*. Potius ergo inſtrumentum a *canonica* effectione ſic eſt denominatum. *Canonicus* vero univerſe eſt *harmonicus*, qui circa id, quod *harmonia* conſtat, ratiocinando verſatur. Differunt autem *muſici* & *harmonici*. Muſici enim dicuntur *harmonici* illi, qui ordiuntur a ſenſibus; *canonici* vero ſunt *Pythagorici*, qui & *harmonici*. Utrique vero generatim *muſici* appellantur.“ VITRUVIUS lib. I. c. 1. in eandem ſententiam loquitur: „Muſicen autem ſciat oportet, uti canonicam & mathematicam rationem habet.“

cantus fuerit *Alexandriæ* modulatio, haud dubie ſecundum tropos, ſeu modos, ac diſciplinam artis muſicæ. *Hymni & pſalmi ut canerentur ſecundum morem Orientalium partium inſtitutum* eſſe a S. AMBROSIO, *& ex illo in hodiernum retentum multis iam ac pene omnibus gregibus* chriſtianis, *& per cætera orbis imitantibus*, diſcimus ex S. AUGUSTINO a). Huius auctoritate potiſſimum aſſertum it laudatus P. EUSTACHIUS *a S. Ubaldo*, ipſum cantum harmonicum a S. AMBROSIO inſtitutum eſſe in eccleſia *Mediolanenſi*. Lectis tot teſtimoniis de cantu eccleſiaſtico a prima Eccleſiæ ætate, a nobis hactenus allatis, an hoc ſtatui poſſit? iudicet lector. Illud vero me latet, unde hauſerit KIRCHERUS, quod SS. AMBROSIUS, & AUGUSTINUS, PYTHAGORAM imitati, quindecim monochordi diviſiones, id eſt ſyſtema intra *Disdiapaſon*, ſeu duas octavas conſtituerint, ſicuti poſtea BOETIUS, qui notas antiquas muſicas græcas ex alphabetho græco inter paucos, quos ſciverim, ex ſcriptoribus *Latinis* de Muſica, aut etiam *Græcis* chriſtianis, conſervavit. Sed nihil ille de cantu eccleſiaſtico. *Per ſingulos modos*, ait inter alia, *a veteribus muſicis unaquæque vox diverſis notulis inſignita eſt.* Ad rem vero noſtram nihil ſupereſt monumenti liturgici prioris ætatis cum notis eiusmodi, ſicuti ſuperſunt græca carmina cum notis in bibliothecis *Pariſiis*, *Berolini*, *Oxoniæ*, *Florentiæ*. Specimen hic adiungam ex MS. ſæc. IX. vel X. monaſterii *S. Galli*, in

L. IX. Confeſſ. c. 7. a

Muſurgiæ L. V. c. 3.

L. IV. de Muſ.



a) „Dubitari hic poteſt (inquit THOMASINUS de vet. & nova eccl. diſc. P. I. lib. II. c. 73. n. 5.) an illud inſtituerit tum AMBROSIUS, ut qui pſalmos ante tantum recitabant, canere iam inciperent? An ut alternis caneretur, & ab ipſo caneretur populo, cum antea unus cecinisſet cantor, auſcultantibus cæteris & orantibus, vel plures cecinisſent cantores, non ſimul, ſed per vices? AUGUSTINI verba id magis ſuadere videntur, inſtitutum tunc primo fuiſſe cantum ipſum: *Inſtitutum, ut canerentur hymni & pſalmi.* Vix tamen adduci poſſum, ut credam in Eccleſia *Latina* annis pene quadringentis pſalmorum morem fuiſſe recitationem, cantum nullum, cum pſalmi ipſi cantica ſint, cum pſallere ſit canere, cum cantus, & pſallendi toties meminerit PAULUS. Quod tamen ait AUGUSTINUS AMBROSIUM id inſtituiſſe ſecundum morem eccleſiarum orientalium, de alterno ipſius populi cantu dicere videtur, quem paulo ante DIODORUS & FLAVIANUS *Antiochiæ* inſtituerant. Neque enim tam multi anni interfluxere, ut eo temporis intervallo in ea re non potuerit eccleſia *Mediolanenſis* ab *Antiochena* diſcre-

in quo ſuperſcriptis notis muſicis varia S. ADHELMI carmina, & SEDULII *Paſchale* continentur. In primis autem tantum verſibus cuiusque carminis comparent notæ. Adſcribam præterea fragmentum, in quo luculenta diviſio antiquioris muſicæ diſciplinæ habetur a). a

III. Ex antiquis monumentis nihil ſupereſt, quod aut nos de antiqui cantus eccleſiaſtici ratione inſtruat, aut modum aliquem illius exhibeat. Niſi velis huc referre, quæ in antiquiſſimo *Luxovienſi* lectionario deprehenduntur, rubro notata e. g. poſt lectionem ſabbati ſancti: *Cantemus Domino glorioſe &c.* Item in feſto S. IOANNIS *Baptiſtæ: Benedictus Dominus DEUS Iſrael* in medio contextus evangelii, & alia, quæ forte peculiarem vocis elevationem, ac cantum deſignant. Iam memini in celebri S. GERMANI pſalterio, quod *Pariſiis* vidi, ſæpe ad unum aut duos etiam verſus in margine litteram ℞. comparere, quæ ſuccentum populi reſponſorium, aut antiphonum deſignet. Poſtea referemus, quam ſe S. AUGUSTINUS oblectatum teſtetur ſuavisonantis eccleſiæ canticis *Mediolani.* Quod vero ſingulariter cantum a S. ATHANASIO tradit lib. X. Confeſs. *Qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem pſalmi, ut pronuncianti vicinior eſſet, quam canenti,* id S. ISIDORUS commune facit primitivæ Eccleſiæ. *Primitiva autem Eccleſia,* inquit, *ita pſallebat, ut modico flexu vocis faceret pſallentem reſonare: ita, ut pronuncianti vicinior eſſet, quam pſallenti.* Patet S. AUGUSTINI verba ſua feciſſe S. ISIDORUM, quodque ille de S. ATHANASIO ſingulariter commemoraverat, toti Eccleſiæ primitivæ tribuiſſe. Ex collatis vero Sancti AUGUSTINI locis alia ſaltem diſciplina Eccleſiæ ſæculis IV. &

Qualis cantus prima Eccleſiæ ætate fuerit.

De Offic. c. 7.

pare. Credibile autem nullo modo fuerit, totis quadringentis annis, quos pſalmos orientalis eccleſia caneret, ab occidentali eſſe dumtaxat recitatos. PAULINUS, AMBROSII vitæ ſcriptor diſerte id inſtitutum docet ab AMBROSIO, ut alternis caneretur. Hoc enim ſolum vox antiphonæ & *Græcis* tunc, & *Latinis* ſonabat, ad quos e *Græcis* defluxit. Imo indicat PAULINUS eum morem ab Oriente profectum. Ita enim ille: *Hoc tempore primo antiphonæ, hymni, ac vigiliæ in eccleſia* Mediolanenſi *celebari cœperunt.*"

a) Ex Cod. MS. Bibliothecæ publ. *Argent.* ſæc. XI. qui continet librum *Omeliar.* B. GREGORII Papæ urbis *Romæ* in EZECHIELEM. „Nunc de prima voce, velut de ſonitus totius parente dicemus. Omnis vox in duo genera dividitur, *continuum* atque *diviſum.* *Continuum* eſt velut iuge conloquium, *diviſum,* quod in modulatione ſervamus. Eſt & *medium*, quod in utroque permixtum, ac neque alterius continuum modum ſervat, nec alterius frequenti diviſione præciditur, ut pronuntiandi modo carmina cuncta recitantur. Horum illa, quam in diviſas partes, certasque deducimus, *diaſtemica* nominatur, & ei parti, quæ *armonica* vocatur, aptanda eſt. Quæ quidem *armonica* habet partes diſputationis ſeptem. Primam de *ſonis*: ſecundam de *ſpatiis*: tertiam de *ſiſtematis*: quartam de *genere*: quintam de *tonis*: ſextam de *commutationibus*: ſeptimam de *modulatione*, quam modo *pociam* (ſic) vocamus. Ac prius de *ſonis*, ubi artis eſt elementum. *Sonus* quippe tanti apud nos loci eſt, quanti in geometricis *ſignum*, in arithmeticis *ſingulum.* *Pthongos* ſonos dicimus. Verum *pthongus* dicitur: vocis modulatæ particula, una intentione producta. Eſt autem intentio, quam dicimus *taſin*, qua vox conſiſtit, ac perſeverat *ſonus.* *Pthongus*, vel ſpeciatim, vel generaliter appellatur. Sed generale vocabulum ſpecialia habent. Quæ ideo tota *graia* voce perhibentur."

& V. colligitur, quando iam in divinis officiis, eccleſia ex ſtatu preſſo in libertatem vindicata, celebrior cultus, ac ſolemnior etiam in variatione cantus extiterat. Agnoſcit S. AUGUSTINUS in hymnis & pſalmis canendis variam *Ep. LV. n.* 34. conſuetudinem, & pleraque dicit haberi in *Africa* eccleſiæ membra pigriora, ita ut *Donatiſtæ* reprehenderint, quod ſobrie canerent in eccleſia. Suavi *Loc. cit.* melodia compoſitus eſſe debuit eccleſiaſticus cantus. *Cum*, inquit, *liquida voce & convenientiſſima modulatione cantantur.* Tempora & momenta in *Loc. cit.* eccleſia cantandi exprimit ad IANUARIUM. „Quando autem non eſt tempus, cum in eccleſia fratres congregantur, ſancta cantandi, niſi cum legitur, aut diſputatur, aut Antiſtes clara voce deprecatur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur? Aliis vero particulis temporum quid melius a congregatis chriſtianis fiat, quid utilius, quid ſanctius, omnino non video.“ Obiter hic noto, me in GROTII libello haud reperire, quod eum pluribus probare niti *Ioh. Iac.* HULDRICUS de ſacrorum hymnorum in eccleſia uſu dicit, omnes Chriſtianorum etiam preces fuiſſe cantatitias. Quod firmari ex citato Sancti AUGUSTINI loco forte quis dicat. Alibi in regula pro monialibus, inter alia præſcribit, ut non cantent, niſi quæ præſcripta ſint cantari. Quæ verba citantur, & ita explicantur in regula PAULI & *Num.* 14. STEPHANI: „Ne quæ cantanda ſunt in modum proſæ, & quaſi lectionem mutemus, aut quæ ita ſcripta ſunt, ut in ordine lectionum utamur, in *tropis*, & *cantilenæ* arte noſtra præſumtione vertamus.“ Narrat S. HIERONYMUS ex libro hymnorum S. HILARII, qui excidit, in hymnorum carmine *Gallos* indociles vocari. Igitur oportuit arte aliqua, & inſtitutione non modica opus fuiſſe; ſi quidem hoc non potius intelligendum ſit de arte pangendi carmina hymnorum, quam de ipſa diſciplina cantandi. Quo de ſtudio nihil etiam in antiquis regulis monaſticis legitur, præterquam quod aliqua vocis ratio, & ſelectus ſit habitus. Niſi forte hoc ipſum quis non tantum de capaci ad canendum ingenio, ac naturali quadam facultate, verum etiam arte aliqua, & ſtudio comparata, accipiendum exiſtimet. Cuius rei tamen nullum uſpiam indicium, atque argumentum apparet, ut, prolatis in medium teſtimoniis, patebit. Non hic ſermo eſt de reconditiori muſices theoria, quam ſchola *Pythagorica* cum aliis mathematicis diſciplinis ceu neceſſariam ad ſapientiæ ſtudium partem requirebat; quas diſciplinas cum aliis Philoſophiæ partibus rei chriſtianæ etiam proficuas noſtri exiſtimabant. Ne quid dicam etiam de *Phonaſcis* veterum, vocis formandæ conſervandæque magiſtris, de quibus nuperrime ſcripſit *Wilh.* BALLHORN, qui in ſcholis etiam publicis non cantum aut diſciplinam muſicam, ſed rectum vocis pronuntiationisque uſum docebant. Id ex S. IUSTINO diſcimus, ante ſuum ad ſacra chriſtiana acceſſum, cum ex Philoſophiæ ſtudio ad profectum ſapientiæ

De S. Cœnæ adminiſt. T. IV. Op. theol. p. 507. *&c.*

Huldr. P. I. p. 48.

Dial. cum Tryphone n. 2. *p.* 103.

pientiæ aſpirans, inter alios etiam celeberrimum *Pythagoreum* adiiſſet, *auditor illius & familiaris fieri cupiens.* In primo acceſſu: „Quid ergo (inquit „ille) dediſti operam *Muſicæ*, *Aſtronomiæ*, & *Geometriæ?* An putas perſpecturum te quidquam eorum, quæ beatæ vitæ conducunt, niſi hæc prius „didiceris, quæ animum a rebus, ſenſum moventibus, abſtrahent, & ad ea, „quæ mente percipiuntur, idoneum efficient, ut ipſum pulcrum, & ipſum „bonum intueatur? Cum has diſciplinas pluribus laudaſſet, ac neceſſarias „prædicaſſet, dimiſit me a ſe, poſtquam ei confeſſus ſum, me neſcire. Ferebam igitur, ut par erat, moleſte, quod ſpe excidiſſem; eoque magis, „quod mihi aliquid ſcire videretur. Rurſus cum tempus illud conſiderarem, „quod mihi in his diſciplinis conterendum erat, non ferebam me in longum tempus reiici.“ Equidem ORIGENES his aliisque diſciplinis inſtructum eſſe cupit S. GREGORIUM *Taumaturgum.* „Per modum quidem finis *Philocaliæ*
„(inquit) ad chriſtianam doctrinam: efficaciter autem propterea optaverim *c. 13.*
„te etiam aſſequi Philoſophiæ *Græcorum* circulares diſciplinas, aut primas „inſtitutiones, quæ ſcilicet valent ad chriſtianiſmum. Quin & geometrica „& aſtronomica ad ſacrarum litterarum explanationem conferunt. Ut quod „aiunt Philoſophorum æmuli ac *Geometria & Muſica*, *Grammatica & Rhetorica*, atque *Aſtronomia*, veluti *Philoſophiæ* adminiculis, iſtud nos aſſeramus etiam de ipſa *Philoſophia*, chriſtianæ ſapientiæ comparatione.“ De muſica in eundem finem agit S. AUGUSTINUS. *Mamertus* CLAUDIANUS in ep. *S. Auguſtinus*
ad SAPAUDUM rhetorem ſui ævi: *Studiorum quaſi quandam mortem flebili* *L.II. de doct.*
veluti epitaphio tumulans, inter alia queritur, *muſicen & geometricam at-* *chr. n. 26-28.*
que arithmeticam tres quaſi furias deſpui. Hic tamen ipſe CLAUDIANUS *Baluz. T.VI. Miſcellan. p.*
laudatur a *Sidonio* APOLLINARI in epitaphio: *536. 537.*

Tractator, geometra, muſicusque. *L.IV. ep. 11. apud Sirmond. opp.var. T.I. p. 944. D.*

Et mox: *Pſalmorum hic modulator & phonaſcus,*
Ante altaria, fratre gratulante,
Inſtructas docuit ſonare claſſes.

Has autem aliasve, ut paulo ante in eodem epitaphio perhibetur,

Monachus virente in ævo
Secreta bibit inſtitutione.

Ut dici poſſit, quod ipſe hauſit, didicitque in ſcholis illis, impendiſſe quoad muſicam attinet, ut *ante altaria* inſtructæ ſonarent *claſſes.* Palam erit ex medii ævi monumentis, ad inſtitutionem cantus etiam eccleſiaſtici theoriam muſices adplicitam, atque in ſcholis traditam fuiſſe, quæ potiſſimum in monaſteriis, vel alibi etiam doctoribus monachis inſtruebantur, ſed non ita iſtud in prima hac Eccleſiæ ætate, ſex etiam, & amplius ſæculorum de-

 curſu,

curſu, frequentatum ſtudium legitur. Eſt apud S. Basilium in regulis brevius tractatis Interrogatio CCCVII. „Numquid alternis vicibus incipiendum „ſit pſallere, aut precari? *Reſp.* In hoc inter multos, qui idonei fuerint, „rectus ordo ſervetur, ut neque parvi momenti res putetur, aut indiffe„rens: neque æquabilis unius aut alterius perſonæ delectus ſuperbiæ ſuſpe„ctum reddat eum, qui præficitur, & quaſi cæteri contemnerentur.“ Id interpretor de ſelectu aliquo faciendo, qui aptiores, voce vel ingenio magis idonei ſint ad pſallendi munus obeundum. Quod fieri potuit iuxta ac a Cassiano pſallendi diſciplina *lib. II. Inſtit.* deſcribitur. Idem vero,
L. IV. c. 16. de Regulis diverſarum correptionum, pœnam conſtitutam ei deſignat, *ſi decantans pſalmum vel modicum titubaverit;* quod ad verbum in regula S. Columbani repetitur. Et ad eundem modum S. Benedictus ſtatuit: „Siquis
Reg. c. 45. „(inquit) dum pronuntiat pſalmum, reſponſorium, antiphonam, vel le„ctionem, fallitur; niſi per ſatisfactionem ibi coram omnibus humiliatus „fuerit, maiori vindictæ ſubiaceat; quippe qui noluit humilitate corrigere, „quod negligentia deliquit. Infantes vero pro tali culpa vapulent.“ Sed lapſus illi varii eſſe potuerunt præter canendi modulos, ac artem. Sic, quod
Cap. 8. legitur: *Quod vero reſtat poſt vigilias, a fratribus, qui pſalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inſerviatur,* ad diſcendi quidem ſtudium referendum exiſtimo, ſed canendi non deſignat diſciplinam, ex illo S.
Procem. in regulas breviores. Basilii expreſſum: *ἐν τῇ μερίμνῃ ϗ ἐξετάσει τῶν ἀναγκαίων* „In curandis, „ſeu meditandis & expendendis rebus neceſſariis tranſigamus reliquam no„ctis partem, explentes, quod dictum eſt a beato Davide: *In lege Do„mini meditabitur die ac nocte.*“ Nec aliunde aliquid luculentius de diſciplina canendi ex regula S. Benedicti colligi poteſt. Occurrunt quidem voces cantus, pſalmodiæ, modulationis: at ubi omnia articulatim per plura capita de diſciplina pſallendi præſcribuntur, nihil tamen habetur de diſciplina, aut inſtitutione canendi. Solummodo *cap.* 47. cavet, „Ne cantare aut legere „præſumat, niſi qui poteſt ipſum officium implere, ut ædificentur audien„tes. Quod cum humilitate & gravitate, & tremore faciat, & cui iuſſe„rit Abbas. (Et:) Pſalmos autem vel antiphonas poſt Abbatem, ordine ſuo,
T. IX. „quibus iuſſum fuerit, imponant.“ Nec hic omittam, quod in Bibl. PP. *Lugd.* ſub nomine S. Benedicti refertur ex MS. *Caſinenſi*, cumque illis congruit, quæ S. Pater in ſua regula dicit de antiphonis, vel pſalmis impo-
p. 658. nendis. „Quando in choro ad pſallendum ſtant, conſona voce, & corde „pſallant, & illi incipiant verſum, qui præ cæteris utilius poſſint, ut ad „primam vel ſecundam ſyllabam cæteri convenire poſſint iuvenculi pro-
p. 657. „nunciantes voce.“ Prius præſcriptum fuerat, quomodo fratres oporteret *Matutinis laudibus promta voluntate, vocum modulis, nec nimis producte,*

cte, nec multum correpte cum ſumma gravitate & honeſtate officium perſolvere divinum. Et in regula PAULI, & STEPHANI, eodem adhuc ſæc. VI. *Cap.* 5.
ſcripta: „Initium verſuum pſallentium in choro priores, qui in eis ſtant, „ incipiant; aut ſi eis adverſatur infirmitas, hi incipiant, quibus iuſſerit „ Pater: quibus incipientibus, mox omnes, ſi poteſt fieri in prima aut „ ſecunda ſyllaba pariter unanimiter, & uno ore ſubiungant: ut non ſit „ diſſonantia cantantium, quæ maxime ab inordinato initio, & quodam- „ modo contentioſa varietate ſolet accidere.“ Poterat ea etiam, quæ hodie obtinet pſalmorum modulatio, iuxta varietatem tonorum in genere diatonico ſine multa diſciplina diſci, ac teneri. Aliud dici debet de modulatiore cantu, de qua re nihil conſtat ex prima ætate hac, quoad cœtus monaſticos; ut nihil de eremi incolis dicam, de quibus paulo ante retuli locum ex *Gerontico* Abbatis PAMBONIS, in quo canones, & troparia a monachis aliena iudicantur, cantusque modulatus; PAMBONE Abbate vehementer dolente, quod futurum in Spiritu proſpexerat. „Væ nobis (inquit) „ fili! quoniam venient dies, in quibus relinquent monachi ſolidum alimen- „ tum, per Spiritum Sanctum declaratum, & ſequentur cantica, & tonos. „ Qualis enim compunctio, quales lacrymæ proveniunt ex modulis? qualis „ enim compunctio eſt monacho, quando in eccleſia, aut in cella conſiſtit, „ & vocem ſuam boum inſtar extollit. . . . Etenim non venerunt mona- „ chi in hanc eremum, ut aſſiſtentes DEO vocem elevent, modulentur can- „ tus, & concinnent ſonos, ac manus pedesque moveant a).“ An totus a
contextus ſolum de exceſſu in cantu intelligi poſſit, iudicet lector, an potius de cantu modulato, quem nec hodieque omnes religioſi ordines amplectuntur. Audierat, didiceratque diſcipulus PAMBONIS *Alexandriæ* troparia, ſeu modulos ἔμαθε δὲ τροπάρια, idque animum eius afflixerat, quod in eremo neque canones muſici, nec moduli canerentur, ὄυτε κανόνας ὄυτε τροπάρια ψάλλομεν. Canones interpretari licet ex arte compoſitas cantiones, ᾄσματα ϗ ἤχους, quæ poſtea, dicit PAMBO, a Spiritu Sancto prædictum, fore, ut monachi proſequerentur. Nihilominus in hiſtoria *Lauſiaca* PALLADII c. 7. legimus de ARSISIO, & *Syncellitis* quinque millibus in monte *Nitriæ*, ex quibus

a) Οὐαὶ ἡμῖν τέκνον ὅτι ἔφθασαν αἱ ἡμέραι ἐν αἷς ὑπολείψουσιν οἱ μοναχοὶ τὴν στερεὰν τροφὴν τὴν διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ῥηθεῖσαν ϗ ἐξακολουθήσουσιν ᾄσματα ϗ ἤχους· ποία γὰρ κατάνυξις ποῖα δάκρυα τίκτονται ἐκ τῶν τροπαρίων· ποία γὰρ κατάνυξις τῷ μοναχῷ ὅταν ἐν ἐκκλησίᾳ ἢ ἐν κελλίῳ ἵσταται· ϗ ὑψοῖ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ὡς οἱ βόες . . . ϗ γὰρ οὐκ ἐξῆλθον οἱ μοναχοὶ ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ ἵνα παρίστανται τῷ Θεῷ ϗ μετεωρίζονται ϗ μελῳδοῦσιν ᾄσματα ϗ ῥυθμίζουσιν ἤχους· ϗ σείουσι χεῖρας ϗ μεταβαίνουσι πόδας.

quibus ipſe etiam Pambo fuerat: *Circa horam autem nonam licet ſtare, & audire in unoquoque monaſterio hymnos & pſalmos Chriſto canentes, & preces ad hymnos emittentes, adeo, ut exiſtimet quiſpiam, ſe ſublime elatum transmigraſſe in paradiſum deliciarum.* Sed hymnodia, pſalmodiaque, ſeu hymnos pſalmosque canentes confundi non debent cum illis, qui μελῳδοῦσιν ἄσματα ϗ ῥυθμίζουσιν ἤχους, bene concinnatas cantiones, & modulos exquiſitos affectant; ne dicam tragico etiam modo manus, pedesque movent. Ex toto illo *Gerontico* patet, neutiquam eam cantus diſciplinam in eremo fuiſſe, qualis *Alexandriæ* fuerat ſæc. IV. quo quidem adoleſcente ſcimus S. Athanasium ita moderaſſe cantum, ac tam modico flexu vocis feciſſe ſonare lectorem pſalmi, ut pronuncianti vicinior eſſet, quam canenti. Ab-
L. IV. c. 23. bas Pambo S. Athanasio in pretio fuit, nempe, ut Socrates perhibet *rogante* Athanasio *Epiſcopo, ex ſolitudine venit Alexandriam.* Mortuus eſt
Hiſt. Lauſ. c. 10. ante annum 390. præſente tum Melania, ut refert ex eius ore Palladius. Rufinus inter eos recenſet ſolitarios, quos ſuis oculis viderit. Neceſſe eſt igitur, non diu eam canendi moderationem in eccleſia *Alexandrina* ſubſtitiſſe, ut per S. Athanasii fata fieri proclive fuit. Quodſi ſtatuamus, *Nitriæ* montis *Alexandriæ* propinqui monachos diſciplinam pſallendi modeſtam, quam S. Athanasius inſtituit, ſectatos eſſe, ac diutius, tenaciusque ſervaſſe, in concordiam revocare licet locum Palladii cum Pambonis Abb. ſermone de *tropariis*, & *canticis;* cum Palladius de hymnis, & pſalmis loquatur. Hymni autem *harmonicis rhythmis*, ut cum S. Basilio loquar, compoſiti veteri more, & pſalmi, prout uſque in hunc diem canuntur, primigeniam ſimplicitatem præſeferunt. Adhibitam fuiſſe vocis contentionem, argumento eſt, quod Theodoretus in *hiſtor. relig. c.* 17. de Abrahame narrat, cum ſe in vicum quemdam inferendæ lucis evangelicæ cauſa inſinuare vellet, *paulatim aggreſſus eſt divinum officium, utens voce moderata.* Et tamen *ſenſerunt pſalmodiam*, ut mox ſequitur, fitque concurſus ad viros DEI diſturbandos. Factus poſtea Epiſcopus, *noctu*, ut idem perhibet, *quadraginta hymnos, quos inter ſe invicem loquendo, & reſpondendo dicunt, implebat, earum, quæ intercedunt, precum duplicans nume-*
L. II. Inſtit. c. 5. *rum.* Hoc videtur eſſe apud Cassianum *parili pronunciatione* cantare. „Cum„que (inquit) ſedentibus cunctis (ut eſt moris nunc uſque in *Ægypti* par„tibus) & in pſallentis verba omni cordis intentione defixis, undecim „pſalmos orationum interiectione diſtinctos contiguis verſibus parili pronun„ciatione cantaſſet, duodecimum ſub *Alleluia* reſponſione conſummans &c.“ Cantu etiam reſponſorio, & antiphono eadem ſimplicitas, & moderatio ſervari potuit, ut a *tropariis*, *odisque* *modulatioribus* diſtingueretur, & nihilominus concinna vocis flexione canorus eſſet, & cantus recte diceretur.

Quem

Quem obtinuiſſe a primordiis Eccleſiæ, atque etiam in monachorum cœtibus inde ab eorundem origine, tot ſparſim oſtendimus teſtimoniis: *Qui*, ut verbis S. Basilii utar, *nec de cibis, nec de indumentis ſunt ſolliciti, ſed minime diſtracti, & Domino continenter adſtantes, noctu diuque perſeverant in orationibus: quorum os non loquitur opera hominum, ſed hymnos DEO noſtro concinunt continenter.* Ab his non abludit S. Chrysostomus *Hom.* 14. *in I. ad* Tim. de monachis agens. „Inde (inquit) ubi ſurrexere, divinis „laudibus inſtant, hymnoſque propheticos canunt magno ſuavitatis concen-„tu, & canticis numeroſis. Non fiſtula, non cithara, non ullum aliud in-„ſtrumentum muſicum tam dulces efficit modos, quam ſancti illi ſumma „in ſolitudine, & quiete pſallentes.“ Quod P. Martenius in hiſtoria muſica etiam quoad Ordinem S. Benedicti multis tuetur a).

Epiſt. 207. ad Neocæſ.

T. I. p. 405. a

IV. De *Polyphonia*, ſeu muſica conſonantia plurium ſimul vocum, nihil eſt, quod in præſentiarum dicam, an prima hac ætate uſpiam in Eccleſia obtinuerit; cum incertum ſit, an unquam apud veteres in uſu fuerit. Quoad muſicam inſtrumentalem, ſeu organicam, ut veteres vocabant, a voce *aſſa* diſtinctam, ut Cato apud Nonnium habet in *aſſa*: *Melos alterum in cantibus eſt bipartitum: unum, quod eſt in aſſa voce, alterum, quod vocant organicum*, quæſtio eſſe poteſt, tum circa privatum uſum fidelium etiam in conviviis, quam publicum in Eccleſia, an unquam prima Eccleſiæ ætate locum habuerit? *Io. Zach.* Hilligerus de pſalmorum, hymnorum atque odarum ſacrarum diſcrimine ad *Epheſ. V.* 19. *Coloſſ. III.* 16. non audet quidem affirmare, Christo nomen dantes, in primis Eccleſiæ ſæculis inſtrumenta muſica cum voce recepiſſe, quo certius habeamus, ex unanimi veterum Doctorum

An aliquis inſtrumentorum muſicorum uſus fuerit prima hac ætate?

Sect. I. §. 7.

a) „E pure (inquit p. 370.) viva la verita parlano eſſi di mille variazioni, & notano mille reformi, ma non mai in ordine a quella parte del canto, che comprehende le Intonationi, o voglion dire le cantilene de' ſalmi; le quali, quelle medeſime eſſendo, che anche oggi dalla *Romana* Chieſa ſi uſano, & che dai ſantiſſimi loro Inſtitutori furono da prima uſate, ne da eſſi reconoſcendo la loro origine, forz' è conchiuder, che quelle ſteſſe elle pur ſieno che furono dagli Apoſtoli nella Chieſa naſcente introdotte; & che'l canto della ſalmodia, da Patri de primi ſecoli detto *uniſono* o *conſono* quel medeſimo ſia, che da novi diceſi *canto fermo*, oppur *Gregoriano*. In fatti nella monaſtica ſalmodia il principal luogo teneva il *canto* eſpreſſamente dal ſanto Patriarca (Benedetto) preſcritto nella ſua regola. Or ſe contemporanamente, o anche, poſteriormente alla promulgazione di eſſa una nuova ſpezie di *cantilene*, per l'addietro nella Chieſa cattolica non mai uſate, prodotta ſi foſſe, qualche notizia, di cio ſene avrebbe al certo, o dalla medeſima Regola del ſantiſſimo legislatore, o da alcuna delle diffuſe Iſtorie degli eruditiſſimi di lui Figliuoli. Ma poichè ne in quella, ne in queſte ne pure un ſemplice veſtigio ritrovaſi di tale innovazione, forz è dire, che quali in tutta la Chieſa pe'l corſo de primi cinque ſecoli furono in uſo le Intonazioni de' ſalmi, tali al principio ancora del ſeſto ſecolo dalla veneratiſſima religione *Benedettina* ricevute nel ſuo naſcimento foſſero, e conſtantemente dipoi ritenute.“

Doctorum conſenſu, muſicam inſtrumentalem ad tempora uſque Constantini M. in ſacris fuiſſe improbatam. Utut autem ex eius ſententia ob perpetuas, quibus agitabantur veteres Chriſtiani perſecutiones, in ſacris eorum publicis nulla potuerint adhiberi organa muſica, minime tamen iisdem omnimode interdicebantur, ut potius cuiuslibet chriſtianæ fuerit conceſſum libertati, inſtrumentis privatim, ſi fieri potuerit, delectari muſicis. Idque poſtea de pſalmorum cantu, vi etymi, uſuque avito *Hebræorum* ſumit a). Hanc
§. 10. a quæſtionem attingit Clemens *Alex. L. II. c. 4. Pædagogi.* Et quamvis initio omnem plane inſtrumentorum uſum abeſſe velle videatur etiam in conviviis; poſtea tamen indulgentior videri poſſet, niſi mox in allegoriam prolaberetur. „Uno ergo inſtrumento (inquit) verbo ſolo pacifico nos utimur, „ quo DEUM honoramus, non amplius veteri pſalterio, & tuba, & tympano, & tibia, quibus mos erat iis, qui in bello ſe exercebant, DEIque metum contempſerunt, & ſimul congregatis concionibus in choris „ uti, ut per eiusmodi modos ſolutus ac deiectus excitaretur animus. (Et „ paulo poſt) Hæc eſt gratioſa, ac iucunda noſtra comeſſatio. Et ſi ad „ lyram vel citharam canere & pſallere noveris, nulla in te cadet reprehenſio (κἂν πρὸς κιθάραν ἐθελήσῃς ἢ λύραν ᾄδειν τε καὶ ψάλλειν μῶμος οὐκ ἔστιν. „ Suizerus *Theſ. eccl. V.* ὄργανον, & Hospinianus *lib. II.* de templis, interpolata aut corrupta eſſe volunt.) *Hebræum* iuſtum regem imitaberis, qui „ DEO eſt gratus & acceptus: *Exultate iuſti in Domino, rectos decet laudatio*, (dicit prophetia) *Confitemini Domino in cithara, in pſalterio decachordo ei pſallite. Cantate ei canticum novum.* Nunquid autem decachordum pſalterium verbum IESUM ſignificat, qui manifeſtatur elemento „ decadis?“ Hæc omitti non debuiſſent ab illis, qui ad hunc provocarunt locum, opusque eſt totum contextum legere, ut de mente plene conſtet, & de ſenſu, in allegoriam deflectente, ea, quæ ex veteri Teſtamento de

a) „Neque eſt abſonum (inquit) dicere, quod pſalmi hi, vi etymi, quod §. 7. ex definitione Basilii eruimus, atque uſus apud *Hebræos* ſacri, in primitiva pariter Eccleſia cum multis inſtrumentis ſint decantati. Equidem videtur nobis obſtare oraculum, quod 1. *Cor. XIV.* 15. legimus, ubi, dum ψάλλειν ad mentem ſolum refertur, cantus non externus cum inſtrumentis, ſed internus, cum ideis ſacris coniunctus, connotari poteſt; itemque primorum & antiquiorum Doctorum cœtus chriſtiani de inſtrumentis muſicis, in ſacris adhibitis, ſilentium, pſalmis licet ſæpius voce modulata prolatis, noſtro minus favet aſſerto. At quamvis, ut iam ſupra diximus, tum propter perſecutiones, & odia gentilium in Chriſtianos, tum propter prophanum organorum muſicorum, in ethnicorum turpibus ac ſordidis theatris, atque ſacrificiis, uſum per prima quatuor ſæcula ex congreſſibus ſacris muſica exularit inſtrumentalis, hanc tamen privatim, & in conviviis veterum Chriſtianorum non ſimul viguiſſe, ſolide nunquam evinci poterit. Ipſe Apoſtolus, qui in noſtro loco, uti ex antea dictis apparet, de epulis, a charitate nomen habentibus, agit, voce ψαλμοῦ cantum, inſtrumentis ſimul factum, haud tacite indicat, ut teſtimonia Cypriani in epiſtola ad Donatum, Clementis *Alexandrini*, aliorum ſilentio prætercam.“

de variis inſtrumentis muſicis in templo, & pſalmorum cantu habentur. Quemadmodum paſſim alii SS. Patres, qui in pſalmos commentantur, ſtudioſe quidem inter pſalmos diſtinguunt, qui cum inſtrumentis cani ſunt ſoliti; at quando ad morem antiquum in chriſtianis conventibus deveniunt, vertunt ſtilum. Sic Eusebius, qui in pſalmum LX. accurate mox initio hæc poſt Origenem diſtinxit. Nec contrarium ex eodem Eusebio concludi poteſt, ubi in pſalmum XCI. inſtrumentorum etiam meminit, in pſal- *T. I. edit.*
mo memoratorum: „Ut (inquit) in unum congregati ea, quæ pſalmus *Montf. p.*
„ indicat, peragantur. Eorum autem *primum* eſt confiteri Domino; *ſe-* 607.
„ *cundum*, cum muſicis inſtrumentis pſallere nomini eius; *tertium*, matutinis horis annuntiare miſericordiam eius; *quartum*, nocturnis temporibus enarrare veritatem eius: & hæc non modo labiis & voce, ſed etiam per muſicorum inſtrumentorum pulſationem agere: nam ait, *in decachordo pſalterio, cum cantico in cithara.*" Agit enim de Sabbati feriatione; ac deinceps, dum, quæ Chriſtiani ad eius imitationem in conventibus Dominicæ diei canant, exponit, dicit Chriſtianos vivente pſalterio, & cithara animata, ſpiritualibusque canticis hymnum effundere a). a
Haud abſimili modo laudatus S. Clemens *Alexandrinus* loquitur b). S. b
Hilarius in procemio in pſalmos ſedulo diſquirit de *pſalmo*, *cantico pſalmi*, *pſalmi cantico &c.* quoad inſtrumentorum uſum & concentum. At quoad noſtram utilitatem deinceps in ſenſum allegoricum ſumit, & de fidelium cantu, ſonituque agens hymnorum, ſolarum meminit vocum. Idem de S. *In Pſ. 29.*
Basilio dicendum (quem unacum S. Hilario hic pro inſtrumentis muſicis in veteri Eccleſia *Michael* Prætorius in ſyntagmate muſico citat) & de S. Chrysostomo, qui expreſſis verbis in poſtremos pſalmos commentans, qui- *T. I. P. II.*
bus variorum inſtrumentorum ſit mentio, infirmitati *Iudæorum* id conceſſum *c. 13.*
dicit.

a) „ Olim quidem (inquit ibid. p. 608.) eum populi ex eireumciſione per ſymbola & figuras DEUM eolerent, non ineongruum erat, per pſalteria & eitharas hymnos DEO emittere, idque die ſabbati præſtare, otium nempe ſolventes, & in hoc legem ſabbati transgredientes. Nos vero *Iudæum* in abſcondito ſervantes ſeeundum illud Apoſtoli dictum: *Non enim, qui in manifeſto Iudæus eſt &c.* viventi pſalterio, & cithara animata, ſpiritualibusque eanticis hymnum effundimus &e."

b) „ Divinum autem (inquit Pædag. L. II. e. IV.) miniſterium ſeparans pſallit ſpiritus: *Laudate eum in ſono tubæ.* In ſono enim tubæ ſuſcitabit mortuos. *Laudate eum in pſalterio*, quoniam lingua eſt pſalterium Domini. *Et in cithara laudate eum.* Per eitharam os intelligatur, quod ſpiritu tanquam plectro pulſatur. *In tympano & choro laudate eum:* Dicit Eccleſiam, quæ reſurrectionem carnis meditari ſolet in pelle reſonante. *In chordis & organo laudate eum.* Organum dieit eorpus noſtrum, & chordas eius nervos, per quos numeroſe & concinne intenditur, & ſpiritu pulſatum voces edit humanas. *Laudate eum in cymbalis iubilationis.* Oris cymbalum dicit linguam, quæ pulſatis labris reſonat. Et ideo humanæ naturæ acclamavit: *Omnis ſpiritus laudet Dominum:* quoniam omnis ſpiritus, quem fecit, curam geſſit. Vere enim pacificum inſtrumentum homo eſt."

dicit. De Chriſtianis vero agens, eodem modo, ac ſuperiores interpretes,
a accipit a). S. AMBROSIUS de ELIA uſum inſtrumentorum profanum ſacræ opponit hymnodiæ: „Non immerito (inquit) væ illis, qui mane ebrietatis potum requirunt, quos conveniebat DEO laudes referre, prævenire lucem, & vacare orationi, occurrere Soli iuſtitiæ, qui nos viſitat, & exurgit nobis. Sic nos CHRISTO, non vino & ſiceræ ſurgamus. Hymni dicuntur, & tu citharam tenes? Pſalmi canuntur, & tu pſalterium ſonas, aut tympanum? Merito væ, qui ſalutem negligis, mortem eligis.“ Auctor epiſt. ad DARDANUM, inter epiſtolas S. HIERONYMI, diverſa genera muſicorum inſtrumentorum, quæ in pſalmis memorantur, deſcribens, ad modum quidem etiam, & formam inſtrumentorum muſicorum ſui ævi reſpi-
b cere videtur, ſed nihil de uſu eorundem in ſacris chriſtianis dicit b). Propius ad rem ſunt, quæ leguntur in auctore quæſtionum & reſponſionum
Quæſt. 107. ad Orthodoxos, qui ad ſæc. IV. vel V. refertur a monachis S. MAURI, editoribus S. IUSTINI M. ſub cuius nomine venerunt quæſtiones illæ, ubi id in quæſtionem inducitur de Chriſtianis, quomodo in eccleſiis more eorum, qui ſub lege fuerunt, parvulorum canticis utantur. „Si (quærit) ab infidelibus ad ſeductionem inventa carmina, iis autem, qui ſub lege fuerunt, ob animi imbecillitatem conceſſa; qui ſub gratia ſunt & perfecta, atque ab iis, quos dixi, moribus aliena accepere inſtituta, quomodo in „ eccléſiis

a) „Cecinit (inquit in Pſ. CXLV.) aliquando DAVID in pſalmis; & nos unacum DAVID hodie: ille citharam habuit ex inanimatis nervis; Eccleſia citharam habet ex animatis nervis intentam. Linguæ noſtræ nervi citharæ ſunt, diverſum quidem ſonum, ſed concordem pietatem emittentes: nam & fœminæ, & viri, & ſenes, & iuvenes diſcernuntur quidem ſecundum ætatem; non diſcernuntur tamen ſecundum rationem modulationis hymnorum.“ Alibi: „Hic (in Pſ. XLI. n. 2.) non eſt opus cithara, neque nervis extenſis, neque plectro, nec arte, nec ullis inſtrumentis; ſed ſi velis, teipſum efficies citharam, cum carnis membra mortificaveris, cum corpore pulchrum concentum effeceris.“ Et in Pſalm. CL. „Illa autem inſtrumenta tunc illis permiſſa fuerant, & propter eorum imbecillitatem, & quod eos in charitate, & concordia contemperarent, & mentem eorum excitarent, ut lubenter facerent, quæ eis erant utilia: & quod per talem animi delectationem vellet eos ad maius ſtudium revocare.“

b) „Cogor (inquit T. IX. ed. *Antw.* p. 113.) a te, ut tibi DARDANE de aliquibus generibus muſicorum (*inſtrumentorum*) ſicut res docet, vel viſione, vel auditu brevi ſermone reſpondeam. Alia enim ad lucidum proferre non poſſum: quia unaquæque res ſecundum ingenium eius eſt, quæ autem poſſunt enarrari, libenter explicabuntur. Primum omnium ad organum, coquod maius eſſe his in ſonitu & fortitudine nimia computantur, clamores veniam: de duabus elephantorum pellibus concavum coniungitur: & per duodecim fabrorum ſufflatoria comprenſatur: per quindecim cicutas æreas in ſonitum nimium, quos in modum tonitrui concitat: ita ut per mille paſſuum ſpatia ſine dubio ſenſibiliter utique, & amplius audiatur: ſic apud *Hebræos* de organis, quæ ab *Hieruſalem* uſque ad montem *Oliveti*, & amplius ſonitu audiuntur, comprobatur. Duo genera organi a plerisque eſſe dicuntur. Primum eſt, quod prædiximus: & aliud, quod de peregrinatione *Iſraelitici* populi apud *Babylonios* inſcribitur: *Super flumina Babylonis &c.* Hoc totum figuraliter ac ſpiritualiter ſignificat evangelium Chriſti &c.“

„ eccleſiis more eorum, qui ſub lege fuerunt, parvulorum canticis utan-
„ tur? (Reſp.) Non canere ſimpliciter parvulis convenit, ſed cum inani-
„ mis inſtrumentis canere, & cum ſaltatione & crotalis: quare in eccleſiis
„ reſecatur ex canticis uſus eiusmodi inſtrumentorum, atque aliorum par-
„ vulis convenientium, ac ſimplex relictus eſt cantus.“ BOXHORNIUS in epiſtola quadam ad *Conſtantinum* HUGENIUM, qui ſingularem librum *de muſicorum in Eccleſia inſtrumentorum uſu* ſcripſit, inter alios hunc profert locum, putatque *τὴν χρῆσιν τῶν τοιȣ́των ὀργάνων* uſum eiusmodi inſtrumentorum non damnari, ſed cum ſaltatione tantum, ac crotalis. *Michael* PRÆTORIUS ex eo loco triplicem rationem expromendi verbum colligit: *Una*, inquit, *fit κατὰ τὴν ἐνθύμησιν, quando ratione concipitur, & oratione profertur; altera δι ᾀσμάτων per cantilenas, humana voce expreſſas: tertia denique δι ἀνάκρȣσιν per instrumentorum muſicorum impulſionem.* Res inde dependet, an in textu verba, *cum inanimis inſtrumentis canere, & cum ſaltatione & crotalis*, disiunctive vel coniunctive ſumenda ſint? Neque vero verba græca dubio locum relinquere videntur, inſtrumenta ſimul cum ſaltatione & choreis coniungi, & ab uſu eccleſiaſtico aliena ſtatui ab auctore: *ȣ̓ τὸ ᾆσαι ἁπλῶς ἐςὶ τοῖς νηπίοις ἁρμόδιον, ἀλλὰ τὸ μετὰ τῶν ἀψύχων ὀργάνων ᾆσαι ϗ μετὰ ὀρχήσεως ϗ κροτάλων. Διὸ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις προαίρεται ἐκ τῶν ᾀσμάτων ἡ χρῆσις τῶν τοιȣ́των ὀργάνων, ϗ τῶν ἄλλων τῶν νηπίοις ὄντων ἁρμοδίων ϗ ὑπολέλειπται τὸ ᾆσαι ἁπλῶς.* THEODORETUS *Meletianos* notat cum plauſu manuum, & quadam ſaltatione hymnos concinentes, & multa ſimul tintinnabula, funi appenſa, moventes, *Qua de cauſa*, inquit, *magnus ille* ATHANASIUS *perpetuo cum eis bellum geſſit.* S. AUGUSTINUS initio *libri III. de muſica*, antiquum modum, ſonandi cymbala, deſcribit, de antiquis ſymphoniacis agens, qui *ſcabella, & cymbala pedibus feriunt, certis quidem numeris & his, qui ſibi cum aurium voluptate iunguntur, ſed tamen tenore perpetuo, ita, ut ſi tibias non audias, nullo modo ibi notare poſſis, quousque procurrat connexio pedum, & unde rurſus ad caput redeatur.* Conſimile aliquid ſuis tintinnabulis actitabant *Meletiani*, quin alia adhibuerint inſtrumenta. Quæ tamen alicubi in feſtivitatibus chriſtianis, more ab ethnicis adducto, reſonabant. S. AURELIUM paſſim laudat S. AUGUSTINUS, quod a memoria ſeu eccleſia S. CYPRIANI, ubi ſacrum eius requieſcebat corpus, repulerit, qui noctes ad ſonum inſtrumentorum etiam ſaltando tranſigebant, quorum loco vigiliæ ſacræ ſunt inſtitutæ. „ Nonne (inquit) id egit inſtitutio in nomine CHRISTI
„ vigiliarum iſtarum, ut ex iſto loco citharæ pellerentur? Et ecce ipſæ iu-
„ bentur ſonare: *Confitemini Domino in cithara, in pſalterio decem chor-*
„ *darum pſallite ei.* Nemo convertat cor ad organa theatrica. „ Proinde (ut

T. I. P. II. c. 13.

L. IV. hæret. fabul.

Enarrat. II. in Pſ. 32. n. 5.

 obſervat

p. 209. „ obſervat Bellote) nequaquam inſtrumentorum muſicorum vitio vertendum eſt, quod poſterioribus tantum ſæculis uſa ſit Eccleſia muſicis cantoribus, & muſicalibus inſtrumentis: ſed quod a gentilibus eiusmodi muſica inſtrumenta in turpibus ac ſordidis uſibus, nimirum in theatris, conviviis, ac ſacrificiis conſueverint adhiberi. " S. Gregorius *Nazianz.* orat. 33. Chriſtianum modum celebrandi feſta declarans, „ Id autem (inquit) „ hac demum ratione conſequemur, ſi nec domus limina ſertis coronemus, „ nec choreas agitemus, nec oculum paſcamus, nec aurem cantu demulceamus. " Hæc etſi in Eccleſia non fiebant, in gratiam tamen feſtivitatis agitabantur inter inſtrumentorum ſonum tripudia: quæ paſſim inceſſit S. Chrysostomus, & S. Augustinus ſermonibus in *Kal. Ian.* & alibi. S. Basilius: *Cantus*, inquit, *meretricios exerces, oblitus pſalmorum & hymnorum, quos didiciſti. Moves pedes & inſanus ſaltas, choreas ducis illicitas, cum genua ad DEI & Domini noſtri IESU Chriſti cultum flectere oporteat.* Adſcribam hic locum ex homilia I. S. Chrysostomi de Lazaro, in qua, & proxime antecedenti in *Kalendas*, hoc maxime argumentum tractat, quod tunc ad anni auſpicia in his delinqueretur etiam a Chriſtianis, ut tamen alii abſtracti ad divinum cultum in Eccleſia ſpiritualis ſymphonia ipſimet eſſent.

Hom. 14. *in ebrioſ. n.* 8.

T. I. p. 708. „ Ipſi (inquit) tibia citharaque fuiſtis Spiritui Sancto: cumque cæteri choros ducerent diabolo, vos, eoquod hoc in loco verſabamini, præbuiſtis „ vos ipſos organa vaſaque ſpiritalia: exhibuiſtisque animas veſtras ceu muſica „ inſtrumenta, quæ Spiritus Sanctus pulſaret, & in corda veſtra gratiam ſuam „ inſpiraret. Unde modulatum concentum reddidiſtis non ſolum hominem „ demulcentem, verum etiam ſupernas virtutes delectantem. " Sanctus Augustinus vero *ſerm. II.* de *Kal.* chriſtianum morem, celebrandi feſtivos cantus, a tripudiis profanis egregie diſtinguit: „ Admonemus caritatem veſtram „ fratres, quoniam vos quaſi ſolemniter hodie conveniſſe conſpicimus, & „ ad hunc diem ſolito frequentius congregatos, ut memineritis, quod modo cantaſtis, ne ſit lingua perſtrepens corde muto, ſed quod ſonuiſtis voce „ ad aures invicem veſtras, clametis affectu ad aures DEI. Hoc enim cantabatis: „ *Salva nos Domine DEUS noſter, congrega nos de gentibus, ut confiteamur nomini* „ *ſancto tuo.* Et modo, ſi ſolemnitas gentium, quæ fit hodierno die in lætitia „ ſæculi atque carnali, in ſtrepitu vaniſſimarum & turpiſſimarum cantionum, in „ conviviis, & ſaltationibus turpibus, in celebratione ipſius falſæ feſtivitatis, ſi ea, „ quæ agunt gentes, non vos delectent, congregabimini ex gentibus. " S. Basilius laudata mox homilia in ebrioſos, in laſcivas mulieres acriter invehitur, feſtum *Epiphaniæ* Domini ita profanantes. „ Servitutis Christi excuſſo iugo, velamentis honeſtatis a capite reiectis, contemto DEO, ſpretis ipſius Angelis, virilem omnem aſpectum citra pudorem ferentes, comas agitantes,

Num. 1.

„ tra-

„ trahentes tunicas, ac pedibus ſimul ludentes, laſcivienti oculo, effuſo riſu, ad ſaltandum quaſi quodam furore concitæ, omnem iuvenum libidinem in ſeipſis provocantes, in Martyrum baſilicis pro mœnibus civitatis choros conſtituentes, loca ſancta officinam obſcenitatis ſuæ effecere. Cantilenis meretriciis ut aerem conſpurcarunt, ita terram tripudiis pulſatam pedibus immundis fœdarunt &c.“ Quem locum iisdem fere verbis expreſſit S. Ambrosius. Vide quæ mox ex S. Augustino afferemus de choris *S. Ambroſ. L. de Elia & ieiun. c. 18. n. 66.*
ſaltantium in Martyrum feſtis. Unum addimus ex S. Chrysostomo. „*Tunc*, inquit, *natura debachatur, qui adſunt ex hominibus bruta fiunt, alii ut equi hinniunt; alii ut aſini calcitrant; magna diſſolutio, magna confuſio: nihil* *S. Chryſoſt. h. 42. in Act. Ap. n. 3. de nupt.*
ſtrenuum, nihil generoſum. Multa iſtic diaboli pompa, cymbala, tibiæ, cantica fornicationis & adulterii plena. Suetum enim fuerat, ut ſimul inſtrumenta muſica, & cantus cum ſaltibus coniungerentur. Exemplum legitur in vita S. Radegundis Reginæ. „Quadam vice obumbrante iam noctis cre- *Sæc. I. Act. O. S. B. p. 325.*
„ puſculo, inter choraulas & citharas dum circa monaſterium a ſæcularibus multo fremitu cantaretur, & ſancta duabus teſtibus peroraſſet diutius, dicit quædam monacha ſermone ioculari: *Domina, recognovi unam de meis canticis a ſaltantibus prædicari.* Cui reſpondit: *grande eſt, ſi te delectat, coniunctam religioni, audire odorem ſæculi.* Adhuc ſoror pronuntiat: *Vere, Domina, duas & tres hic modo meas canticas audivi, quas tenui.* Sancta reſpondit: *Teſte Deo* (teſtor Deum) *me nihil audiſſe modo ſæculari de cantico.* Unde manifeſtum eſt, ut carne licet in ſæculo, mente tamen eſſet in cœlo.“ Ita inter orandum in DEUM rapta erat, ut nihil perciperet auditu. Opportune hic referimus, quod *Raphael* Volaterranus, ubi de ſaltationibus *Lib. 35.*
in commentar. Urbanis agit, atque inter alia ad celebratum S. Augustini locum provocat, egregie edicit, ad noſtrorum potiſſimum temporum corrigendam perverſitatem ſaltandi. „Omnino (inquit) totum hoc genus, ut libidinoſum, peſſimique exempli, non ſolum a Chriſtianis, ſed a gravitate *Romana* reiicitur. *Scipionis* enim Æmiliani verba quædam orationis, quam contra legem iudiciariam *T.* Grachi habuit, & Macrobius huiuscemodi ponit. Docentur præſtigias inhoneſtas cum cymbalis, ſambucis, pſalterioque; euntes in ludum hiſtrionum diſcunt cantare, quæ maiores noſtri ingenuos probro ducere voluerunt, euntque in ludum ſaltatorium, inter cinœdes virgines puerique ingenui verſantur. Cicero item pro Murena: *Nemo ſobrius ſaltat, niſi forte inſaniat, neque in ſolitudine, neque in convivio moderato: intempeſtivi convivii, immoderati ioci comes eſt illa ſaltatio.* Plutarchus ait: *Saltationem Coribantes Cretenſium populos primum inveniſſe, genus hominum inſanum, atque maleficum.* Augustinus quoque noſter, *Præſtat* (inquit) *arare vel fodere die dominico, quam*

„ *cho-*

„ *choreas ducere. O mores! o tempora! quod officium pſaltriarum, & im-*
„ *pudicarum fuerat, canere videlicet ad lyram, ac pſallere, nunc virginalis*
„ *matronaliſque pudor chriſtianarum in laudibus ducit, magiſtroſque eius ad-*
„ *hibent artis.*" At in flore chriſtiano exeſſe iubebatur non ſolum in publicis eccleſiaſticis conventibus, ſed etiam privatis domibus: „Ubi (inquit S.
Serm. 8. „ GAUDENTIUS *Brixienſis*) lyra ſonat & tibia, ubi omnia poſtremo genera „ muſicorum inter cymbala ſaltantium concrepant. Infelices illæ domus „ ſunt, quæ nihil diſcrepant a theatris. Auferantur, quæſo, univerſa iſta „ de medio. Sit domus chriſtiani, ac baptizati hominis immunis a choro „ diaboli." PRUDENTIUS in *Hamartigenia:*

Num propter lyricæ modulamina vana puellæ
Nervorumque ſonos, & convivale calentis
Carmen nequitiæ, patulas DEUS addidit aures?

Idem tamen recte impendi in DEI laudem poſſe alibi agnoſcit, quidquid
In Apotheoſi. habetur reſonans in muſicis inſtrumentis:

Quidquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,
Quidquid caſta chelis, quidquid teſtudo reſultat,
Organa diſparibus calamis quod conſona miſcent;
Æmula paſtorum, quod reddunt vocibus antra:
Chriſtum concelebrat, Chriſtum ſonat, omnia Chriſtum,
Muta etiam fidibus ſanctis animata loquuntur.

Neque tamen hinc coniici poteſt, aliquem tunc in ſacris fuiſſe inſtrumentorum uſum. Eſt inter epiſtolas CASSIODORI quadrageſima libri II. ſub THEODORICI Regis nomine de *Citharædo*, quem Rex *Francorum* a THEODORICO poſtulavit; & licet talis ſacer uſus non commemoretur (ait namque convivii ſui fama pellectum Regem *Francorum*, *citharædum* expetiiſſe. Et epiſt. ſequenti ad ipſum CLODOVÆUM, *qui ore manibuſque conſona voce cantando gloriam veſtræ poteſtatis oblectet*) alius tamen non illaudabilis innuitur. „*Citharædum*, quem a nobis diximus poſtulatum, ſapientia veſtra „ eligat præſenti tempore meliorem: facturus aliquid *Orphei*, cum dulci ſono „ gentilium fera corda domuerit." Iſte etiam poſſit eſſe in ſacris effectus
L. II. c. 10. ſalutaris ad elevandum verſus DEUM affectum. Recenſet FORTUNATUS in elogio S. GERMANI varia inſtrumenta muſica, ubi de pie ordinato *Pariſiis* agit eccleſiaſtico curſu, quæ tamen omnia de diſparibus hominum vocibus intelligi poſſunt.

Hinc

Hinc puer exiguis attemperat organa cannis:
Inde ſenex largam raptat ab ore tubam.
Cymbalicæ voces calamis miſcentur acutis,
Diſparibusque tropis fiſtula dulce ſonat.
Tympana rauca ſenum puerilis tibia mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram a). a

Nota demum notionem vocis *pſallere* aliam fuiſſe olim uſu eccleſiaſtico, quam profano apud claſſicos latinos auctores, qui id nominis diſtinguendo a cantu, inſtrumentis muſicis peculiariter tribuebant b). Forte alio ſenſu apud *Sidonium* Apollinarem accipitur vox *pſallere*, ubi clerici dicuntur fœnerari, & *Syri* pſallere. *Cum potius*, inquit le Moyne in Var. fac. *Syri fœnerarentur per mercaturam, & ludicras artes ſuas, & clericorum eſſet cantare, & pſallere.* Dicit vero *Syros* pſallere, quia revera *Syri*, & *Syræ* mulieres ad tibias, & organa ſaltare etiam, & cantare ſolebant; unde collegia *Ambubaiarum* ſaltantium, cantantium, & tibias inflantium. In Eccleſia autem perpetuus pſalmorum *Davidicorum* uſus nomen hoc frequentiſſimum fecit in omni oris officio pro divinis laudibus concinendis, antequam inſtrumentorum uſus ullus eſſet in Eccleſia, ac ipſe etiam cantus qualiscunque demum fuiſſet.

(b; margin: *T. II.* p. 474.)

V. Cau-

a) P. Lyron ex Congr. *S. Mauri* T. I. des ſingularitées hiſtoriques & litteraires p. 142. P. Mabillonium refutat, quod ſcripſerit, inſtrumenta fuiſſe adhibita in eccleſia *Pariſienſi* tempore S. Germani. Contra D. Ioly, Cantor & Canonicus eccleſiæ *Pariſienſis*, in tractatu hiſtorico ſcholarum epiſcopalium, & eccleſiaſticarum P. III. c. 30. p. 551. ita de laudati Fortunati loco differit: „Fortunat fait voir dans ſes vers *ad Clerum Pariſienſem* avec quelle pieté, nombre d'eccleſiaſtiques, inſtrumens de Muſique ſe faiſoit la pſalmodie dans cette Egliſe en preſence de *St. Germain*, & de iour & de nuit.“ P. Thomasin in tractatu de Officio divino, carminis iſtius ſubſequentibus verbis meminit: P. I. c. 25. §. 4. „Fortunat faiſant la deſcription de l'Egliſe, & du Clergé de *Notre Dame* de *Paris* ſous le Pontificat de *St. Germain* Eveque de *Paris*, n'a pas oublié les orgues, les flutes, les trompetes, & les autres Inſtrumens, qui accompagnoient le chant des pſeaumes.“ *Ioannes* etiam Filesac, Theologus *Pariſienſis*, *Melanges choiſies* lib. II. Tr. ſub titulo *Cantus Eccleſiæ* putat, muſicam organicam in uſu fuiſſe *Pariſiis* ſæc. VI. ſub Epiſcopatu S. Germani. Qui forte primus hoc ita expoſuit, poteſtque ex ſententia P. Lyron, ut diximus, ſtilo poetico ſumi de diſparis ætatis diſſimilibus vocibus.

b) „Pueri (inquit Cicero in Catilinam II.) tam delicati non ſolum amare & amari, neque cantare & pſallere, ſed etiam ſicas vibrare, & ſpargere venena didicerunt.“ Et Suetonius in Tito: „Ne muſicæ quidem rudis, ut qui cantaret, & pſalleret iucunde, ſcienterque.“ Gellius vero id adhuc diſtinctius hunc in modum expreſſit lib. XIX. c. 11. „Deſideravit exhiberi, quos habere eum ſciebat, ſcitiſſimos utriusque ſexus, qui canerent voce, & qui pſallerent.“ Addidit *voce canere* (quod canendi nomen etiam inſtrumentis commune eſſet) ut a pſallendo per inſtrumenta diſtingueret: unde & pſaltria eadem ac fidicina; ſecus ac uſu eccleſiaſtico, quo pſaltes idem ac cantor habetur.

Quales cantus, & voces veteres probarint.

V. Cautione opus tum fuerat ſumma, ne labes aliqua ex pravis gentilium conſuetudinibus ſacra ſua celebrandi, Chriſtianorum feſtis diebus, quos alias in lætitia tranſigere ratio poſtulabat, illaberetur. Quam in rem grave eſt monitum auctoris *Conſtitut. apoſtol.* (*L. V. c. 9.*) „ Siquidem (ait) neque in dominicis „ diebus, qui ſunt dies lætitiarum, permittimus vobis quicquam inhoneſtum „ aut loqui, aut agere; ait enim quodam in loco ſcriptura: *Servite Domi-* „ *no in timore, & exultate ei cum tremore.* Oportet igitur, ut exultatio- „ nes veſtræ cum metu, & tremore conjunctæ ſint: Chriſtianus enim, idem- „ que fidelis, neque ethnicam cantilenam, neque meretricium canticum „ eloqui debet; alioqui continget ei, ut in cantilena diabolica nomina ido- „ lorum memoret, & pro Spiritu Sancto in eum ſubeat dæmon.“ Univerſim ſibi cavendum ab omni harmonia, ac cantu molli, & effœminato exiſtimavit chriſtiana vetuſtas. (*L. II. Pædag. c. 4.*) „ Sunt enim (inquit CLEMENS *Alexandrinus*) ad- „ mittendæ modeſtæ & pudicæ harmoniæ: contra a forti & nervoſa noſtra „ cogitatione vere molles & enervæ harmoniæ amandandæ quam longiſſime, „ quæ improbo flexuum vocis artificio ad delicatam & ignavam vitæ agendæ „ rationem deducunt. Graves autem, & quæ ad temperantiam pertinent „ modulationes, ebrietati, ac proterviæ nuncium remittunt. *Chromaticæ* „ igitur harmoniæ, impudenti in vino proterviæ, floribusque redimitæ, & „ meretriciæ muſicæ ſunt relinquendæ.“ Loquitur de muſica domi etiam in conviviis adhibita, idemque libro ſexto *Stromatum* repetit: (*T. III. Bibl. PP. p. 183. B.*) „ Eſt autem ſu- „ pervacanea reſpuenda, quæ frangit animos, & varie afficit, ut quæ ſit ali- „ quando quidem lugubris, aliquando vero impudica & incitans ad libidi- „ nem, aliquando autem lymphata & inſana.“ Reſpicit ad varia antiquorum muſica genera, ac modos *diatonicum*, *chromaticum*, *enharmonicum*, de quibus nulla unquam in antiquioribus hac prima ætate auctoribus noſtris fit mentio, quando de eccleſiaſtica muſica, vel cantu agitur; etſi quasvis etiam incompoſitas voces, & clamores in Eccleſia, præſertim inter tremenda myſteria non ferendas probe norant, & ſtudioſe vitabant. „ Quando in unum „ (ait S. CYPRIANUS) (*De orat. Domin.*) cum fratribus convenimus, & ſacrificia divina cum DEI „ Sacerdote celebramus, verecundiæ & diſciplinæ memores eſſe debemus: „ non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem „ modeſte commendandam DEO, tumultuoſa loquacitate iactare: quia DEUS „ non vocis, ſed cordis auditor eſt, nec admonendus eſt clamoribus, ſed „ cogitationes hominum videt.“ Hoc *Laconice* S. BENEDICTUS in ſua regula bis expreſſit: (*Cap. XX.*) *Non in multiloquio*, inquit, *ſed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri ſciamus.* Et alibi: (*Cap. LII.*) *Si alter vult ſibi forte ſecretius orare, ſimpliciter intret & oret, non in clamoſa voce, ſed in lacrymis, & intentione cordis.* Abbas PAMBO cantus modulationem, ac in-

tenſum

tenſum clamorem officere compunctioni cordis vult, atque idcirco monachis interdictum, ut ex iis, quæ p. 207. recitavimus, verbis conſtat. Imprimis S. Chrysostomus multus eſt in hoc carpendo vitio, quod non potuit non eſſe frequens, quando promiſcua turba populi voces ſuas cantui iunxit, ut hæc haud dubie præcipua cauſa fuerit, cur, ſaltem ubi id numeroſior Clerus, cantorum ac muſicorum chorus ferebat, populus excluſus ſit a pſallendo, & cantu, etiam in ſacrificio, ubi alias maxime communia omnium ſunt vota, ſed eo maiori opus eſt reverentia, & religione, quo eſt ſanctius opus a). Alium paulo poſt eiusdem S. Doctoris afferemus a
locum ex Hom. I. in illud: *Vidi Dominum*, contra eos, qui incompoſitas voces emittunt, nihiloque melius ſe gerunt, quam lymphati toto corpore tumultuantes, ac circumacti, mimorum, ſaltatorumque more indecenter manus iactando, pedibusque ſubſultando: quæ primum audivimus S. Pambonem graviter inceſſiſſe, & paulo ante ex Theodoreto intelleximus, S. Athanasium in *Meletianis* damnaſſe, cum plauſu manuum, & ſaltatione quadam hymnos concinentibus. De turpi in feſtis ſaltatione paulo ante graviſſimas SS. Patrum attulimus ſententias. Extat contra eam rem Childeberti Regis conſtitutio, circa med. ſæc. VI. „Noctes pervigiles cum ebrietate, *T. V. Conc.*
„ſcurrilitate, vel canticis, etiam in ipſis ſacris diebus Paſcha, Natale Do- *Labb. p.* 811.
„mini, & reliquis feſtivitatibus, vel adveniente die dominica danſatrices per *&* 1852.
„villas ambulare.“ S. Augustinus ſermone in natali S. Cypriani M. idem inceſſit vitium, per totam noctem eam ſolemnem ſaltantium, ſed ut tamen emendatum ſit: „Num quidnam (inquit) in hoc loco, etſi pſalmus cantan- *Serm.* 311.
„dus eſt, ab aliquo ſaltandum eſt? Aliquando ante annos non valde multos *n.* 5.
„etiam iſtum locum invaſerat petulantia ſaltatorum. Iſtum tam ſanctum „locum, ubi iacet tam ſancti Martyris corpus, ſicut meminerunt multi qui „habent

a) „Non cogitas (inquit hom. I. in illud: *Vidi Dominum*, n. 2.) angelos huic ſtupendæ aſſiſtere menſæ, cumque reverentia hanc circumvallare? Verum tu iſta non cogitas, quoniam ea quæ in theatris audiuntur, quæque ſpectantur, mentem tuam obſcurarunt: & ideo quæ illic geruntur, in Eccleſiæ ritus inducis; ideo clamoribus nihil certe ſignificantibus animum incompoſitum evulgas. Quomodo ergo veniam poſtulabis tuorum delictorum? Quomodo ad miſericordiam Dominum inflectes, qui uſque adeo contemtim offeras precationem? *Miſerere mei Deus*, inquis, ac mores a miſericordia alienos declaras. Clamas *ſerva me*, & corporis ſpeciem a ſalute alienam exprimis: quid ad ſupplicandum conferunt manus, quæ ſemper in ſublime iactantur, & indecore circumaguntur? Quid clamor vehemens, qui cum violento ſpiritus impulſu ſtrepitum habet nihil certi declarantem? Annon iſta quidem partim mulierum in triviis meretriciam artem exercentium, partim vero eorum, qui in theatris vociferantur, ſunt opera? Quomodo igitur audes angelorum DEUM glorificantium hymnis dæmonum admiſcere ludicra? Quomodo autem non revereris hanc vocem, quam illuc profers *Servite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore.* Hoccine eſt cum tremore ſervire, ſic diffundi diſtendique, ut nec ipſe ſcias, quæ loquaris incompoſito vocis boatu? Iſtud vero contemtus eſt, non timoris, arrogantiæ, non humilitatis; iſtud ludentium eſt potius, quam divinas laudes celebrantium.“

„ habent ætatem; locum, inquam, tam ſanctum invaſerat peſtilentia & petulantia ſaltatorum. Per totam noctem cantabantur hic nefaria, & a cantantibus ſaltabatur.“ Non hoc utique in ipſis ſacris agebatur, ſed feſti ſacri occaſione, & veluti religionis prætextu. Unde proxime ante hæc verba id carpit, quod pronum eſt ex ſacris etiam cantibus oriri malum, ut

S. Aug. Serm. 311. *n.* 4. iis fideles nimium oblectentur. „ Quanto (inquit) magis delectat, tanto „ fortius ſtrangulat. Hæc dico: & laudatis, & clamatis, & amatis. Reſpondet tibi, non ego, ſed ſapientia: mores volo, non voces. Sapientiam „ lauda vivendo, non ſonando, ſed conſonando.“ Pene malum iſtud oblectationis eum permoverat, ut omnem Eccleſiæ cantum putaret abolen-

L. X. Confeſſ. c. 33. dum. „ Ita (inquit) fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum „ ſalubritatis; magisque adducor, non quidem irretractabilem ſententiam „ proferens, cantandi conſuetudinem approbari in Eccleſia; ut per oblectationem aurium infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. Tamen cum „ mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.“ Nimirum malum hoc facilius audientes occupat, quam cantantes; cantoribus vero imprimis cavenda eſt vanitas hæc, & perverſio recti in cantu eccleſiaſtico finis, dum venantur ludibria vanæ gloriolæ. „ Inſipienter (inquit auctor ſub nomine Rufini, in illud pſalmi XLVI. *Pſallite ſapienter* commentans) „ pſallunt, qui laudem humanam ex cantu quærunt, more fatuarum virginum.“ Locum vero D. Pauli ad *Epheſ. V.* verſans: *Audiant hæc*, inquit S. Hieronymus, *adoleſcentuli, audiant hi, quibus pſallendi in eccleſia officium eſt, DEO non voce, ſed corde cantandum: nec in tragœdorum modum guttur, & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in eccleſia theatrales modi audiantur, & cantica; ſed in timore, in opere, in ſcientia ſcripturarum. Quamvis ſit aliquis, ut illi ſolent appellare, κακόφωνος, ſi bona opera habuerit, dulcis apud DEUM cantor eſt.* Rem eandem carpit

De bono pſal. c. 3. Nicetius, & ſimul corrigendi modum oſtendit: „ Sonus etiam (inquit) „ vel melodia conſentiens ſanctæ religioni pſallatur, non quæ tragicas difficultates exclamet, ſed quæ in vocibus veram chriſtianitatem demonſtret; „ non quæ aliquid theatrale redoleat, ſed compunctionem peccatorum faciat. Sed & vox omnium veſtrum non diſſona debet eſſe, ſed conſona. „ Non unus inſipienter protrahat, aut unus humiliet, alter vocem extollat; ſed innitatur humiliter unusquisque vocem ſuam intra ſonum chori „ concinentis includere, non extrinſecus extollentes, aut protrahentes quaſi ad ſtultam oſtentationem indecenter efferre, neque hominibus placere „ velle. Totum enim tanquam in conſpectu DEI, non hominibus placendi ſtudio celebrare debemus.“ Eadem fere in regula Pauli & Stephani

apud

apud HOLSTENIUM caventur. Iterum vero audiendus eſt S. NICETIUS eodem libro *de Pſalmodiæ bono c.* 3. ita effatus inter alia: „Et nos utique omnes quaſi ex uno ore eundem pſalmorum ſonum, eandemque vocis modulationem æqualiter proferamus. Qui autem æquare ſe non poteſt cæteris, melius eſt ei tacere, aut lenta voce pſallere, quam clamoſa voce omnibus perſtrepere. Sic enim & miniſterii implebit officium, & humiliter pſallenti fraternitati non facit offendiculum. Si ergo & noſtra omnium vox fuerit inoffenſa vel conſona labiorum cymbalis bene ſonantibus, & nos delectabit, & audientes ædificabit, & DEO noſtro ſuavis erit tota laudatio.“ Gravis habetur canon *Trullanus*, qui omnia complectitur in cantu eccleſiaſtico vitanda: *Eos, qui in eccleſiis ad pſallendum accedunt, volumus, nec inordinatis vociferationibus uti, & naturam ad clamorem urgere: nec aliquid eorum, quæ eccleſiæ conveniunt, & apta non ſunt, adſciſcere: ſed cum magna attentione & compunctione pſalmodias DEO, qui eſt occultorum inſpector, offerre. Pios enim & ſanctos fore filios* ISRAEL *ſacrum docuit oraculum.* Quos hic notet canon, ZONARAS exſplicat, commentans in hunc canonem: „Quales ſunt infracti illi modorum ſoni, argutæque cantilationes, atque ad ſcenicos, meretriciosque ritus nimis evirata modulatio, quibus præcipue hoc tempore in templis canentium cura impenditur.“ Atque hoc eſt, quod ſemper magis magisque ingravatum eſt malum, univerſimque iam ſuo tempore de muſica BOETIUS eſt conqueſtus: *Amiſit muſica gravitatem & virtutis modum, ac pene in turpitudinem prolapſa minimum antiquam ſpeciem ſervat.* Sapientes quique agnoverunt, quantum muſica in vitam, animos, ac mores hominum valeat; quantum adeo curandum, ut vel maxime in ſacris rite ſervetur: *Aſſentior enim* PLATONI, ait CICERO, *nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi ſonos: quorum dici vix poteſt, quanta ſit vis in utramque partem.*

Holſtenii Cod. Regul. P. II. p. 78.

Can. 75.

L. I. c. 1.

L. II. de legibus.

VI. Hoc tanto magis ſtudioſe eſt attendendum ab homine chriſtiano. *Eſt ergo*, ait CLEMENS *Alexandrinus*, *attingenda muſica ad mores ornandos, & componendos.* Vetus ille locum hic meretur apologus, quem GREGORIUS *Nazianzenus* laudat: *Cigni*, inquit, *olim ac hirundines aiebant, ſi non multum, nec apud multos canimus, at illud certe in nobis pulcherrimum eſt, quod modum in canendo tenemus.* Ita fit, ut muſica ac cantus ſuum, ad quem eſt inſtitutus, ſortiatur finem, a quo nuſpiam minus, quam in Eccleſia deviare, vel ipſa flagitat religio, ob quem a DEO hæc nobis in ſuo ſervitio permittitur delectatio. „Etenim (inquit S. BASILIUS) ubi Spiritus Sanctus genus hominum perſpexit, ad excolendam virtutem adduci vix poſſe, & a nobis ob noſtram in voluptatem propenſionem viam rectam con-

Qualisque ſpectatus finis

L. IV. ſtrom.

Ep. I.

In Pſ. I. n. 1.

„ temni, quid agit? Dogmatis immiſcuit harmoniæ dulcedinem, ut rerum „ auditarum iucunditate ac dulcedine eloquiorum utilitatem neſcientes per- „ ciperemus: haud aliter atque ſapientes medici, qui nauſeantibus potionem „ amariorem daturi, ſæpius calicem melle circumliniunt.“ Hac ergo ſua- vitate utendum eſt, ut virtutis in nobis ardor incendatur, affectus in DEUM inflammetur, non ſuffocetur; reverentia divini officii attendenda eſt, idque agendum, quod agitur, ut commode S. CHRYSOSTOMUS monet, hortaturque fideles, ut in publico pſalmorum cantu non boatu aliquo perſtrepant, ſed moderarentur, componerentque vocem a). Iure merito S. AMBROSIUS in libro primo de Officiis pertractans, quæ potiſſimum ſacræ militiæ, DEIque ſervitio addictos ſpectant, primam hic verecundiæ diſciplinam expoſtulat, quæ habitum decentem, ac vocis modum requirit, muneri, & actioni convenientem, ad rite placandum, adorandumque Numen. *Denique*, inquit, *in ipſo canendi genere prima diſciplina verecundia eſt*, *imo etiam in omni uſu loquendi*, *ut ſenſim quis aut pſallere*, *aut canere*, *aut poſtremo loqui incipiat*, *ut verecunda principia commendent proceſſum.* Iſtud uſque ad invidiam adverſariorum ſchiſmaticorum, *Donatiſtarum* nimirum, obſervabat tempore S. AUGUSTINI florentiſſima tunc *Africana* eccleſia: „ Ita (in- „ quit S. AUGUSTINUS) ut *Donatiſtæ* nos reprehendant, quod ſobrie pſalli- „ mus in eccleſia divina cantica Prophetarum: cum ipſi ebrietates ſuas ad „ canticum pſalmorum humano ingenio compoſitorum, quaſi ad tubas ex- „ hortationis inflamment.“ Notat tamen etiam defectum quemdam in altera extrema parte: „ De hac re (inquit) tam utili ad movendum pie animum, „ & accendendum divinæ dilectionis affectum, varia conſuetudo eſt: & ple- „ raque in *Africa* eccleſiæ membra pigriora ſunt.“ Expertus fuerat ad finem vitæ adhuc gravius aliquid ex irruptione *Vandalorum* in *Africam*, quod teſte POSSIDIO in eius vita, eum vehementer afflixit. „ Cernebat etiam (in- „ quit) hymnos DEI & laudes de eccleſiis deperiiſſe.“ Ipſe vero ſæpe conteſtatur, quam commendatum habuerit, quantumve moveri ſe contigerit. „ Non cantu (inquit), ſed rebus quæ cantantur, cum liquida voce & con- „ venientiſſima modulatione cantantur, magnam inſtituti huius utilitatem rur- „ ſus

Cap. 18. — *Ep.* 55. *n.* 34. — *Ibid.* — *Cap.* 28. — *L. X. Confeſſ. n.* 50.

a) „ Quid autem eſt (ait hom. I. in illud: *Vidi Dominum*) quod quæritur, quodque a nobis repoſcitur? ut dum divinos hymnos emittimus, multo tremore contracti, multaque religione ornati, ita demum eos offeramus. Nam ſunt quidam inter eos, qui hic adſunt, quos ne veſtræ quidem caritati arbitror eſſe ignotos, qui contemnentes DEUM, ac Spiritus eloquia pro vulgaribus ac profanis ducentes, incompoſitas voces emittunt, nihiloque melius ſe gerunt, quam lymphati toto corpore tumultuantes ac circumacti, moresque præſeferentes a ſpirituali ſtatione alienos. Miſer & infelix! oportebat te cum tremore ac reverentia angelicam glorificationem emittere, eumque terrore confeſſionem reddere conditori, ac per hanc delictorum veniam poſtulare: tu vero mimorum & ſaltatorum mores huc inducis, dum indecenter manus iactas, pedibus ſubſultas, totoque circumageris corpore.“

„ ſus agnoſco a). Aliquando ei negotium fuit cum monachis, qui toti fere huic pio alioquin & ſancto pſallendi operi dare operam volebant. „ Quid „ enim agant (inquit de opere monachorum) qui operari corporaliter no- „ lunt, cui rei vacent, ſcire deſidero. Orationibus, inquiunt, & pſalmis, „ & lectioni, & verbo DEI. Sancta plane vita, & CHRISTI ſuavitate lau- „ dabilis: ſed ſi ab his avocandi non ſumus, nec manducandum eſt, nec „ ipſæ eſcæ quotidie præparandæ, ut poſſint apponi & aſſumi. Si autem ad „ iſta vacare ſervos DEI certis intervallis temporum ipſius infirmitatis neceſ- „ ſitas cogit, cur non & apoſtolicis præceptis obſervandis aliquas partes „ temporum deputamus? Citius enim exauditur una obedientis oratio, „ quam decem millia contemtoris. Cantica vero divina cantare etiam ma- „ nibus operantes facile poſſunt, & ipſum laborem tanquam divino celeu- „ mate conſolari.“ a

VII. Cantum, ac muſicam eccleſiaſticam recte ordinaſſe, laudi ſemper fuit datum, ac pietati adſcriptum. S. AMBROSIUS, cum id ſibi crimini daretur ab *Arianis*, neutiquam id a ſe amolitur, quod hymnis ſuis pópulum SS. Trinitatis docuerit fidem. Qui, cum eſſet nihil minus, quam delicatus, & remiſſioni favens, hoc tamen delectationis genus libenter fidelibus indulſit, & ordinavit. Idem de S. BASILIO dicendum. Hoſtes ſuos provocat viriliter, præter alia quædam religionis, & pietatis ſtudia magnis vociferationibus melodiæ modum, a conſuetudine alienum, quam apud ſe invaluiſſe dicebant, cavillantes. *Qui*, inquit, *etiamſi omnia menſium, quibus folia cadunt, ſomnia & viſa capitibus ſuis colligant, nullum nobis probrum poterunt inurere, cum plures ſint in unaquaque eccleſia, qui teſtimonium dent veritati. Quodſi cauſam rogentur implacabilis illius, & inexpiabilis belli, pſalmos dicunt, & melodiæ modum a conſuetudine, quæ apud nos invaluit, diverſum.* S. ATHANASIUS cantum quidem ac muſicam imprimis moderare ſtuduit, neutiquam vero abolere, quod non nemo, neſcio qua fronte, ſibi colligere viſus eſt ex libro decimo Confeſſionum S. AUGUSTINI: qui ipſe fatetur, ſe nonnunquam fallaciam ſenſuum, delectatione muſices ultra rationem facile abeuntium, immode-

Ab illis, qui cantum eccleſiaſticum promoverunt.

Epiſt. 207.

a) Et paulo ante L. X. Confeſs. n. 49. „Nunc in ſonis quos animant eloquia tua, cum ſuavi & artificioſa voce cantantur, fateor aliquantulum adquieſco, non quidem ut hæream, ſed ut ſurgam cum volo. Attamen cum ipſis ſententiis quibus vivunt, ut admittantur ad me quærunt in corde meo nonnullius dignitatis locum, & vix eis præbeo congruentem. Aliquando enim plus mihi videor honoris eis tribuere, quam decet, dum ipſis Sanctis dictis religioſius & ardentius ſentio moveri animos noſtros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam ſi non ita cantarentur; & omnes affectus ſpiritus noſtri pro ſui diverſitate habere proprios modos in voce atque cantu, quorum neſcio qua occulta familiaritate excitentur. Sed delectatio carnis meæ, cui mentem enervandam non oportet dari, ſæpe me fallit, dum rationem ſenſus non ita comitatur ut patienter ſit poſterior; ſed tantum quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur. Ita in his pecco non ſentiens, ſed poſtea ſentio.“

immoderatius caventem, errare nimia ſeveritate. „Aliquando autem (inquit) hanc ipſam fallaciam immoderatius cavens erro nimia ſeveritate: „ſed valde interdum, ut melos omne cantilenarum ſuavium, quibus *Davidicum* pſalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atque „ipſius eccleſiæ; tutiusque mihi videtur, quod de *Alexandrino* Epiſcopo ATHANASIO ſæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem pſalmi, ut pronuncianti vicinior eſſet, quam canenti." An S. AUGUSTINUS aliquam moderationem attulerit, quandoquidem *Donatiſtæ* cauſam reprehendendi *Africanos* ſumſerint, non conſtat. Potius ipſe S. AUGUSTINUS ingenio *Africanorum* pigriori id tribuit. Atque ex eodem colligere alibi licet, plus minusve ſibi in hac re indulſiſſe varias variarum gentium eccleſias. Videturque S. AMBROSIUS, etſi a S. AUGUSTINO ab orientali eccleſia morem mutuaſſe dicatur, amplius aliquid, quam S. ATHANASIUS, quoad vocum concentum, in eccleſiam *Mediolanenſem* induxiſſe, aliarum forte eccleſiarum orientalium, haud dubie *Antiochenæ*, quæ ad Orientem proprie dictum pertinet, ſecutus exempla. Neſcio autem, quibus ex monumentis antiquis collegerit BARONIUS, *Romanam* Eccleſiam mediam ſecutam viam, nec ſimplicitatem *Alexandrinam*, nec orientalis eccleſiæ ſuaviori concentu compoſitos numeros in omnibus amplexatam, ſic temperaſſe utrumque, ut miram quandam cum ſuavitate adiunxerit gravitatem. Niſi forte hoc coniiciat ex poſteriorum temporum cantu utriusque eccleſiæ, ſtudioque in hac re variorum ſummorum Pontificum, GELASII imprimis, & poſt eum S. GREGORII, aut quos alios non parvo numero laudat WALAFRIDUS, „quod (ait) plenarius officiorum ordo, qui nunc per „*Romanum* orbem ſervatur, poſt antiquitatem multis annis evolutam inſtitutus, & ad omnem eminentiam ſanctæ religionis eſt dilatatus. Creſcente enim fidelium numero, & hæreſum peſtilentia multiplicius pacem „maculante catholicam, neceſſe erat augeri cultum veræ obſervationis: ut „& clarior religio accedentium ad fidem animos invitaret, & auctior cultus veritatis conſtantiam Catholicorum adverſus inimicos oſtenderet. In „tantum denique vel cantilenæ, vel pſalmodiæ memoriter exercendæ „uſus erat rarus apud priores, ut de noviſſimis pœne *Romanorum* Præſulibus, & qui nec ducentis annis noſtra tempora præceſſerunt, quaſi memorabile quiddam & ſingulare ſcribatur, ſi qui in rebus prædictis eminentiores cæteris viderentur." Dicit hoc, quod antiquis temporibus cantandi ars, ac modi, non uti deinceps, regulis ac notis muſicis perfecti fuerint, vixque aliquo cantus diſcrimine conſtiterint ex ipſius ſententia: „Solebant „enim pſalmos, æque ut cæteras ſcripturas, partim etiam lectitando, ſuis officiis inſerere." Optandum eſſet, ut hæc monumentis idoneis aſſeruiſſet, pate-

L. X. Confeſſ. n. 50.

Ad an. 60. n. 32.

De reb. eccl. c. 25.

pateſceret inde, morem S. Athanasii in eccleſia *Romana* diu ſubſtitiſſe: cum nunc de plerisque principalioribus eccleſiis, *Alexandrina* in *Ægypto*, *Antiochena* in *Syria*, *Cæſareenſi* in *Cappadocia*, *Cpolitana* in *Epiro*, *Africanis Carthagine*, *Hippone*, & viciniori etiam *Romæ Mediolanenſi* in *Italia* plus nobis quoad cantus antiqui rationem conſtet, quam de principe eccleſia *Romana*.

VIII. Ex primariis autem eccleſiis in ſuburbicarias, ſuffraganeasque propagatum eſſe canendi modum, hasque illis ſeſe conformaſſe in hoc, ſicut in aliis diſciplinæ eccleſiaſticæ capitibus, eo minus dubium eſt, quo magis ſuapte allicit ſuavitas muſicæ, & cantus, atque inſignes illius effectus paſſim deprædicarunt ſcriptores veteres, tum ex ipſius cantus modulatione, adeo profunde in animum illabente, affectusque ciente; tum etiam ex pſalmorum, hymnorum, canticorumque ſpiritualium, præſertim divinitus in ſcripturis inſpiratorum natura & virtute mirabili, ad permovendas, eliquandasque mentes; quibus ſi melodia ipſa accedat, ſimulque rite concurrat, non poteſt non inſignis fructus & utilitas in fidelium cordibus ſperari: ut, quemadmodum corpore conſtamus & mente, ad interiores animæ receſſus melius penetret, quod per ſenſus adeo ſuaviter defert cantus modulatio. „Excitat enim animam (inquit vetuſtiſſimus auctor quæſtionum & reſponſionum „ad Orthodoxos) ad fervens deſiderium illius, quod in canticis celebratur: „ſedat exſurgentes ex carne vitioſos appetitus: malas cogitationes repellit, „quæ nobis iniiciuntur ab inviſibilibus hoſtibus: irrigat animam, ut ferax „ſit bonorum divinorum; fortes ac generoſos ad conſtantiam in rebus adverſis efficit athletas pietatis: omnium vitæ moleſtiarum medicina fit piis „hominibus. Vocat hoc Paulus *gladium ſpiritus*, quo adverſus inviſibiles „hoſtes armat milites pietatis. Verbum enim DEI eſt, quod & cogitatum, „& cantatum, & auditum vim habet pellendorum dæmonum, & quæ ad animam in virtutibus pietatis propriis perficiendam conducunt, ex canticis „eccleſiaſticis pii conſequuntur.“ Ita mentem affici ad pietatem, etiam per ſonum muſices, ac cantus, nec illi etiam, qui ex veteribus viſi ſunt apathiam quandam probare in perfecto Chriſtiano, omnibus rerum mundanarum, ac ſenſuum delectationibus nuntium remittente, inficiati ſunt, aut cantum damnarunt, quin contra commendarunt. Veluti celebris ille Evagrius *Ponticus*, qui etiam ultra modum apathiam illam affectaſſe viſus eſt, delectationem illam, quæ ex pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus percipitur, tantum abeſt, ut vitio verterit a), ut potius ad virtutem perficiendam, pravaque deſideria ſuffocanda idoneam cumprimis iudicarit. Atque in hoc diſcrimen poſuit mundanæ ſacræque muſicæ, quod, cum illa pravos, a

Probaruntque ob inſignes eius effectus.

Quæſt. 107. *Opp. S. Iuſtini p.* 486.

a) Vid. T. III. Monument. Cotel. p. 81. 82.

hæc pios excitet affectus, pravosque ſedet. Sic pariter S. Basilius: *Eſt* Hom. in Pſ. 125. *autem*, inquit, *divina & muſica harmonia*, *non quæ verba quædam complectitur, aures demulcentia*, *ſed coercentia, & mitigantia malignos ſpiritus, qui obnoxias iniuriis animas infeſtant.* Quæ idem eandem in ſententiam habet in pſalmum primum, ſeu potius præfatione in pſalmos, optime in ſua verſione Rufinus expreſſit de pſalmorum virtute, quatenus hac conſtant modulatione. „Veteribus namque animarum vulneribus novit mederi, ſed & „ recentibus velociſſimum ſcit adhibere remedium, atque intactis perſeverantiam ſalutis adhibere; ſed & univerſis pariter paſſionibus ſubvenire, quæ „ dominationibus variis humanas animas agunt. Et hoc ſub modulatione „ quadam, & delectabili canore humanum animum ad pudicitiam provocante. „ Quoniam quidem Spiritus Sanctus videns obluctantem, & reſiſtentem a virtutis „ via humani generis animum, & ad delectationes vitæ magis declinari, quam „ ad virtutis rectum iter erigi, delectabilibus modulis cantilenæ vim ſuæ do- „ ctrinæ permiſcuit, ut dum ſuavitate carminis mulcetur auditus, divini ſer- „ monis pariter utilitas inſeratur.“ Eadem iisdem propemodum verbis ſanctus Chrysostomus in pſalmum XLI. expreſſit, ut S. Basilium præ oculis habuiſſe videatur. Ex naturæ noſtræ propenſione ad delectationem ex cantus ſuavitate, licitam hanc voluptatem ex ſacris cantionibus hauriendam ſtatuit: variis etiam uſus ex communi vita allatis exemplis infantum, viatorum, agricolarum, nautarum a). a S. Ambrosius ab ovo rem repetens, argumen-

a) „Cum (inquit T. V. p. 131.) DEUS vidiſſet multos homines eſſe ſocordiores, nec ad legenda ſpiritualia libenter accedere, nec qui in eo capitur laborem tolerare, volens gratiorem laborem efficere, eiusque ſenſum præſcindere, admiſcuit prophetiæ melodiam, ut omnes cantici modulatione delectati, cum magna animi alacritate ſacros ei hymnos emittant. Nihil enim animam æque erigit, alatamque quodammodo efficit, atque a terra liberat, & exſolvit a vinculis corporis, amoreque ſapientiæ afficit, & ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, ut cantus modulationis, & divinum canticum numero compoſitum. Noſtra certe natura uſque adeo delectatur canticis & carminibus, ut vel infantes ab uberibus pendentes, ſi fleant & affligentur, ea ratione ſopiantur. Nutrices certe, quæ eos geſtant in ulnis, ſæpe abeuntes & redeuntes, & quædam puerilia eis carmina decantantes, ſupercilia eorum ita ſopiunt. Quocirca ſæpe quoque viatores meridie agentes iugalia animalia, hoc faciunt canentes, itineris moleſtiam illis canticis conſolantes. Nec ſolum viatores, ſed etiam agricolæ uvas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcunque aliud opus facientes, ſæpe cantant. Nautæ quoque remos impellentes hoc faciunt. Iam veró mulieres quoque texentes, & confuſa ſtamina radio diſcernentes, ſæpe quidem, & per ſe ſingulæ, ſæpe etiam omnes concorditer unam quandam melodiam concinunt. Hoc autem faciunt mulieres, viatores, agricolæ & nautæ, qui ex opere faciendo ſuſcipitur, laborem cantu conſolari volentes, utpote cum anima, ſi carmen & canticum audierit, moleſta & difficilia ſit facilius toleratura. Quoniam ergo hoc genus delectationis eſt noſtræ animæ valde innatum, ne dæmones laſciva & meretricia cantica introducentes omnia everterent, pſalmos DEUS oppoſuit, ut ex ea re ſimul caperetur voluptas & utilitas. Ex externis enim canticis damnum, & exitium, & multa gravia invehuntur; nam, cum quæ ſunt in his canticis laſciviora & iniquiora partibus animæ inſederint, eam imbecilliorem reddunt & molliorem: ex pſalmis autem ſpiritualibus lucri quidem pluri-

mento in lib. pſalmorum finem, & inſtitutum canendi, præſertim in divina pſalmodia proſequitur a). S. Chrysostomus hom. in illud: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Exemplo S. Pauli & Silæ in carcere media nocte hymnos canentium miram, ac ſingularem ſacrorum hymnorum deprædicat vim b). Petrus *Chryſologus* in Pſalmos, Chrysostomum imitatus, cum eadem pene ex communi vita attuliſſet exempla, quæ paulo ante memoravimus, demum Davidem ipſum pulchre inducit: David, *qui dum fiſtula pecus carum* a b *Serm. X. in Pſ. 38.*

mum, maxima autem utilitas inſignisque ſanctificatio, & omnis philoſophiæ occaſio proceſſerit, cum & verba animam expient, & Spiritus ſanctus in canentis animam celeriter advolet.“

a) Laudant (inquit) Angeli Dominum, pſallunt ei Poteſtates cœlorum, & ante ipſum initium mundi Cherubim & Seraphim cum ſuavitate canoræ vocis ſuæ dicunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Innumera Angelorum millia aſſiſtunt, ſeniores & turba magna ſicut voces aquarum multarum concinunt: *Alleluia.* Ipſum axem cœli fert quorumdam ſermo, quadam perpetui concentus ſuavitate verſari: ut ſi aſſuetudo permitteret, ſonus eius extremis terrarum partibus audiretur. Nec id ab ipſius naturæ uſu alienum videtur: quandoquidem vox emiſſa gratiore plauſu in montibus reſultet, & ſuaviore ſono ipſi reddant, quod acceperint. In ſcopulis quoque ipſis & lapidibus reperit natura quod delectaret. Aliorum ſpecula, aliorum uſus delectat aut gratia. Feræ ipſæ atque aves loci amœnioris aut modulatioris vocis delectatione mulcentur. Lactantibus quoque parvulis aut ſeveritas terrori eſt, aut blanditiæ voluptati. Naturalis igitur delectatio eſt. Unde & David ſanctus, qui adverterat unde homo, & qua eſſet fraude deiectus (nam ſi tenuiſſet infuſam ſibi a Domino æternæ illius cœleſtisque delectationis gratiam, nec ſecularibus captus amiſiſſet illecebris, nunquam tam miſerabilis ærumnæ ſubiiſſet iniurias) reparare eam ſtudens ac reformare, pſallendi munus cœleſtis nobis inſtar converſationis inſtituit. Etenim licet omnis ſcriptura divina DEI gratiam ſpiret, præcipue tamen dulcis pſalmorum liber: quandoquidem ipſe Moyses, qui plano geſta maiorum ſermone deſcripſit, ubi tamen per mare rubrum populum patrum memorabili admiratione transduxit, demerſum aſpiciens regem Pharaonem cum ſuis copiis in maiora ingenium attollens ſuum, quia maiora viribus ſuis fuerat aſſecutus, canticum Domino cecinit triumphale. Maria quoque tympanum ſumens, cæteras hortabatur, dicens: *Cantemus Domino: glorioſe enim honorificatus eſt: equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Ipſe etiam Moyses cum legem Domini legiſſet, quo eius memoriam pectoribus affigeret audientium, per canticum locutus eſt, dicens: *Audi cœlum, & loquar: Expectetur ſicut pluvia eloquium meum: & deſcendant ſicut ros verba mea, ſicut imber ſuper gramen, ſicut nix ſuper fœnum.* Delectatur igitur cantico DEUS non ſolum laudari, ſed etiam reconciliari. Inde & Moyses tunc maxime cantico uſus eſt, quando cœlum teſtificabatur & terram, ut ſalutem ſuam cœleſtis ſono gratiæ concinentem avidius mundus audiret, & ſacræ ſuavitate dulcedinis in æternum legis obſervantiam mentibus inoleret humanis. Denique legis tabulæ priusquam cantico firmarentur, per indignationem Moysi fractæ & comminutæ ſunt. Ubi vero tali ſignaculo conſecratæ ſunt, humana locum ira non habuit, quia ſanctificatio eam ſacræ ſuavitatis excluſit.“

b) „Vide namque (ait T. III. p. 153. 154.) celerem & efficacem hymnorum vim, & quo pacto cum in carcere verſarentur, & alligati ligno eſſent, atque impoſtoribus & captivis admixti, non modo nihil paſſi ſunt detrimenti, ſed & hac ratione ſplendidiores evaſerint, & omnes, qui carcerem incolebant, virtutis ſuæ radiis colluſtrarint. Quippe illa ſacrorum vox hymnorum cum in animam uniuscuiusque captivorum penetraſſet, transmutavit illam propemodum, ac reformavit: *Subito enim*, inquit, *terræ motus factus eſt magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris, & ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & univerſorum vincula ſoluta ſunt.* Vides hymnorum, qui DEO canuntur, virtutem? Non illi modo, qui obtulerunt hymnos, ſolatium perceperunt, ſed etiam effecerunt, ut omnium vincula ſolverentur: ut factis ipſis innoteſceret, quo pacto DEUM diligentibus omnia cooperentur in bonum.“

carum mulcet & oblectat in paſcuis, cantu dura didicit ſuperare bellorum: cantu meruit ductare populos ad ſalutem, cantu valuit vocare gentes, reducere Iudæos, fugare dæmones, DEI filios ad ſuperni Patris obſequium convocare: ſicut bene invitans cernit melodia. S. AUGUSTINUS luculentus eſt nobis de ſe ipſo teſtis, quantum adhuc catechumenus *rudis in amore germano tuo,* ſic DEUM alloquitur, *caperetur cum vel legeret in villa cum catechumeno* ALYPIO *feriatus pſalmos* DAVID, *cantica fidelia, & ſonos pietatis, excludentes turgidum ſpiritum.* Quantum deinde baptizatus fleverit *in hymnis & canticis tuis*, iterum affatur DEUM, *ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter: voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & exæſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Idque initio mox converſionis ſuæ ſenſerat, ita ſubito commutatus, & delinitus, ut alibi reminiſcitur: *Verumtamen*, inquit, *cum reminiſcor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ.* Agnoſcit omnes affectus ſpiritus noſtri pro ſui diverſitate habere proprios modos in voce, atque cantu, quorum neſcio qua occulta familiaritate excitentur. Prodit etiam, non parum, ad maturandam converſionem, piis ex pſalmis conceptis motibus, ſe eſſe extimulatum. Non abs re erit hic afferre ex eodem S. Doctore, dum IULIANUM *Pelagianum* inceſſit, quædam de virtute muſices, per PYTHAGORAM præſtita, ex CICERONE proſequentem. *Debuiſti ſane*, inquit, *homo eccleſiaſticus eccleſiaſtica muſica potius, quam Pythagorica commoveri, quid Davidica cithara egerit in* SAULE, *quando malo ſpiritu vexabatur, & tangente citharam ſancto ab illa moleſtia reſpirabat.* Et quis dubitet cantum, veluti in SAULE malignum ſpiritum, dura etiam peccatorum emollire pectora, & ad ſalutarem pœnitentiam conterere. „ Nec peccatores deſpicit (inquit NICETIUS) ſed remedium eis per pœnitentiam lacrymoſam ingerit. Dominus itaque DEUS noſter per DAVID ſervum ſuum confecit potionem, quæ „ dulcis eſſet guſtu per cantationem, & efficax ad curanda vulnera peccatorum per ſuam virtutem. Suaviter enim pſalmus auditur, dum canitur, „ penetrat animum, cum delectat.“ Quoad eos vero, qui ad DEUM converſi, ei ſeſe totos conſecrarunt, tunc, præſertim in ſolitudine, hæc una ſemper fuit voluptas ac delectatio, quæ, quo magis rite frequentatur, ipſa ſua aſſiduitate gratiam orationis & pſalmodiæ comparat, ut S. NILUS expertus, bene in tractatu pulcherrimo de Oratione expendit. Ac CASSIODORUS, qui utrumque ſtatum in mundo & religione ſecutus fuit, præfatione in pſalmos, quantum, diu noctuque dum teruntur, afficiant, nobis declarat. *Pſalmi ſunt denique*, inquit, *qui nobis gratas eſſe faciunt vigilias:*

quando

L. IX. Confeſſ. n. 8.

Ibid. n. 14.

L. X. n. 50.

Ib. n. 49.

L. IX. c. 6. 7.

L. V. n. 23.

De bono pſal. c. 1.

quando ſilenti nocte pſallentibus choris humana vox erumpit in muſicam, verbisque arte modulatis ad illum redire facit, a quo pro ſalute humani generis divinum venit eloquium. Cantus qui aures oblectat, & animas inſtruit; fit vox una pſallentium, & cum angelis Dei, quos audire non poſſumus, laudum verba miſcemus. De muſices virtute univerſim inſignis eius habetur epiſtola nomine THEODORICI Regis ad BOETIUM Patricium ſcripta, quomodo, quoties ad aures noſtras diſciplinæ ſuæ lege pervenerit, imperet cantum, mutet animos artifex auditus, & operoſa delectatio, ut ibi loquitur, iterum divinam celebrans pſalmodiam: *Loquamur*, inquit, *de illo lapſo e cœlo pſalterio, quod vir toto orbe cantabilis ita modulatum pro animæ ſoſpitate compoſuit, ut his hymnis & mentis vulnera ſanarentur, & Divinitatis ſingularis gratia acquiratur.* Etiam *Ioannes* CLIMACUS in ſua Scala gradu 15. muſicam ponit: *Qui DEUM diligunt*, ait, *ad hilaritatem & divinam dilectionem, atque ad lacrimas, & ex mundanis, & ex ſpiritualibus canticis, ac melodiis excitari ſolent.* *L. II. epiſt. 40.*

IX. Prava & infructuoſa foret iſta ex cantu & muſica concepta delectatio, ſi ſenſus tantum demulcens hæreret, nec ulterius tendens animum penetraret, piis motibus imbuendo & affectionibus in DEUM: ut idem ſit muſices finis ac orationis, artificioſe ad movendum animum rite compoſitæ. *Ergo ſcientiam modulandi*, inquit S. AUGUSTINUS, *iam probabile eſt, eſſe ſcientiam bene movendi.* Quod univerſim de muſica dictum, certum, & aſſertum de ſacra muſica haberi debet, ut affectum noſtrum in DEUM commoveat, & prodat. Id eſt, quod idem S. Doctor alibi dicit: *cantare & pſallere negotium eſſe amantium.* Quia nimirum, dum voces noſtras extollimus, cantu DEUM laudando, iam mentis noſtræ affectum ſignificamus, ex divinis perfectionibus voluptatem & gaudium tota animi & vocis contentione expromendo, minime in delectatione, quæ ex melodia percipitur, conquieſcendo, dum tamen ipſe cantus ac melodia ita movet, ac erigit mentem. *Nibil*, inquit S. CHRYSOSTOMUS, *animam æque erigit, & alatam quodammodo efficit, & a terra liberat, & exſolvit a vinculis corporis, & amore ſapientiæ afficit, & ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, ut verſus modulatus, & divinum canticum numero compoſitum.* ὡς μέλος συμφωνίας, καὶ ῥυθμῷ συγκείμενον θεῖον ᾆσμα. Inſigniter hanc materiam S. ATHANASIUS in ſæpe laudata ad MARCELLINUM epiſtola pertractat de pſalmorum præſtantia, quid cauſæ ſit, quod eiusmodi ſermones cum modulatione, & odis pſallantur a). Deinceps eodem plane modo, ac paulo ante ex

Ad movendum pie affectum animi.

L. I. de Muſica.

Serm. 33.

Hom. in Pſ. 41.

Num. 27.

a) „ Quidam enim (reſpondet) inter nos ſimpliciores, tametſi credunt verba eſſe divinitus inſpirata, arbitrantur tamen ob ſoni ſuavitatem, voluptatemque aurium, pſalmos cani. At ne-

ex S. Augustino retulimus, eos a culpa minime excuſat, qui in cantu vel pſalmodia oblectationem præciſe conſectantur. „Qui igitur (inquit) hoc „modo divina cantica non legunt, non prudenter pſallunt, ſed ſeſe oble- „ctant, culpandi ſane, quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Qui „autem prædicto modo pſallunt, ita ut verborum modulatio ex animæ nu- „meris, & ex conſonantia cum Spiritu proferatur; hi lingua quidem pſal- „lunt, & cum in mente pſallant, non ſibi ſolum, ſed etiam audire ſe „volentibus magnæ ſunt utilitati. Beatus igitur David, cum eo modo Sau- „li pſalleret, non ſolum DEO placebat, ſed & perturbationem & furo- „ris morbum ex Saule abigebat, parabatque illius animæ tranquillitatem. „Ita quoque Sacerdotes, dum pſallerent, populorum animos ad tranquil- „litatem advocabant, & ad concordiam cum iis, qui in cœlis choreas agunt.“ Quod itaque cum modulatione pſalmi dicantur, id non fit ex ſuavis concentus ſtudio, ſed ſignum eſt harmoniæ cogitationum animæ. Sequitur hinc, cum intelligentia & attentione mentis eſſe canendum, atque huc interpre-

Eph. V. 18. tantur ſancti Patres illud Pauli: *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Sic cantet*, ſcribit S. Hieronymus in eum locum, *ſervus Chriſti, ut non vox canentis, ſed verba placeant, quæ leguntur; ut ſpiritus malus, qui erat in* Saule, *eiiciatur ab his, qui ſimiliter ab eo poſſidentur, & non introducatur in eos, qui de DEI domo ſcenam fecere populorum.* Vides quantum piaculum ſit, ſi canendo in id non intenditur, quod agitur, nec pſallimus iuxta Apoſtolum in cordibus noſtris. *Quid eſt in cordibus veſtris?*

In Pſ. 41. n. 1. ait S. Chrysostomus: *Cum intelligentia inquit. Ut non os quidem, inquit, verba loquatur, mens autem extra verſetur undique vagans: ſed ut lingua ab anima audiatur.* Nimirum ut cantus mulcedo afficiat animum, atque in id, quod canendo depromitur, intentionem affectionemque mentis flectat. Iidem etiam SS. Patres huc illud pſalmi ſumunt, *Pſallite ſapienter*, & alia

In Reg. brev. tract. interr. CCLXXIX. T. II. N. E. p. 513. huiusmodi ſæpe in pſalmis occurrentia. S. Basilius ad interrogationem, quid ſignificet illud, *pſallite intelligenter?* „Quod eſt (reſpondet) in cibis „ſenſus qualitatis cibi cuiusque, hoc in verbis ſacræ ſcripturæ eſt intelli- „gentia. *Nam*, inquit, *fauces cibos deguſtant; mens vero verba diiudicat.*

Iob XII. 11. apud LXX.

„Si

quaquam ita ſe res habet, non enim voluptatem, aut eloquentiam affectavit ſcriptura: ſed id quoque ad animæ utilitatem conſtitutum eſt omnibus; maxime duabus de cauſis, primo quia decuit divinam ſcripturam non obiter, ſed fuſius DEUM hymnis celebrare. Continua igitur oratione dicuntur legis & Prophetarum verba, nec non hiſtoriæ omnes cum novo Teſtamento: fuſius autem efferuntur pſalmorum, odarum & canticorum ſcripta: atque eo modo obſervabitur, ut totis viribus, & tota poteſtate DEUM diligant. Secundo quemadmodum harmonia tibias apte componens unum concentum efficit; ita cum in anima varii ſint motus, inſitque vis cogitandi, concupiſcendi, iraſcendi, ex quorum permotione membrorum corporis operatio exoritur; ratio poſtulat, hominem ſecum non diſſentire, nec a ſemetipſo diſſidere; ita ut optima quidem cogitet, peſſima vero faciat &c.“

„ Si quis igitur animo ita afficitur per vim & efficaciam uniuſcuiuſque verbi, velut afficitur guſtu per qualitatem cibi cuiuſque, is confecit mandatum illud pſallite intelligenter. “ Et in admonitione ad filium ſpiritualem. „In tempore pſalmodiæ ſapienter pſalle fili, & ſpirituales cantus vigilanter cane coram Domino, ut virtutem pſalmorum facilius poſſis acquirere, omniſque duritia cordis eorum dulcedine molliatur; tunc dulces habens fauces, gaudenſque cantabis: *quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, ſuper mel & favum ori meo.* Sed non poteris ſentire hanc dulcedinem, niſi cum ſumma vigilantia ac ſapientia cantaveris. *Fauces enim,* inquit, *eſcam guſtabunt, ſenſus autem verba diſcernit.* Sicut enim ex carnalibus eſcis alitur caro; ita ex divinis eloquiis interior homo paſcitur ac nutritur. “ Et quia pſalmi ſimul ſalutarem continent doctrinam, ac dogmata pietatis, id potiſſimum agendum, ut quod pſalmi continent, id etiam mens teneat & affectus, opuſque conſpiret ipſum, quod egregie S. CÆSARIUS ediſſerit, atque DIONYSIUS *Areop.* quomodo recte mentes ad ſacra obeunda cantu diſponantur, declarat a).

T. II. N. E. p. 710.

De cœl. hier. ed. Antw. Corderii p. 288.

a

X. Non igitur in cantu attenditur, quid lingua proferat, aut os clamet, ſed quod intus in mente teneatur; nec clamor vocis, ſed cordis intentio exauditur a DEO, qui eſt ſcrutator cordium. „Quia DEUS (inquit S. CYPRIANUS) non vocis, ſed cordis auditor eſt. Nec admonendus eſt

Ut mens aliena non ſit ab eo, quod canitur.

De orat. Dom. p. 415. *N.E.*

„ clamo-

a) „ Ubi ergo illa (inquit) quæ res quaſque ſacras complectitur, hymnorum modulatio animæ noſtræ affectiones, & ea ſacra, quæ paulo poſt celebranda ſunt, rite diſpoſuit, divinorumque carminum concentu cum ad res divinas, tum ad ſemetipſas, mutuamque conſenſionem, ceu unica concordique chorea ſacrorum coaptavit &c.“ S. CÆSARIUS Serm. 284. „ Quando quis veſtrum (inquit) pſallit verſiculum pſalmi, ubi ait, *Confundantur ſuperbi, quia iniuſte iniquitatem fecerunt in me*, conetur ſuperbiam fugere, ut æternam confuſionem mereatur evadere. Quando pſallimus: *Perdes omnes, qui fornicantur abs te;* omnes malas concupiſcentias ſtudeamus evadere. Quando pſallimus, quod *beatus eſt vir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte;* ſuperfluas occupationes, & mordaces iocos, otioſos, luxorioſoſque ſermones quaſi venenum diaboli reſpuamus, & lectionem divinam aut ipſi frequentius relegamus, aut ſi nos ipſi legere non poſſumus, illos, qui legunt libenter, & frequenter audire ſtudeamus. Quotiens pſallimus: *Si reddidi retribuentibus mihi mala &c.* ne ipſi contra nos tam duram maledictionem proferre videamur, nulli unquam hominum malum pro malo reddamus; ut eum ſecura conſcientia poſſimus dicere, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et quia longum eſt omnia replicare, quæ de iſtis tribus aut quatuor peccatis, id eſt, ſuperbia, fornicatione vel odio diximus, hoc de reliquis omnibus vitiis ſentiamus. Et quotienscunque in pſalmis peccatores maledicuntur, ſtudeamus peccatum fugere; ne ipſi nos videamur ore proprio maledicere. Quotiens in pſalmis iuſti, miſericordes, ſobrii, caſti vel humiles collaudantur, tales eſſe eum DEI adiutorio laboremus; ut benedictio, quæ ad illos dirigitur, etiam ad nos divino munere proferatur. Iterum atque iterum rogo, atque ſupplico, ut quotienscunque pſallitis, quid in ipſis pſalmis intrinſecus intelligi vel obſervari debeat, attentius cogitetis, ut dum lingua veſtra Dominum laudat, ad animam veſtram benedictio divina perveniat: præſtante Domino noſtro IESU CHRISTO, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.“

„ clamoribus, qui cogitationes hominum videt, probante Domino & dicente: „ *Quid cogitatis nequam in cordibus veſtris.* Et alio loco: *& ſcient omnes* „ *eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutator renis & cordis.* Pſalmus ſonet. Convivium „ ſobrium ſit nobis ſpiritualis auditio, prolectet aures religioſa mulcedo. “ Nec eam hic præterierim, paſſim deinceps a SS. Patribus inculcatam eiusdem
p. 425. S. Martyris præclare dictam ſententiam eodem ſermone. „ Claudatur (inquit) „ contra adverſarium pectus, & ſoli DEO pateat, nec ad ſe hoſtem DEI „ tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter & penetrat, „ & ſubtiliter fallens preces noſtras a DEO avocat, ut aliud habeamus in „ corde, & aliud in voce quando intentione ſincera Dominum debeat non „ vocis ſonus, ſed animus & ſenſus orare. Quæ autem ſegnitia eſt alie- „ nari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cum Dominum depreca- „ ris quaſi ſit aliud quod magis debeas cogitare, quam quod cum DEO „ loqueris. Quomodo te audiri a DEO poſtulas, cum te ipſe non au- „ dias? Vis eſſe DEUM memorem tui, cum rogas, quando tu ipſe tui me- „ mor non ſis. “ Inter cantandum pronum eſt hoc, quando voci, & cantui intentio, non verbis cœleſtibus, aut DEO affigitur, quod pari ratione brevi ſententia S. Chrysostomus damnat in pſalm. CXLV. *Cum inter orandum non audieris verba DEI, quomodo DEUS exaudiet vocem tuam?* Imprimis S. Chrysostomus in hac re facundus eſt, DEUM nobis proponens, qui ſcrutator eſt cordium, & quod intus agitur proſpicit, quem ſatis non
N. 3. eſt ore celebrare, „ Niſi etiam (inquit in pſalmum XLI.) eum mens intus „ reſonet. Non enim hominibus canimus, ſed DEO, qui poteſt vel corda „ audire, & in mentis noſtræ arcana ingredi. Hoc quoque Paulus oſtendens vociferatur dicens: *Ipſe Spiritus interpellat pro nobis genitibus in-* „ *enarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit, quid deſideret Spiritus.* „ Hoc autem dicebat, non quod Spiritus gemeret, ſed quod viri ſpiritua- „ les, qui habent dona Spiritus, pro propinquis orantes, & ſupplicatio- „ nes offerentes, hoc facerent cum compunctione & gemitibus. Hoc nos „ quoque faciamus, & quotidie DEUM interpellemus per pſalmos & ora-
Cap. 20. „ tiones. “ Quod S. Benedictus „ non in clamoſa voce, aut in multiloquio, ſed in puritate cordis, & compunctione lacrimarum exaudiri nos ſcire vult, “
In Pſ. 140. *n.* 1. id pulchre S. Chrysostomus in illud Pſalmi: *Domine clamavi ad te, exaudi me,* exponit a), atque nos cantare, & pſallere in cordibus noſtris

 iubet

a) „ Quid quæſo (inquit) dicis? Quoniam clamaſti, vis exaudiri, & eam affers iuſtam cauſam, cur exaudiaris? Iis ergo, qui magna & vehementi voce intenſaque præditi ſunt, opus eſt? Sed hoc fuerit a ratione alienum. Quid enim peccavit, qui eſt parva & exili voce, tardæque & impeditioris linguæ? Nonne talis erat Moses, & plus quam omnes exaudiebatur? Nonne *Iudæi* clamabant plus quam omnes, ſed DEUS eorum precibus non annuit? Magna enim vel exili voce eſſe præditum, ſunt naturæ commoda & incommoda. Ea autem non

iubet ex D. Paulo in pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus, non ut inanima inſtrumenta, aut ſolo vocis garritu veluti aviculæ, ſed ut homines decet intellectu præditos, & voluntate, cum intelligentia, & pio voluntatis motu, veluti in Angelorum choro, ac cœleſtium mentium, DEUM non ſono vocis, ſed perenni laude celebrantes, ac digna afficientes gloria. S. Ambrosius illud D. Pauli *Epheſ.* V. 18. *Sed impleamini Spiritu S. &c.* eundem in modum eſt interpretatus a). Quod veteres dicebant intus canere, dum a
ſola ſiniſtra fides carpebant, ita ut ſonus tantum ad proximos perveniebat, id S. Ambrosius huc trahit, *Aſpendium* etiam citharistam adducens, qui in eo *In Pſ. I.*
genere excelluit. „Aiunt etiam (inquit) eorum, qui cithara canunt, pe- *Præf. n.* 12.
„ritiores intus canere, ut ferunt fabulæ de *Aſpendio* citharista: cauſſas quo„que modulaminum & quædam clauſtra rhythmorum in ſuperiore parte eſſe „pſalterii. Docuit ergo David intus nos canere oportere, intus pſallere „(quemadmodum canebat & Paulus dicens: *Orabo ſpiritu, orabo & „mente. Pſallam ſpiritu, pſallam & mente*) & ad ſuperiorum intuitum „vitam noſtram actusque formare, ne delectatio dulcedinis excitet corpo„ris paſſiones, quibus non redimitur noſtra anima, ſed gravatur b).“ b
S. Augustinus ſerm. de quadam pſallendi conſuetudine in feſto Epiphaniæ, idem proſequitur c). Aliquid etiam indulget aurium oblectationi, ſed quam c
cir-

faciunt, ut vel audiamur, ut quæ nec digna ſint, quæ vel laudentur vel vituperentur.“ At verum deinde illius verſiculi intellectum explicans num. 1. & 2. „Clamorem (inquit) hic dicit internum, quem cor inflammatum peperit, & contritus animus, quo cum clamaret Moses, exaudiebatur. Quemadmodum enim, qui clamat, vires ſuas exhaurit, ita etiam qui corde clamat, totam mentem ſuam convertit. Talem ergo clamorem DEUS requirit, qui convertat, non qui ſinat oſcitare, nec canentem alio divertere. Non ſolum autem quærit talem clamorem, ſed etiam ut ipſe oretur. Sunt enim multi, qui ſtant quidem, ad DEUM autem non clamant, ſed labia ad DEUM clamant, & nomen DEI circumferunt; at mens nihil ſentit eorum, quæ dicuntur. Qui ita ſe gerit, non clamat, etſi maxime vociferetur.“

a) „Rationabilem (inquit) vitam diligit Spiritus Sanctus: quia ſi bene vixerimus, implebimur eo, ut memorat ad confitendum & extollendum DEI donum diverſo vocis canore, ut laus in DEUM omni lingua canatur. In quo enim eſt Spiritus, ſemper ſpiritalia meditatur, ut non in labiis tantum ſit, ſed de corde prorumpat, propter vetus dictum Domini per Prophetam. Ait enim, *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.*“

b) Verba illa *cauſſas quoque modulaminum &c.* a *San-Maurenſibus* editoribus gemina ſunt notata illis *Baſilianis*: Τὸ ψαλτήριον δὲ τȣ̃το τῶν ἁρμονικῶν ῥυθμῶν ἄνωθεν ἔχει τὰς ἀφορμὰς, ἵνα ϗ ἡμεῖς τὰ ἀνωζητεῖν μελετῶμεν, ϗ μὴ τῇ ἡδονῇ τȣ̃ μέλȣς ἐπὶ τὰ τῆς σαρκὸς πάθη καταφερόμεθα. Quas S. Basilius ἀφορμὰς, S. Ambrosius *cauſſas modulaminum* appellat, id in ſuperiore parte pſalterii intelligendum eſt, ex quo τὸ ἠχῶδες, ſeu *ſonorum* editur, ut innuant, ſurſum erigendam eſſe mentem, non quod ſenſus demulcet, in ſonis attendendum.

c) „Vos vero fratres non ſolum ſuavitas vocis, ſed etiam ſenſus ipſius lectionis teneat occupatos, ut quomodo ſonus vocis delectat in auribus, ſic virtus ipſius lectionis dulceſcat in

circumſpecte iam ex libris confeſſionum intelleximus, quam ſibi in iſto lenocinio ſenſus a peccato timuerit. Legendus idem eſt in pſalm. CII. quomodo non magis ore, quam mente canere, DEUMque religioſo carmine diligenter concelebrare debeamus. Huc idem S. Augustinus illud pſalmi interpretatur: *Te decet hymnus DEUS in Sion* a). Multis autem modis, quemadmodum oratio, ita etiam cantus orationis locum habens, in eccleſia fit in peccatum, inde præſertim, ſi mens aut ſoli ſono intenta, aut diſtracta divagatur, nec ad id, quod canitur, attendit. „Dum pſallitur (monet in „regula ſua S. Aurelianus) ſtudeant ſanctæ animæ veſtræ non vagari animo; verum etiam nec operari aut loqui præſumant. Sed pſallite ſapienter: ſicut dixit Propheta: *Pſallam & intelligam.* Et illud: *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Metuentes illud: *Maledictus homo, qui facit opus „Domini negligenter.*" Multis nos ſcriptura id monet, quia hic pluribus etiam evagationibus diſtractionibusque proclive eſt ſuccumbere, quam in ordinaria oratione; cum tamen eadem utrinque attentio, ac mentis devotio in DEUM requiratur: cavendumque eſt, ne aliquid hic intromittatur, aut intercedat, quod opus DEI, Maieſtatemque divinam dedeceat, ſive in eo, quod canitur, ſive in cantu ac muſica ipſa, ſive in canente, quando in id, quod agit, non eſt intentus. „Tantum chariſſimi (monet Nicetius) intermittentes fabulas ſuperfluas, intento ſenſu & vigilanti mente pſallamus, ut DEO non diſpliceamus. Sic enim nos hortatur pſalmus dicens: „*Quoniam rex omnis terræ DEUS, pſallite ſapienter*, id eſt intelligenter: „ut non ſolum ſpiritu, hoc eſt, ſono vocis, ſed & mente pſallamus, & „ipſum quod pſallimus, cogitemus, ne captivata mens fabulis & extraneis cordibus; ſecundum illud quod ſcriptum eſt: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine.* Et iterum: *Eloquia Domini deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & favum.* Qui enim, quando pſallit, ſuavitatem tantummodo vocis, & compoſitionem cuiusque ſoni attendit, & quid in ipſis verbis intelligi debeat non attendit; aures eius accipiunt tranſitorium cibum, ſed ad animam eius non pervenit DEI verbum."

In Pſ. 64. n. 3. a — *Num. 31.* — *De pſalmodiæ bono c. 2.*

a) „Sed ubi? *In Sion*, inquit, in *Babylone* non decet. Etenim quiſque cum cœperit innovari, iam corde in *Ieruſalem* cantat, dicente Apoſtolo: *Converſatio noſtra in cœlis eſt. In carne enim ambulantes*, inquit, *non ſecundum carnem militamus.* . . Qui ergo ſecundum hanc ſpem cantat, ibi cantat: ergo dicat, *Te decet hymnus, Deus, in Sion. In Sion*, non in *Babylone.* Sed modo ibi es adhuc in *Babylone? Ibi*, inquit, *ſum, amator iſte & civis iſte: ibi ſum; ſed carne, non corde.* Cum autem duo quædam dixerim, quia ibi ſum carne, non corde; unde canto, non ibi: non enim carne canto, ſed corde. Carnem quidem ſonantem audiunt & cives *Babyloniæ*, cordis autem ſonum audit conditor *Ieruſalem.* Unde dicit Apoſtolus, exhortans ipſos cives ad amatoria quædam cantica & deſideria redeundi ad illam pulcherrimam civitatem, viſionem pacis: *Cantantes*, inquit, *& pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Quid eſt, *cantantes in cordibus veſtris?* Ne inde cantetis, unde eſtis in *Babylonia:* ſed inde cantate, unde ſurſum habitatis. Ergo, *Te decet hymnus, Deus, in Sion.* In *Sion* te decet hymnus, non in *Babylonia.* Qui cantant in *Babylonia*, cives *Babyloniæ*, etiam hymnum Dei non decenter cantant. Audi vocem ſcripturæ: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Te decet hymnus, Deus, in Sion.*"

„ neis cogitationibus laborem habeat infructuoſum. Sonus etiam vel melodia „ conſentiens ſanctæ religioni pſallatur &c. Totum enim tanquam in conſpectu DEI, non hominibus placendi ſtudio celebrare debemus.“ Multis modis peccari poteſt in munere cantus ſacri, dum, quod unice ſpectari debet, non attenditur, nimirum pſallendo angelico nos perfungi officio in conſpectu divinæ Maieſtatis, in quo ſtantes DEUM laudibus, pſalmisque, hymnis & canticis ſpiritualibus celebramus. „Ubique (ait S. Benedictus *Cap.* 19. „ de hac diſciplina pſallendi) credimus divinam eſſe præſentiam, & oculos „ Domini in omni loco ſpeculari bonos & malos: maxime autem hoc ſine „ aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum aſſiſtimus. Ideo „ ſemper memores ſimus, quod ait Propheta: *Servite Domino in timore.* „ Et iterum, *Pſallite ſapienter.* Et, *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* „ Ergo conſideremus, qualiter oporteat nos in conſpectu divinitatis & Angelorum eius eſſe. Et ſic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ.“ Et S. Cæsarius in ſua regula: *Cum vero pſalmis & hymnis oratis DEUM, id verſetur in corde, quod profertur in voce.* Hæc Cassiodorus in pſalm. CI. S. Ambrosii *horæ ſextæ roſeum* illum, ut vocat, hymnum citat:

Orabo mente Dominum,
Orabo ſimul ſpiritu:
Ne vox ſola DEO canat,
Senſusque noſter alibi
Ductus aberret fluctuans,
Vanis præventus caſibus.
Tunc enim DEO accepta eſt
Oratio canentium,
Si pura mens idem gerat,
Quod explicat vox cantici.

XI. Nec illud demum avitæ pietatis in florentis antiquæ Eccleſiæ Patribus omittendum eſt, quod impenſe fidelibus inculcarunt, eſtque cum primis neceſſarium, ut placita DEO ſit vox canentis, nimirum, ſi nec perſona DEO diſpliceat, ac ſit exoſa, nec opera a voce in DEI laude diſſentiant. *Non eſt*, iuxta Sapientem, *ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Eſt vox mendax, qui ore laudat, at inhoneſtat opere. „ Quis putas (ait Origenes) ita canoræ vocis eſt, & ita Spiritus puri mentisque ſinceræ, ut cantilena eius

Aut etiam opera.

Eccli XV. 9.

Hom. 6. in Iudic. T. II. N. E. p. 471.

Gg 2 „ divinum

„ divinum delectare poſſit auditum? Ille profecto eſt, qui nullum raucum „ habet in ſe peccati ſonum, qui nihil offenſionis in lingua, nihil craſſitu- „ dinis in ſpiritu gerit. “ Eusebius in pſalm. CIII. in laudes divinæ pſalmodiæ excurrens, vim illius ac utilitatem pluribus deprædicat, eam autem cantores percipere tunc putat, *ſi eis vita ſit pura.* S. Basilio a *Neocæſarenſibus* cantus novitas obiiciebatur, & melodiæ modus a conſuetudine diverſus, quaſi non fuerint tempore magni Gregorii, nimirum Tavmaturgi illius, cuius plurimum ſe iactabant inſtitutis; ſed, quæ præcipua erant, & ad vitam recte inſtituendam a vitiis alienam maxime idonea poſthabentes,
a tes, in huiusmodi minoris momenti rebus hærebant, ac tergiverſabantur a).
Præf. in Pſ. I. n. 5. Præ oculis habenda eſt ſancti Ambrosii ſententia : *Delectatur igitur cantico DEUS non ſolum laudari, ſed etiam reconciliari.* Et in pſal. CXVIII. exemplis etiam illuſtrat, quam vim in vitam ac opera noſtra ſacra exercere
b debeant cantica, ac hymni b). Illa itaque DEO imprimis placet conſonantia, quæ in factis noſtris reſonat, reſpondetque pulcherrimæ rerum a DEO conditarum harmoniæ, ubi ſolus in hoc orbe homo tot adverſos miſcet ſonos in vita ſua, tam multa ſunt diſſona finibus a DEO intentis, ut tanto opus ſit citharædo, qui ita poſſit in humanis ludere, ne præſtabilita, ad manifeſtandam divinam in operibus ſuis gloriam, deficiat harmonia. Hanc S. Chrysostomus vocat Saulis inſaniam, Davidis cithara ſanatam, a nobis pariter

a) „ Qui quidem (inquit S. Basilius Epiſt. 207. n. 4.) nihil ex illius inſtitutis hactenus conſervaſtis. Gregorius non operiebatur in precibus. Quomodo enim? qui verus erat Apoſtoli diſcipulus, dicentis: *Omnis vir orans &c.* Iuramenta fugiebat pura illa anima & digna Spiritus Sancti conſortio, contenta his vocibus: *Ita, & Non*, propter præceptum Domini, qui dixit: *At ego dico vobis, ne iuretis omnino.* Non audebat ille fratrem ſuum fatuum appellare; verebatur enim comminationem Domini. Indignatio & ira, & acerbitas ex illius ore non proficiſcebantur: convitium odio habebat, ut in regnum cœlorum non perducens. Invidia & arrogantia ab illa doli experte anima faceſſebant. Non acceſſiſſet ad altare, antequam reconciliaretur fratri. Mendacem ſermonem, & artificioſe ad aliquorum calumniam inſtructum, ita abominabatur, ut qui ſciret, mendacium ex diabolo ortum eſſe, Dominumque eos omnes, qui mendacium loquuntur, perditurum. Horum ſi nihil in vobis eſt, ſed puri eſtis ab omnibus; vere diſcipuli eſtis eius, qui mandatorum Domini diſcipulus fuit. Sin minus, videte, ne culicem coletis, de vocis quidem ſono in pſalmorum cantu litigantes, mandata vero maxima diſſolventes. Ad hos me ſermones adduxit neceſſitas cauſæ defendendæ, ut diſcatis trabem ex oculis veſtris eiicere, & ita demum feſtucas alienas extrahere. “

b) „ Hymni nobis (inquit) canticum nobis, pſalmi nobis iuſtificationes Domini ſint. Ideoque canticum dicitur Domini Teſtamentum, quia remiſſionem omnium peccatorum, Dominique iuſtitias in ſcripturis Evangelii ſuavi mentis exultatione concinimus. Ipſe quoque Dominus non dedignatus eſt dicere: *Cantavimus vobis, & non ſaltaſtis.* Cantavit nobis in evangelio veniam delictorum: debuerunt *Iudæi* mentem attollere, non hiſtrionico corporis motu, ſed ſpiritu. Non fecerunt, ideo reprehenduntur. “ Et poſt pauca: „ Deinde qui cantat, vacuus eſt, & diverſarum cogitationum curas relevat, culpas relegat, ſequeſtrat avaritiam, & non ſolum corporis voce, ſed etiam mentis ſuavitate ſe mulcet &c. “

pariter ſumendam, ut divina cantica animæ concinamus a). Hic nobis præcipuus fructus ex divinis canticis ac pſalmodia accreſcere debet, ut quoniam ſalutaribus doctrinis pro noſtra inſtructione morumque & vitæ informatione ſunt referta, exardeſcamus, ea meditantes, ad opus; ac veluti nos ipſos pacto obſtringamus, ut dictis fidem ſervantes, omnia impleamus. „Propter- a
„ ea enim (idem alibi ait aureum os) pſalmos nobis cecinit ille beatus, vel *Expoſ in Pſ.*
„ potius gratia Spiritus, non ut verba tantum dicamus, ſed eos factis quo- 41. *n.* 5.
„ que meditemur. Ne ergo exiſtimes te propterea huc ingredi, ut verba „ tantum dicas, ſed ut, quando ſuccinis, reſponſum illud pacta conventa „ eſſe arbitreris. Quando enim dixeris: *Quemadmodum deſiderat cervus ad* „ *fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te DEUS:* cum DEO pactum „ feciſti, ſcripſiſti ſyngrapham abſque charta, & atramento, voce profeſſus, „ te ipſum diligere plus omnibus, & nihil ei præferre, eiusque amore ar- „ dere. Si ergo egreſſus videris formoſam aliquam, & impudicam mulie- „ rem, te ineſcantem, & ad ſui amorem pellicientem, dic ei: Non poſſum „ te ſequi, cum DEO pactum feci, & præſentibus fratribus, Sacerdotibus, „ Doctoribus, profeſſus ſum, & promiſi per reſponſum illud, me eum ita „ diligere, *quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum.* Vereor, pacta „ conventa transgredi, illum unum deinceps amorem meditor. Si videris „ argentum in foro ſitum, aut veſtes aureas, alios glorioſe incedentes, ſti- „ patos famulis, & habentes equos frenis auratis, ne te moveat illa pompa, „ ſed tibi rurſus cane, & dic tuæ animæ: paulo ante cecinimus: *Quem-* „ *admodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad* „ *te DEUS*, & quod ſcriptum eſt, nobis attribuimus, idque noſtrum eſſe „ fecimus.“ Loquitur de veteri more canendi, reſpondendique in eccleſia per antiphonas: quando ex pſalmis unus aliquis ſingularis eſt depromtus verſiculus, qui iugiter a populo ſuccineretur, repetereturque, dum interim pſalmi contextus procedebat. Seliguntur autem eiusmodi antiphonæ, quæ maxime ſalutares eſſe poſſint cantantibus ad inſtillandam pietatem, &, ut

a) „ Cithara ergo DAVIDIS (inquit hom. 28. in Ep. ad *Rom.*) opus nobis fuerit, ut divina cantica animæ concinamus, & ea, quæ ad illum pertinent, & ea, quæ ex bonis operibus procedunt. Nam ſi vel alterum fecerimus, & cantionem audientes, canenti per opera repugnemus, ut tunc SAUL faciebat, pharmacum nobis in damnationem erit, & immanior fiet inſania. Nam antequam audiamus, timet malignus dæmon, ne audientes corrigamur: cum autem audientes iidem ipſi manemus, ipſi metus abſcedit. Pſallamus canticum per opera, ut peccatum ipſo dæmone deterius eiiciamus. Dæmon enim non omnino privat nos regno cœlorum; ſed & aliquando vigilanti prodeſt; peccatum autem omnino excludit. Peccatum enim dæmon eſt voluntarius, ac ſpontanea inſania, ideoque non habet, qui miſericordiam & veniam tribuant. Hoc ergo incantationis genere cantemus animæ ſic affectæ, & ab aliis ſcripturis, & a beato DAVIDE. Pſallat os, & mens erudiatur. Neque enim illud ſpernenda res eſt. Nam ſi linguam canere doceamus, illa canente, animam pudebit contraria volentem.“

ut modo intelleximus ex S. Chrysostomo, ad noſtram inſtructionem, informationemque vitæ etiam, & actionum, ne a voce diſſonent. Hom. 28. in epiſt. ad *Roman.* pluribus monet cantores, ne cantui per opera repugnent; omnes hortatur, ut pſallamus canticum operum τὴν ἀπὸ τοῦ πράγματος ᾠδήν.

In Pſ. 34. *Serm.* 2. In eadem inculcanda re non minus frequens eſt S. Augustinus. „Quando „cantas hymnum (ait) laudas DEUM. Lingua tua quid agit, niſi laudet „conſcientia. (Et) DEO cantamus, DEO & vivamus. (Iterum): Can- *Enarrat. in Pſ.* 67. „tat DEO, qui vivit DEO: pſallit nomini eius, qui operatur in gloriam „eius, ita cantando, ita pſallendo, id eſt, ſic vivendo, ſic operando. Non „poteritis, quam vera cantetis, probare, niſi cœperitis facere quod can- *In Pſ.* 102. „tatis:" Et alibi: „Nam quid prodeſt (inquit) quod hymnum cantat „lingua tua, ſi ſacrilegium exhalat vita tua? Male vivendo multas linguas „miſiſti in blaſphemiam. Lingua tua vacat hymno, & cæteræ te intuen- „tium vacant blasphemiis. Si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum „eius, fac voluntatem eius. *Te decet hymnus DEUS*, ait pſalmus. Sed „ubi? In *Sion.* In *Babylone* non decet &c." Ingenioſe alicubi veteris & novi Teſtamenti diſcrimen faciens, ubi nimirum datur gratia, charitate in cordibus noſtris diffuſa, per Spiritum Sanctum, ut impleamus præcepta, huc interpretatur illud pſalmi CXLIII. *DEUS canticum novum cantabo tibi,*
a *in pſalterio decem chordarum pſallam tibi* a). In ſermone vigeſimo ſexto, præſertim autem vigeſimo ſeptimo paſchali vocem *Alleluia* interpretatus: hoc canendo, & in hoc verbo conſonantes ore, & conſentientes corde,
b exhortari nos invicem dicit, ad laudandum DEUM. b). *Mores volo*, alibi idem

a) „Decem (inquit Serm. 33.) chordarum pſalterium, decem præcepta legis intelliguntur. Cantare autem & pſallere, negotium eſſe ſolet amantium. Vetus enim homo in timore eſt, novus in amore. Ita enim duo Teſtamenta diſcernimus, vetus & novum ... Caritas ergo cantat canticum novum. Nam timor ille ſervilis in veteri homine conſtitutus, poteſt quidem habere pſalterium decem chordarum, quia & *Iudæis* carnalibus data eſt ipſa lex decem præceptorum: ſed cantare in illa non poteſt canticum novum; ſub lege eſt enim, & implere non poteſt legem. Organum ipſum portat, non tractat; & oneratur pſalterium, non ornatur. Qui autem ſub gratia eſt, non ſub lege, ipſe implet legem: quia non eſt ei pondus, ſed decus, nec timenti tormentum eſt, ſed amanti ornamentum. Spiritu enim dilectionis accenſus, iam in pſalterio decem chordarum cantat canticum novum." Et poſtea n. 5. „Hoc eſt canticum novum, quod pſallit in pſalterio decem chordarum. Nemo enim laudat Deum, id eſt, dicit hymnum, niſi ore ſuo factis conſentiat, Deum & proximum diligendo."

b) „Eum autem (ait in priore ſermone n. 1.) tantum homo ſecurus laudat, qui non habet unde diſplicеat: (Et in altero n. 1.) Laudemus Dominum fratres, vita & lingua, corde & ore, vocibus & moribus. Sic enim ſibi dici vult Deus *Halleluia*, ut non ſit in laudante diſcordia. Concordent ergo prius in nobis ipſis lingua cum vita, os cum conſcientia. Concordent, inquam, voces cum moribus: ne forte bonæ voces teſtimonium dicant contra malos mores. O felix *Halleluia* in cœlo, ubi templum Dei angeli ſunt! Ibi enim concordia ſumma laudantium, ubi eſt exſultatio ſecura cantantium, ubi nulla lex in membris repugnat legi mentis; ubi non eſt rixa cupiditatis, in qua periclitetur victoria caritatis. Hic ergo cantemus *Halleluia* adhuc ſolliciti, ut illic poſſimus aliquando cantare ſecuri."

idem ait S. Augustinus, *non voces. Sapientiam lauda vivendo; non ſonando, ſed conſonando.* Etſi enim laudare DEUM, eiusque celebrare maieſtatem primarium ſit hominis erga DEUM officium, ut tamen id cantu fiat, neceſſitas non eſt; quamvis opportunum, & ſalutare; idque optimum, ſi, ut hactenus diximus, omnia concordent, ſimusque toti occupati in DEI laudibus, ut idem nos hortatur. *DEUM toti laudate, cantet vox; cantet vita; cantent facta; DEUM toti laudate.* Et in pſalm. XXXII. *Cantate vocibus, cantate cordibus: cantate oribus, cantate moribus: cantet canticum novum non lingua, ſed vita.* Hoc in Concilio *Carthag.* IV. c. 10. ſub magiſterio S. Doctoris pulchre in cantorum ordinatione eſt expreſſum: *Vide, ut, quod ore cantes, corde credas: & quod corde credis, operibus comprobes.* Atque in pſalm. CXIX. laudatus S. Præſul ſæpius ad hoc cantores ſtimulat. *Non poteritis*, inter alia ait, *probare, quam vera cantetis, niſi cœperitis facere, quod cantatis.* Idem nervoſe expreſſit ſtudioſus S. Augustini æmulator S. Cæsarius *Arelatenſis* a). Hoc igitur perfectam reddit harmoniam, atque muſica unice chriſtiano digna eſt, quæ per omnes vitæ noſtræ actiones diſcurrit, quemadmodum in tota rerum univerſitate tam megacoſmo, quam microcoſmo, pulcherrima rerum conſonantia, a Creatore omnia ſunt ordinata, quibus nos conſpirare in omnibus noſtris actibus debeamus, prius operibus, quam cantu & vocibus, qua ratione muſicam diſciplinam dicit Cassiodorus, per omnes actus vitæ noſtræ diffundi b). Hoc

Serm. 311. *n.* 4.

In Pſ. 148.

a) „Bonum quidem eſt (inquit Serm. 284.) & ſatis acceptabile Deo, quando lingua fideliter pſallit, ſed tunc eſt vere bonum, quando linguæ concordat etiam vita. Conſentiant ſimul voces & mores; ne forte bonæ voces contra malos mores teſtimonium ferant, & ipſa vos lingua veſtra redarguat. Si enim aliud ſonat in ore, & aliud apparet in opere; quod lingua videtur ædificare, incipit converſatio mala deſtruere. Vos ergo fratres non ſolum ſuavitas vocis, ſed etiam ſenſus ipſius lectionis teneat occupatos; ut quomodo ſonus vocis delectat in auribus, ſic virtus ipſius lectionis dulceſcat in cordibus, ſecundum illud quod ſcriptum eſt, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine!* Et iterum, *Eloquia Domini deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum.* Qui enim quando pſallit, ſuavitatem tantummodo vocis & compoſitionem cuiusque ſoni attendit, & quid in ipſis intelligi debeat, non attendit, aures eius accipiunt tranſitorium cibum, ſed ad animam eius non pervenit Dei verbum; ac ſi velut ceram quodammodo quis ruminat, & de mellis dulcedine omnino non guſtat."

b) „Primum (ait de Artibus & Diſc. liberalium litterarum c. 5.) ſi Creatoris mandata faciamus, & puris mentibus ſtatutis ab eo regulis ſerviamus. Quidquid enim loquimur, vel intrinſecus venarum pulſibus commovemur, per muſicos rhythmos harmoniæ virtutibus probatur eſſe ſociatum. Muſica quippe eſt ſcientia bene modulandi, quodſi nos bona converſatione tractemus, tali diſciplinæ probamur ſemper eſſe ſociati: quando vero iniquitates gerimus, muſicam non habemus. Cœlum quoque & terra, vel omnia quæ in eis diſpenſatione ſuperna peraguntur, non ſunt ſine muſica diſciplina: cum Pythagoras hunc mundum per muſicam conditum, & gubernari poſſe teſtetur. In ipſa quoque religione valde permixta eſt; ut decalogi decachordus, tinnitus cytharæ, tympana, organi melodia, cymbalorum ſonus; ipſum quoque pſalterium ad inſtar inſtrumenti muſici nominatum eſſe, non dubium eſt: eoquod in ipſo contineatur cœleſtium virtutum ſuavis nimis, & grata modulatio."

Hoc alibi idem ex ipſa muſicæ artis definitione pulchre explicat, quæ rerum ſibi congruentium, id eſt ſonorum differentias, & convenientias perſcrutatur: „Nam (inquit) ſive quando pſalmodiam dicimus: ſive quando mandatis Domini operam navanter impendimus, dulciſſimæ harmoniæ gratia temperamur. Et ſi cauſas huius rei alta deliberatione perpendas, quælibet creatura rationalis, ſi auctoris ſui vivat imperio, ab hac convenientia non probatur excepta. Merito ergo inceſſanter præcipimur Domino pſallere, in pſalmo citharizare, in cithara pſallere; iubilare in tubis ductilibus & corneis; ut dubium non ſit, hæc inſtrumenta dulciſona probabilium actuum nobis indicare concordiam.“ Demum etiam Ennodius eſt commemorandus, qui in panegyrico, quem dixit Theoderico Regi, bonæ conſcientiæ rationem in DEI laudibus concinendis recte flagitat. „Quod (inquit) deſcendit a ſuperis, ſola hymnorum licet mercede taxari. Fabricator mundi ad potiora munera modulatis invitatur eloquiis. Dicite, ſi non præmii loco opifici ſuo lingua blanditur. Iungitur, quod de ſacrario mundi pectoris laudatio debet principalis effluere: nec ſolum linguæ nitorem poſtulat commemoratio numinis tui, bono adſerenda conſcientiæ.“

In Pſ. 97.

T. I. Oper. var. Sirmondi p. 1594.

Peroratio de cantu eccleſiaſtico prima ætate.

XII. His opportune materiam de antiquiori ſacra illa Eccleſiæ muſica claudimus, quatenus a prima Eccleſiæ ætate ad mediam uſque decurrens ex coœvis monumentis eccleſiaſticis illuſtrari potuit. Vidimus parvis initiis paulatim in Eccleſia opera & ſtudio celeberrimorum Virorum Eccleſiæ Doctorum Paſtorumque inoleviſſe cantum in ſacris Chriſtianis, at qualis omnino fuerit, quibus præſertim modulis ſeu tonorum differentiis conſtiterit, nullis nobis ex illa ætate conſtat vel paradigmatibus, vel præceptionibus, regulisque. Unde id ſaltem coniicere licet, maxima cantum & muſicam veterem eccleſiaſticam conſtitiſſe ſimplicitate, & ſæculo demum quarto potiſſimum incrementa ſumſiſſe tam in Oriente, quam Occidente cumprimis. Quodſi edax tempus ipſa autographa non conſumſiſſet veterum liturgicorum librorum monumenta, certiora haud dubie & exſplicatiora nobis in hac materia dare licuiſſet, uti deinceps magis magisque nos facturos pollicemur.

LIB. II.

LIBER II.

PARS I.

DE CANTU & MUSICA ECCLESIASTICA MEDII ÆVI.

CAPUT I.

De ſtatu & progreſſu cantus eccleſiaſtici, Romani præſertim medio ævo.

I.

Ars muſica exculta medio ævo veterum exemplo.

Vidimus hactenus non parvam operam cantui ac muſicæ eccleſiaſticæ eſſe impenſam a ſanctis Patribus, qui eccleſiam chriſtianam informarunt, ornaruntque pio hoc ſtudio, utilitate non ſpernenda in commovendis fidelium mentibus. Quam deinceps ſpectantes, qui res eccleſiaſticas cordi habuerunt, parem ac maiorem etiam in eadem re poſuerunt curam, antiqua novi & veteris Teſtamenti æmulati exempla, quod inter alios Ioannes in ſua muſica ediſſerit, a) potiſſimum loquens de uſu *Romanæ* eccleſiæ, de qua cum hactenus pauciora, quam de aliis eccleſiis, quoad præſens argu-

mentum

a) „ Cum igitur (inquit c. 17.) commovendis mentibus hominum tanta ſit muſicæ potentia, merito uſus eius acceptus eſt in ſancta Eccleſia. Primum autem a S. Ignatio Martyre, nec non & a beato Ambrosio *Mediolanenſium* Antiſtite uſus muſicæ in *Romana* Eccleſia haberi cœpit.

mentum afferre licuerit; deinceps, quomodo ſola illa in toto ſaltem Occidente fuerit in hac re magiſtra, patebit: licet quidem potiſſimam etiam, quoad priorem ætatem, laudem DAMASO præſertim auctores medii huiusce ævi tribuant in inſtituendo cantu eccleſiaſtico, nixi mutuis S. HIERONYMI, at ſpuriis, epiſtolis, quibus relatis in veteri codice *Gottwicenſi* ſæc. IX. Rev.mus eius cœnobii Antiſtes & Chronographus ſequentes in hanc rem ſub-
L. I. Chron. nexos reperit verſus de dulci pſalmorum *Davidicorum* modulatione a) qui
Gottwic. c. 3. hunc uſum potiſſimum ſemper in eccleſia chriſtiana præſtiterunt. Quod vero
a ea in re laudi datur DAMASO; id certe clariſſimis argumentis comprobatur, ut videbimus, de eiusdem poſteris. Inter quos ZACHARIÆ monita ſecuti
Can. 27. Patres Concilii *Cloveshoenſis* II. circa medium ſæculum octavum præclara ſta-
b tuerunt, quoad divinam pſalmodiam fidelibus frequentandam b). Voluerunt que

Poſt hos beatiſſimus Papa GREGORIUS Spiritu ſancto ei, ut fertur, aſſidente & dictante, cantum modulatus eſt: cantumque *Romanæ* Eccleſiæ, quo per anni circulum divinum celebratur officium, dedit. Quod autem canendo laudandus ſit DEUS, non parvam in veteri pagina auctoritatem habemus. Legimus namque in libro *Exodi*, quod ſubmerſo PHARAONE MOYSES, & cum eo filii ISRAEL canticum concinuerunt Domino, ſed & Pſalmiſta artis huius haud ignarus in decachordo, quod eſt muſicum inſtrumentum, laudes Domino cecinit, nosque ad concinendum hortatus, dicens, *Cantate Domino canticum novum, laus eius in eccleſia Sanctorum.* Nec ſolum naturali ſono uti nos in laude DEI voluit: cum, & per manufacta muſices artis inſtrumenta, Dominum laudari commonens ait: *Laudate Dominum in ſono tubæ, in pſalterio & cythara, & tympano, & choro, in chordis & organo.* Cum ergo tanta huius diſciplinæ in veteri Teſtamento inveniatur auctoritas: cumque eam tam religioſi viri in eccleſia ſanxerunt: cum denique efficax, ut dictum eſt, ad mentes hominum commovendas ſit eius potentia, quem huius ſcientiæ ſanum pigeat? Quis ei non toto affectu ſtudioſus adhæreat?"

a) *Pſallere qui docuit dulci modulamine Sanctis,*
Noverat iſte decem legis qui verba dediſſet.
Quo digitis cytharam chordis totidemque dicavit.
Nomina vel ſignum numerum crux ipſa notaret,
Credere quid dubitas, virtus regit omnia Chriſti,
Qui varias iunxit uno ſub carmine linguas,
Ut pecudes volucresque DEUM cognoſcere poſſint,
Hic ſonus eſt fidei, mentes qui mulcet amaras,
Si creatura prior tanto pro munere gaudet
Offerat ut Domino, ſalvet quos gratia vocis.
Num DAMASI *monitis aures præbete benignas*
Quisque ſitit, veniat cupiens haurire fluenta.
Inveniat latices ſervant qui dulcia mella.
Sordibus expoſitis purgant penetralia cordis
Cor etenim renovant, Chriſto ſervire parati
Prophetam Chriſti ſanctum cognoſcere debes &c.

b) „Vigeſimo ſeptimo, multa de his, qui ſive ſanctam pſalmorum ac ſpiritalem cantilenam utiliter, ſive de his qui negligenter præſumunt agere, multa differentes in hunc modum: Pſalmodia, inquiunt, opus divinum ſpiritu & mente agentibus magnum eſt ac multiplex animarum medicamentum ſuarum. Vocem hanc ſine ſenſu cordis canentibus, ſonitum ad cuiusvis rei facere ſimillimum eſt, unde quamvis pſallendo latina quis neſciat verba, ſuas tamen cordis intentiones ad ea quæ in præſenti poſcenda ſunt a DEO ſuppliciter referre, ac pro viribus detinere debet. Nam pſalmi, Sancto Spiritu iam olim ad ſolatium generi humano per os Prophetæ prolati cum intima intentione cordis & corporis congrua humiliatione, ad hoc canendi ſunt, quatenus per divinæ laudis oracula, & noſtræ ſalutis Sacramenta, & humillimam quoque confeſſionem delictorum, ſive eorundem ſuppliciter imploratam remiſſionem de quacunque re digna, divinæ pietatis exorantes pulſaverunt aures, eo digniores exaudiri mereantur, quo ipſi DEO appropinquare vel placere geſtiunt, per ea quæ prædixi tam ſacroſancti ac divini ſpecialiter famulatus officii ſervitium, ſive dum pro ſe ut faciant in illa ſancta modulatione,

runtque Patres, ut fideles, qui voces ſuas coniungere in ſancta modulatione non poterant, *expleta quantalibet pſalmodia* preces aliquas *lingua latina, vel qui eam non didicerunt, ſua Saxonica* ſubnecterent, ne prorſus nullas haberent in publico divino officio partes. Alias certe necdum laici erant a pſalmodia excluſi, niſi ubi forte ordinatior & coloratior, quod hoc medio ævo invaluit, fuit cantus. Veluti in *Anglia* diſtinctionem facit capitulare THEODORI *Cantuarienſis* a MABILLONIO citatum: *Laicus in eccleſia non debet recitare, nec* Alleluia *dicere, ſed pſalmos tantum & reſponſoria ſine* Alleluia. [*Præfat. in ſæc. I. Bened. n.* 110.] Haud dubie cantus cum *Alleluia* fuit, coloratior, qui paulatim magis magisque inolevit, ita ut ars, & induſtria maior adhibita ſit. Ea diſciplina, a *Romana* eccleſia accepta, a PIPINO & CAROLO *Magno* maxime, ut paulo poſt narrabimus, inſtaurata fuit. Eadem vero iterum neglecta inculcari debuit, veluti in Concilio *Valentino* III. factum intelligimus an. 855. „Ut de ſcho- [*Can.* 18.]
„lis tam divinæ quam humanæ litterarum, nec non, & eccleſiaſticæ can„tilenæ, iuxta exemplum prædeceſſorum noſtrorum, aliquid inter nos tra„ctetur, &, ſi poteſt fieri, ſtatuatur atque ordinetur: quia ex huius ſtudii „longa intermiſſione, pleraque eccleſiarum DEI loca & ignorantia fidei & „totius ſcientiæ inopia invaſit." Iam ſacra muſica id etiam in eccleſia obtinuerat, ut, quemadmodum apud veteres, inter ſeptem liberales artes connumeraretur, diſcereturque a). [a] Nihilominus AURELIANUS Monachus *Reomenſis* ſæc. IX. in epiſtola nuncupatoria ad BERNARDUM *Archicantorem*, [*Ap. Marten. Monum. T. I. p.* 121. *&c.*] futurum Archiepiſcopum, præmiſſa libro de muſica, teſtis eſt, cantores nobiliſſimos tunc fuiſſe fere artis ignaros. *Scio enim*, inquit, *quia nobiliſſimi inveniuntur cantores.* [*Ibid. p.* 122.] *Huius autem fateor, niſi vos ſolum* (BERNARDUM indigitat) *me neminem artis vidiſſe peritum. Quidam etenim noſtrorum multa muſicæ norunt ſtatuta. Tamen ut fuerunt priſci nusquam tamen, ut arbitror, invenitur muſicus.* Patebit ex tot auctoribus medii huius ævi, quos edemus, pleraque in ſuam tractationem eos adoptaſſe, quæ ad perfectam muſices artem ſpectant. Factumque eſt, ut omnibus eccleſiaſticis ſaltem neceſſaria quadantenus evaderet hæc ars, utpote quotidiano eccleſiaſtico officio conſecrata. „Hæc ergo diſciplina (inquit *Rhabanus* MAURUS) tam [*L. I. de Inſtit. Cler. c.* 24.]
„nobilis eſt, tamque utilis, ut qui ea caruerit, eccleſiaſticum officium

DEUM multiplici modo & laudant & orant: ſive etiam pro aliis viventibus ſeu mortuis eum expleta quantalibet pſalmodia, genuflectentes in orationem, & lingua latina, vel qui eam non didicerunt, ſua ſaxonica dicunt: *Domine miſerere illi, & parce peccatis illius, & converte illum, ut faciat voluntatem tuam:* ſive id pro mortuis. *Domine ſecundum magnam miſericordiam tuam, da requiem animæ illius, atque ei pro tua immenſa pietate, gaudia lucis æternæ donare cum tuis ſanctis dignare.* "

a) „Quodſi te (inquit GREGORIUS *Turonenſis* Lib. X. hiſt. *Franc.*) MARTIANUS noſter libris ſeptem erudivit, id eſt, ſi te in grammaticis docuit.... in harmonicis ſonorum modulationes ſuavium accentuum carminibus concrepare."

„ congrue implere non poſſit. Quidquid enim in lectionibus decenter pronunciatur, ac quidquid de pſalmis ſuaviter in eccleſia modulatur, huius „ ſcientiæ diſciplina ita temperatur, & non ſolum per hanc legimus, & pſallimus in eccleſia, imo omne ſervitium DEI rite implemus." Agit de *inſtitutione Clericorum* inter alia etiam de ſeptem liberalibus artibus, adeoque de muſica diſciplina omnibus neceſſaria, & tunc vel maxime exculta ab iis, ut deinceps videbimus, qui eccleſiaſtico canoni peculiariter fuerunt addicti. „ Muſicæ artis diſciplina (in MSc. ſæculi XII. codice Bibliothecæ noſtræ „ poſt dialog. ODDONIS de muſica legitur) ſummo ſtudio appetenda eſt. Et „ xime his, qui communi converſatione DEO ſerviunt. Nam ſicut per Pſalmiſtam dicitur, quia panis confirmat, & vinum lætificat cor hominis, „ ita & frequens lectio animum noſtrum ad virtutes roborat, cantus vero „ in DEI ſervitio mentem exhilarat. Accidit præterea, ut cum ſuavitate „ melodiæ, quæ in terris agitur, congaudentes miramur, ad illam armoniam cœleſtis patriæ audiendam ardentius feſtinemus, quæ tanto eſt iſta „ ſuavior, quantum cœlum terra miramus excelſius." Immediate antea duo in hac diſciplina exercenda requiſivit, & DEI opem, & noſtram ſedulam operam. „ Quodſi (inquit) aut negligenter agit, aut hoc non per „ divinam illuſtrationem, ſed ſui ſenſus accumine ſe capere poſſe præſumſerit, aut nequaquam intelliget, aut nondum refert gratias donatori, efficietur, quod abſit, elationi inſerviens, minus iam ſubditus Creatori."

Uſque ad exceſſum.

II. Dum ſucceſſu temporis amplior modulatio cantilatioque adhibita eſt, facile exceſſus in utramque partem contigit, dum aut horrida ac incompoſita, aut nimis comta & fucata maieſtatem divini operis fœdavit. Ab hac re ſibi caviſſe LETALDUS in componendo ad muſicam feſto S. IULIANI memoratur apud MABILLONIUM, & BOLLANDUM, veſtigiis veterum inſiſtens. „ Porro (inquit) in componendo Sancti IULIANI officio recedere noluit a „ ſimilitudine veteris cantus, ne barbaram aut inexpertam melodiam fingeret. „ Non enim mihi placet, ait ille, quorundam muſicorum novitas, qui tanta „ diſſimilitudine utuntur, ut veteres ſequi omnino dedignentur auctores." Has tamen inter fruſtra referuntur cantiones, ob nimiam celeritatem & ſaltus *Capreæ* medio illo ævo dictæ, cum ſit potius celeris & expedita monochordi menſura ab ARIBONE inventa, ut ex eius opere a nobis edendo patebit. Cantiones vero has eaſdem fuiſſe cenſet D. LEBEUF in tractatu hiſtorico & practico ſuper cantum eccleſiaſticum, ac *figmenta*, unde *cantores figmentarii* ſunt dicti, ſed profani; *Res factæ* nominatæ, dum cantus eiusmodi auſæ etiam ſunt eccleſiam occupare. Accidit tamen, ut alii religioſores, veluti decuerat, cauti, moderatiores potius facerent ſacros ſuos

L. II. Annal. n. 50.
Bolland. T. II. Ian. p. 1152. *n.* 4.
Cap. 5.

cantus.

cantus. Utriusque rei teſtis nobis eſt IOANNES *Saresberienſis*, qui *de nugis curialium* perſtringit præcinentium, & ſuccinentium, canentium, & decinentium, intercinentium, & occinentium præmolles modulationes, quos Sirenarum potius philomelarum, ac pſittacorum, quam hominum concentus iure dicit, nihil minus quam ad devotionem excitandam aptos. *Cum hæc*, inquit, *quidem modum exceſſerint*, *lumborum pruriginem*, *quam devotionem mentis poterunt citius excitare.* Vel hinc patet, labem hanc illum in ſacro notaſſe cantu, idque promiſcue illa ætate fieri, deinceps graviter conqueritur a). NOTKERUS in prologo *Sequentiarum* teſtatur, ſe ab ISONE, magiſtro ſuo reprehenſum, quod in componendis *Sequentiis* uni ſyllabæ plures notas muſicas attribuerit. Fuit vero ea *Sequentiarum* origo, ut ſuffocarentur inconditæ illæ *neumæ*, quas vocabant, dum una ſola vocalis *a*, e. c. in *Alleluia*, tanta notarum ſerie, voce in omnem partem verſa, protraheretur. Qui fuit unus muſices exceſſus, ex pluribus aliis, de quibus ſingillatim recurret ſermo, celebri ſubinde in teſtimonium vocata decretali IOANNIS XXII. quæ incipit *Docta ignorantia:* aliisque idoneis auctoritatibus ad refrenandam licentiam in cantu ac muſica eccleſiaſtica, primæ Eccleſiæ ætatis exemplo. Apud *Græcos*, etſi purior ſemper fuerit cantus eccleſiaſtici diſciplina, labes tamen etiam & maculæ notantur medio ævo, quæ ipſæ tamen mox graves cenſores nactæ, muſicam ſacram non contaminarunt. Sic THEOPHILACTUM *Cpolitanum* Patriarcham graviter culpat CEDRENUS in Annalibus, quod cantica ſæcularia in Eccleſiam introduxerit. In ſuperioribus vidimus, quam cauti & circumſpecti fuerint ſancti Patres in eliminandis ab omni chriſtiana muſica huiusmodi lenociniis, maxime in ſacris, ut imprimis S. AUGUSTINUS aliquando hæſerit, an non tutius cantus ſuavitas abeſſet ab eccleſiaſticis conventibus.

Cap. 6.

a

Extrav. L. III. tit. 1. cap. un.

III. Sed ex altera parte utilitatem ſpectans, & ſalutares, quos ipſe expertus fuerat, motus piarum mentium, nunquam eo deflectit, quo hoc ævo medio *Albigenſes*, *Waldenſes*, *Henriciani*, *Petrobruſiani.* Neque quidquam vero *Græci* ſchiſmatici, licet minutiora quæque in controverſiam vocarint,

Fruſtra tamen hæreticis eius uſum damnantibus.

a) „Quæ vero mentes (inquit T. XXIII. Bibl. PP. p. 252.) emolliunt, moresque ſubvertunt, a noſtra ætate undique aſciſcuntur, licet ipſa ultra, quam ſatis eſt, vitiis ſuis abundet. Si quemquam eorum qui vehementius his inſiſtunt, gravem videris, ſi modeſtum, ſi pudicum, viris fortibus noſtrorum temporum ipſum connumerare memineris. Quandoquidem hæc rara avis eſt. Proinde quidam venerabilis vir, circiter ſeptingentarum monialium pater, hanc monaſteriis ſuis præſcripſit legem, ut omnia earum cantica, totius meliceæ pronuntiationis exuant modos, & ut ſola pſalmorum & laudum ſint ſignificativa pronunciatione contentæ. Suſpecta equidem fuit ſancto viro voluptati cognata mollities, eoquod voluptas parens libidinum eſt.“

Interrog. 2. carint, hic obiecerunt. Ex quibus Ioannes, Epiſcopus *Citri*, *Item preca-*
tiones, inquit, *& muſici cantus*, *& divina templa*, *venerationesque pretio-*
ſæ Crucis, *ſanctarumque imaginum illis ſunt nobiſcum communes.* *Albigen-*
T. III. Conc. *ſes* in Concilio *Atrebatenſi* an. 1028. damnantur, ac prolixe refutantur *c.* 12.
Germ. p. 91. *De pſallendi Officio.* Sic vero auſpicantur Patres: „Quis autem dubitet vos
„ immundo ſpiritu agitari, dum hoc, quod per Spiritum ſanctum prola-
„ tum, atque inſtitutum eſt, id eſt, uſum pſallendi in ſancta Eccleſia, ab-
„ iicitis, & quaſi ſuperſtitioſum errori cultum imputatis. Sumpſit ergo hanc
„ modulandi formam ordo eccleſiaſticus non ex ludicris, & iocularibus in-
„ ſectationibus, ſed ex veteris & novi Teſtamenti Patribus &c. “ *Henriciani*
contendebant, DEUM irrideri cantibus eccleſiaſticis: *quia qui ſolis piis af-*
fectibus delectatur, *nec altis vocibus advocari*, *nec cantu poſſit mulceri.* Et
Waldenſes cavillabantur, fruſtra tempus teri in cantibus eccleſiaſticis. *Item*,
T. XXV. ſcribit de iisdem Reinerius, *Eccleſiæ cantum ſubſannant*, *& dicunt*, *quod in*
Bibl. PP. p. 266. *c.* 5. *verbis tantum*, *non in melodia ſit vis.* Petrus *Cluniacenſis*, dictus *Venera-*
bilis, inter alia hanc etiam *Petrobruſianorum* cavillationem ac errorem *con-*
a *tra id quod dicunt*, *DEO non eſſe cantandum*, *refutat* a). Tractat quæſtio-
2.2.*quæſt.*91. nem hanc D. Thomas, ac primo quærit, *Utrum DEUS ſit ore laudandus?*
quod nec ipſum, & recte quidem, ideo neceſſarium dicit, ut ei, qui eſt
inſpe-

a) „Iam vero (inquit T. XXII. Bibl. PP. p. 1079.) ad illud quod addunt hæretici, irrideri ſcilicet DEUM cantibus eccleſiaſticis: quia, qui ſolis piis affectibus delectatur, nec altis vocibus advocari, nec muſicis modulis poteſt mulceri: ad tales, inquam, nænias reſpondere animus nauſeat, quia quod nec brutis hominibus negantibus, ſentire brutum & ſtolidum eſt, hoc velle velut ex ratione refellere, pene indiſſimiliter ſtultum eſt. . . . Nunquid obbrutiſſimi, quando hoc cogitare cœpiſtis, vel dicere inchoaſtis, nulla mentibus veſtris ex innumeris auctoritas divina occurrit? Cur ſaltem pſalmi, qui ab omni clero Eccleſiæ DEI, & maxime a Presbyteris, quod ipſi fuiſtis, frequentantur: quando hoc cogitaſtis, dixiſtis, prædicaſtis, aliquando non occurrerunt? Nonne in eisdem ſæpe aut pæne aſſidue legitis, & remota altioris myſterii maieſtate, etiam ad litteram dictum advertitis, ſi ſapitis. *Cantate Domino &c.* & mille talia? Hoc quidem de cantu vocis humanæ. Quid de inſtrumentis variis, & diverſa modulatione? Quare quæ toti orbi notiſſima ſunt, vobis ſolis occurrere non potuerunt? Nam de inſtrumentis muſicis & corporalibus, ait in eisdem pſalmis vox divina, *Pſallite Domino in cithara &c.* & mille ſimilia. Numquid qui hæc dixit, qui ſcripſit, qui hæc inſtrumenta præcipue compoſuit: qui ſonuit, qui cantavit, dicendo, ſcribendo, ſonando, cantando, DEUM irridere voluit? Nonne ipſe primæ legis lator Moyses tubas argenteas ad bellandum, ad quieſcendum, ad caſtra levanda, ponenda, ad inſonandum coram arca Domini, in deſerto, in tabernaculo, in iubileo fieri mandavit? Nonne tam ipſe quam Sacerdos Aaron, nonne iam dictus Rex ac Propheta David, nonne Salomon, nonne Esdras, nonne multi ſanctorum Regum ac Prophetarum muſica inſtrumenta fecerunt, millia cantorum inſtituerunt, ipſimet ea ſonuerunt, cantaverunt, ſaltaverunt? Numquid autem hæc omnia ad irridendum, contemnendum, ſubſannandum DEUM fecerunt? Non, inquam, ſtulti, non iſta, ſed ad laudandum, adorandum, honorandum, glorificandum. Quod ſi talium cantantium, pſallentium, organizantium, etiam apud homines manifeſtam utilitatem quæritis: audite quod, ut puto, neſcitis, in ſacra ſcriptura talibus modis dæmones effugari, morbos mitigari, DEUM advocari: & per hæc eum conſultis hominum reſpondere, & poſtulata præſtare &c. “

inſpector cordium, noſtros conceptus manifeſtemus, ſed ut nos ipſos, & alios audientes ad eius reverentiam inducamus. *Et ideo*, inquit, *neceſſaria eſt laus oris, non quidem propter DEUM, ſed propter ipſum laudantem; cuius affectus excitatur in DEUM ex laude ipſius.* Ac poſtea propius inquirens, *utrum in divinis laudibus ſint cantus aſſumendi?* Cum ſibi inter alia obiecisſet, principaliorem eſſe laudem mentis, quam oris: laudem vero mentium impediri per cantus: *Tum*, inquit, *quia cantantium intentio abſtrahitur a conſideratione eorum quæ cantant, dum circa cantum ſtudent; tum etiam, quia ea, quæ cantantur, minus ab aliis intelligi poſſunt, quam ſi ſine cantu proferrentur.* Sed ex adverſo exemplum S. Ambrosii in eccleſia *Mediolanenſi* cantus inſtituentis inducens, reſpondet: *Dicendum, quod ſicut dictum eſt* (art. præc.) *laus vocalis ad hoc neceſſaria eſt, ut affectus hominis provocetur in DEUM. Et ideo quæcunque ad hoc utilia eſſe poſſunt, in divinas laudes congruenter aſſumuntur. Manifeſtum eſt autem, quod ſecundum diverſas melodias ſonorum animi hominum diverſimode diſponuntur; ut patet per Philoſ. in* 8. *Polit. & per* Boetium *in prol. muſicæ. Et ideo ſalubriter fuit inſtitutum, ut in divinas laudes cantus aſſumerentur, ut animi infirmorum magis provocarentur ad devotionem.* Vidimus hanc conſtantem, apoſtolicis dictatis congruam, fuiſſe in Eccleſia perſuaſionem, uſumque perpetuum a prima ætate: idem deinceps per mediam diſcurrentibus patebit, auctam ſemper fuiſſe hanc curam, operamque datam, quod factum prius non deprehendimus, ut ad artem ac certas regulas inſtitueretur cantus, ac muſica eccleſiaſtica, vocum etiam, ac inſtrumentorum, ſeu organorum muſicorum (licet tenui compoſitione) non ſola vocis articulata, artificioſaque modulatione. *A.* 1. *in Corp.*

IV. Præcipua laus S. Gregorio M. tribuitur quoad cantum, quem planum ſeu firmum vocant, unius conſtantem vocis modulatione, quique in ſuis notis æquam ſervat menſuram: atque proprie eſt, vocaturque *cantus choralis*, a loco & officio chori; ab auctore vero *Gregorianus*, ſeu etiam *Romanus*, in *Romana* Eccleſia excultus, & per totum Occidentem propagatus, ſtudio & opera aliorum etiam Pontificum poſt S. Gregorium, imprimis Leonis II. quem *liber pontificalis*, & Platina plurimum ob id collaudant. Ei præter Hormisdam, *Walafridus* Strabo Benedictum & Sergium iungit. De aliis etiam deinceps recurret mentio, quando ſingillatim de cantus *Gregoriani* ſeu *Romani* propagatione per diverſas Occidentis partes dicemus; nunc de S. Gregorio potiſſimum agimus, de quo Ioannes *Diaconus*: „Antiphonarium centonizans, cantorum conſtituit ſcholam: more ſapientiſſimi Salomonis propter muſicæ compunctionem dulcedinis. Antiphonarium

Cantus Gregorianus.

De rebus eccl. c. 22.

Vita S. Greg. L. II. c. 6.

„ rium centonem cantorum ſtudioſiſſimus nimis utiliter compilavit. “ In
Ed. Baſn. T. II. P. III. p. 258. Anonymi vita S. GREGORII apud CANISIUM ita hoc idem recenſetur: „ De-
„ inde propter muſicæ dulcedinem, antiphonarium aliumque cantum, tam
„ in die, quam in nocte per annum canendum, compoſuit, ordinavit, at-
„ que conſtituit.“ Citatus autem IOANNES *Diaconus* ſingula deinceps articulatius explicat de ſchola cantorum, ab eodem ſanctiſſimo Pontifice inſtituta; de lectulo, in quo recubans modulabatur: de flagello, quo pueris minabatur, & de authentico eiusdem antiphonario, *Romæ* magna veneratione aſſervato, pro iis, quæ in Miſſæ ſacrificio ſunt cantanda: de altero enim antiphonario, ſeu reſponſali pro reliquis diu noctuque in eccleſiis celebrari ſolitis officiis, minus conſtat, S. GREGORIUM eſſe eius auctorem; licet id omnino tenendum, ſi verbis Anonymi apud CANISIUM mox citatis ſtandum ſit. Neſcitur porro, quæ in ipſo cantu præſtiterit. Multos *Arnoldus* WION in opere, quod *lignum vitæ* inſcripſit, citat medii huius ævi auctores, WA-
L. V. p. 630. LAFRIDUM, BERNONEM, RADULPHUM, SIGEBERTUM &c. ut aſſerat S. GREGORIUM cantum muſicalem, quem *figuratum* appellant, quod nimis levis & diſſolutus, & ob ſuam laſciviam perſonis eccleſiaſticis minus conveniens videretur, ab eccleſiis exploſiſſe, & ne quid ornatus & concentus inter ſacrificandum deeſſet, graviorem reperiſſe, eundemque cantum *firmum* appellari decreviſſe. At enim cantus muſicalis, quem *figuratum* appellant, nullum prorſus extat veſtigium quinque & amplius poſt S. GREGORIUM ſæculis. Ac
De reb. eccl. c. 22. WALAFRIDUS quidem dicit, tradi beatum GREGORIUM ſicut ordinationem Miſſarum & conſecrationum, ita etiam cantilenæ diſciplinam maxima ex parte in eam, quæ hactenus quaſi decentiſſima obſervatur, diſpoſitionem perdu-
Cap. 25. xiſſe. Et poſtea: „ Ordinem autem (inquit) cantilenæ diurnis, ſeu noctur-
„ nis horis dicendæ Beatus GREGORIUS plenaria creditur ordinatione diſtri-
„ buiſſe, ſicut & ſupra de Sacramentorum diximus libro: cum multi ante,
„ ſive poſt eum orationes, antiphonas, vel reſponſoria compoſuerint.“ Pertinent hæc ad utrumque officium, ſeu antiphonarium, *graduale*, & *reſponſale*, quoad ſacrificium Miſſæ, & horas canonicas; ſed quoad cantus ipſius rationem nihil nobis ſingulare produnt hæc, niſi quod decentiſſimam inſti-
De quibusd. reb. ad Miſſ. pertinent. c. 1. tuerit diſciplinam. Nec plus BERNO innuit. *Sicut*, inquit, *ſapientiſſimus Papa* GREGORIUS *librum Sacramentorum diligentiſſime ad veritatis lineam correxit, ita muſicæ quoque modulationis harmoniam ſatis utiliter compoſuit, ac ordinavit.* SIGEBERTUS alio quidem, quam quos WION citat, loco, ad annum nimirum CHRISTI 592. nihil amplius, quam quod ex IOANNE *Diacono* retulimus, *de antiphonario regulariter centonizato, & utiliter compi-*
De Can. obſerv. Præp. 12. *lato*, habet. RADULPHUS *Tungrenſis* nonnihil explicatius affert. „ Et ex-
„ inde (ait) apud *Romanos* B. GREGORIUS, & VITALIANUS Papæ cantum *Ro-*

manum

„ *manum* receperunt, qui per eos, ſeu per alios, ſub tenore & tono, qui „ hodie cantatur, ubique extitit, magis plane dulcoratus, & ordinatus. “ Loquitur ibi de cantu *Ambroſiano* magis forti, de quo mox, cui iſte opponitur magis *dulcoratus* & *ordinatus*. Quod eo intelligi poteſt, ut regulas ac artem canendi, quam antea ex *Græcia* BOETIUS attulit, & CASSIODORUS paucioribus explicat, GREGORIUS ad ſacrum eccleſiæ revocaverit uſum, quod a nemine antea factum legitur. De qua re luculenter loquitur auctor iam laudati *de Muſica* operis a). Innuitque S. GREGORIUM non obvia ſolum, & natu- a rali muſices vi, ſed arte præſtantem eam eccleſiæ intuliſſe. Atque id eſt, quod S. GREGORIO recentiores etiam in acceptis referunt, quod artem cantandi regularemque uſum ordinarit, veluti ab antiquioribus *Græcis* potiſſimum fuit exculta. Inde coniicere liceret, quod notarum formas, litteras nempe latinas pro græcis ſubſtituerit. Sic vero, S. GREGORIUM ſcalam muſicam invexiſſe, KIRCHERUS vult, quæ per primas alphabethi litteras deſignatur, nimirum *A. B. C. D. E. F. G.* quibus repetitis & duplicatis omnis cantus & muſices varietas comprehenditur. *P. I. Muſurg. p. 216.* Facile per ſe aut alios arte peritos, id quod erat ſacro uſui accommodatum, accepit ac ordinavit, iis haud dubie, quæ antea in eccleſia canebantur, non adeo ad regulas exactis, aut corruptis. „ Quoniam (inquit le BEUF) ſolitum erat cantari tam in Eccleſia *Latina*, quam „ *Græca* longo ante ipſum tempore, ſelegit, quod ipſi magis in omnibus „ illis modulationibus arriſit, atque compilationem fecit, quam antiphona- „ rium centonem appellarunt. Fundamentum cantus erat antiquus cantus „ *Græcorum*, atque iiſdem inſiſtebat principiis. Poterat illum cantum *Italia* „ accommodare ſuo guſtui: uſus cum tempore mutationes fecerat, ut in *Tr. hiſt. de Muſ. c. 1.*

„ aliis

a) „ Sunt præterea (inquit) & alia muſicorum genera aliis menſuris aptata; ſed hoc genus muſicæ, quod nos expoſuimus, peritiſſimorum muſicorum ſanctiſſimorumque virorum ratione ſuaviori, ac defecatiori, & naturali modulatione conſtat perfectum. Sanctiſſimus namque GREGORIUS, cuius præcepta in omnibus ſtudioſiſſime ſancta obſervat Eccleſia, hoc genere compoſitum mirabiliter antiphonarium eccleſiæ tradidit, ſuisque diſcipulis proprio labore inſinuavit. Cum nunquam legatur cum ſecundum carnalem ſcientiam huius artis ſtudium percepiſſe: quem certiſſime conſtat omnem plenitudinem ſcientiæ divinitus percepiſſe. Unde conſtat, quod hoc genus muſicæ, dum divinitus Sancto GREGORIO datur, non ſolum humana, ſed etiam divina auctoritate fulcitur. (Et paulo poſt): Ex quibus probatur, quod Sanctiſſimus Papa GREGORIUS plus omnibus per divinam gratiam huius artis induſtriam ſit adeptus. Nam ſi perpendas, valde mirabile eſt, quod in nocturnis reſponſoriis ſomnolentorum more graviter & diſſolute ad vigilandum nos exhortari videtur: in antiphonis vero plane & ſuaviter ſonat: in introitibus vero quaſi voce præconia ad divinum clamat officium: in *Alleluia* ſuaviter gaudet: in Tractu vero & Gradualibus plane & protenſe humiliataque voce incedere videtur: in offerendis vero & earum verſibus, maximeque in communionibus quantum in hac arte valuerit, patefecit. Eſt enim in eis omnimoda huius artis elevatio, diſpoſitio, duplicatio, dulcedo cognoſcentibus, labor diſcentibus, valdeque ab aliis cantibus diſcrepans mira depoſitio, & non tantum ſecundum muſicam facti, quam muſicæ auctoritatem & argumenta præſtantes. “

„ aliis accidit rebus. S. Pontifex correxit, adiecit, reformavit, quod videbatur. Ut verbo dicam, licet novum contulerit ſolum ordinem, opus tamen eius nomen accepit, communicavitque deinceps toti Eccleſiæ cantui „ nomen cantus *Gregoriani.*" Mos erat per multa Eccleſiæ ſæcula, publice in eccleſia ad Miſſam primæ Adventus dominicæ ante Introitum cani ob hanc rem ſingulare in laudem S. GREGORII carmen. Ritum MABILLONIUS in ſuo Itinere *Italico*, & MARTENIUS deſcribit ex ritualibus *Gallicis* manuſcriptis; atque etiam adhuc ex USUARDI martyrologio, *Pariſiis* an. 1490. edito, id palam eſt, ubi ad calcem hæc leguntur: „ Ad perpetuam rei memoriam „ prima Dominica Adventus ante Introitum Miſſæ in plerisque eccleſiis, & „ ſignanter in eccleſia *Bituricenſi* in ipſius Gradualis initio inſcribitur tanquam „ prooemium libri, & cantatur quod GREGORIUS *Præſul &c,*" Obſervavi hoc in multis antiquis Gradualibus libris cum nonnulla diverſitate: veluti in vetuſtiſſimo libro Sacramentorum, qui extat in bibliotheca monaſterii *Compendienſis*, ubi ita habetur: „GREGORIUS Præſul meritis & nomine dignus, „ ſummum aſcendens honorem renovavit monimenta Patrum priorum, & „ compoſuit hunc libellum muſicæ artis ſcolæ cantorum per anni circulum." In antiquiſſimo monaſterii *S. Galli* antiphonario diffuſius habetur iſtud encomium, quale etiam ab aliis iam fuit notatum a). Adhuc aliter idem inveni carmen in antiquiſſimo codice *Vaticano* litteris uncialibus ſcripto, quod operæ pretium cum primis eſt hic exſcribere:

De antiq. eccl. diſc. c. X. n. 23.

a

GREGORIUS *Præſul, meritis & nomine dignus*
Unde genus ducit, ſummum conſcendit honorem,
Tradidit hic cantum populis normamque canendi,
Quod Domino laudes referant noctuque dieque.
Hic vitam ſcribens hominum, moresque bonorum,
Isdem geſtorum mala non tacuit manifeſta
Omnia, ſed poſt hæc ſenior plenusque dierum
Tranſiit ad Dominum felix feliciter ipſe.
Et quid te per plura morer faſtigia lector?
Quod docuit fieri, fecit & ipſe prior.

Ubi

a) Incipiunt officia per totum anni circulum in die cantanda:
GREGORIUS *Præſul meritis & nomine dignus,*
Unde genus ducit, ſummum conſcendit honorem.
Quem vitæ ſplendore, ſuæ mentisque ſagaci
Ingenio potius compſit; quam comptus ab illo eſt.
Ipſe patrum monimenta ſequens, renovavit, & auxit
Carmina, in officiis retinet quæ circulus anni:
Quæ Clerus dulci Domino modulamine ſolvat.
Myſtica dum vitæ ſupplex libamina tractat:
Suaviter hæc proprius ſervat dulcedo nitelas;
Si quod voce ſonat, fido mens pectore geſtet,
Nec clamor tantum Domini ſublimis ad aures;
Quanto vox humilis placido de corde propinat.
Hæc iuvenum ſectetur amor, maturior ævo
Laudibus his inſtans, æternas tendat ad Horas.

Ubi obſerva verſ. *Hic vitam ſcribens hominum &c.* Quibus verbis indicantur libri Dialogorum, quos quidem *Guil.* CAVÉ, & WARTHONUS cum aliis, levibus argumentis ad GREGORIUM II. referendos putant: qui quidem etiam per errorem a CEDRENO, & in inſcriptione epiſtolarum duarum ad LEONEM *Iſaurum* pro cultu imaginum apud BARONIUM ad an. DCCXXVI. n. 27. GREGORIUS *dialogus* dicitur. Cum tamen ipſe S. GREGORIUS M. aliis ſuis in operibus dialogos iſtos veluti proprium fœtum agnoſcat. Et ubi de vita S. BENEDICTI agit, profitetur diſſertis verbis, ſe quidquid de eo narrat, a quatuor ipſius S. BENEDICTI diſcipulis accepiſſe, quorum duo iam fatis functi, alii vero duo adhuc ſuperſtites in vivis eſſent. Quæ GREGORII M. non ſecundi ætati conveniunt; niſi dicant diſcipulos illos annis vixiſſe circiter ducentis. GREGORIUS II. ad Pontificatum evectus eſt an. DCCXV. cum iam antea vel ſcriptum, vel compoſitum videatur carmen illud, prout ex antiquiſſimo codice deſcriptum dedi. ECCARDUS verſus illos *Gregorius Præſul &c.* ad GREGORIUM Secundum, qui etiam erat *Romanus*, ſpectare vult. Id ut confirmet, ait, CAROLUM Regem *Romanum* cantum ceu rem novam demiratum eſſe, & THEODORUM atque BENEDICTUM *Romanos* cantores, quos ADRIANUS Pontifex ad CAROLUM miſerat, iuxta monachi *Engoliſmenſis* narrationem, dixiſſe ſe doctos eſſe a S. GREGORIO. Sed hoc de magiſterio, ac diſciplina cantus, a S. GREGORIO M. profecta interpretari licet, nec ſi etiam de GREGORIO II. accipiatur, rem conficit; cum aliunde conſtet, dudum ante GREGORIUM II. cantum *Romanum* celebrem fuiſſe. Taceo teſtem IOANNEM *Diaconum* ſub GREGORIO M. a SS. AUGUSTINO & ſociis, & poſtea ſub VITALIANO, certe BEDA habet, ſub AGATHONE P. ut mox patebit, in *Angliam* translatum: in *Galliam* vero dum venit ſub PIPINO, CAROLI M. patre, CAROLO M. novus adeo eſſe haud potuit. Porro obiicit ECCARDUS etiam ſilentium ſcriptorum, qui de geſtis GREGORII M. aliquid memoriæ prodiderunt ante IOANNEM *Diaconum*, qui trecentis poſt GREGORIUM M. annis cum vixerit, teſtis idoneus eſſe haud potuerit. At vero teſtimonia de GREGORIO II. proferre debuiſſet ECCARDUS ante vel etiam poſt IOANNIS *Diaconi* tempora, poſt quem omnes veteres Scriptores ac recentiores plerique, monumenta etiam liturgica pro GREGORIO M. ſtant a). In MS. *San-Gallenſi* mille circiter

Rer. Franc. L. XXV. p. 718.

a an-

a) „ Nam (ſtudioſe hic appono verba FLACCI *Illyrici* coryphæi centuriatorum *Magdeburg.* ex præfat. ſeu dedicatione celebris Miſſæ latinæ ad HENRICUM *Palatinum*, a me exſcripta ex rariſſimo exempl. Bibl. *Vindob.* p. 78.) & GREGORIUS in Regeſto ſuo fatetur, ſe partim veteres conſuetudines ac cantilenas inſtauraſſe, partim novas compoſuiſſe. Unde liquido apparet, multas veteres cantilenas collapſas, neglectasque fuiſſe. Quare GREGORIUS quaſi de integro omnem formam Miſſæ, aliorumque eccleſiæ rituum compoſuit, ſicut ante eum potiſſimum DAMASUS, GELASIUS & COELESTINUS fecerant. (Et poſtea p. 94.) Quis vero auctor cantus ſit, certatur, & lis eſt adhuc ſub iudice: plerique tamen tribuunt GREGORIO," quod &

annorum, quod iam ſuperius adduximus de antiquioribus S. GREGORIO Pontificibus cantus *Romæ* inſtauratoribus, imprimis S. GREGORIUS laudatur, quod cantum anni circuli nobilem ediderit, ac ſubditur: „Poſt hunc MARTINUS Pa-
„ Papa ſimiliter & ipſe anni circoli cantum ededit. Poſt iſtos quoque CATOLE-
„ NUS Abba ibi deſerviens ad ſepulchrum ſancti PETRI, & ipſe quidem annum
„ circoli cantum diligentiſſime ededit. Poſt hunc quoque MAURIANUS Abba
„ ipſius ſancti PETRI Apoſtoli ſerviens annalem ſuum cantum & ipſe nobile or-
„ dinavit. Poſt hunc vero DOMNUS Vir bonus Abba & omnem cantum anni cir-
„ coli magnifice ordinavit. Si quis, poſtquam iſta cognoverit cuſtodire vel ce-
„ lebrare, in quantum DEO iubente valuerit, neglexerit, aut ſi melius a-
„ liunde ſcire vel accepiſſe exemplum fortaſſe iactaverit, dubium non eſt,
„ quod ipſe ſibi fallit & in caligine erroris ſemetipſum infeliciter demergit &c.“
De Abbatibus apud S. PETRUM conferri poſſunt, quæ circa finem ſuperioris libri ſcripſimus de Curſu canonico, a monachis apud *Vaticanum* olim decantari ſolito. De S. GREGORIO M. plura dicemus infra non uno loco.

Cantus AMBROSIANUS.

Diſquiſit. II. n. 530.

V. Celebris ſemper, & a *Romano* diſtinctus fuit per hæc etiam medii ævi tempora cantus *Ambroſianus*. Inter alios P. EUSTACHIUS *a S. Ubaldo de Cantu a D.* AMBROSIO *in Mediolanenſem eccleſiam inducto* aſſertum it, cantum *Romanum* ab *Ambroſiano* informatum obtinuiſſe, donec *Gregorianus* adoptaretur. De cantu *Ambroſiano* „Sancti quoque (pergit laudatus paulo ante auctor poſt ea, quæ ex illo in commendationem cantus *Gregoriani* re-
„ tulimus) AMBROSII prudentiſſimi in hac arte *ſymphonia* nequaquam ab hac
„ diſcordat regula, niſi in quibus eam nimium delicatarum vocum pervertit
„ laſcivia. Experimento namque didicimus, quod plurimi diſſoluti mente
„ huiusmodi voces habentes, nullum pene cantum ſecundum veritatis re-
„ gulam, ſed magis ſecundum propriam voluntatem pronuntiant, maxime
„ inanis gloriæ cupidi. De qualibus dicitur, quia ignorata muſica de can-
„ tore ioculatorem facit. Pro quo ſanctus ISIDORUS ponit, quia talibus vo-
„ cibus famulatur DEO. Pro quo etiam nos alia muſicorum genera tracta-
„ re contempſimus, & hoc ſolum, quod ipſi Philoſophi primum & naturale
„ affirmant, recepimus.“ Intelligenda ſunt hæc de ſimplici *diatonico* genere, quod ſemper in cantu *chorali* hactenus ſervatur, convenitque in hoc *Ambroſianum* cum *Gregoriano*; at in quonam differant, non adeo pronum eſt decidere. Quodſi rem a ſua origine repetamus, & in quo S. AMBROSIUS ipſe elaborarit, conſideremus, nimirum in metricis concinnandis hymnis, quorum ipſa pedum dimen-

mihi eſt veriſimilius, quamquam quidam LUITPRANDO Regi *Longobardorum*, quorum profecto inſtitutā CAROLUS, oppreſſa ea gente, non paſſus fuiſſet in ſuo imperio invaleſcere: at vero ita ſentiam, etiam eo argumento confirmor, quod in admodum vetuſto *Graduali* hoſce verſus aureis litteris adſcriptos inveni. *Gregorius Præſul &c.* “

dimenſio muſicæ quoddam genus in illa priorum temporum ætate conſtituit, in hoc iam aliquod cantus *Ambroſiani* a *Romano* diſcrimen deprehendere licet. Obſervat nimirum ex Thomasii antiphonalibus p. 12. Mabillonius in ſuo *Muſæo Italico*, commentario nimirum in ordinem *Romanum*, eccleſiam *Romanam* antiquitus non admiſiſſe hymnos in divinis officiis a). *T.II. p. 128.* a Ipſa *rhythmi metrique* ratio, quatenus cum *cantu melodico* coniuncta eſt, propria dici poteſt cantui *Ambroſiano*, inde in alia cantionum eccleſiaſticarum genera traducta, uti ex Ioannis muſica diſcimus. „Sunt (inquit is) & aliæ quam „ plurimæ modulandi ſpecies egregiæ, quas omnes, ne tædium potius, quam „ doctrinam lectoribus ingeramus, enarrare non oportet. Cantus tamen huius- „ modi muſici accuratos vocant. Hos etiam metricos per ſimilitudinem ap- „ pellant, quod more *metrorum* certis legibus dimetiantur, quemadmodum „ ſunt *Ambroſiani*." Pertinent ea ad ipſam modulationis rationem, prout etiam *neumas* medio hoc ævo appellare ſolent, præſertim, ſi uni ſyllabæ duæ aut plures applicantur notæ, ac continuatior cantilatio: de quibus Guido in ſuo micrologo b), quoad comparationem imitationemque ſoni, ut ita dicam b *rhyt-*

a) „ Idque (inquit) manifeſtum eſt, tum ex Amalarii ſupplemento, tum ex libris Benedicti Cencii camerarii hic editis: ex quibus apparet, hunc morem ad ſæculum XII. perſeveraſſe. Eundem ferme retinuerunt eccleſiæ *Lugdunenſis* & *Viennenſis*, in quibus nulli hactenus hymni ad vigilias nocturnas & laudes matutinas, imo nec ad veſperas, ceteraſque horas præter completorium: in quo etiam *Romana* eccleſia primum ab aliquot ſæculis hymnos admiſit, deinde alios in ſingulis officiis. Lege Radulphum Decanum *Tungrenſem* propoſitione XIII. Thomasius ſibi obiicit hoc loco Udalricum in conſuetudinum *Cluniacenſium lib. II. c.* 52. ubi fit mentio hymnorum eccleſiæ *Romanæ*. Verum id de particularibus quibusdam urbis eccleſiis vir doctus interpretatur. "

b) Variebantur (inquit c. 15.) hæ vel omnes *neumæ* cum alias ab eadem voce incipiant, alias de diſſimilibus ſecundum laxacionis & acuminis varias qualitates. Item ut ad principalem vocem, id eſt, finalem, vel ſi quam affinem eius pro ipſa elegerint, pene omnes diſtinctiones currant: & eadem aliquando, quæ terminat vox *neumas* omnes vel plures diſtinctiones fiant, aliquando & incipiat, ſicut apud Ambrosium curioſus invenire poterit. Sunt vero quaſi proſaici cantus, qui hæc minus obſervant: in quibus non eſt curæ, ſi aliæ maiores aliæ minores partes & diſtinctiones per loca ſine diſcretione inveniantur more proſarum. *Metricos* autem cantus dico: quia ſæpe ita canimus, ut quaſi verſus pedibus ſcandere videamur, ſicut fit, cum ipſamet canimus. In quibus cavendum eſt, ne ſuperfluæ continuenter *neumæ* diſſyllabæ, ſine admixtione triſyllabarum ac tetraſyllabarum. Sicut *lyrici* poetæ nunc hos nunc illos adiunxere pedes. Ita & qui cantum faciunt, rationabiliter diſcretas, id eſt, diverſas componunt *neumas*. Rationabilis enim diſcretio eſt, ſi ita fit *neumarum* & diſtinctionum moderata varietas: ut tamen *neumæ neumis* & diſtinctiones diſtinctionibus quadam ſemper ſimilitudine ſibi conſonanter reſpondeant, id eſt, ſit ſimilitudo diſſimilis more perdulcis Ambrosii. Non autem parva ſimilitudo eſt *metris* & cantibus: cum & *neumæ* loco ſint pedum, & diſtinctiones loco verſuum, utpote iſta *neuma dactilico*, illa vero *ſpondacio*, illa *iambico* metro decurret, & diſtinctionem *tetrametram* nunc *pentametram* alias quaſi *hexametram* cernes, & multa alia: ut elevatio & poſitio tum ipſa ſibi, tum altera alteri ſimilis vel diſſimilis præponatur, ſupponatur, apponatur, interponatur alias coniunctim alias diſiunctim alias commixtim ad hunc modum. Item ut in unum terminentur partes & diſtinctiones neumarum atque verborum, nec tenor longus in quibusdam brevibus ſyllabis aut brevis in longum obſcenitatem parat. "

rhythmici cum melodia cantus, in *Ambroſiano* cantu, hymnis *metricis* abundante, magis conſpicui. Atque hinc muſicæ figuratæ originem eſſe repetendam poſtea declarabitur. De cantus antiphoni (quem a S. Ambrosio in Occidentem invectum ſupra memoravimus) mutationibus ac uſu in divinis officiis ſparſim diſſeremus ſuis locis. De pſalmis & antiphonis pſalmodiæ quotidianæ quale fuerit cantus *Ambroſiani* a *Gregoriano* ſeu *Romano*
a diſcrimen Radulphus *Tungrenſis* declarat a). *Mediationes*, de quibus inter alia mentionem facit, ſunt, dum in medio pſalmorum toni mutantur, quod in cantu *Romano*, non vero *Ambroſiano* fit, in fine tamen utrinque. Atque hoc quoad pſalmodiam; quoad liturgiam vero & cæteras cantus eccleſiaſtici partes idem agnoſcit *Romanum* ab *Ambroſiano* non pauca mutuaſſe, quæ
De Can. obſerv. Prop. XXIII. ſe produnt proprietate cantus *Ambroſiani*. „Et qui videt (inquit) *Ambroſianum* aperte cognoſcit, quod cantus Miſſæ, epiſtolæ, & evangelia, & „plures orationes, reſponſoria, & antiphonæ, & cætera officia recepta ſunt „ab illo. Et huius ſignum eſt, quia cantus concurrentes utrobique ſunt „eiusdem toni, ut Introitus *Gaudeamus* utrobique eſt primi toni, ſed nota „*Ambroſiana* eſt fortior, durior & magis extenſa.“ Omnia vero hactenus dicta idem iam antea eſt complexus, quoad univerſum cantandi in ſacris officium ac modum, prout *Ambroſianum* eſt a *Romano* diſtinctum, longe poſt
b ipſum S. Ambrosium medio nimirum decurrente ævo b). Videntur ea non ſatis convenire cum illis, quæ ex S. Augustino retulimus, quam dulcedine cantus eccleſiaſtici eccleſiæ *Mediolanenſis* afficeretur: & modo vidimus perdulcem a Guidone laudari S. Ambrosium; ſed hoc vel de mellifluis Sancti Doctoris hymnis intelligi poteſt, vel dici, adhuc ſuavitate victum fuiſſe *Ambro-*

a) „Antiphonæ enim (inquit de canonum obſerv. Prop. X.) pertinent ad pſalmos decantandos. Et ita Beatus Gregorius ad ſingulos pſalmos dictarum horarum antiphonas ordinavit. Sed aliqui aliquando in laudibus, aliquando in veſperis hunc decorem pervertunt, de quo poſterius dicetur. Dictæ vero quinque horæ minores ſervari debent ſub una pſalmorum antiphona. Imo in *Ambroſiano* officio non habent antiphonas. Et Benedictus in minoribus congregationibus concedit in illis pſalmos dici directance ſine antiphona. Et debent antiphonæ imponi ante inchoationem pſalmorum. Et hoc obſervetur, etiam ſi quis privatim dicat horas, ut ſervant *Romani* & *Ambroſiani*. Cantantur autem pſalmi *Ambroſiano* & *Romano* more in fine verſuum per tonos. In medio vero *Ambroſianum* pſalmos in omni tono pſallit plane. *Romanum* autem officium habet diverſas mediationes. In quibus ſunt diverſi mores ſecundum diverſas eccleſias & nationes: tamen *Romæ* in antiquis libris vidi mediationes ſatis noſtro uſui concordantes.“

b) „Tempore (inquit) ſucceſſivo apud *Latinos* & ad Miſſam & ad alias horas divinas cantus publicus cum hymnis *metricis* eſt introductus. Unde in chronicis legitur, quod Ambrosius ritum antiphonarum in eccleſia canendarum primus a *Græcis* transtulit ad *Latinos*. Hic etiam poſt Hilarium hymnos canendos primus compoſuit. Officium enim *Ambroſianum* ad *nocturnos*, & *matutinas*, atque *veſperas*, *laudes*, nec non ad Miſſam habet ſolemnem, & fortem cantum, omnino alium a *Romano*, quem hodierna die, ſonora & forti voce ſervant clerici civitatis, & diœceſis *Mediolanenſis*. Et exinde apud *Romanos* B. Gregorius & Vitalianus Papæ cantum *Romanum* receperunt, qui per eos ſeu per alios ſub tenore & tono qui hodie cantatur, ubique extitit magis plane dulcoratus, & ordinatus.“

Ambroſianum cantum a *Romano*, prout a S. GREGORIO & VITALIANO fuit ordinatus, licet etiam Auctor, qui in *MS. San-Blaſ.* adiectus eſt dialogo ODDONIS de muſica, dulcedinis laudem præcipuam tribuat S. AMBROSIO. „ Sanctus vero AMBROSIUS (inquit) in ſola dulcedine mirabiliter laboravit: „ aliique quam plurimi, prout a Domino acceperunt diviſa munera eius ga- „ zophilacio contulerunt. Ille autem maxime auctoritati eccleſiæ contradi- „ cit, qui propter aliorum cantus divinum Beati GREGORII donum penitus „ prætermittit. Nam cum alia ſint accipienda, tanti tamen Patris auctoritas „ ſummopere eſt veneranda." Sparſim quædam de cantu *Ambroſiano* colligi poſſunt ex BEROLDI *Mediolanenſis* ordine & cæremoniis eccleſiæ *Ambroſianæ Mediolanenſis* ſæc. XI. e. g. „ A primo die dominico *Kalendarum Octubrium* „ uſque ad Ramos Palmarum cum canticis cantatur *Domine audivi*, & *Be-* „ *nedictus es Domine DEUS patrum noſtrorum* in tono maiori, & in Na- „ tale Domini uſque ad octavam & in Epiphania ſimiliter. Reliquo ſpatio „ *Clamavi ad Dominum DEUM*, & *Benedictus es* in æſtivali tono." Et poſtea de veſpertinis horis. „ Puer Magiſtri ſcholarum in Sabbatis, & do- „ minicis diebus, & in præcipuis ſolemnitatibus veſtitus camiſiolo, aſcen- „ dit pulpitum & cantat *Confitemini* leni voce caput & verſum & iterum „ caput. Et magiſter ſcholarum ſimiliter cum pueris ſuis leni voce in Sab- „ batis &c." Et paulo poſt: „ Tunc Terminarius lector ebdomadarius canit „ lucernarium in Sabbato tantum caput & verſum leni voce, & magiſter ſcho- „ larum ſimili modo leni voce cum pueris ſuis. Deinde lector, qui inci- „ pit, & chorus, qui ſumit, omnes excelſa voce. In dominicis autem die- „ bus Terminarius lector, qui habiturus eſt hebdomadam eodem modo ca- „ nit, excepto in Sabbato Sancto uſque ad octavam Reſurrectionis: In qui- „ bus canitur tantum *Alleluia* cum ſuo verſu: *Dominus illuminatio mea.* In „ quotidianis vero diebus puer magiſtri ſcholarum ſemper canit: *Dominus* „ *illuminatio mea* maiori tono &c."

Ap. Murator. T. IV. antiq. Ital. col. 863. & 874.

VI. De cantu *Ambroſiano* e medio tollendo, ac cum *Gregoriano* commutando ſubinde actum hoc medio ævo legimus. MARSICANUS de STEPHANO nono ſcribit: *Ambroſianum cantum in eccleſia iſta Caſinenſi cantari penitus interdixit.* Huc pertinet, quod in annal. BENED. ad 1057. meminit MABILLONIUS, cantui *Ambroſiano*, qui *ſonorus & fortis eſt*, ſubſtitutum *Gregorianum* dulcem magis & ordinatum. Antea factum reor, ut in *Capuana* eccleſia cantus *Ambroſianus* ſuſciperetur. Qua de re documenta collecta a Card. SIRLETO hodie ſervari in Archivio Archiepiſc. *Mediolan.* mihi conteſtatus eſt *Io. Bapt.* CASTIGLIONE can. ad S. STEPHANUM, qui parat monumenta eccl. *Ambroſ.* edenda. Mirabile vero eſt, quod ex LANDULPHO ſe-

Eius cum officio Ambroſiano fata in Italia, & Germania.

Chron. Caſin. L. II. c. 97. *T. IV. p.* 571.

T. I. Muſ. Ital. p. 106. *L. V. c.* 2. ſeniore in hiſtoria Epiſcoporum *Mediolanenſium* refert Mabillonius, dicitque apud Mombritium, & in veteri breviario *Mediolanenſi* haberi; itemque Durandus narrat ex vita S. Eugenii Epiſcopi de numeroſo Concilio temporibus Caroli M. & Hadriani P. *Romæ* celebrato. Vix vero vel ea, quæ de violentia a Carolo M. adhibita traduntur, fidem invenient: *Apud Bolland. 28. Ianuarii n.* 26. de quo vitæ eius ſcriptor: *Per omne vitæ ſuæ tempus ita cum ſummo omnium amore atque fervore & domi, & foris converſatus eſt, ut numquam ei vel minima iniuſtæ ſeveritatis nota a quoquam fuiſſet obiecta.* Sed id inſtigantibus Epiſcopis, qui id in ſynodo decreviſſe dicuntur, feciſſe memoratur, *ut quidquid in cantu & miniſterio divino inveniret a Romano diverſum, totum deleret, & ad unitatem myſterii Romani redigeret.* Quamobrem *Mediolanum* profectus, *omnes libros Ambroſiano titulo ſigillatos, quos vel dono, vel pretio, vel vi habere potuit, alios combuſſit, alios trans montes, quaſi in exilium miſit.* Narratur deinceps, qua ratione S. Eugenius, ut *Ambroſianus* ordo *Mediolanī* ſaltem ſervaretur, obtinuerit, non ſine divina atteſtatione, ſimiliter ac apud Durandum legitur: qui tamen alteram addit relationem a) poſt priorem, quæ congruit illis, quæ ex Landulpho ſcriptore plus ſeptingentorum annorum narrat Mabillonius. Additque, mox Eugenium voti ſui compotem *Mediolanum* properaſſe, ut *Ambroſiani* ritus libros recolligeret; ſed nihil præter miſſale recuperare potuiſſe, quod pius quidam Sacerdos furtim ſubduxerat. Manuale autem poſtea curante Eugenio nonnullos Sacerdotum & Clericorum, qui multa memoriter retinebant, convenientes in unum, DEO opitulante, reſtituiſſe. „Qua in narratione „licet quædam ſubleſtæ fidei (inquit Mabillonius) videantur, tamen res „ipſa vera eſſe poteſt. Certe ab eo tempore ritus *Ambroſianus* ſemper „manſit uniformis, ut ex relictis antiquis libris deprehendimus: niſi quod „ſubinde facta eſt novorum feſtorum, ut moris eſt, acceſſio.“ Rei ſummam

a) „Ubi ſtatutum eſt (ut habetur apud Durandum) quod *Gregorianum* deberet univerſaliter obſervari, ad quod Carolus Imperator omnes clericos minis & ſuppliciis per diverſas provincias cogebat, libros *Ambroſiani* officii comburens. Beatus vero Eugenius ad Concilium quoddam propter hoc convocatum veniens, invenit ipſum Concilium per triduum iam ſolutum, inducens Dominum Papam, quod omnes Prælatos qui Concilio interfuerant, & iam per tres dies receſſerant, revocaret. Concilio igitur iterum congregato, omnium Patrum fuit una ſententia, quod miſſale *Ambroſianum* & *Gregorianum* ſuper altare S. Petri Apoſtoli ponerentur, quam plurimorum Epiſcoporum ſigillis munita, & fores eccleſiæ clauderentur, & ipſi tota nocte orationi inſiſterent, ut Dominus per aliquod ſignum indicaret, quod horum magis ab eccleſia ſervari vellet, ſicque per omnia factum eſt. Mane igitur eccleſiam intrantes, utrumque miſſale ſuper altare apertum invenerunt: vel ut alii aſſerunt, miſſale *Gregorianum* penitus diſſolutum, & huc illucque diſperſum invenerunt. *Ambroſianum* vero ſolummodo apertum ſuper altare in eodem loco, ubi poſitum fuerat, invenerunt. Quo ſigno edocti ſunt divinitus *Gregorianum* officium per totum mundum diſpergi: *Ambroſianum* vero tantum in ſua eccleſia obſervari debere, & ſic uſque hodie ſervatur. “

mam etiam enarrat GUAGUINUS apud DEMOCHAREM in vita CAROLI M. *L. IV. c. 12.* *Cum vero*, ait, *de rebus divinis & vario canendi genere Sacerdotes diſceptare audiret, propterea, quod Ambroſianum illo tempore atque Gregorianum morem promiſcue clerus obſervabat, obtinuit, ut Gregoriano reliquus orbis, Ambroſiano Mediolanenſis eccleſia uteretur.* Ex ipſis vero relatis ibi a MABILLONIO epiſtolis PAULI Sacerdotis, & GEBEHARDI religioſorum virorum ſanctæ eccleſiæ *Ratisbonenſis*, miſſis ad Presbyterum MARTINUM theſaurorum Sancti AMBROSII cuſtodem, & ANSELMUM, pro officio *Ambroſiano*, conſtat, ſuccedentibus adhuc temporibus, CONRADI nimirum *Salici*, alias eccleſias ſtudioſas fuiſſe copulandi utrumque, *Ambroſianum* nimirum cum *Romano* ritu ac cantu a). Neque vero hæc aliena exiſtimes a præſenti argumento; in ſequenti enim epiſtola ad quæſtionem MARTINI, utrum antiphonarium cum notulis, vel ſine notulis habere velint, nihil *Ambroſianæ* integritatis deeſſe ſibi velle reſpondent: *Quoniam*, aiunt, *ipſa ſpecies operum eius & uſum eorum neſcientes oblectat. Mitte ergo antiphonarium cum notulis, & ſacramentarium cum ſolis orationibus & præfationibus Ambroſianis.* Solumque geſta Sanctorum excepta volunt. *Nam*, aiunt, *geſtis Sanctorum, quæ Miſſarum celebrationibus apud vos interponi ſolent, non indigemus, quoniam his abundamus.* Sunt hæc molimina ad officium cantumque *Ambroſianum* etiam in *Germania* inſtaurandum, diviſo iam *Francico* regno, poſtquam ſub *Carolingica* ſtirpe, eccleſiæ *Mediolanenſi* remiſſo officio & cantu ſuo, *Gregorianum* undique fuit receptum officium cum cantu. Apud PURICELLUM in monumentis Baſilicæ *Ambroſianæ* perhibentur ſæc. XII. canonici *Mediolanenſes melodias Francigenas* cantui *Ambroſiano* miſcuiſſe. In antiphonario *Ambroſiano* ſæc. XIII. circ. occurrit *Halleluia & lilium convallium*, inſcriptum *Francigena*, cum notis muſicis a cantu *Ambroſiano* diverſis. *Francigenas Italiam* cantando peragraſſe diſcimus ex decreto *Bononienſi* anni 1288. apud GHIRARDACCI in hiſtor. *Bonon. Cantores Francigenorum in plateis communibus ad cantandum omnino morari non poſſent.*

p. 95. &c. — a — *p. 97.*

VII.

a) „Quoniam (ſcribunt p. 96.) princeps in divinis laudationibus apud *Latinos* præfulſiſſe cognoſcitur mellifluus Doctor AMBROSIUS, idcirco, ne ingrati ſimus tam ſanctis primordiis, habere delectamur notitiam tantæ auctoritatis. Hoc dicimus, quoniam probitatem tuam admirari comperimus, cur nos, qui habemus ordinem *Romanum*, ſimul habere geſtiamus *Ambroſianum*. Fuit olim tanta *Mediolanenſis* eccleſiæ gratia & excellentia, ut AURELIO & AUGUSTINO, cæteriſque *Africanis* Præſulibus non ſufficeret in dubiis rebus *Romanum* conſulere Pontificem, niſi pariter conſulerent & *Mediolanenſem*. Deſine ergo admirari imitatrices ſanctorum Patrum inquiſitiones noſtras, & adhibe oportunas opitulationes tuas: ut ordo AMBROSII, dulciſſimi Sancti Spiritus organi, quem diſcipulus eius doctor eximius AUGUSTINUS traduxit in *Africam*, nobis transferatur in *Germaniam*, ad excitandam & dilatandam boni odoris fragrantiam.“

Ritus Mozarabici in Hiſpania mutatio. VII. Simile aliquid, quod nunc de officii mutatione narravimus, accidiſſe in eccleſia *Hiſpanica* ſub ALPHONSO V. & GREGORIO VII. memoriæ proditum eſt, de inducendo novo officio, quod *Ambroſianum* vocat CHEVREAU *lib.V. c.* 11. apud auctorem *Gallum* hiſt. muſicæ *T. I. p.* 203. *Gallicanum* vero dicitur in narrat. RODERICI *Tolet.* quam legere eſt apud LABBEUM. (*T. X. p.* 481. 482.) Id vero quei accidere potuerit, non video, ſi de veteri *Gallicano* officio res ſit, quod conſtat apud omnes non ultra obtinuiſſe, quam uſque ad PIPINI & CAROLI M. tempora, ut poſt alios ſcribit LANGLET (*Tabul. chron. P. II. p.* 107.): donec nimirum cantus *Gallicanus* cum *Romano* eſt commutatus. Qua de re paulo poſt, nimirum de cantu *Gallicano*, qui plurimum conveniebat cum *Ambroſiano*. S. HILARIUS ante S. AMBROSIUM hymnis componendis ſtuduit, quales officio divino intuliſſe potiſſimum vidimus S. AMBROSIUM, idque ſingulare & præcipuum fuit habitum in officio & cantu *Ambroſiano*, forte etiam in *Gallicano*, ut in *Hibernico*. Fuiſſe quidem in *Hiſpania*, qui hoc genus laudis divinæ ſtudio humano compoſitum refugerent, ex Concilio *Toletano* IV. (*Can.* 11.) diſcimus, ubi illa tergiverſatio fuit reiecta ſub anathematis pœna. „Sicut ergo orationes, ita & „hymnos in laudem DEI compoſitos nullus noſtrum ulterius improbet: ſed „pari modo in *Gallia*, *Hiſpania*que celebret, excommunicatione plectendi, „qui hymnos reiicere fuerint auſi.“ Qui præſediſſe huic Concilio dicitur S. ISIDORUS *Hiſpalenſis*, cantus eccleſiaſtici ac muſicæ, de qua quædam etiam ſcripſit, paſſim ſe ſtudioſum declarat: an autem ſingulare aliquid in cantu ordinando præſtiterit in officio *Hiſpaniæ* peculiari, quod *Iſidorianum* dicitur, poſtea diſcutietur. Id vero dubium eſſe nequit, cantum & melodiam ſuam eſſe debuiſſe peculiari illi ritui conſtitutum, *ut in univerſis Hiſpaniæ eccleſiis preces privatæ, Miſſarum oblationes, & omnes publicæ pſalmodiæ unico & eodem exemplo a Sacerdotibus celebrarentur*, ut loquitur *Alv.* GOMECIUS (*L. II. De rebus geſtis Franc. Ximenii.*), ortum & fata illius proſecutus a). Dum poſtea, *Mauris Arabibus*que rerum potientibus, chriſtiani, iis permixti, eo officio uterentur, *Mozarabicum* a Chriſtianis cum *Arabibus* mixtis fuit dictum. De quo conſervando tam ſtudioſa ſemper fuit eccleſia *Hiſpanica*; licet pervincere haud potuerit ſub dicto ALPHONSO, ne *Gallicanum* officium tam in pſalterio, quam in aliis, nunquam ante ſuſceptum, induceretur, ſi narrationi illi fides, quam hic ex libro VI. cap. 26. RODERICI *Tolet.* inſerimus, uti in Conciliorum col-

a) „Cura (inquit) hunc ordinem inſtituendi ISIDORO Pontifici *Hiſpalenſi*, ſumma tunc ſanctimonia & doctrina claro, demandata fuit. Quamquam in hoc auctores variant: nonnulli enim LEANDRUM *Hiſpalenſis* eccleſiæ antiquiorem antiſtitem, ei muneri præfectum, aſſerunt, cui ISIDORUS comes datus fuerit. Sed illud conſtat, ab ISIDORO cum ritum *Iſidorianum* officium fuiſſe nuncupatum. Perſeveravit in *Hiſpaniis* eccleſiis hæc ſacrorum religio quamdiu res *Gothorum* in ea floruerunt: hoc eſt centum viginti circiter annos uſque ad miſerandam illam calamitatem, cum per *Mauros Arabes*que univerſa pene regio cæde, incendiiſque vaſtata, fuſis, fugatiſque *Hiſpanorum* copiis in *Barbarorum* ditionem venit.“

colleſtione legitur a), agente maxime RICHARDO legato pontificio, ante revocationem ab URBANO factam. Equidem iam ſub GREGORIO VII. RICHARDUS in *Hiſpania* fuit, hæcque geſta ſunt, uti obſervat *Chriſt.* LUPUS. Hic vero notatum velim teſte MURATORIO, pſalterium *Ambroſianum* in non paucis a *Romano* diſcrepare (quod eſt vetus *Gallicanum*, ut paulo poſt probabitur) tum verbis, tum ſenſibus, tum verſiculorum ordine; neque tamen omnino concordare cum ea verſione, quæ Sancto AMBROSIO in uſu fuit. Forte hæc verſio cum antiquitus in *Romana* eccleſia uſitata convenit. Quo vero tempore medio inter D. AMBROSII & noſtram ætatem peculiarem illam verſionem adoptarit, non liquet. Cum vero ſæculo XI. ut mox oſtendemus, eccleſia *Romana* veteri ſua verſione adhuc uſa ſit, mirum ſit, *Romanum* Pontificem, præſertim GREGEGORIUM VII. haud fuiſſe operam daturum, ut conforme eccleſiæ *Romanæ* pſalterium, perinde ac officium reliquum ſuſciperetur in *Hiſpania*. Certe GOMECIUS de rebus geſtis *Fr.* XIMENII lib. II. de ritu *Gregoriano*, in locum *Toletani* ſubſtituendo, decertatum conſtanter aſſeverat. Etiam *Io.* MARIANA *Romanum* nominat. Ubi eam immutationem aliquoties iam antea tentatam, non tamen ſucceſſiſſe, teſtatur. Ex ſententia autem *Chriſt.* LUPI, *Romanum* officium, ut ipſi invidiam faciat, *Hiſpanus* Epiſcopus vocat *Gallicanum*. Hunc ipſe adducit LABBEUS, ubi nominatim translationis pſalterii præter officium Miſſæ meminit. Unde RODERICUM ex RODERICO interpretari licet, officium *Romanum* cum verſione pſal-

a *T. VI ſchol. in ſynod. p. 27. Antiq. medii ævi T. IV. diſſert. LVII. p. 859.* *L. IX. de rebus Hiſp. c. 18.* *T. VI. p. 28.* *Rod. Tolet. lib. VI. de reb. Hiſp. c. 26.*

a) „Verum ante revocationem (Tom. X. Conc. pag. 481. edit. Labb.) clerus & populus totius *Hiſpaniæ* turbatur, eoquod *Gallicanum* officium ſuſcipere a Legato & Principe cogebantur, & ſtatuto die, Rege, Primate, Legato, cleri populique maxima multitudine congregatis, fuit diutius altercatum, clero, militia, & populo firmiter reſiſtentibus, ne officium mutaretur, rege a regina ſuaſo, contrarium minis & terroribus intonante. Ad hoc ultimo res pervenit, militari pertinacia decernente, ut hæc diſſenſio duelli certamine ſedaretur. Cumque duo milites eſſent electi, unus a rege, qui pro officio *Gallicano*, alter a militia & populis, qui pro *Toletano* pariter decertarent, miles regis illico victus fuit, populis exultantibus, quod victor erat miles officii *Toletani*. Sed rex adeo fuit a regina CONSTANTIA ſtimulatus, quod a propoſito non diſceſſit, duellum iudicans ius non eſſe. Miles autem, qui pugnaverat pro officio *Toletano*, fuit de domo *Matantiæ* prope *Piſoricam*, cuius hodie genus extat. Cumque ab hoc magna ſeditio in militia & populo oriretur, demum placuit, ut liber officii *Toletani*, & liber officii *Gallicani* in magna ignis congerie ponerentur. Et indicto omnibus ieiunio a Primate, Legato & Clero, & oratione ab omnibus devote peracta, igne conſumitur liber officii *Gallicani*, & proſiliit ſuper omnes flammas incendii, cunctis videntibus & Dominum laudantibus, liber officii *Toletani*, illæſus omnino a combuſtione incendii alienus. Sed cum rex magnanimus, & ſuæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec ſupplicatione ſuaſus voluit inclinari, ſed mortis ſupplicia & direptionem minitans reſiſtentibus, præcepit, ut *Gallicanum* officium in omnibus regni ſui finibus ſervaretur. Et tunc cunctis flentibus & dolentibus inolevit proverbium: *Quo volunt reges, vadunt leges.* Et tunc *Gallicanum* officium tam in pſalterio, quam in aliis nunquam antea ſuſceptum, fuit in *Hiſpaniis* obſervatum, licet in aliquibus monaſteriis fuerit aliquanto tempore cuſtoditum, & etiam translatio pſalterii in plurimis eccleſiis cathedralibus & monaſteriis adhuc hodie recitatur.“

pſalterii *Gallicani* ab eo officium *Gallicanum* vocari, qua ratione nempe in *Galliis* tunc officium *Romanum* agebatur, idque Rex immutari permiſerat ad inſtantiam uxoris Constantiæ, quæ erat de partibus *Galliarum.*

Cantus Gregoriani in Anglia propagatio.

VIII. Sed ad nos propius, cantumque *Romanum* redeamus, ut a S. Gregorio ordinatus, brevique per Occidentem fertur ſparſus: in *Angliam* quidem, ſi Ioanni *Diacono* fides, adhuc ipſius ſancti illius Pontificis tempore, & iterum ſub Vitaliano. „ Huius Gregorii tempore (inquit in vita S. Gregorii) cum Augustino *Britannias* adeunte, per Occidentem quoque *Romanæ* inſtitutionis cantores diſperſi, Barbaros inſigniter docuerunt. Quibus defunctis, occidentales eccleſiæ ita ſuſceptum modulationis organum „ vitiarunt, ut Ioannes quidem *Romanus* cantor cum Theodoro, æque cive *Romano*, ſed *Eburaci* Archiepiſcopo, per *Gallias* in *Britannias* a Vitalliano ſit Præſule deſtinatus: qui circumquaque poſitarum eccleſiarum „ filios ad priſtinam cantilenæ dulcedinem revocans, tam per ſe, quam per „ ſuos diſcipulos multis annis *Romæ* doctrinæ regulam conſervavit.“ Hæc iisdem verbis referuntur in vita B. Notkeri *Balbuli* apud Goldastum, & Bollandum ad diem ſextam *Aprilis.* V. Beda vero, quæ hic Vitaliano adſcribuntur, Agathoni in acceptis refert, qui non ita multo poſt eandem inſedit *Romanam* cathedram: accepiſſe nimirum *Benedictum* Biscopum, abbatem *S. Petri* in *Britannia* iuxta *Oſtumbriam, Roma* in *Britanniam* remeantem, a Papa Agathone Ioannem archicantorem *S. Petri*, & Abbatem *S. Martini*, in *Britanniam* perducendum, „ quatenus in monaſterio curſum ca- „ nendi annuum, ſicut ad *S. Petrum Romæ* agebant, edoceret.“ Egiſſeque ſtudioſe Abbatem Ioannem, ut iuſſionem acceperat Pontificis, & ordinem videlicet, ritumque canendi, ac legendi, viva voce præfati monaſterii cantores edocendo, & ea, quæ totius anni circulis in celebratione dierum feſtorum poſcebat, etiam litteris mandando, quæ eatenus in eodem monaſterio ſervata, a multis iam tunc fuerint circumquaque ſcripta. Hæc Beda. Qui ſubdit, non ſolum autem eundem Ioannem ipſius monaſterii fratres docuiſſe, verum de omnibus pene eiusdem provinciæ monaſteriis ad audiendum eum, qui cantandi erant periti, confluxiſſe: ſed & ipſum per loca, in quibus doceret multos, invitare curaſſe. Idem poſtea Beda de Acca, Epiſcopo *Haqulſtadenſi*, labente ſæc. VII. narrat in eadem *Anglorum* hiſtoria, cantorem quoque egregium, nomine Maban, qui a ſucceſſoribus diſcipulorum Beati Papæ Gregorii in *Cantia* fuerat cantandi ſonos edoctus, ad ſe ſuosque inſtituendos accerſiſſe, ut nec Epiſcopus quidem Acca refugerit officium cantoris: *erat enim cantor peritiſſimus*, eius etiam cauſa *Romam* profectus. Sed iam ante Iacobus Diaconus *Eboracenſis*, & Wilfridus Epiſc.

L. II. c. 8.

L. IV. de geſtis Angl. c. 18.

L. V. c. 21.

Epiſc. *Eboracenſis* id curarunt. Et quidem S. WILFRIDUS opera uſus EDDII, vitæ ſuæ ſcriptoris, quæ apud MABILLONIUM legitur: ubi cap. 14. memoratur WILFRIDUS ſub annum DCLXV. „Cum epiſcopalia officia per plura „ſpacia *Cantuariæ* egiſſet, cum cantatoribus ÆDDE & ÆONA & cœmentariis „omnisque pene artis miniſterio in regionem ſuam reverſum, cum regula BE„NEDICTI inſtituta eccleſiæ bene melioraſſe.“ ÆDDE eſſe ipſum eius vitæ ſcriptorem EDDIUM ſeu HEDDIUM MABILLONIUS adnotat. De quo ex PITSEO teſtimonium affert. „*Heddius* STEPHANUS cognominatus natione *Anglus*, Or„dinis S. BENEDICTI, monachus *Cantuarienſis*, congregationis *Giribennæ*, a „teneris annis ita in bonarum litterarum ſtudiis enutritus, ut iam vir fa„ctus, omnium ſcientiarum genere evaſerit inſtructiſſimus. Multa quidem, „quantum invenire potui, non ſcripſit; ſed illa tamen pauca puro terſo & „elegante ſtilo exarata. Muſicus inſignis & primus, teſte BEDA, præter unum „IACOBUM, cantandi magiſter in *Nordhanhumbrorum* eccleſiis. Illuc enim „ex *Cantia* vocatus a WILFRIDO venit, & pſalmodiam docuit.“ Is poſtea c. 44. S. WILFRIDUM ita loquentem inducit: „Nec non & ego primus poſt „obitum primorum procerum a Sancto GREGORIO directorum (curavi) quo„modo iuxta ritum primitivæ eccleſiæ conſono vocis modulamine binis ad„ſtantibus choris perſultare: reſponſoriis, antiphoniſque reciprocis inſtrue„rem.“ V. BEDA, qui & ipſe præter quotidianam curam in eccleſia cantandi, ſemper aut ſcribere, aut diſcere, aut docere dulce habuit, hæc feliciſſima, ex quo *Britanniam* petierunt *Angli*, ſuæ gentis deprædicat tempora reipublicæ, & eccleſiæ *Anglicanæ*. „Cum inter alia & quicunque lectionibus ſacris cu„perent erudiri, haberent in promtu magiſtros, qui docerent. Et ſonos can„tandi in eccleſia, quos eatenus in *Cantia* tantum noverant, ab hoc tem„pore per omnes *Anglorum* eccleſias diſcere cœperunt. Primusque excepto „IACOBO (de quo ſupra diximus) cantandi magiſter *Nordambumbrorum* „eccleſiis EDDI cognomento STEPHANUS fuit invitatus de *Cantia* a Reveren„diſſimo viro WILFRIDO.“ De IACOBO diacono S. PAULINI epiſcopi primum *Eboracenſis*, poſtea *Roffenſis* circa medium ſæc. VII. iam ad finem lib. II. eiusdem hiſt. gentis *Anglorum* perhibuerat BEDA, eum iuxta morem *Romanum* ſeu *Cantuariorum* magiſtrum eccleſiaſticæ cantionis multis extitiſſe a). Unde palam eſt, quanta cura in *Anglia* ſit conſervata propagataque diſciplina cantus *Romani*. Eccleſiaſticis decretis firmatum id fuit an. 747. in *Clo-*

Sæc. IV. P. I. Act. O. S. B. p. 676. &c.

Miræus in Trith. de ſcriptor. eccleſ. p. 65.

Hiſt. gent. Angl. lib. IV. c. 2.

a) „Reliquerat autem in eccleſia ſua *Eboraci* IACOBUM Diaconum, virum utique eccleſiaſticum & ſanctum, qui multo ex hinc tempore in eccleſia manens, magnas antiquo hoſti prædas docendo & baptizando cripuit. Cuius nomine vicus, in quo maxime ſolebat habitare iuxta cataractam uſque hodie cognominatur. Qui quoniam cantandi in eccleſia peritiſſimus, recuperata poſtmodum pace in provincia, creſcente, numero fidelium, etiam magiſter eccleſiaſticæ cantionis iuxta morem *Romanorum* ſeu *Cantuariorum* multis cœpit exiſtere.“

a *Cloveshovienſi* apud *Anglos* Concilio a), quod iam antea in uſu fuerat, ſed cum aliqua forte diverſitate iuxta eundem MABILLONIUM in annalibus, ut in Miſſarum celebratione & cantilenarum modo ritus *Romani* ſervarentur. Idem alibi memorat motus, ob cantus mutationem, a TURSTINO Monacho *Cadomenſi* excitatos, quem Rex *Glaſtonienſi* monaſterio præpoſuerat. „Hic „ut protervus erat (referente ORDERICO) ſuos *Glaſtonios* cantum, quem „a Beati GREGORII Papæ diſcipulis acceperant, relinquere, ſibique igno„tum, nec auditum antea cantum a *Flandrenſibus* & *Nortmannis* ediſcere „coegit. Hinc orta lis eſt acerrima, quam mox ſacri ordinis contumelia „ſubſecuta eſt. Cum enim nova inſtituta recipere detrectarent monachi, & „nihilominus contumacis pertinacia magiſtri perſiſteret; laici, abbati ſuf„fragati, monachis vim intulere: quorum alii crudeliter percuſſi, alii le„thaliter ſauciati ſunt.“ *Henricus* de KNYGTHON canonicus *Leyceſtrenſis* libro ſecundo de eventibus *Angliæ*, WILHELMI cuiusdam ſeu WITTI *Fiſcanenſis* cantum fuiſſe dicit, quem TURSTINUS, inter cæteras ſtultitiæ ſuæ ineptias, *Gregorianum* cantum in officio aſpernatus, exercere, monachos ſuos compellere cœperit; ſed qualis iſte cantus fuerit, & in quo a *Gregoriano* abierit, non conſtat. Referuntur hæc ad annum 1049. SIMEON *Dunelmenſis* monachus *de Reg. Angl.* p. 212. eiusdem innovationis cœptæ a B. GUILIELMO Abbate S. BENIGNI *Divionenſis*, meminit, atque ex eo auctores hiſt. litterar. *Franc.* „Il ſemble même qu'il introduiſit dans le chant „une nouvelle methode, differente du chant *Gregorien*, laquelle ſe com„munica aux monaſteres de ſa dependance, & autres de *Normandie*. On „en iuge ainſi, ſur ce que TURSTIN moine de S. ETIENNE de *Caen*, ou l'on „ſuivoit la nouvelle methode, aiant voulu l'etablir a *Glaſtemburi* en *Angle„terre*, dont GUILLAUME le conquerant l'avoit fait abbé, il l'y eleva a cette „occaſion une eſpece de ſedition facheuſe.“ Patet ex vita S. GUILIELMI emendationem fuiſſe cantus *Romani* b).

L. XXIII. ad an. 758. *T. II. p.* 185. *L. LXIII. ad an.* 1070. *T. IV. p.* 21. *L. IV. p.* 523.

Tom. VII. p. 34.

IX.

a) „Ut uno eodemque modo dominicæ diſpenſationis in carne ſacroſanctæ feſtivitates, in omnibus ad eas rite competentibus rebus, id eſt in baptiſmi officio, in Miſſarum celebratione, in cantilenæ modo celebrentur, iuxta exemplum videlicet quod ſcriptum de *Romana* habemus eccleſia. Itemque ut per *gyrum* totius anni natalitia ſanctorum uno eodem die, iuxta martyrologium eiusdem *Romanæ* eccleſiæ, cum ſua ſibi convenienti pſalmodia ſeu cantilena venerentur. (Et can. 15.) Ut ſeptem canonicæ orationum diei & noctis horæ diligenti cura cum pſalmodia & cantilena ſibimet convenienti obſerventur, & ut eandem monaſterialis pſalmodiæ parilitatem ubique ſectentur, nihilque, quod communis uſus non admittit, præſumant cantare aut legere, ſed tantum quod ex ſacrarum ſcripturarum auctoritate deſcendit, & quod *Romanæ* eccleſiæ conſuetudo permittit, cantent vel legant, quatenus unanimes uno ore laudent Deum.“

b) „Cum ſupernæ dulcedinis nectare artificialis etiam muſica perdoctus ac comptus dogmate, quidquid in pſallendo choris ſuorum pſallebatur die ac nocte tam in antiphonis, quam in reſponſoriis, vel hymnis corrigendo & emendando ad tantam direxerit rectitudinem, ut nullis decentius ac rectius pſallere contingat in tota eccleſia *Romana*. Pſalmorum nihilominus concentum dulciſſimo ultra omnes diſtinguens decoravit melodimate.“

IX. Habuit ſuum ſub prima Regum ſtirpe *Gallia* cantum, quando non raro Reges ipſi muſices ſtudioſos fuiſſe legimus, veluti de Chilperico I. ex Gregorio *Turon.* Fauchet in ſuis antiquit. *Gallicanis L. III. c.* 21. narrat a), eum ad imitationem Sedulii poetæ chriſtiani verſus compoſuiſſe, muſicamque ſub eo floruiſſe. Ad baptiſmum filii eius, levante Guntramno avunculo, ut frequentes concurrentes Epiſcopi cantores ſuos adducerent, curavit, qui ſolemnitatem ornarent, atque in conviviis etiam certatim cantum inſtituerent, compoſitisque choris pſallerent; ut adeo tunc cantum comtum fuiſſe oporteat, & delectabilem. Idem de Dagoberto teſtatur, cum veſperarum cantui aſſiſteret apud ſanctimoniales, ſuavitate vocis Nantildis abreptum, eam ſibi ſponſam expetiiſſe. Quodſi tamen exemplis ſtandum eſt, quæ ex reliquiis antiqui cantus *Gallicani* Lebeuf in tractatu hiſtorico de Cantu eccleſ. affert, ſimplex magis fuit, quam cantus *Romanus*, ad inſtar cantus *Ambroſiani*, ut pſalmorum aliqua exempla habet, quæ demonſtrant, facile tunc fuiſſe, ſine lineis, notarum ac cantus diſcrimina obſervare. Exempli cauſa eſſe poſſunt Præfationes, & oratio dominica in Miſſa, in quibus ſimilem cantum inde ab antiquiſſimis temporibus in libris liturgicis inveni. Provocat vero Lebeuf ad *Sanctus* feriale, quale etiamnum paſſim canitur, paucorum quidem tonorum intercapedine, ac exigua vocis flexione, quin aliquid de ſuavitate cantus deperiret. „ Erat (inquit) cantus *Romanus* „ magis variegatus, quam antiquus cantus *Gallicanus.* Id quod illum can„ tum magis delectabilem & acceptum faciebat. Tam ſedula huic rei da„ batur opera, ut dici poſſit, eos, qui in *Francia* componendis cantibus in„ cumbebant, locupletaſſe melodiis, quæ æquabant, ac etiam ſuperabant „ cantus antiphonarii *Romani*: erantque tam magno numero, ut libri *Fran*„ *cici* in hoc genere ſucceſſu temporis magis ſtudioſorum conſideratione di„ gni haberentur, quam *Romani.*" Idem ſingulariter modulationem pſalmi *In exitu Iſrael* in Dominica notat, qui cantoribus *Romanis*, ſæculo octavo & nono in *Franciam* venientibus, ita arriſerit, ut *Romæ* in uſum vocarent. Cantus illius pſalmi hodieque apud nos ſingularis eſt, & egregius, quidquid contra poſtea exceptum ſit ab ipſo S. Bernardo, ſi eſt auctor tractatus, eius nomine editi *de muſica*, quod poſtea diſquiremus. Offenſus autem ſolum, quod ſingularis eſſet, quo non obſtante, ſimplicitate & ingenioſa compoſitione delectat, ut quod in commendationem antiqui cantus *Gallicani* diximus, confirmet, in quo tantum operæ non fruſtra *Galli* olim poſuerunt: qualem exempli cauſa clericum ſuum Armentarium Gregorius *Turonenſis* laudat, *cui tam facile erat ſonorum modulationes appendere, ut eum non putares hoc meditari, ſed ſcribere in ſervitio valde ſtrenuum, & in commiſ-*

ſo

Cantus Gallicanus.

a

Cap. III.

Id. p. 37.

*L. I. de miraculis S. Martini c.*33.

a) Voyez l'hiſt. de la Muſique T. I. p. 184.

ſo fidelem. Quodque diximus de *Romanis*, etiam a *Gallis* hic aliquid mutuantibus, ex WALAFRIDO *Strabone* confirmatur: „Et quia (inquit) *Gallicana* eccleſia viris non minus peritiſſimis inſtructa ſacrorum officiorum inſtrumenta habebat non minima: ex eis aliqua *Romanorum* officiis immixta „dicuntur, quæ plerique & verbis & ſono ſe a cæteris cantibus diſcernere „poſſe fateantur. Sed privilegio *Romanæ* Sedis obſervato, & congruentia „rationabili diſpoſitionum apud eam factarum perſuadente, factum eſt, ut „in omnibus pene *Latinorum* eccleſiis conſuetudo & magiſterium eiusdem „Sedis prævaleret: quia non eſt alia traditio æque ſequenda, vel in fidei regula, vel in obſervationum doctrina. Paulo ante mentionem fecimus cantorum *Francigenarum* ſæc. XIII. *Italiam* obeuntium, atque ritu etiam *Ambroſiano* adoptatarum melodiarum *Francigenarum*. Si ex hodierno more iudicandum foret, dici poſſet, *Gallos* in cantionibus vernaculis ſequiori etiam ævo ingenio indulſiſſe ſuo. Abbas le BEUFIUS eiusmodi cantiones (*chanſons du Comte de Champagne*, & *chants* & *complaintes de Danz de Gauthier* &*c.* qui proprie huius loci non ſunt) quamvis ſumma cura indagarit, examinaritque inde a ſæc. XI. XII. & XIII. nihil vero reperit „que des airs peu mélodieux, des airs dans les quels on laiſſoit bien des agrémens a ſuppler aux „chantres des airs, qui n'étoient autre choſe, que du chant *Gregorien*, & „même du ſeptiéme mode, c'eſt a dire du plus ingrat, du plus, & du moins „mélodieux; mais les oreilles de ce temps la y étoient apparamment accoutumées, & ces airs leur paroiſſoient beaux." *Diſſert. ſur l'etat des Sciences ſous le Roi* ROBERT &*c.*

De rebus eccleſ. c. 25.

Cui deinceps cum officio Romanus ſubſtitutus paucis exceptis.

X. Accidit hoc etiam in *Galliis*, ut cum aliis, ad ritum officiumque divinum pertinentibus, modus canendi *Romanus* ſucceſſu temporis adoptaretur. Obſervat MABILLONIUS in libro primo de Liturgia *Gallicana*, & præfatione in Sacramentarium *Gallicanum*, parte ſecunda T. I. Muſæi *Italici*, *Gallos* primum accepiſſe ab eccleſia *Romana* Canonem Miſſæ. Valde autem hæreo, an non ſecundum antiquiſſimum *Gallicanum* cantum compoſita ſit modulatio *Præfationis* ad canonem, quam in antiquiſſimis Sacramentariis eodem, ut hodie fit, modo cantatam, notisque expreſſam deprehendimus in Sacramentariis *Gallicanis*, dabimusque ectypon eiusdem ex bibliothecæ noſtræ Sacramentario ſæculi IX. vel X. nec non orationis dominicæ poſt canonem cantari ſolitæ ex antiquiſſimo Sacramentario *S. Dionyſii* prope *Pariſios*. Quæ ſaltem avitam ſimplicitatem magis ſapiunt, integritatemque religioſius unacum ipſo canone cuſtoditam. Quoad pſalterium, quod præcipuum eſt in reliquis divini officii partibus, ſingularem eius verſionem cantandam in *Galliæ* ac quibusdam *Germaniæ* eccleſiis fuiſſe traditam, teſtantur

WALA-

Walafridus *Strabo*, & Berno *Augienſis*. Hic in epiſtola apud Mabillonium ad Meginfridum & Bennonem (quam nos ex codice *Salemitano* inter ſcriptores de re muſica integram damus) ubi de S. Hieronymo agens, quædam habet a), quibus lux affunditur iis, quæ paulo ante dixi de mutatione officii *Toletani* in *Gallicanum*, ubi pſalterii bis fit mentio, atque intelligi poteſt de hac peculiari verſione, qua deinceps conſtanter uſa eſt eccleſia *Gallicana*, licet cantum *Romanum* dudum antea ſub Pipino aſſumſerit. Quod probe diſcernendum eſt in Walafrido *Strabone*, qui idem de pſalterio *Gallicano* ex verſione Hieronymi commemorat, ſed Gregorii *Turonenſis* opera, in *Gallicanam* eccleſiam inductum, aſſerit. Quod nec ipſum citato Mabillonio probatur, qui ex ipſo Gregorio *Turonenſi*, & antiquiſſimis MSS. Pſalteriis *San-Germanenſibus*, & Fortunati hymno *De cruce* oſtendit, pſalterium, ab Hieronymo emendatum, quod *Gallicanum* vocatur, nondum receptum tum in *Gallia* fuiſſe; itaque Gregorium inter & Walafridum intervallo admiſſum, fortaſſe opera S. Bonifacii, *Moguntini* Pontificis, qui illud *Gallicanis*, *Germanicis*que eccleſiis tradiderit. Ex illis vero, quæ de mutatione officii *Toletani* attulimus, firmatur altera Mabillonii obſervatio in Bernonis verbis: nempe, *Romanos* eius tempore, id eſt, medio ſæculo undecimo, ſuæ verſioni adhæſiſſe, qua ex verſione antiphonæ, quæ in cantu *Romano* adhibentur, excerptæ ſint. Patet hinc *Romanos* Pontifices, ipſumque Gregorium VII. ſedis ſuæ ſtudioſiſſimum, non ſolum indulſiſſe *Gallis* peculiarem pſalterii verſionem, ſed per legatum ultro id egiſſe, ut etiam in eccleſia *Hiſpanica* adoptaretur. Quin poſtrema demum ætate, Pii V. iuſſu, ubique recepta eſt Vulgata, ſeu *Gallicana* hæc editio, præterquam in una *Romæ Vaticana* eccleſia, & extra urbem in *Mediolanenſi*: quæ utræque antiquum pſalterium retinent, uti etiam eccleſia S. Marci apud *Venetias*. Ex veteri verſione, quam *Italam* vocant, excerptæ ſunt antiphonæ multæ; Tractus inſuper, & aliæ partes officii eccleſiaſtici, ut etiamnum in eccleſia canuntur, atque iam Montfauconius obſervavit. Affertque exemplum ex cantico Moysis *Exodi XV.* 26. quod ſecundum veterem verſionem ſic habet: *Exhortatus*

De curſu Gallic. §. II. a

Palæogr. Gr. lib. III. c. 7.

hortatus

a) „Inter cætera (inquit) ex emendata LXX. interpretum translatione pſalterium ex *Græco* in *latinum* vertit, illudque cantandum omnibus *Galliæ* ac quibusdam *Germaniæ* eccleſiis tradidit. Et ob hoc *Gallicanum* pſalterium appellavit, *Romanis* adhuc ex corrupta vulgata editione pſalterium canentibus: ex qua *Romani* cantum compoſuerunt, nobisque uſum cantandi contradiderunt. Unde accidit, quod verba, quæ in diurnis vel in nocturnis officiis canendi more modulantur, intermiſceantur, & confuſe noſtris pſalmis inſerantur, ut a minus peritis haud facile poſſit diſcerni, quid noſtræ, vel *Romanæ* conveniat editioni. Quod pius pater ac peritus magiſter intuens, tres editiones in uno volumine compoſuit; & *Gallicanum* pſalterium, quod nos canimus, ordinavit in una columna, in altera *Romanum*, in tertia *Hebræum*. “

hortatus es in virtute tua, *in requie ſancta tua.* Et feria V. in Cœna Domini canitur pro antiphona adhuc Moysis canticum, mutato tamen illo *in requie*, nam ibi legitur *in refectione.* Hæc porro antiphona ex ipſo cantico pro more ſolito deſumta, ſecundum veterem *Italam* verſionem legitur; quia ſecundum eandem verſionem, tunc in eccleſia uſu receptam, totum canticum in officio legebatur. Poſt inventam autem S. Hieronymi verſionem canticum quidem, ut in eadem Hieronymi verſione erat, in officium inductum eſt; ſed priſca antiphona ſecundum veterem *Italam*, ibidem relicta, hactenus canitur feria quinta in Cœna Domini.

Sub Pipino.

XI. Sic ergo Eccleſia conceſſit in uſum *Gallicanum* quoad pſalterii verſionem; cum contra aſſumſerit iam ſub Pipino eccleſia *Gallicana* uſum antiphonarum *Romanarum*, uti ex Bernone diſcimus, atque ipſum cantum, quod inter cæteros, Walafridus docet. „Pſalmos autem (inquit) cum ſecundum LXX. interpretes *Romani* adhuc habeant, *Galli*, & *Germanorum* aliqui, ſecundum emendationem, quam Hieronymus Pater de LXX. editione compoſuit, pſalterium cantant. Quam Gregorius *Turonenſis* epiſcopus a partibus *Romanis* mutuatam, in *Galliarum*, dicitur, eccleſias transtuliſſe. Cantilenæ vero perfectiorem ſcientiam, quam pene iam tota *Francia* diligit, Stephanus P. cum ad Pipinum, patrem Caroli M. (imprimis in *Franciam*) pro iuſtitia S. Petri, a *Longobardis* expetenda, veniſſet, per ſuos clericos, petente eodem Pipino, invexit, indeque uſus eius longe lateque convaluit.“ Sigebertus ad poſtremum Zachariæ P. annum, nimirum Chriſti 751. hoc revocat: „Pipinus rex *Galliarum* eccleſias cantibus *Romanæ* auctoritatis ſuo ſtudio, melioravit.“ Ubi vides, non Pontificis, quisquis tunc *Romanam* eccleſiam rexerit (qua de re Baronii annales ad án. 752. conſuli poſſunt) ſed regis ſtudio, rem tribui. Idem facit auctor operis *Carolini* contra ſynodum *Græcorum* de imaginibus, eccleſiam *Gallicanam* laudans, quod, ſuſcepto ordine pſallendi ac modulationis, eccleſiæ *Romanæ* acceſſerit a). Ordo pſallendi, cum pſalterium eſſet diverſum, cantus ipſe eſt, uti ex Capitularis Caroli M. *Aquisgrani* editi, capitulo octogeſimo conſtat, ubi præcipitur: „Ut monachi cantum *Romanum* per nocturnale ac graduale officium ſervent, uti ipſius Caroli genitor Pipinus præceperat, quando „ *Galli-*

De rebus eccleſ. c. 25.

L. I. c. 6.

a) „Quæ cum a primis fidei temporibus cum ea perſtaret in religionis ſacræ unione, & ab ea paulo diſtaret, quod tamen contra fidem non eſt, in officiorum celebratione, venerandæ memoriæ genitoris noſtri illuſtriſſimi Pipini regis cura & induſtria, ſive adventu in *Gallias* reverentiſſimi & ſanctiſſimi Viri Stephani *Romanæ* urbis Antiſtitis, eſt ei etiam in pſallendi ordine copulata, ut non eſſet diſpar ordo pſallendi, quibus erat compar ardor credendi, & quæ unitæ erant unius ſanctæ legis ſacra lectione, eſſent etiam unitæ unius modulationis veneranda traditione, nec ſeiungeret officiorum varia celebratio, quas coniunxerat unicæ fidei pia devotio.“

„ *Gallicanum* cantum abſtulit ob unanimitatem & concordiam apoſtolicæ ſe-
„ dis cum ſancta DEI eccleſia.“ Seu ut habetur apud MABILLONIUM. „ Ob T. II. Annal.
„ humanitatem apoſtolicæ ſedis, & ſanctæ DEI eccleſiæ pacificam concor- Bened. ad an.
„ diam. Curavit (inquit GUAGUINUS de PIPINO) præterea religioſus prin- 758. n. 34. p. 184.
„ ceps auctore REMIGIO *Rothomagorum* antiſtite emendatiora facere, quæ L. III. hiſt.
„ antea rudia & inculta in eccleſiaſticis officiis cantabantur.“ Fuerat tunc
ex urbe miſſus ad REMEDIUM ſeu REMIGIUM, epiſcopum *Rotomagenſem*,
PIPINI fratrem, SIMEON *ſecundicerius* cantorum, qui monachos eius diœ-
ceſis *Romanum* cantum edoceret; mortuo vero GEORGIO *primicerio* can-
torum, cum *Romam* eſſet revocatus a PAULO P. REMIGIUS quosdam e ſuis
monachis *Romam* miſit, ut a *Romanis* cantoribus cantum edocti, plenius
apud ſuos *Romanam* modulationem traderent. Diſcimus hoc ex epiſtola
PAULI P. ad PIPINUM, quæ eſt quadrageſima tertia codicis *Carolini*, excu-
ſatoria, quod SIMEONEM revocare coactus ſit, de quo in epiſtola monachis, qui
Romam ob id miſſi ſunt, tradita, ipſe PIPINUS apud pontificem conqueſtus eſt a). a
Miſit pontifex unacum epiſtola atque libris DIONISII *Areopagitæ*, dialectica
ARISTOTELIS, aliisque libris græce ſcriptis, antiphonale & reſponſale, ut
cantus *Romani* conſuetudo in eccleſias *Gallicanas* induceretur. At vero nihil
ſibi *Gallos* proprium ſervaſſe, nullamque amplius ipſos in hoc ſtudio operam po-
ſuiſſe, aſſeverari nequit. *Amalarius* FORTUNATUS *Metenſis* diaconus in libro de
ordine antiphonarii, de antiphonis, quæ ſunt ex evangeliis quotidianis, dubitat b): b
an

a) „ In eis ſiquidem (reſcribit Pontifex) comperimus exaratum, quod præſentes DEO amabilis REMEDII germani veſtri monachos SIMEONI ſcholæ cantorum priori contradere deberemus, ad inſtruendum cos in pſalmodiæ modulatione, quam ab eo apprehenderc tempore, quo illic in veſtris regionibus extitit, nequivcrant. Pro quo valde ipſum veſtrum aſſeritis germanum triſtem effectum, in eo quod non eius perfecte inſtruxiſſet monachos. Et quidem benigniſſime rex ſatisfacimus chriſtianitati tuæ, quod niſi GEORGIUS, qui eidem ſcholæ præfuit, de hac migraſſet lucc, nequaquam eundem SIMEONEM a veſtri germani ſervitio abſtrahere niteremur. Sed defuncto præfato GEORGIO, & in eius idem SIMEON, utpote ſequens illius, aceedens locum, ideo pro doctrina ſcholæ cum ad nos accerſivimus. Nam abſit a nobis, ut quippiam, quod vobis, veſtrisque fidelibus oneroſum exſiſtit, peragamus quoquo modo: potius autem, ut præfatum cſt, in veſtræ charitatis dilectione firmi permanentes, libentiſſime, in quantum virtus ſuppetit, voluntati veſtræ obtemperandum decertamus. Propter quod & prædictos veſtri germani monachos ſæpe dicto contradidimus SIMEONI; eosque optime collocantes, ſolerti induſtria eandem pſalmodiæ modulationem inſtrui præcepimus, & crebro in eadem, donec perfecte eruditi efficiantur, pro ampliſſima veſtræ excellentiæ atque nobiliſſimi germani veſtri dilectione, eccleſiaſticæ doctrinæ cantilena diſpoſuimus efficaci cura permanere.“

b) „ Poſt officium (inquit de ord. antiph. c. 68.) quo dedicatur eccleſia, ſcripſi antiphonas de evangeliis, de quibus interrogavi magiſtros *Romanæ* eccleſiæ, ſi illas canerent. Reſponderunt, nequaquam: Noſtri tamen magiſtri dicunt, ſe eas ab eis percepiſſe per primos magiſtros, quos melodiam cantus *Romani* docuerunt infra terminos *Francorum*: DEUS ſcit, ſi iſti fallantur, aut ſi fefelliſſent, qui gloriati ſunt, ſe eas percepiſſe a magiſtris *Romanæ* eccleſiæ, aut *Romani* propter incuriam & negligentiam eas amiſiſſent, aut ſi unquam cantaſſent eas, tamen nos cantamus illas propter verba ſaluberrima, & auctoritatem noſtrorum cantorum, qui gloriantur, magiſterio ſe uti cantilenæ exercitationis.“

an vero hoc iam tempore in lingua vulgari cantus eccleſiaſtici peculiares in *Galliis* fuerint, me latet. Lebeuf certe eiusmodi notavit lingua ruſtica *Romana* noni circiter ſæculi, a Caroli *Magni* temporibus: ſuntque paraphraſes actuum ſanctorum, qui canebantur, ad explicandas populo hiſtorias SS. Martyrum, ut nihil dicam de cantilena *Gallica* in muſica quadrata ſeu menſurata inter Bedæ opera; ſed ultra ſæculum XII. certo non aſſurgit. Id ex verbis Amalarii eruitur, non ſibi religioni duxiſſe *Gallos* in ſuo cantu, poſtquam etiam *Romanus* obtinuit, ea ſibi ſervare, quæ ſua ſe auctoritate commendabant, etſi forte ex uſu *Romano* non eſſent; moxque palam fiet, non adeo expedite cantum etiam & melodiam *Romanam* ſub Pipino eſſe ſuſceptam, quin ſucceſſoribus eius adhuc fuerit in hac re elaborandum.

Carolo M.

XII. Carolus M. patris ſui exemplo ad hoc excitatus, in hac re ſedulam poſuit operam. *Accenſi præterea*, ſunt ipſius Caroli verba apud Baluzium & Mabillonium, *venerandæ memoriæ* Pipini *genitoris noſtri exemplis, qui totas Galliarum eccleſias ſuo ſtudio Romanæ traditionis cantibus decoravit.* Suo loco ex Aureliano, & aliunde notabimus, quod etiam Aventinus & *Iacobus* Curio perhibent, Carolum M. etiam ex *Græcorum* diſciplina cantus modos auxiſſe: cumque ex Gregorii inſtituto quatuor dumtaxat tropi ſeu modi, *Phrygius*, *Dorius*, *Lydius*, *Mixolydius*, quos vulgus cantorum *tonos authentos* vocat, in uſu fuiſſent; ne *Latini* ulla ex parte *Græcis* cederent, *ducem* a *comite* diviſit, quatuor ſubdititios modos a quatuor primariis diſtinxit, octo tropos fecit: illos cantores *plagios*, id eſt, *obliquos* nuncupant. Nec alio conſilio hoc fecit, quam ut eccleſia omnem ſcripturæ δεινότητα ac maieſtatem congruentibus ſonis exprimere poſſet: & ut ſcripturæ concentuum ſuavitate conſpectiores in cœtu chriſtianorum redderentur. Etiam cum *Græci* legati *Aquisgrani* patriis ceremoniis rem divinam facerent, & pſallerent, Carolus *Magnus*, qui occulte ſubauſcultabat, captus dulcedine cantus, iuſſit eos numeros excipi. Alias S. Ambrosio quatuor authentorum conſtitutio, S. Gregorio additio 4. *plagalium* tribuitur, quod hic etiam a *Græcis Cpoli Apocriſarius* diſcere potuit. Id vero, quod mox memoravimus, *San-Gallenſis* monachus his verbis narrat. „Hic replicandum videtur, quam ſapientiſſimos homines præclariſſimus Karolus habuerit in omnibus. Cum igitur *Græci* poſt matutinas laudes „imperatori celebratas in octava die Theophaniæ ſecreto in ſua lingua pſallerent, & ille occultatus in proximo carminum dulcedine delectaretur, „præcepit clericis ſuis, ut nihil ante guſtarent, quam easdem antiphonas „in latinum converſas ipſi præſentarent. Inde eſt, quod omnes eiusdem „ſunt toni, & quod in una ipſarum pro *contrivit*, *conteruit* poſitum inveniatur.“

T. I. Capitul. col. 203. *Vet. analect. in f. p.* 73. *Aventin. L. IV. annalium Boiorum. Curio L. II. chronic.* *L. II. c.* 10. *de geſtis Caroli M.*

Quod

Quod ſubdit de omni genere organorum, ex Oriente allatorum, notabimus poſtea. Ad *Romani* vero cantus inſtaurationem, factam a Carolo M. annos 774. & 790. Sigebertus in chronico deſignat; cui conſentit Æmilius lib. II. Chronicon vero *Moiſiacenſe* ad an. 802. refert a). Fertur uſus opera *Pauli* Varnefridi diaconi, qui ei a ſacris erat. Utroque tempore adventus imperatoris in *Italiam* collocatur. Unde etiam a Ioanne *Diacono*, auctore vitæ S. Gregorii, & rerum geſtarum Caroli M. ſcriptoribus, res, Carolo *Romæ* præſente, accidiſſe narratur b). Remque iisdem verbis enarrat Ekkehardus: ſingulares vero quasdam circumſtantias affert monachus *Engoliſmenſis* in vita eiusdem Caroli ad annum 787 c). Ademarus in vita

a

b *De caſibus Maurii S. Galli c. 4.*

c

a) Sigebertus ad annum 774. ita ſcribit. „Karolus rex offenſus diſſonantia eccleſiaſtici cantus inter *Romanos* & *Gallos*, & indicans, iuſtius eſſe de puro fonte, quam de turbato rivo bibere, duos clericos *Romam* miſit, ut authenticum cantum a *Romanis* diſcerent, & *Gallos* docerent. (Et ad annum 790.) Karolus rex, honeſtati eccleſiaſticæ omnino intentus, legendi & pſallendi diſciplinam diligenter correxit. Perpendens enim, iterum *Gallos* a *Romanis* in cantando diſcrepare, *Metenſes* vero ſola naturæ levitate paululum quid diſſonare, per cantores, rurſum ſibi ab Adriano Papa a *Roma* directos, diſſonantiam cantus correxit.“

b) „Sed & Carolus noſter Patricius (ſunt verba Ioannis *Diaconi* lib. II. c. 9. & 10.) rex autem *Francorum*, diſſonantia *Romani* & *Gallicani* cantus *Romæ* offenſus, cum *Gallorum* procacitas cantum a noſtratibus quibusdam uæniis argumentaretur eſſe corruptum, noſtrique e diverſo authenticum antiphonarium probabiliter oſtentarent, interrogaſſe fertur, quis inter rivum & fontem limpidiorem aquam conſervare ſoleret? Reſpondentibus fontem, prudenter adiecit: ergo & nos qui de rivo corruptam lympham uſque hactenus bibimus, ad perennis fontis neceſſe eſt fluenta principalia recurramus. Mox itaque duos ſuorum induſtrios clericos Adriano tunc epiſcopo dereliquit: quibus tandem ſatis eleganter inſtructis, *Metenſem* metropolim ad ſuavitatem modulationis priſtinæ revocavit, & per illam totam *Galliam* ſuam correxit. Sed cum multa poſt tempora defunctis his, qui *Romæ* fuerant educati, cantum *Gallicanarum* eccleſiarum a *Metenſi* diſcrepare prudentiſſimus regum vidiſſet, ac unumquemque ab alterutro vitiatum cantum iactantem adverteret: Iterum, inquit, redeamus ad fontem. Tunc regis precibus, ſicut hodie quidam veridice adſtipulantur, Adrianus Papa permotus, duos in *Galliam* cantores miſit: quorum iudicio rex omnes quidem corrupiſſe dulcedinem *Romani* cantus levitate quadam cognovit: *Metenſes* vero ſola naturali feritate paululum quid diſſonare prævidit.“

c) „Et reverſus eſt piiſſimus Carolus, & celebravit *Romæ* paſcha cum Domino apoſtolico: ecce orta eſt contentio per dies feſtos paſchæ inter cantores *Romanorum*, & *Gallorum*. Dicebant *Galli*, melius ſe cantare & pulchrius, quam *Romani*. Dicebant ſe *Romani* doctiſſime cantilenas eccleſiaſticas proferre, ſicut docti fuerant a Sancto Gregorio Papa, *Gallos* corrupte cantare, & cantilenam ſanam deſtruendo, dilacerare. Quæ contentio ante Dominum regem Carolum pervenit. *Galli* vero propter ſecuritatem Domini regis Caroli valde exprobrabant cantoribus *Romanis*. *Romani* vero propter auctoritatem magnæ doctrinæ, eos ſtultos, ruſticos, & indoctos velut bruta animalia affirmabant, & doctrinam Sancti Gregorii præferebant ruſticitati eorum. Et cum altercatio de neutra parte finiret, ait piiſſimus rex Carolus ad ſuos cantores: *Dicite palam quis purior, & quis melior, aut fons vivus, aut rivuli eius longe decurrentes?* Reſponderunt omnes una voce, fontem velut caput & originem puriorem eſſe, rivulos autem eius, quanto longius a fonte receſſerint, tanto turbulentos, & ſordibus ac immunditiis corruptos. Et ait Dominus rex Carolus: *Revertimini vos ad fontem ſancti* Gregorii, *quia manifeſte corrupiſtis cantilenam eccleſiaſticam.* Mox petiit Dominus rex Carolus ab Hadriano Papa cantores, qui *Franciam* corrigerent de cantu. At ille dedit ei Theodorum & Benedictum, *Romanæ* eccleſiæ doctiſſimos cantores, qui a Sancto Gregorio eruditi fuerant; tribuit antiphonarios Sancti Gregorii, quos ipſe notaverat nota *Romana*.“

c. 8. vita Caroli M. ad eundem annum hoc idem repetit. Eginardus vero in vita Caroli, eiusdem non ſolum in hac re ſtudium & induſtriam generatim collaudat, ſed etiam imperatoris peritiam. *Legendi atque pſallendi diſciplinam diligentiſſime emendavit. Erat enim utriusque admodum peritus, quamquam nec publice legeret, nec niſi ſubmiſſum, & in commune cantaret.* Ipſe vero Carolus ſancitum voluit de cantu, ut ſecundum ordinem & morem *Romanæ* eccleſiæ fiat cantus, & eius nomine auctor operis *Carolini* contra ſynodum *Græcorum* de imaginibus, poſtquam deprædicaſſet Pipini patris in hac re operam: „Quod quidem (pergit) & nos, collato nobis a „DEO *Italiæ* regno, fecimus, ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ faſtigium ſublimare „cupientes, reverentiſſimi Papæ Adriani ſalutaribus exhortationibus parere „nitentes; ſcilicet ut plures illius partis eccleſiæ, quæ quondam apoſtolicæ „ſedis traditionem in pſallendo ſuſcipere recuſabant, nunc eam cum omni „diligentia amplectantur, & cui adhæſerant fidei munere, adhæreant quo„que pſallendi ordine. Quod non ſolum omnium *Galliarum* provinciæ & „*Germania*, ſive *Italia*, ſed etiam *Saxones* & quædam aquilonalis plagæ „gentes per nos, DEO annuente, ad veræ fidei rudimenta converſæ, facere „noſcuntur." Ubi haud obſcure reſpicit ad eam contentionem, quæ primum efferbuit *Romanos* inter & *Gallos*, recuſantibus hiſce, *Romano* ſeſe accommodare cantui, & ſuum præferentibus modum a). Edidit Muratorius Landulphi *ſenioris Mediolanenſis* hiſtoriam, in qua habetur, ſub Hadriano I. Pontifice in *Romano* Concilio conſtitutum fuiſſe, ut Carolus *per totam linguam proficiſceretur latinam, & quidquid diverſum in cantu & myſterio divino inveniret a Romano, totum deleret, & ad unitatem Romani myſterii uniret.*

L. IV. capit. c. 256.

Lib. I.

a

T. IV. rer. Ital.

In urbe Metenſi & alibi in Gallia.

Lib. de epiſcopis Metenſibus.

XIII. Prima & præcipua *Romani* cantus informatio in eccleſia, ſcholaque *Metenſi* fuit facta. Id iam laudis tribuit Paulus *Diaconus* Chrodegango, qui ſub Pipino floruit. „Clerum adunavit, & ad inſtar cœnobii intra clau„ſtrorum ſepta converſari fecit: normamque eis inſtituit, qualiter in ec„cleſia militare deberent: quibus annonas vitæque ſubſidia ſufficienter lar„gitus eſt, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis ſolummodo „officiis excubarent, ipſumque clerum abundanter lege divina, *Romana*que „imbutum cantilena, morem atque ordinem *Romanæ* eccleſiæ ſervare præ„cepit. Quod uſque ad id tempus in *Metenſi* eccleſia factum minime fuit." Sigebertus ad an. 774. refert, Carolum duos clericos *Romam* miſiſſe, ut authen-

a) Vide etiam quæ auctor *Gallicus* hiſtoriæ de muſica & eius effectibus T. I. p. 187 &c. refert de contentione, quæ *Romæ* ſub pontificatu Leonis III. inter cantores *Romanos* & *Gallicanos* fuerit.

authenticum cantum a *Romanis* diſcerent. *Et per hos*, inquit, *primo Metenſis eccleſia*, *& per illam omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantus revocata eſt.* Dum vero cito reliqua *Gallia*, non ita *Metenſis* eccleſia, a cantus *Romani* integritate defecit, ut iterum opera regis CAROLI indiguerit, quod idem SIGEBERTUS ad an. 790. narrat: „Perpendens enim, iterum *Gallos* a „ *Romanis* in cantando diſcrepare, *Metenſes* vero ſola naturæ levitate pau- „ lulum quid diſſonare, per cantores, rurſum ſibi ab ADRIANO P. a *Roma* directos, diſſonantiam cantus correxit. Apud IOANNEM *Diaconum* in vita S. GREGORII P. hæc omnia iisdem fere referuntur verbis, poſt citata primum de contentione *Romanos* inter & *Gallicanos* cantores verba: „CAROLO ſatius iudicante, ab ipſo fonte „ haurire cantus *Gregoriani* ſuavitatem, ad quam ſuavitatem modulationis „ priſtinæ primum *Metenſem* metropolim revocavit, & per illam totam *Gal-* „ *liam* ſuam correxit. Sed cum multa poſt tempora defunctis his, qui *Ro-* „ *mæ* fuerant educati, cantum *Gallicanarum* eccleſiarum a *Metenſi* diſcrepare „ prudentiſſimus regum vidiſſet, ac unumquemque ab alterutro vitiatum „ cantum iactantem adverteret . . . *Metenſes* vero ſola naturali feritate pau- „ lulum quid diſſonare prævidit (quæ ſunt iam laudati IOANNIS *Diaconi* verba, „ quibus addit:) Denique uſque hodie quantum *Romano* cantui *Metenſis* „ cedit, tantum *Metenſi* eccleſiæ cedere *Gallicanarum* eccleſiarum, *Germa-* „ *niarum*que cantus, ab his, qui meram veritatem diligunt, comprobatur.“ Et in annalibus apud MARTENIUM: „ CAROLUS zelo zelatus domum Domi- „ ni, offenſus diſſonantia cantus eccleſiaſtici inter *Romanos* & *Gallicos*, *Ro-* „ *mam* clericos miſit, qui cantum *Romanum* addiſcerent, qui redeuntes *Gal-* „ *los* ad cantum *Romanum* concordaverunt. Iterumque videns *Gallos* a *Ro-* „ *manis* ſola naturæ levitate adhuc aliqualiter diſſonare, per cantores, ab A- „ DRIANO ſibi Papa miſſos, hanc diſſonantiam emendavit. Honeſtati quoque „ eccleſiæ prævidens, diſciplinam legendi & pſallendi diligenter emendans, ec- „ cleſias omnimodis honorabat, & ornabat ſacris vaſis ac veſtibus.“ Hæc nonnunquam confundunt auctores medii ævi, & in annorum deſignatione diſcrepant. Et quidem monachus *S. Galli*, vitæ CAROLI M. lib. I. c. 11. apud MABILLONIUM, uſque ad LEONIS III. tempora reponit, quod CAROLUS animadvertens, cantus modos in diverſis *Galliæ* eccleſiis diſcordare, duos clericos LEONI Papæ direxerit, in ſchola *Romana* inſtruendos, quorum alterum apud ſe retinuerit, alterum filio ſuo DROGONI Epiſcopo *Metenſi* aſſignarit: DROGONIS vero induſtria eiusmodi cantum per totam *Franciam* in tantum propagatum fuiſſe, ut *Metenſis* ſubinde appellatus ſit. Ex quodam CAROLI M. capitulari colligitur, fuiſſe illic plures cantores, aliunde eo directos: *ut cantus diſcatur*, *& ſecundum ordinem & morem Romanæ eccleſiæ fiat*: *& ut cantores de Metis revertantur.* Monachus *Engoliſmenſis* in

L. II. c. 9. *&* 10.

T. IX. anecd. p. 494. 495.

L. XXIII. annal. n. 34.

apud Baluz. T. I. p. 421.

p. 53. in vita eiusdem Caroli ad an. 787. vult, ipſum Carolum ab Hadriano acceptos *Romanos* cantores unacum antiphonariis ſancti Gregorii, quos ipſe notaverat nota *Romana*, in *Galliam* deduxiſſe Theodorum & Benedictum, ita ut maius magiſterium cantandi manſerit in *Metenſi* civitate. „ Domnus vero Carolus (inquit) revertens in *Franciam*, miſit unum can„ torem in *Metis* civitate, alterum in *Sueſſionis* civitate, præcipiens, de „ omnibus civitatibus *Franciæ* magiſtros ſcholæ antiphonarios eis ad corri„ gendum tradere, & ab eis diſcere cantare. Correcti ſunt ergo antipho„ narii *Francorum*, quos unusquisque pro arbitrio ſuo vitiaverat, addens, „ vel minuens, & omnes *Franciæ* cantores didicerunt notam *Romanam*, quam „ nunc vocant notam *Franciſcam*: excepto, quod tremulas vel vinnulas, ſive „ colliſibiles, vel ſecabiles voces in cantu non poterant perfecte exprimere „ *Franci*, naturali voce barbarica frangentes in gutture voces potius, quam „ exprimentes. Maius autem magiſterium cantandi in *Metis* civitate reman„ ſit: quantumque magiſterium *Romanum* ſuperat *Metenſe* in arte cantilenæ, „ tanto ſuperat *Metenſis* cantilena cæteras ſcholas *Gallorum*." Hinc ait equidem auctor chronici *Gottwicenſis* pag. 55. „ A *Metenſi* urbe officia divina, „ ſeu cantilenæ eccleſiaſticæ germanice *Mette* dicebantur, ſicut hodie vulgo „ adhuc germanica loquela *die Fruhe-Mette*, quod idem ac matutinum de„ notat, vocitamus." Fundamentum aliquod hæc coniectura habet in anonymo de geſtis Caroli *Magni*, unde iuvat, hiſtoriam huc transſcribere, ſingularibus nonnullis circumſtantiis enarratam. Ubi principio nota anachroniſmum vel confuſionem hiſtoriæ Pipini ac Caroli, atque errorem circa nomen Pontificis Stephani, quem ſecundo loco ſucceſſorem Leonis III. dicit, quartum cum quinto confundens, qui mortuo iam an. 814. Carolo in ſedem *Romanam* ſuffectus eſt an. 816 a). Novas narratio ea tenebras offun-

L. I. c. 10. & 11. *apud Henr. Caniſ. lect. antiq. T. II. P. III. p.* 60. *ed. Baſil.*

a

a) „ Referendum (inquit) hoc loco videtur, quod tamen a noſtri temporis hominibus difficile credatur; cum & ego ipſe, qui ſcribo, propter nimiam diſſimilitudinem noſtræ & *Romanorum* cantilenæ non ſatis adhuc credam; niſi quia Patrum veritati plus credendum eſt, quam modernæ ignavæ falſitati. Igitur indefeſſus divinæ ſervitutis amator Karolus, voti ſui compotem, quantum fieri potuit, in litterarum ſcientia effectum ſe gratulatus, ſed adhuc omnes provincias imo regiones vel civitates in laudibus divinis, hoc eſt in cantilenæ modulationibus ab invicem diſſonare perdolens, a beatæ memoriæ Stephano Papa, qui depoſito & decalvato ignaviſſimo *Francorum* rege Hilderico ſe ad regni gubernacula antiquorum Patrum more perunxit, aliquos minimum divinorum peritiſſimos clericos impetrare curavit: qui bonæ illius voluntati & ſtudiis divinitus inſpiratis aſſenſum præbens, ſecundum numerum XII. Apoſtolorum de ſede apoſtolica XII. clericos doctiſſimos cantilenæ ad eum direxit in *Franciam* (*Franciam* vero cum interdum nominavero omnes *Ciſalpinas* provincias ſignifico) quod, ſicut ſcriptum eſt, in die illa apprehendent decem viri ex omnibus linguis gentium fimbriam viri *Iudæi*. In illo tempore propter excellentiam glorioſiſſimi Caroli, & *Galli* & *Aquitani*, *Hedui* & *Hiſpani*, *Alamanni* & *Boioarii* non parum ſe inſignitos gloriabantur. Cum ergo ſupradicti clerici *Roma* digrederentur, ut ſupra ſemper omnes *Græci* & *Romani* invidia *Francorum* gloriæ carpebantur: conſiliati ſunt inter ſe, quomodo ita cantum variare potuiſſent, ut numquam unitas

fundit de cantoribus ultro citroque ultra montes miſſos, aut acceptos iuxta ſuperius relata. Id vero ad rem præſentem ſingulare eſt, cantores illos, licet a Carolo magnis fuiſſent muneribus locupletati, & ſtipendiis, nihilominus perperam *Gallos* præ invidia quadam cantare docebant: ita ut *Metis* & apud *Treviros* aliter quam *Pariſiis* & *Turonis* cantaretur, ut tum intellexerit, cum ſequenti anno feſta natalitia his in locis ageret. Quare conqueſtus apud Stephanum Leonis III. ſucceſſorem, cantoribus iſtis partim exilio, partim ergaſtulis mulctatis, ex conſilio Pontificis *Romam* ex ſuis in cantu inſtruendos miſerit, quos inſtructos brevi cum recepiſſet, reduces alterum apud ſe retinuerit, alterum ad *Metenſem* eccleſiam ablegarit. Iam ſub Carolo M. fuerant ſcholæ illæ, de quibus paulo poſt, imprimis *Palatina*, unde etiam aliæ erudirentur eccleſiæ, ac ſcholas inſtruerent, quod de *Lugdunenſi* Leidardus in epiſtola ad Carolum: „In *Lugdunenſi* eccleſia eſt ordo pſal-
„ lendi inſtauratus, ut iuxta vires noſtras ſecundum ſacri palatii ritum omni
„ ex parte agi videatur quidquid ad divinum perſolvendum officium ordo
„ expoſcit. Nam habeo ſcholas cantorum, ex quibus plerique ita ſunt eru-
„ diti, ut alios etiam erudire poſſint.“

XIV. Si Anonymo *Caſinenſi*, a Montfauconio ſub nomine Ioannis *Presbyteri* deſignato, ſcriptori, ſeu potius rhapſodo ſæc. XI. litteris *Longobardicis* varia de muſica compilanti, adhibenda eſt fides, iam a S. Gregorio M. in Ac Germania.

& conſonantia eius in regno & provincia non ſua lætarentur. Venientes autem ad Karolum honorifice ſuſcepti, & ad præminentiſſima loca diſperſi, & ſinguli in locis ſingulis diverſiſſime & quam corruptiſſime poterant excogitare, & ipſi canere, & ſic alios docere laborabant. Cum vero ingenioſiſſimus Karolus quodam anno feſtivitates Nativitatis & Apparitionis Domini apud *Treverenſe* vel *Metenſe* oppidum celebraſſet, & vigilantiſſime imo acutiſſime vim carminum deprehendiſſet, vel potius penetraſſet, ſequenti vero anno easdem ſolemnitates *Pariſiis* vel *Turonis* ageret, & nihil illius ſoni audiſſet, quem priori anno in ſupradictis locis expertus fuerat; ſed & illos, quos ad alia loca direxerat, cum & ipſe procedente ab invicem diſcordare comperiſſet ſanctæ recordationis Leonis Papæ ſucceſſori Stephani rem detulit, qui vocatos *Romam* vel exilio vel perpetuis damnavit ergaſtulis. Et dixit illuſtri Karolo: ſi alios tibi præſtitero, ſimili ut anteriores invidentia cæcati non prætermittent illudere tibi: ſed hoc modo ſtudiis tuis ſatisfacere curabo. Da mihi de latere tuo duos ingenioſiſſimos clericos, ut non advertant, qui mecum ſunt, quod ad te pertineant; & perfectam ſcientiam, DEO volente, in hac re, quam poſtulas, aſſequentur. Factumque eſt ita. Et ecce, poſt modicum tempus optime inſtructos remiſit ad Karolum, qui unum ſecum retinuit, alterum vero petente filio ſuo Tragoni (Trogone) *Metenſi* epiſcopo ad ipſam direxit eccleſiam: cuius induſtria non ſolum in eodem loco pollere, ſed & per totam *Franciam* in tantum cœpit propagari, ut nunc uſque apud eos, qui in his regionibus latino ſermone utuntur, eccleſiaſtica cantilena dicatur *Metenſis*. Apud nos autem, qui *Theutunica* ſive *Teutiſca* lingua loquimur, aut vernacule *Mett* aut *Mette*, vel ſecundum *græcam* derivationem uſitato vocabulo *Metiſca* dicatur.“

in *Teutoniam* cantus eccleſiaſtici peritia pervenit. Iuvat locum integrum, quasdam etiam hiſtoricas temporis notas continentem, ea quidem, qua conſcriptus eſt, ſermonis barbarie referre a). GREGORIUS II. miſſionariis apoſtolicis, quos in *Bavariam* miſit, illud etiam in mandatis dedit, ut habet capitulum eiusdem Pontificis: *Miniſtris, quorum canonicam adprobaveritis promotionem, ſacrificandi & miniſtrandi, ſive etiam pſallendi ex figura & traditione apoſtolicæ & Romanæ Sedis ordine tradetis poteſtatem &c.* At non auſim hoc de ſingulari aliqua canendi interpretari diſciplina. EKKEHARDUS in vita B. NOTKERI *Balbuli* cantoribus ſecundo, & quidem ab HADRIANO miſſis agit, ſed alios, quam paulo ante ex monacho *Engoliſmenſi* commemoravimus, nominat. Res autem eo memorabilior eſt, quod originem pandat, quomodo in *Germaniam* etiam cantus *Romanus* fuerit introductus. In maximo deſiderio fuiſſe dicit prælatis *S. Galli*, aliisque magiſtris ibi degentibus, ut cantum ſecundum authenticum antiphonarium regerent, & melodiam *Romano* more canerent. Rem pandamus, quomodo EKKEHARDUS circa cantores *Roma* miſſos accidiſſe refert. „Vocabatur unus eorum PETRUS (ſunt verba EKKEHARDI) & „alter ROMANUS, cantuum & ſeptem liberalium artium paginis ſatis admo-„dum imbuti, & *Metenſem* eccleſiam, ut priores, adibant. Qui cum in ſe-„ptimo (ſextum *Inſubriæ* oppidum legendum putant *Bollandiſtæ*) lacuque „*Cumano* aere *Romanis* contrario quaterentur, ROMANUS febre correptus, „vix ad nos uſque pervenire potuit; antiphonarium vero ſecum, PETRO „renitente, vellet nollet, cum duos haberent, unum S. GALLO attulit. In „brevi autem tempore, Domino ſe iuvante, convaluit ROMANUS de fe-„bre. PETRUS quidem pergit ad imperatorem, qui comperto de ROMANO, mittit

Ap. Bolland. T. I. April. c. 9. p. 582.

a) „Hoc ritum compoſuit beatiſſimus GREGORIUS in eccleſia *Romana*, atque per totam *Italiam*, & tenuerunt eam uſque dum ſtudia literarum fruebatur apud *Romam*. Venerunt *Theotonici* & compoſuerunt in regionem ſuam cantum per muſicam artem ſecundum hoc ritum. Et ſicut illorum eſt barbarica *Theotonica*, & *Guandalia*, qui docti iam eſſe ſperabant, frendebant vocibus barbarice, & pro dulciſſima carmina cœperunt ululare ſicut lupi. Poſtquam cognovit eos beatus GREGORIUS, miſit ad eos duo ex diſcipulis ſuis qui librum ex genere vocum eos inſtruxerunt, quamvis permagno labore. Recte & ordinate ſubtiliſſime iam docti doctrinam perfecte tenent in regionibus ſuis. Poſtea vero *Roma* in ſemetipſas emarcuit, perdiderunt regem & regnum, defecit divitias, & gloria, atque literarum ſtudia; *Roma* & tota *Italia*, qui erat regina, facta eſt quaſi vidua, qui erat domina gentium & princeps provinciarum, qui huius mundi arcem tenebat imperio, modo ex parte ſub imperio facta eſt. *Theotonici* vero habent regem & regnum. Habent divitias & gloriam, redit illorum poteſtas & doctrina, atque literarum ſtudia: illic crevit honor, & bona omnia. *Italici* minorati ſunt per plurima, illi gaudent de doctrina perfecta & ſana, & clerici ſunt amabiles & honorati, glorioſi & ditati omni honore, & omni donis plurimis. In illis eſt regnum & poteſtas: imperium illorum obediunt omnes nationes & omnem genum flectitur tribus & linguis, ſexus & ætates obediuntque illi omni creaturæ atque ſubiectæ ſunt ei, vice DEI venerantur ab omnibus tribus populorum ſicut diſpoſuit regnum ſacerdotalem & eccleſiaſticum vigor, quem de ſanguine ſuo comparavit DEI filius. *Italici* & *Romani* nunc pauperes effecti ſunt &c.“

„ mittit celerem nuncium, qui eum, ſi convaleſceret, nobiſcum ſtare noſ-
„ que inſtruere iuberet. Quod ille quidem Patrum hoſpitalitati regratiando
„ libentiſſime fecit.“ Notanda ſunt, quæ ibidem ſequuntur: „ Deinde uter-
„ que fama volante ſtudium alter alterius cum audiſſet, æmulabantur pro
„ laude & gloria, naturali gentis ſuæ more, uter alterum tranſcenderet. Me-
„ moria dignum eſt, quantum hac æmulatione uterque locus profecerit, &
„ non ſolum in cantu, ſed & in cæteris doctrinis excreverit. Fecerat qui-
„ dem Petrus ibi iubilos ad ſequentias, quas *Metenſes* vocant: Romanus
„ vero econtra *Romane* & amœne de ſuo nobis iubilos modulaverat.“ Ex quibus verbis colligitur religioſius in *San-Gallenſi* monaſterio modulationem *Romanam* fuiſſe ſervatam. Neque vero æmulatio illa tulerit, quod apud Mabillonium dicitur, ad normam *Metenſis* antiphonarii *San-Gallenſe* fuiſſe conformatum. Meminit Amalarius ſæpius *Metenſis* antiphonarii in normam aliorum adhibiti, & adhuc tempore S. Bernardi, ut ex eius tractatu de Cantu & Correctione antiphonarii patet, priores Patres *Ciſtercienſes*, cum in divinis laudibus id cantare cuperent, quod magis authenticum inveniretur, miſerunt, qui *Metenſis* eccleſiæ antiphonarium, quod *Gregorianum* eſſe dicebatur, tranſcriberent; verum & cantu & littera depravatum invenerunt. Atque etiam tempore Amalarii ſub Ludovico *Pio* conſtat, illud a *Romano* multum diſcrepaſſe: quam diverſitatem is in proœmio de Ordine antiphonarii inde repetit, quod *Metenſe* exemplar antiquius fuerit Adriano P. Et hinc quando *Romanum*, quando *Metenſe* ſequendum duxit, annotare voluit:

Mab. Lib. XXIII. annal. Bened. n. 34. T.II. p. 693. N. E.

„ Ubi (inquit) ordinabilius viſum eſt mihi ſcriptum haberi in antiphonario
„ *Romano*, quam in noſtro, ibi ſcripſi in margine R. propter nomen ur-
„ bis *Romæ*: & ubi in noſtro M. propter *Metenſem* civitatem: ubi noſtrum
„ ingenium cogitavit aliquid poſſe rationabilius illis ordinare I. C. propter in-
„ dulgentiam & charitatem.“ Hanc ſibi indulgentiam neutiquam conceſſerunt *San-Gallenſes* auctore Romano, *qui* (cantarium) *ad aram apoſtolorum*, teſte Eekehardo, *cum authentico quem ipſe attulit, exemplato antiphonario locari fecit, in quo uſque hodie, ſi quid diſſentitur in cantu, quaſi in ſpeculo error eiuſmodi univerſus pervidetur, atque corrigitur.* Ex his omnibus conſtat, neutiquam dici poſſe *San-Gallenſe* antiphonarium a *Metenſi* eccleſia eſſe repetitum, hicque multo religioſius eſſe conſtitutum, unde cantum latiſſime propagatum, paulo poſt dicit: „ Abinde ſumſit exordium to-
„ ta fere *Europa*, & maxime *Germania* ſive *Teutonia*, ſecundum modum &
„ formam (ſicut in monaſterio *Sancti Galli* viri peritiſſimi ediderunt Roma-
„ nus & Notkerus *Balbulus*, cæterique magiſtri iuxta exemplum authentici
„ antiphonarii Gregorii correxerunt) elegit cantare, & hunc ritum modu-
„ landi ſervare, quem etiam omnes *uſum* appellaverunt.„ Videbimus poſt-

T.XIV. Bibl. PP. p. 1032. & 1033. & apud Hittorpium.

Apud Bolland. T.I. April. p. 582.

ea, quid iſte *uſus* fuerit, dum conſtanti eiusdem cantus frequentatione ita canentium memoriæ inhæſit melodia, ut pauciſſimis ſignis, notisque muſicis ad genuinum iuxta authenticum S. Gregorii antiphonarium addiſcendum cantum opus fuerit, quantum quidem aſſequi potuerunt *Transalpini*, & tenere, ſuo etiam ingenio indulgentes, nec unquam perfecte *Italos* in hoc genere attingentes, ut etiam Ioannes *Diaconus*, & ex illo Ekkehardus notarunt a). Adiungenda his ſunt, quæ Adam, Canonicus *Bremenſis*, in hiſtoria eccleſiarum ſeptentrionalium de forti cantu ad morem gentium illarum a S. Adalberto accommodato dicit.

a *Cap.* 29.

Et alibi, cura præſertim Caroli M. in diſciplina cantus undique inſtituenda.

XV. Quemadmodum vero cantus eccleſiaſticus, inter artes liberales locum habens, occupatio plurium inſignium virorum fuerit, maxime a tempore Caroli M. in regno *Francorum*, diſcere licet ex binis diſſertationibus D. le Beuf b), nosque poſtea præcipuos in hac arte auctores recenſebimus, nunc pauca quædam proſequentes de cura Caroli M. imprimis ſolliciti, ut tum in in ſcholis publicis, cum in monaſteriis cantus eccleſiaſticus cum aliis ſcientiis doceretur, diſcereturque. Nec id omittendum, quod anonymus laudatus apud Canisium de geſtis Caroli M. refert: *Nullus clericus, niſi legere doctus & canere, non ſolum cum eo manere, ſed ne in conſpectum eius venire præſumpſit* c). Adduxerat Carolus undequaque artium & ſcientiarum etiam cantus eccleſiaſtici doctores non ſolum ex *Italia*, ſed etiam *Anglia*, ubi ſub Theodoro præſertim *Cantuarienſi* in publicis ſcholis cum aliis artibus cantus eccleſiaſticus præcipue vigebat. Inter alios inde *Flac.* Alcui-

b *T. II. P. III. p.* 78.

c

NUM

a) „Huius (inquit ille lib. II. Vit. S. Gregor. c. 7.) modulationis dulcedinem inter alias *Europæ* gentes *Germani* ſeu *Galli* diſcere crebroque rediſcere inſigniter potuerunt, incorruptam vero tam levitate animi, quia nonnulla de proprio *Gregorianis* cantibus miſcuerunt, quam feritate quoque naturali ſervare minime potuerunt. *Alpina* ſiquidem corpora, vocum ſuarum tonitruis altiſone perſtrepentia, ſuſceptæ modulationis dulcedine proprie non reſultant: quia bibuli gutturis barbara feritas, dum inflexionibus & repercuſſionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore, quaſi plauſtra per gradus confuſe ſonantia rigidas voces iactat, ſicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exaſperando magis, ac obſtrependo conturbat.“

b) Differt. ſur l'etat des ſciences en *France* ſous Charle *Magne* &c. Et, depius la mort de Charle *Magne* jusqu'acelle du Roi Robert.

c) Lepidam hiſtoriam idem antea eam in rem narraverat c. 8. „Cum autem itinerando veniſſet Carolus ad quandam grandem baſilicam, & quidam clericus de circumcellionibus ignarus diſciplinæ Caroli in chorum ultro intraret, & nihil unquam de talibus didiciſſet, in medio cantantium mutus & amens conſtitit, ad quem paraphoniſta, levato peniculo, ictum ei, niſi caneret, minabatur. Tum neſciens ille quid ageret, quove ſe vertere poſſet, foras exire non auſus, cervicem in modum circuli contorquens, & diſſolutis malis hians cantandi qualitatem iuxta poſſibilitatem imitari conabatur. Cæteris ergo riſum continere non valentibus, fortiſſimus imperator, qui ne ad magnas quidem res a ſtatu mentis ſuæ moveretur, quaſi geſtum coactionis (cantationis) illius non adverteret, ordinatiſſime finem præſtolabatur miſſæ. Poſtea vero vocato ad ſe miſero illo, miſeratusque labores & anguſtias illius hoc modo conſolatus eſt eum: Multas gratias habeas bone clerice pro cantu & laboribus tuis. Et ad ſublevandam eius paupertatem iuſſit ei dari unam libram argenti.“

NUM acciverat, cuius opera in inſtaurandis litterarum ſtudiis uteretur, ſchola cumprimis *Palatina*, qua de quo loco fuerit diſputant DUCHESNIUS in annal. *Francorum* & BULÆUS in hiſt. univerſitatis *Pariſienſis* T. I. Muſica inter ſeptem artes liberales cenſebatur, poniturque loco ſecundo ab ALCUINO inter diſciplinas phyſicas in MS. *Vindob.* Et in dial. de Grammatica *ſeptenos theoriſticæ diſciplinæ gradus* enumerat hoc ordine: *grammatica, rhetorica, dialectica, arithmetica, geometria, muſica & aſtrologia.* Idem in poemate 221. ad CAROLUM de litterarum ludis ab eo inſtitutis in palatio:

> *Candida* SULPICIUS *poſt ſe trahit agmina lector,*
> *Hos regat & doceat certis ne accentibus errent*
> *Inſtituit pueros* IDITHUM *modulamine ſacro,*
> *Utque ſonos dulces decantent voce ſonora,*
> *Quos, pedibus, numeris, rhythmo ſtat muſica, diſcant.*

De ſcholis alibi inſtitutis ſic legitur lib. I. Capitul. CAROLUS *ſiquidem conſtituit in ſingulis monaſteriis & epiſcopiis ſcholas eſſe, ubi ingenuorum & ſervorum filii grammaticam, muſicam & arithmeticam docerentur.* De iisdem ſcholis per ſingula epiſcopia & monaſteria inſtituendis ad BAUGULFUM, *Fuldæ* abbatem ſcribens CAROLUS (cuiusmodi litteræ generales quibusdam mutatis ad diverſos mittebantur metropolitanos epiſcopos, abbates & alios) paucis rem complexos ad duo hæc redigit: „Ut quicunque vos propter „nomen Domini & ſanctæ converſationis nobilitatem ad videndum expetie„rit, ſicut de conſpectu veſtro ædificatur viſus, ita quoque de ſapientia ve„ſtra, quam in legendo ſeu cantando perceperit, inſtructus omnipotenti „Domino gratias agendo gaudens redeat.“ In Concilio *Aquisgranenſi* an. DCCCIII. poſtquam mandatum relatum eſſet „ut unusquisque epiſcopus in „omni regno, vel imperio ſuo, ipſi cum presbyteris ſuis officium, ſicut „pſallit eccleſia *Romana*, facerent“ mox additur: „Nam & ſcholas ſuas „cantorum in loca congrua conſtrui præcepit.“ Pueri a teneris præter alias in hac etiam ſcientia in ſcholis imbui ſedulo curabantur: „Ut ſcholæ legen„tium puerorum fiant (iuxta primum *Aquisgranenſe* capitulare) pſalmos, no„tas, cantus, compotum, grammaticam per ſingula monaſteria vel epiſco„pia diſcant.“ Idem paſſim repetitur in libris ſeptem capitularium ab abbate ANSEGISO, & BENEDICTO levita collectis. De cantu *Romano* a monachis diſcendo ſingulare capitulum habetur in eodem capitulari primo: „Ut „cantum *Romanum* pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale offi„cium peragant.“ In epitaphio quodam conventus *Argentovillæ* prope *Pariſios* conſervato eſt memoria peritiſſimi magiſtri in cantu ADDALALDI, diaconi

Baluz. T. I. Capit. p. 204.

Conc. Germ. T. I. p. 378.

Ib. p. 282. c. 72.

L. I. c. 68.
L. VI. c. 377.
p. 230. c. 78.

coni tempore Caroli M. qui eo in monaſterio, tunc ſanctimonialibus proprio, diſciplinam iſtam docebat. Miſſi dominici de hoc inquirere debebant non ſolum apud monachos, ſed etiam ſanctimoniales. „Quomodo (ut „habetur in capitulari *Noviomagenſi* an. 806.) emendatum habeant, quod iuſ„ſimus de eorum lectione & cantu, cæterisque diſciplinis, & eccleſiaſticæ re„gulæ pertinentibus.“ Nec tamen hic prætereunda eſt ſilentio præcipua, quam piiſſimus princeps voluit adhibendam cautelam, indignaturque paſtori „Cuiuscunque venerabilis loci (qui) magis ſtudet in ſua converſa„tione habere multos quam bonos, & non tantum probis quam multitudi„ne hominum delectatur, plus ſtudet, ut ſuus clericus vel monachus bene „cantet, & legat, quam iuſte & beate vivat. Quamquam (pergit) non ſo„lum minime in eccleſia contemnenda ſit cantandi vel legendi diſciplina, ſed „etiam omnimodis exercenda. Sed ſi utrumque cuilibet venerabili loco ac„cedere (non) poteſt, tolerabilius tamen nobis videtur ferendum imperfe„ctionem cantandi, quam vivendi.“

T. I. Baluz. c. 4. p. 453.

Ib. Capitul. II. an. 811. p. 482.

Item Ludovici *Pii*, controverſia tunc orta inter Lugdunenſem & Metenſem eccleſiam.

XVI. Ludovicus *Pius*, pietati Caroli patris in ornando divino officio haud cedendum ratus, eius rei cauſa Amalarium *Romam* miſit. Ipſe id teſtatur Amalarius in prologo libri de Ordine antiphonarii. Prolixe ibi laudat Elisagarum, Ludovici cancellarium, qui *& quoscunque de eruditis viris ad ſe potuit convocare, in præſenti negotio deſudarunt.* Unde diſcimus, non diu in eodem ſtatu conſonantiaque res divinas perſtitiſſe, prout ordinatæ fuerant opera & induſtria Pontificum, aliorumque, non ſolum penes quos res eccleſiaſticæ ſiſtebant, ſed etiam principum Pipini & Caroli eiusque filii, cum authenticis antiphonariis cantu *Romano* ſeu *Gregoriano* undique in regno *Francico* propagato. Sequebatur cantus ipſius antiphonarii normam: ut, ſi illud mutationem ferebat, etiam cantum mutari neceſſe eſſet, qui ſyllabatim in antiphonario notabatur. Atqui hoc eſt, quod Amalarius, qui erat *Metenſis* tum diaconus, vel in una illa provincia deprehendebat a).

a

Quin

a) „Cum (ita librum de Ordine antiphonarii orditur T. XIV. Bibl. PP. p. 1032.) longo tempore tædio affectus eſſem propter antiphonarios diſcordantes inter ſe in noſtra provincia; moderni enim alio ordine currebant, quam vetuſti: & quid plus retinendum eſſet neſciebam, placuit ei qui omnibus tribuit affluenter, ab hoc ſcrupulo liberare me, inventa copia antiphonariorum in monaſterio *Corbien.* Id eſt, tria volumina de nocturnali officio, & quartum, quod ſolummodo continebat diurnale, certavi a pelago curioſitatis carbaſa tendere ad portum tranquillitatis: nam quando fui miſſus *Romam* a ſancto & chriſtianiſſimo imperatore Hludovico ad ſanctum & reverendiſſimum Papam Gregorium (nimirum IV.) de memoratis voluminibus, retulit mihi ita idem papa: antiphonarium non habeo, quem poſſim mittere filio meo Domino imperatori, quoniam hos quos habuimus, Wala, quando functus eſt huc legatione aliqua, abduxit eos hinc ſecum in *Franciam.* Quæ memorata volumina contuli cum noſtris antiphonariis, invenique ea diſcrepare a noſtris non ſolum in ordine, verum etiam in verbis & multitudine

Quin imo neceſſe eſt etiam *Romæ*, ubi tam religioſe authenticum S. GREGORII antiphonarium, teſte IOANNE *Diacono* cuſtodiebatur, ſucceſſu temporis innovationes fuiſſe factas, ut idem accidiſſe aliis in eccleſiis mirum videri non debeat. Qua de re huic ipſi AMALARIO gravis interceſſit controverſia cum AGOBARDO *Lugdunenſi*, cuius eccleſiæ ritum *divinæ decantationis ſolemnia* peragendi, formamque antiphonarii *Lugdunenſis*, ac ſi a paterno more deviaſſet, AMALARIUS carpebat. Hic quidem plus indulgendum in hac re contendebat, ut etiam antiquorum Patrum inventa, qui in carmine ſoliti ſunt modulari, liceret adiungere; authenticaque alia multa cantica eſſe, quæ non habentur in ſcripturis, econtra vero nocturnas vigilias inceſſebat, prout agebantur in *Lugdunenſi* eccleſia. AGOBARDUS eius eccleſiæ defenſionem ſuſcipiens, contendit, eam firmiter inhæſiſſe ſtatutis leviticæ & apoſtolicæ legis: diurnas & nocturnas vigilias in choro levitico a DAVIDE conſtitutas eſſe, ſcripturamque adeo perfectam, ut nil illi adiici, neque detrahi, ſed in eis quæcunque reperiuntur, cantari, reliquis omiſſis, oporteat. Hæc tuetur AGOBARDUS reſtituto atque in lucem protracto antiphonario & reſponſorio, uti teſtatur in libello *de divina pſalmodia*, quod prooemii loco eſſe poteſt alteri illo *de Correctione antiphonarii* contra AMALARIUM, quem tamen non nominat. „Quia nuper (inquit) ſtultus & improbus, ipſaque ſtultitia & improbitate ſua omnibus notus calumniator „erupit, qui ſanctam eccleſiam noſtram, id eſt *Lugdunenſem*, non ſolum „verbo, ſed etiam ſcriptis lacerare non ceſſat, quaſi non recte, nec more „paterno ſive uſu, divinæ decantationis ſolemnia peragentem, neceſſe fuit „omnem ſacrorum officiorum ſeriem, quæ ſolito cantorum miniſterio per „totum anni circulum in eccleſiaſticis conventibus exhibetur, ſicut in eadem eccleſia favente DEI gratia cuſtoditur, diligentius & plenius in libello, quem uſitato vocabulo antiphonarium nuncupant, colligere.“ Agebatur potiſſimum de plebeis, ut vocant, in eccleſia decantandis pſalmis: eccleſiamque veterem magnopere reſpuiſſe modum canendi poeticum, tuetur. Quam in rem decretum a Concilii Patribus factum affert, nihil poetice compoſitum in divinis laudibus uſurpandum. Ut ſicut in diebus ad Miſſas nonniſi divina generaliter eloquia decantantur, ita & in noctibus ad ſacras DEO vigilias exhibendas eadem procul dubio lex debeat obſervari. „Hæc namque fidei cautela, & ſinceriſſima obſervantiæ diſciplina, ut in templo DEI „&

De vita S. Greg. L. II. c. 7.

Bibl. PP. T. XIV. p. 321. B.

Ibid. E.

reſponſoriorum & antiphonarum, quas nos non cantamus. Nam in multis rationabilius ſtatuta reperi noſtra volumina, quam eſſent illa. Mirabar quomodo factum ſit, quod mater & filia tantum a ſe diſcreparent. Inveni in uno volumine memoratorum antiphonariorum ex his quæ infra continebantur, eſſe illud ordinatum priſco tempore ab ADRIANO apoſtolico. Cognovi noſtra volumina antiquiora eſſe aliquanto tempore volumine illo *Romanæ* urbis. “

„ & coram divino altari divinorum tantummodo eloquiorum melodia ce-
„ lebretur, etiam veteris teſtamenti auctoritate & exemplis nobis firmiſſime
„ commendatur: ubi in libro *Paralipomenon* legitur, quod beatus DA-
„ VID rex & propheta DEI primus choros Levitarum laudantium Dominum
„ in tabernaculo ſive in templo conſtituerit, eisque pſalmos & hymnos &
„ cantica divinitus ſibi & cæteris qui cum eo prophetabant inſpirata tradide-
„ rit, ac mane & veſpere inter divina holocauſta & ſacrificia decantanda de-
„ creverit.“ Pluribus exemplis & teſtimoniis adductis rem ſuam agit in laudato *de divina pſalmodia* libello, cuius ipſe titulus & inſcriptio declarat, quo tendat. In libro vero *de correctione antiphonarii*, quem inſcripſit *dilectiſsimis in Chriſto fratribus, & præcipue cantoribus eccleſiæ Lugdunenſis*, in divinis laudibus exſolvendis fugiendam levitatem, gravitatemque ſectandam prætendens, ſuum in correctione antiphonarii ſtudium comprobat, amputatis his, quæ vel ſuperflua, vel levia, vel mendacia aut blaſphema videbantur, nonnullis ineptiarum, ut vocat, memoratis exemplis, quæ præfato continebantur libello, adverſarium ſuum AMALARIUM tacite ſugillans, cuius *de ordine antiphonarii* laudavimus librum, quem compoſuit cum adhuc eſſet diaconus *Metenſis*, poſtea presbyter & abbas, ut MABILLONIO videtur, *Gorzenſis* fortaſſe. Fuerat idem ſcholæ *Palatinæ* ALCUINI poſt aliquod tempus ſucceſſor: ubi cum aliis ſcientiis etiam muſica tradebatur.

Præf. I. in ſæc. IV. O. S. Bened. n. 182.

Status muſices deinceps per medium ævum ſæc. IX. & X.

XVII. REMIGIUS *Altiſiodorenſis* non multo poſt AMALARIUM (quem LUDOVICUS *Pius Romam* miſit, ut *Gallicanum* cantum & officium ad *Romanum* emendaret) eodem munere perfunctus eſt, regnante CAROLO *Calvo*, atque dialecticam & muſicam apud *Pariſios* profeſſus, has artes S. ODDONEM *Cluniacenſem* docuit, teſte IOANNE monacho eius vitæ ſcriptore. Plenius hæc diſcere licet ex diſſertatione LEBEUFII *de ſtatu ſcientiarum in Francia poſt mortem* CAROLI *M. uſque ad mortem* ROBERTI *regis*. Unde palam eſt, REMIGIUM *Altiſ.* ſcientiam hauſiſſe ab HERICO, hunc a RHABANO & HAYMONE *Halberſtadienſi*, qui cum cantoribus *Romanis* converſati ſint. Eadem proſequuntur auctores hiſt. litter. *Franciæ* ex Congr. S. MAURI de ſtatu litterarum in *Francia* ſæc. X. tum univerſim, cum imprimis etiam quod ſcholam *Metenſem* (uti de *San-Gallenſi*, quæ eadem occaſione in muſica arte florem acceperat, paulo ante obſervavimus) attinet, deinceps etiam per ſæculum X. hoc genus ſtudii egregie excolentem a). Sæc. V. Act. Ord. S. BEN. laudatur

T. VI. p. 22.

Ibid. p. 27.

a

a) On y enſeignoit principalement la ſcience du chant eccleſiaſtique, en quoi cette Ecole ſe diſtinguoit dés le regne de CHARLE *Magne*. ROTLAND, qui etoit un homme de pieté, & revêtu de la dignité de diacre préſidoit aux exercices du chant les premieres années de ce ſiecle. Comme l'Egliſe de *Metz* fut gouvernée dans la ſuite par des evêques de mérite & de ſçavoir, il eſt a croire qu'ils eurent ſoin d'y maintenir les bons études. On loue entr'autres VI-

laudatur tum is ipſe BERNACER, quem hi celebrant, cum ante eum alii, qui *Metis* ſcholam cantorum tenuerunt ſæc. X. „ *Mettis* per id temporis „ duo continentis vitæ præconio ſatis celebres habebantur: alter ROTLANDUS ſcholæ cantorum in domo S. STEPHANI præſidens, & in remotioribus „ oratorii Sancti MICHAELIS, quod erat in ſuperiora eiusdem baſilicæ Sancti „ STEPHANI, orationibus, pſalmis, Miſſarum celebrationibus noctes diesque „ continuans: alter WARIMBERTUS &c." Et ad an. 973. „ Sociatus eſt ei „ (IOANNI abbati *Gorzienſi*) BERNACER quidam clericus multo ante tem- *Ibid. p.* 71. „ pore cum WARIMBERTO illo, de quo ſupra dictum eſt, *Mettis* apud ec- „ cleſiam *Sancti Salvatoris* verſatus manu libraria ceteris eius temporis non „ inferior, canendi diſciplina admodum præſtans, ſed & artis calculatoriæ „ ſtudioſiſſimus." Quo vero loco fuerit habita tunc muſica inter artes liberales, atque etiam mathematicas ſcientias (quas inter GERBERTUS in *geometria prima* ſecundum locum muſicæ tribuit) iidem auctores hiſtor. litter. *Franc.* poſtea explicant, idque in votis habent, quod ego nunc pro virili ago in conſcribenda hiſtoria muſicæ ſacræ medio ævo tantopere exculta atque æſtimata a). In *Gallia* porro ROBERTUM *Carnotanum* epiſcopum do- a ctrina

GERIC pour ſa ſcience en general, & THIERRI ou DIEDERIC, pour la grande connoiſſance qu'il avoit de la diſcipline eccleſiaſtique. On fit auſſi quelque honneur aux lettres dans les autres egliſes & monaſteres de la ville. Il y avoit une ecole a S. VINCENT, a la tête de laquelle étoit ADELBERT, homme ſçavant, a qui TRITHEME attribue une chronique addreſſée a l'eveque ADALBERON. L'auteur avoit eu ſoin d'y mettre une liſte de tous les predeceſſeurs de ce prelat. On parle auſſi avec eloge de BERNACER diacre de l'egliſe de *S. Sauveur.* C'etoit un homme auſſi habile dans la ſcience du chant, que dans l'art de bien écrire, & qui avoit fait une étude particuliere, de ce qu'on nommoit alors l'arithmétique.

a) L'attention ſinguliere que l'on donna a cultiver la Muſique, fait croire qu'on la regardoit comme un des arts liberaux le plus neceſſaire, & qu'elle étoit beaucoup au-deſſus de l'idée, que nous en avons aujourd'hui. L'on peut ſe rappeller le grand nombre d'ecrit, qui furent faits au ſiécle precedent ſur ce ſujet. Le X. ſiécle n'en vit quéres moins eclore ſur la meme matiere, & les Ecrivains des ſiécles poſterieur ne donnent preſque point d'eloge des hommes de lettres de ce temps la, qu'ils n'y faſſent entrer, comme un titre d'honneur, la connoiſſance qu'ils avoient de la Muſique. Il n'y avoit point d'Ecole ou l'on n'en donnat des leçons & les plus grands maîtres, tels que REMI d'Auxerre, HUBALD de S. *Amand*, GERBERT, & ABBON l'enſeignoient avec le meme ſoin que les plus hautes ſciences. Il ſeroit a ſouhaiter que quelque habile connoiſſeur de l'antiquité nous fit connoitre une bonne fois, ce que c'étoit que cette Muſique ſi eſtimée, & ſi ſoigneuſement cultivée chés les anciens. Pour nous ſommes perſuadés, que le but qu'on s'y propoſoit, ne ſe bornoit point a regler les tons de la voix, & qu'elle etoit fort differente, contre l'opinion d'un ſçavant moderne (GOUJET de l'etat des ſciences en *France*, depuis la mort de CHARLE *Magne*, jusqu' a celle du Roi ROBERT p. 50.) de ce que nous appellons le plein-chant, cela eſt ſi vrai, que les anciens Aucteurs qui ont en occaſion de parler du chant eccleſiaſtique, & de la muſique, ne le confondoient point enſemble. Ce qu'ils diſent de l'un ne convient point identiquement a l'autre, & lorsqu'au temps de CHARLE *Magne* on changea le chant *Gallican* contre le *Romain* il ne fut point queſtion du changement de muſique, qui demeura la même qu'elle étoit auparavant.

ctrina & ſanctitate vitæ inſignem teſtatur PLATINA multa ſcripſiſſe, & canendi modum in ſacris meliuſculum reddidiſſe ſub GREGORIO V. Pontifice, & ROBERTO *Gallorum* rege, magni HUGONIS filio: cuius nos poſtea egregium ſtudium in pangendis ſacris cantibus laudabimus. In vita *Rhabani* MAURI per *Ioannem* TRITHEMIUM ſcripta L. I. c. 3. laudatur RHABANI diſcipulus „IOANNES monachus *Fuldenſis*, patria *Francus* orientalis, poeta & mu„ſicus inſignis; qui & plura ſcripſit, & cantum eccleſiaſticum primus apud „*Germanos* varia modulatione compoſuit.“ Circa id tempus an. 885. GRIMBALDUM cum IOANNE *Scoto*, ASSERO teſte, ALFREDUS rex *Angliæ* e *Gallia* advocaverat, ut *Oxonienſes* in addiſcendis artibus eorum opera iuvarentur; paſſimque GRIMBALDUS cantor optimus celebratur. „Quos inter (ASSERUS in „vita ALFREDI) legatos ultra mare (inquit) ad *Galliam* magiſtros acquirere „direxit; indeque advocavit GRIMBALDUM ſacerdotem & monachum vene„rabilem videlicet virum cantorem optimum & omnimodo eccleſiaſticis „diſciplinis & in divina ſcriptura eruditiſſimum & omnibus bonis mori„bus ornatum. IOANNEM quoque æque presbyterum & monachum acer„rimi ingenii virum, & in omnibus diſciplinis litteratoriæ artis eruditiſſi„mum, & in multis aliis artibus artificioſum.“ Is ſacram ſcripturam eſt interpretatus, IOANNES vero artem muſicam tradidit, quæ cum aliis ex veteri chronico docet BULÆUS: „Igitur anno Incarnat. 886. anno ſecundo adven„tus S. GRIMBALDI in *Angliam* incepta eſt univerſitas *Oxoniæ* primitus in „ea regentibus, ac in ſacra theologia legentibus S. NEOTO abbate, nec non „in theologia doctore egregio: & S. GRIMBALDO, ſacræ paginæ ſuaviſſimæ „dulcedinis excellentiſſimo profeſſore. In grammatica vero & rhetorica re„gente ASSERO monacho, & in arte litteratoria viro eruditiſſimo. In diale„ctica vero, muſica & arithmetica legente IOANNE monacho, & collega S. „GRIMBALDI, viro acutiſſimi ingenii & undecumque doctiſſimo, præſente „glorioſiſſimo & invictiſſimo rege ALFREDO.“ *Ant.* a WOOD in hiſt. acad. *Oxonienſ.* agit de inſtauratis ſcholis *Oxonienſibus* ab ALFREDO rege in logica, muſica & arithmetica conſtituto IOANNE. Ex SPELMANO diſcimus ALFREDUM muſices ſtudioſiſſimum (quippe qui, *Danis Angliam* invadentibus, *citharædum* agens eorum caſtra exploravit, ipſum in tentorio regem demulcens) non admiſiſſe apud ſe qui *tantum uſu vel memoriter* cantare didicerant, verum ipſius artis peritos. Ex *Angl.* Sac. diſcimus circa an. 946. S. ETHELVOLDUM abbatem ex monaſterio *Corbeienſi* advocaſſe viros peritos in litteris & cantu eccleſiaſtico, qui monachos docerent. Duos hic paulo antea laudatis de propagatione cantus *Romani* ſeu *Gregoriani* in *Anglia*, addimus OSBERNUM & GOTSELINUM, monachum *Bertinianum*, poſtea *Cantuarienſem* vertente ſæc. XI. auctorem vitæ S. AUGUSTINI, *Anglorum* apoſtoli,

„Qui

Hiſtor. acad. Pariſ. T. I. p. 224.

L. I. p. 24.

L. I. §. 56.

L. III. §. 64.

T. I. p. 165. *Sæc. XI. & XII.*

„ Qui (teſte WILHELMO *Malmesburienſi*) monachus de S. BERTINO cum HE-„ REMANNO epiſcopo *Salesberiæ* quondam *Angliam* venerat, inſignis littera-„ rum & cantuum peritia. Is multo epiſcopatus & abbatias perluſtrans tem-„ pore, præclaræ ſcientiæ multis locis monumenta dedit, in laudibus San-„ ctorum *Angliæ* nulli poſt BEDAM ſecundus, muſicæ porro palmam poſt „ OSBERNUM adeptus." Idem WILHELMUS *Malmesburienſis* THOMAM *Eboracenſem* archiepiſcopum laudat, quod maſculam in eccleſia muſicam induxerit, immunem ab omni effœminata mollicie. Sæc. XI. muſica plurimum exculta eſt in *Benedictinis Germaniæ* monaſteriis *S. Galli*, *Augienſi*, *Hirſaugienſi*, *S. Georgii*, & aliis. Patebitque, quanta opera cantui ac muſicæ eccleſiaſticæ fuerit impenſa, ex copia tot auctorum ac ſcriptorum, contentione inſuper, ac diſciplina muſices excolendæ ingenti, ſæculo præſertim undecimo per GUIDONEM *Aretinum*, qui, teſte quidem CRANZIO, per varias regiones proficiſcens corruptam muſicam emendavit, & per flexuras articulorum in manibus cantum diſcere docuit; *ſcalam* vulgo vocant. Quod intelligi poteſt de eius inventis ad faciliorem cantus diſciplinam præſtantiſſimis, brevi tempore per varias regiones ſuſceptis. HERMANNUS, archiepiſcopus *Hamburgenſis*, & ELVERICUS, *Oſnabrugenſis* epiſcopus eius opera uſi ſunt. Magis magisque ſucceſſu temporum, aucto numero feſtorum, ritus officii divini cantusque eccleſiaſtici eſt ampliatus, compoſitis occaſione novorum feſtorum novis officiis, quæ ſæculo nono adhuc erant parvo numero, & pleraque notis muſicis deſtituta, uti conſtat ex antiquioribus illorum temporum libris MSS. huius generis, ubi ſæpe occurrit diſcrimen inter feſta, ut præcipua tantum notis muſicis inſtruerentur. Magna etiam differentia deprehenditur in ipſo cantu eorum feſtorum, quæ ſerius introducta notas muſicas acceperunt. D. LEBEUF exorienti potiſſimum ſæculo X. ordini *Cluniacenſi* S. BENEDICTI hoc tribuit, qui ſæc. XI. etiam *Germaniæ* luſtrum fuit. Subinde etiam *Roma* iterum ſuppetiæ allatæ ſunt, ut innuere videtur BERNO in epiſtola ad PILIGRINUM, archiepiſcopum *Colonienſem*, Tonarii prologo de *tonis* & *ſymphoniarum modis* præmiſſa, quo iubente id ſcriptum elucubratus fuerat BERNO, ac PILIGRINUM laudat: „ Qua-„ liter (ait) ſapiens, & te præſule felix *Colonia*, cum beatis eccleſiæ ſuæ „ filiis apoſtolorum principe, linguarum omnium quodammodo plectrum „ modificante in decachordo pſalterio cum cantico in cithara pſallat Do-„ mino DEO." PILIGRINUM in expeditione HENRICI II. contra *Græcos* *Romæ* fuiſſe an. 1021. notatur in *Gallia* chriſt. T. III. p. 657. In *Germania* item eodem ſæc. XI. labente BENNO Ep. *Miſnenſis* regularem canendi modum reſtituit, fecitque, ut concinne & eleganter divina officia decantarentur, ut apud BOLLANDUM legitur. *Et cum*, ait EMSERUS in vita BENNO-

L. IV. de regibus Angl. cap. ult.

L. IV. c. 18. Metropoleos.

Tr. hiſt. ſur le chant eccl. ch. 3.

Apud Pez. T. IV. anecdot. P. II. p. 69.

Bolland. T. 3. Iun. ad d. 16.

NIS, *antiquorum more irregulatus adhuc eſſet in eccleſia Miſnenſi cantus;* BENNO *epiſcopus, data opera, regularem ac legitimum canendi uſum, iuxta Hildesheimenſis eccleſiæ ritum ac conſuetudinem ad Miſniam primus traduxit, fecitque, ut concinne ac eleganter in hodiernum uſque diem cantetur.* Eodem ſæculo XI. *Chronographus Mediani* in *Voſago* monaſterii, ſub celebri abbate LAMBERTO, teſtatur, cœnobium illud magnis ſcientiæ, & maxime litterarum & cantus lampadibus enituiſſe. Atque deinceps tantum ſtudium cantus, præcipue in monaſteriis *Galliæ* deprehendit, ut abbates, niſi in cantu eccleſiaſtico inſtructos, recipere in ordinem detrectarent, cuiusmodi medio ſæculo duodecimo fuit PETRUS abbas *Andernenſis. Quantumcunque*, ut in
T. II. f. 809. chron. apud DACHERIUM legitur, *quilibet ad converſionem veniens eſſet litteratus, non ei acceſſus patebat, niſi in legendi & cantandi ſcientia fuiſſet*
p. 687. *exercitatus.* Apud eundem legitur in chr. monaſt. S. TRUDONIS de RODULPHO erudiendis ſcholis eodem ſæculo præfecto: „Inſtruxit etiam eos arte muſica ſecundum GUIDONEM, & primus illam in clauſtrum noſtrum introduxit: ſtupentibusque ſenioribus faciebat illos ſolo viſu ſubito cantare tacite arte magiſtra, quod nunquam audiri didicerant." Et quoniam continuatum eſt ſtudium cantus publicis etiam in ſcholis, quæ paſſim, in monaſteriis præſertim, erigebantur, mirari quivis deſinet de aucto cantu eccleſiaſtico, mutatoque ſucceſſu temporum. Quod in meis itineribus per *Germaniam*, *Galliam*, & *Italiam* innumera propemodum verſando monumenta liturgica, atque etiam laudatus LEBEUF comparando antiqua cum novis fe-
a ſtis, prout notis muſicis inſtructa ſunt, animadvertit a). Qui hiſtoriam litterariam *Franciæ*, *Benedictini* ſodales ex congregatione S. MAURI, edide-
T. VII. p. 13. runt, dum de celebri ſub FULBERTO ſchola *Carnutenſi* ineunte ſæculo undecimo agunt, quæ prima nomen academiæ meruerit, inter alia ſtudiis humanioribus, *muſicæ*, *dialecticæ*, & *theologiæ*, quæ ſub nomine *grammaticæ* tum venerint, operam datam referunt potiſſimum ex ADELMANNI ſcholaſtici rythmis alphabethicis de viris illuſtribus ſui temporis, quos MABILLONIUS
T. I. p. 420. in Analectis edidit, hocque initium habent:

Armonicæ facultatis adſpirante gratia
Refero viros illuſtres, litterarum lumina,
Quos recenti recordatur mens dolore ſaucia.

Mox

a) „Comparando (inquit) maximam partem omnium horumce cantuum cum antiquis officiis *Roma* allatis ſæculo octavo & nono, in quibusdam deprehenditur antiquus guſtus, at in plerisque aliis agnoſcitur diverſum compoſitionis genus. In officio S. Trinitatis, & STEPHANI *Leodienſis* magis quam uſpiam apparet hæc guſtus mutatio; pauſæ magis ſunt frequentes ſuper chordam finalem, & ſuper chordam dominantem pſalmodiæ in certis modis veluti in primo modo: continent multo plures ductus ſeu neumas notarum, ductusque hi ordinem habent, quem auctores affectabant diverſum ab antiquo *Romano.*" *Tr. hiſt. ſur le chant eccleſ.*

Mox is poſt Fulbertum (ſub cuius diſciplina Angelramnus in *grammatica*, *muſica*, & *dialectica* in ſchola *Carnutenſi* egregios profectus feciſſe in chr. *Centul.* memoratur. T. IV. ſpicil. *Dach.* p. 543.) laudat

Hildierum, *quem pupillam nuncupare ſoliti*
Quod puſillus eſſet, imo perſpicacis animi
Cæterorum princeps atque communiceps præſuli
Is magiſtrum referebat vultu, voce, moribus:
Hipocratis *artem iungens* Socratis *ſermonibus*
Nec minus Pythagoreis indulgebat fidibus.
Karitate Sigo *noſter plenus atque gratia,*
Multa præbens ore, manu advenis ſolatia,
Singulari organali regnabat in muſica.

Sigo notatur Mabillonio abbas monaſterii Sancti Florentii *Salmurenſis* *Ibid. p.* 423. ad *Ligerim*, vir ſuo tempore clariſſimus: cum fuerit magiſter ſcholæ *Carnutenſis* atque eiusdem eccleſiæ cantor. Confudit nimirum cum altero Sigone in ſchola maioris monaſterii prope *Turonas* formato, qui fuit in *grammatica*, *rhetorica*, *dialectica*, *arithmetica*, *muſica*, inſuper litteris græcis, hebraicisque eruditiſſimus legendi & ſcribendi, ut legere eſt apud Martenium. *T. III. Theſ.* Utrumque diſtinguit idem Mabillonius T. II. annal. p. 551. 555. Muſica *anecd. p.* 848. prout tum temporis erat diſciplina theoretica, inter artes liberales computata, *& coll. ampl. T. V. p.* 1125. cum *arithmetica*, *geometria*, & *aſtronomia quadrivii* nomine veniebat, 1126. *trivium* vero *grammatica*, *rhetorica*, & *dialectica* dicebantur, prout effigiatæ exprimuntur in fronte incomparabilis codicis *San-Blaſiani* ſæc. XII. ſingularique laudi tum tribuebatur, inde nomen accipere. Sic Gerlando *ſcientia Trivii Quadriviique onerato & honorato* Hugo *Metellus* epiſtolam *Epiſt.* 33. inſcribit. Fuerat autem Gerlandus canonicus regularis & ſcholaſticus S. Pauli *Viſontinus* ſæc. XII. Cuius extat typis impreſſa *candela ſtudii ſalutaris;* variis vero in bibliothecis *Galliæ* ab auctoribus hiſt. litter. *Franc.* notantur *T. XII.* *tabulæ* MSS. ſeu *Computus*, *abacus* nimirum *arithmetica*, quæ facile *p.* 288. cum muſica theoretica coniungebatur. Hiſtoria *Andegavenſis* monaſterii S. Huberti apud Martenium, ineunte ſæc. XII. ſcripta, laudat Helbertum *T. IV. coll.* *Leodienſem in abaco & muſica triumphantem.* Solemne erat medio ævo cum *ampl. p.* 925. aliis ſcientiis artibusque liberalibus muſicam ſociare, publiceque in ſcholis profiteri. Geraldum archiepiſcopum *Bracarenſem* alibi laudamus grammaticum haud minus celebrem (quo nomine humaniores litteras deſignabant)

Baluz. miſcell. T. III. p. 179. 180.

quam muſicum, armarium & primicerium *Moyſiacenſis* monaſterii ſæc. XI. *ubi monachos minus eruditos tam in muſica quam etiam literali diſciplina diligentior edocebat.* Eidem BERNARDUS archiepiſcopus *Toletanus chorum eccleſiæ Toletanæ regendum & clericos edocendos commendavit*, ut in eius vita apud BALUZIUM legitur. In chronico S. BERTINI auctore *Io.* IPERIO c. 40.

Mart. T. III. anecd. p. 592.

celebratur „LAMBERTUS huius loci abbas quadrageſimus ab infantia hic „regulariter educatus (qui) per auditoria *Gallicana* ad litterarum ſtudia deſtinatus eſt, indeque rediens, magiſter puerorum effectus, iſtis grammaticam, „illis philoſophiam, aliis theologiam, quibus etiam docebat muſicam, po„pulumque frequenter ſua prædicatione verbi potens illuſtrabat.“ Abbas factus eſt an. 1095. S. ABBO celebris ſæc. XI. *Floriacenſis* abbas de cyclo paſchali ſcripturus, ad id argumenti ſibi opus eſſe dicit non *arithmetica* ſolum, *geometria* & *aſtronomia*, ſed etiam *muſica*, ut in præfatione a MARTENIO edita T. I. Anec. p. 118. 119. teſtatur. Auctores hiſt. litter. *Franc.* ex congr. S. MAURI plures eiusdem ætatis laudant, ſimulque ingens per medium ævum muſicæ impenſum ſtudium ab illis fere, qui litteris inclareſcebant a). Idem teſtantur de ſequenti ſæculo duodecimo b). Etiam ſequiori ſexui quandam addiſcendæ muſicæ neceſſitatem imponebat monaſticum ac religioſum inſtitutum, ut ex ABALARDO palam fit: eratque commune ſtudium iis omnibus, qui ſtatum eccleſiaſticum aut monaſticum profitebantur. Poſt *Cluniacenſes* de quibus paulo ante, *Ciſtercienſes* a prima ſua origine in cantu rite inſtituendo, corrigendoque egregiam navabant operam, ut alibi memoramus: iidemque in *Cluniacenſibus* vitia cantus acriter inceſſebant (ut apud MARTENIUM legere eſt) eo ipſo tempore, quo PETRUS *Picta-*

Tom. VII. p. 142. 143. T. IX. p. 200. T. I. p. 155. a b

T. V. anecd. p. 1586.

a) „Nous avons obſervé aileurs, que dans les ſiecles demi barbares on faiſoit tant de cas de la muſique que tous ceux, qui ſe meloient de literature, y donoient une application particuliere. Il ſemble qu'il y eut autant de des honeur a l'ignorer parmi les gents de lettres, qu'il y en auroit auiourd'huy parmi les perſones de quelque naiſſance, a ne ſçavoir ni lire ni écrire. On a même vu que le docte GERBERT la comptoit pour la ſeconde aile du Mathematicien. Sur ces principes on ne doit pas douter, qu'elle ne fut beaucoup cultivée en ce ſiecle ci. On l'enſeignoit dans toutes nos Ecoles; & tous nos gentes de letres l'étudioient, les uns plus, les autres moins, ſuivant leur gout. Pluſieurs s'y rendirent tres-habiles, aux termes des Hiſtoriens du temps. On met de ce nombre le B. GUILLAUME de *Dyon* (artificialis etiam muſicæ perdoctus;) ALBERT abbé de *Gemblou*, qui poſſedoit tant d'autres belles connoiſſances; BRUNON eveque de *Toul*, depuis Pape ſous le nom de LEON IX; GERBERT abbé de *S. Vandrille*, mort en 1089; AINARD de *S. Pierre* ſur Dive mort en 1077. DURAND abbé de *Troarn* mort en 1088. trois brillantes lumieres apres le milieu de ce ſiecle; WITMOND d'abord moine du *Mont-Sant Catharine* a *Rouen* puis de *S. Evroul*, S. GERAULD &c.“

b) „La muſique que divers Auteurs competent pour la ſeconde aîle du Mathematicien, mais dont nous avons attendu à parler pour la ioindre au plain chant, fût affés generalement cultivée. Presque tous les gents de lettres l'etudioient, les uns plus, les autres moins, ſuivant leur gout, ou la place qu'ils rempliſſoit. Les Religieuſes en foiſoient auſſi une de leurs études a raiſon de leur etat. Il ne paroit pas cependant qu'on y fit de nouveaux progres, au moins pour ce, qui regarde la théorie.“

Pictavienſis monachus *Cluniacenſis trivii quadrivii*que atque adeo muſicæ laude PETRUM venerabilem abbatem *Cluniacenſem* celebrat:

Muſicus, aſtrologus, arithmeticus & geometra *Bibl. Clun. p. 612.*
Grammaticus rhetor, & dialecticus eſt.

Quamvis eſſent, qui laudes has, hyperboles a ſpiritu adulationis dictatas, *p. 615. 617.* haberent. *Ant.* a WOOD in hiſtoria acad. *Oxonien.* doctoratus gradu, ho- *L. I. p. 24.* dieque in facultate muſica apud *Anglos* recepto, quoad HENRICUS II. rerum potitus eſt, neminem fuiſſe ornatum, liquere dicit, ad ſæculum nempe uſque duodecimum declinans. „Deinceps vero (ait) pariter manifeſtum eſt „ tum a grammatices, tum muſicæ, nec non philoſophiæ, artiumque in „ genere profeſſoribus capeſſi ſolitum. Hiſce nimirum poſt annos complu- „ res in ſtudiis collocatos, tanquam ſcientiarum in quibus occupati fuerant, „ egregie peritis alios tandem informandi munus, titulusque ille doctoratus „ (ad docendum habilem indicans) haud immerito deferebantur. Quibus ta- „ men facultatibus, quod opes & honores haud perinde ac per reliquos ob- „ tinerentur, evileſcere demum apud vulgus cœpit doctoratus præfatio, „ adeoque unius tandem muſicæ profeſſoribus adhæſit, qui ad gradum uti- „ que illum aſpirare etiamnum ſuſtinebant.“ Illud vero permirum eſt, quod ex ROGERO *Hovedenſi* refert *Chriſtianus* LUPUS, *Hibernos* uſque ad S. MA- *Schol. ad can.* LACHIÆ *Dunenſis* epiſcopi, aut HENRICI *ſecundi Anglorum* regis tempora *75. Conc. Trull. T. III.* cantum eccleſiaſticum ignoraſſe. Quod de elegantiore diſciplina intelligi poteſt. *p. 135.* Articulus HUMBERTI celebris ſæc. XIII. *Dominicani* Ordinis Generalis, inter alios ad concilium *Lugdunenſe* perferendus: *Quod in omnibus eccleſiis ars cantus melius doceretur & diſceretur*, ad labentem cum aliis ſcientiis muſices & cantus peritiam referri debet. Utrumque enim ex eodem fonte oriri potuit neglectu artis, religionisque deſidia potiſſimum, primigenium cantus *Gregoriani* ſcaturiginem tenendi, quod CAROLUM M. tantopere cordi habuiſſe vidimus. Sed diverſa ſtudia, maxime autem varius ordinum religioſorum in eccleſia exurgentium uſus mutationem hic maximam fecit. Notabilis eſt, quæ a DURANDO tradita eſt regula: „In eccleſia generaliter nil *L. V. Ration.* „ canendum aut legendum eſt, quod a ſancta *Romana* eccleſia canonizatum *div. off. c. 2.* „ & approbatum expreſſe, aut per patientiam non ſit.“ Operoſum foret hic diſcutere, quod perhibet RADULPHUS *Tungrenſis* de ipſo NICOLAO III. *De canon. obſerv. prop. 22.* qui cœpit ſedere in cathedra PETRI an. 1277. feciſſe eum in eccleſiis urbis amoveri *antiphonarios*, *gradualia*, *miſſalia*, & alios libros officii antiquos quinquaginta, mandaſſeque ut de cætero eccleſiæ urbis uterentur libris & breviariis *Minorum*, quorum regulam etiam confirmavit: forma etiam notularum antiqua in cantu, qua tam *Ambroſiani*, quam *Alemanniæ* nationes

utun-

utuntur, cum pluribus aliis obſervationibus eccleſiaſticis ab urbe relegata. Scimus non omnes religioſos ordines cantum *Romanum* adoptaſſe; at nunquam præſertim canonicis, qui eo tempore maximam partem regulares erant ſecundum inſtitutum S. AUGUSTINI vel S. BENEDICTI, indultum eſt a cantu *Gregoriano* recedere. Ex quorum regula eum Sancti AUGUSTINI canonem idem ipſe RADULPHUS citat: *Et nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum. Quod autem non ita ſcriptum eſt, ut cantetur, non cantetur.* Affert porro in eum canonem HUGONIS *de S. Victore* expoſitionem: „Venerabilis HUGO *de S. Victore* (ait) in expoſitione regulæ ſic dicit: Non „enim decet, ut cantus & uſus eccleſiaſticus fieri debeat ſecundum arbitrium diverſorum, ſed firmiter ſervandus eſt ſecundum ſcripta & inſtituta „maiorum.“ Et ipſe RADULPHUS poſtea in hanc ipſam regulam: „Sed „prius (inquit) de ipſis canendis, hic vero de modo canendi præcipit: „ut ea quæ cantanda ſunt, non aliter, nec alio modo quam ſecundum quod „ſcripta ſunt, decantentur &c. Adeundus eſt ipſe auctor. Hæc veluti per lancem ſaturam modo, quæ per capita deinceps explicabuntur; ſpeciatim etiam primordia & progreſſus muſicæ figuratæ, & polyphonæ medio hoc ævo ſuo loco pandentur. Coronidis loco adſcribam hic in commendationem cantus *Romani*, qui per totam occidentalem eccleſiam medio hoc ævo invaluit, carmen quod in codice Vatic. *Palat.* n. 487. p. 32. inveni, exarato tempore OTTONIS M.

Prop. 7. *Ib. c. f.*

Tu quicunque cupis iuvenis hunc ſcire libellum,
Quo calamos poteris vocis inflare ſonoros,
Diſce tonos primum Romano forte magiſtro,
Quos variare legis plagis cum vocibus octo.
Poſtea ſed numerum pedibus, & tempora nota.
Sic tibi terna ſimul dulci modulamine currunt.
Iungere quæque libent, facile & bene verba valebis,
Perficies forſan tibimet tum nobile carmen.
Tu ſtudioſe, precor, quapropter in ordine diſce
Hæc tria, conceutu quam ſtant maxima rerum
Omnia: certe vigent concordi ſidera curſu,
Et polus armonico currit per ſæcia rotatu.
Eſt decus humanæ naturæ muſica ſummum,
Quam qui ſcire negat, ipſum ſe ſcire negabit.

XVIII.

Etiam apud Græcos.

XVIII. Apud *Græcos*, quos cantus & muſica eccleſiaſtica medio hoc ævo progreſſus fecerit, libri eorum rituales, liturgiæ, euchologia &c. quæ abundant *canonibus*, *tetraodiis*, *triodiis*, *contaciis*, *hirmis*, *tropariis*, *œcis*, *ſtichiris*, *proſomœis*, *hagiopoliticis*, *anatolicis*, *idiomelis*, *anaſtaſimis*, *ſtauroſimis*, *theotocticis*, *apoſtolicis*, *martyricis*, *anapauſimis*, *catanycticis*, aliisque hymnorum ac odarum generibus tanta copia, ut vix canendi otium ſuppetiiſſe videatur, præſertim apud monachos longa imprimis exiſtente pſalmodia, uti de monachis S. Basilii teſtatur Radulphus *Tungrenſis*: „*Græci* autem (inquit) ex inſtitutione B. Basilii *magni*, in divinis officiis multum continuant pſalmodiam, ut *Romæ* audivi.“ Præter pſalmos autem ingens numerus apud eos excrevit huiusmodi proprio ingenio compoſitarum odarum ac hymnorum, de quibus poſtea agemus, nec non de hymnographis, qui varia & pene infinita apud *Græcos* compoſuerunt ad promovendum inſtaurandumque eccleſiaſticum cantum. Quos inter, qui novam muſicæ græcæ faciem induxiſſe fertur, hic ſaltem nominandus eſt Ioannes *Damaſcenus*, de quo plura poſtea, cum de aliis quoque tractabimus, in hoc genere claris, quales omnis apud eos tulit ætas: qui maiore quidem felicitate, & conſonantia, remotis tantis difficultatibus, viciſſitudinibusque (quales modo in Occidente vidimus, atque in longum protraxerunt noſtrum ſermonem) avitæ ſimplicitatis magis inhærentes, conventus ſacros ornarunt, ac divinam quandam informarunt melodiam, qualem ſatis deprædicare nequit *Ioannes* Cameniates de excidio *Theſſalonicenſi*, a Combefisio
editus, relatusque inter auctores hiſtoriæ *Byzantinæ* a). Et mox de recur- a
rentium per anni circulum feſtorum ſolemniis agens: „In horum ſiquidem
„(inquit) ſinguli ſacerdotum ordines cleri matriculam implebant, quorum *p.* 247.
„opera myſticus cultus resque ſacra peragitur; lectorum item cœtus, qui „concinendis canticis diligentiam habeant, & alternis verſus tinniant, ma„nuumque motibus modulationum ſonos diſponant, ac magnam quandam „digne-

a) „Harmonicæ vero muſices (inquit p. 246.) cantiones, aut canentium ſuaviſſima mele, DEIque laudibus ac clero mancipatorum ſtudia dicturus; haud equidem ſcio, quibus ea modis exprimam. Ad hanc enim uſque narrationem, neſcio quomodo orationis impetu raptus, ac velut propriæ inſcitiæ ac ruditatis oblitus, conabar moderate, & ut non alius quispiam harum valde imprudens rerum, ignarusque omnium ac ſtupidus, quæ a tua virtute rogatus eram, ſcripto digerere ac explicare; exinde vero, ac præcipue quod ſuavium canticorum ac melodiarum mihi incidit mentio, quo me vertam, neſcio, aut quo ſermonis ducam lineam; quodnam item dulciſſimarum concinnarumque modulatarum cantionum illarum omittam, quibus mortales cum cœleſtibus poteſtatibus pſallebant, ac dies feſtos agebant. Etenim ſiquis eam modulantiam, quam uno ore in unum congregati omnes, divinis canticis, in publicis conventibus, ad DEUM emittebant, angelorum ſonis concelebrantium, ubi lætantium omnium habitatio eſt, aſſimilaverit, is a ſcopo veroque ne vel minimum aberraverit.“

„ digneque ſpectabilem choream conſtituant; tum effulgente veſtium forma „ ſpectantium oculos demulcentes, tam artificioſa pſalmorum lyra auditum „ oblectantes. Quid enim erat, ſi hæc cantica conſideres, fabuloſus *Orpheus*, aut *Muſa Homerica*, aut *Sirenum* deliramenta, fictionum mendaciis digeſta, ut nulla laudum vera ratio ſit, ſed falſi rumores, mortalium „ genus ſeducentes, atque errori mancipantes? Fruſtra igitur in his *Græci* „ crepantibus buccis ſeſe iactant, qui vera rerum ſcientia careant, vanisque „ ſermonibus ipſi ſibimetipſis pugnent. Nobis vero tum Numen verum eſt, „ tum ipſum quod canimus laudisque obſequio frequentamus.“ Dolet deinde vehementiſſime de urbe *Conſtantinopoli*, quod de toto fere Oriente *Turcarum* iugo preſſa hactenus lugemus. „ Hic mihi (inquit) & admiratio „ ſubit, inceſſitque horror ac ſtupor, dum mente recolo, quomodo talis „ & tanta modulatio, ipſa nulli non alii hoſtiarum, quæ DEO offeruntur, magnitudine præſtans ſic repente conticuit, & in nihilum abiit, vel„ utque ſomnium diſceſſit.“

CAPUT II.

De cantoribus, & eorum functionibus.

I.

De choro canentium, ſeu cantorum in eccleſia.

Maiori vero arte, ſtudioque, ac ſelectu etiam perſonarum ad canendum deſtinatarum, cantus, hoc medio ævo ſolus fere in ſacris adhibitus, fuit inſtructus. Hinc & *chori* nomen accepit locus in eccleſia, & conſpiratio ſeu conſenſio cantantium iuxta SS. Augustinum & Isidorum, quos citat Amalarius. Augustinus in Pſ. CXLIX. „ Chorus (ait) quid ſignificat, „ multi norunt: chorum, quia in civitate loquimur, prope omnes norunt. Chorus eſt „ conſenſio cantantium. Si in choro cantamus, „ cordi cantamus. In choro cantantium, quisquis voce diſcrepuerit, of„ fendit auditum, & perturbat chorum.“ Isidorus: „ Chorus eſt multitudo in ſacris collectus. Et dictus chorus, quod initio in modum coronæ „ circa aras ſtarent, & ita pſallerent.“ Optime congruunt, quæ laudatus Isidorus de Offic. div. agens, explicatius dicit: „ Chorus ab imagine dictus „ eſt

De offic. Miſſæ c. 3.

L. I. c. 3.

„ eſt coronæ, & ex eo ita vocatus. Unde & *Eccleſiaſticus* liber ſcribit, *ſtantem*
„ *ſacerdotem ante aram*, *& in circuitu eius coronam fratrum.* Chorus enim
„ proprie multitudo canentium eſt: quique apud *Iudæos* non minus quam
„ decem conſtat canentibus; apud nos autem incerto numero a pauciori-
„ bus plurimisve ſine ullo diſcrimine conſtat.“ Ad chorum nimirum can-
tantium pertinent, ſive ad hoc munus electi quidam cantores, ſive ipſa mul-
titudo fidelium voces ſonarent; quod tempore S. Isidori veteri more ad-
huc uſitatius erat, ut tamen etiam ſemper munus peculiare, veluti ſupra
vidimus, fuerit cantorum in eccleſia inter clericos, qui propius aſſiſtentes
altari locum occupabant, qui etiamnum chorus dicitur. „ Chorus eſt con-
„ ſenſio cantantium (inquit Honorius *Auguſtodunenſis*) dicitur chorus, quod *Sacrament.*
„ initio in modum coronæ circum aras ſtarent, & pſallerent. Cantores ſunt *c.* 33.
„ DEI laudatores, & ad laudem excitantes.“ Bivariam chori, uti etiamnum,
ſemper dividi ſolebant in orientali ſimiliter & occidentali eccleſia. In libris
liturgicis *Græcorum*, ad cantum eccleſiaſticum compoſitis, frequentiſſime
diſcernitur δομέστικος τοῦ δεξιοῦ χοροῦ, & δομέστικος τοῦ ἀριστεροῦ, *domeſticus dex-
tri & domeſticus ſiniſtri chori*: cantores nempe cantui eccleſiaſtico præpoſiti,
& utriusque chori præſides, ut ex Citrio declarat Goar in Euchol. ſuper *p.* 240.
quos adhuc in medio chori ſtat δομέστικος τῶν ψαλτῶν ὁ παρά τινῶν λεγόμε-
νος πρωτοψάλτης, *cantorum domeſticus protopſaltes ab aliquibus vocatus.* In
duobus catalogis officialium cum deſignatione muniorum, ſingulis, qui ec-
cleſiæ addicti ſunt, competentium, ita de cantoribus apud Goar legitur: *p.* 225.
„ Primus cantor inter duos choros dextrum & ſiniſtrum ſtat medius. Ex-
„ ordium vero pſalmodiæ ipſe incipit: poſt hæc vero cantores cuncti.“ Nimi-
rum cantum dirigentibus duobus domeſticis, in utroque choro ſtantibus.
In alio eiusmodi officialium catalogo ex altero Allatii vetuſtiſſimo manu-
ſcripto: *Duo domeſtici in duobus choris ſtant*, *& cum primo cantore pſal-
lunt . . . Primicerii etiam ſupra diaconos locum habent*, *& cum primo
cantore pſallunt. Primus cantor in gremio eccleſiæ ſtat*, *& pſalmodiam ex-
orditur*, *& cum eo domeſtici*, *& primicerii. Proximus inſtitutus eſt, ut iu-
beat ſignum fieri in ſancta DEI eccleſia.* Iisdem nempe, ut in priori catalo-
go verbis. Chorus eiuscemodi tabulis marmoreis circumcinctus in eccleſiæ
ſinu paſſim ante ſanctuarium ſive presbyterium ſitus erat. Ibi in duas di-
viſi claſſes ad cantandum conſiſtebant clerici & cantores, ut chorus choro
loco etiam reſponderet in cantu antiphono. Triformis chorus occurrit apud
Witichindum de Mathilda, Ottonis M. matre, *quæ omni nocte*, *omni- L. III. hiſt.
bus modis*, *& omni genere cellulam ſuam divinorum carminum melodia im- Sax.
plebat. Erat enim ei cellula eccleſiæ proxima*, *in qua modice quieſcebat, de qua
omnibus noctibus conſurgens intrat eccleſiam*, *nihilominus cantoribus & can-*

tatricibus intra cellulam, & pro foribus, & in via triformiter conſtitutis, qui divinam clementiam laudarent, atque benedicerent. Chori hi extra etiam conſiſtebant, cum MATHILDA intra eccleſiam orationi vacaret. Chorus enim eſt, ubicunque eſt canentium multitudo iuxta *Rhabanum* MAURUM, qui omnia accurate diſtinguit. „Chorus (inquit) eſt multitudo in ſacris collecta: & dictus chorus, quod initio in modum coronæ circum aras ſtarent, „& ita pſallerent. Unde & *Eccleſiaſticus* liber ſcribit, ſtantem ſacerdotem „ante aram, & in circuitu eius coronam fratrum. Alii chorum dixerunt a „concordia, quæ in charitate conſiſtat, ſive de concinentia ſoni: cum autem unus canit, græce μονῳδία, latine *ſicinium* dicitur: & cum duo canunt, *bicinium* dicitur, cum autem multi, *chorus* dicitur.“ Cantorum chorus autem olim locus fuerat in ſacris ædibus ſingularis. Cernitur adhuc hodie in vetuſtis eccleſiis locus peculiaris cantoribus: qualem cum ambonibus in eccleſia S. CLEMENTIS priſco ritu inſtructum vidi *Romæ*, deſcribitque MABILLONIUS in itinere *Italico*, ubi chorus duplex diſtinguitur: *Unus ſacerdotum ſub abſida muſivo decorata, pone maius altare, ob id Presbyterium appellatum: alter ubi ſchola cantorum, ante faciem altaris, qui marmoreis ad hominis menſuram cancellis (peribolum veteres appellant) cinctus eſt. Tres ſunt in inferiori choro ambones, unus ex parte evangelii, duo ex parte epiſtolæ: quorum alter lectorium habet verſus altare pro lectionibus ad chorum ſacerdotum; alter pro epiſtola Miſſæ verſus populum. Ad illum ambonem, qui pro evangelio erat, ſtat columna ad cereum infigendum. Duo hinc inde gradus ad ambonem, unus pro aſcenſu, alter pro deſcenſu.* Vidi in celebri prope *Pariſios S. Dionyſii* monaſterio ad eundem modum ſolemniter cani in ambonibus epiſtolam & evangelium, & in vicinia noſtra in inſigni *Friburgi Brisg.* baſilica elatum in chori extremitate ante navem eccleſiæ pro cantoribus haud dubie locum, quem recentiori ſtructura inſtauratum nunc muſici tenent, qui ſucceſſu temporis locum cantorum occuparunt: „Creſcente (inquit „*Ant.* BELLOTE) poſtmodum de die in diem eccleſiarum decore, quod & „ad finem uſque ſæculi augeri non deſinet, factum eſt, ut in eccleſiarum „conventibus ſchola canentium muſicorum admitteretur. Quod plane convincit liber ille ordinarius eccleſiæ *Laudunenſis* non ſemel præcitatus, ex „cuius præſcripto ſtatim poſt inchoatum a celebrante hymnum angelicum „*Gloria in excelſis DEO* cantor ſeu præcentor illico ſubiungit *Et in terra* „*pax hominibus*, nulla penitus facta mentione muſicorum, qui hodie eundem hymnum abſque præcentore ad finem uſque muſice proſequuntur; „non tamen citra apoſtolicæ ſedis indultum; muſicorum enim ſcholam comprobarunt in eccleſia *Laudunenſi* GREGORIUS & CLEMENS ſummi Pontifices, „qui muſicæ partes ſubeuntibus, capellanias duodecim in eadem cathedrali

„perpetuis

De inſtitut. cler. L. I. c. 33.

T. I. P. I. p. 58.

Obſervat. in ritus Laudun. p. 66.

„ perpetuis temporibus addixerunt.“ D. de MOLEON in itinere liturg. ad latus epiſtolæ eccleſiæ B. M. V. *Rothomagenſis* locum notavit, ubi in feſtis *p.* 361. ſimplicibus & feriis ſacellanus in cappa chorum moderetur durante Miſſa.

II. Putat is locum eſſe, ubi iuxta ordinem *Romanum* ſchola cantorum De ſchola cantorum Romæ. fuerit. Inde, quod feſtis ſimplicibus tantum & feriis hoc fieri dicit, colligitur, aliis ſolemnioribus diebus id a choro muſicorum agi; qui & locum, & beneficium, uti recte obſervavit BELLOTE, cantorum, ſucceſſu temporum occuparunt. Prædia quædam in beneficium dediſſe, atque habitacula propria fabricaſſe S. GREGORIUM ſcholæ cantorum, in eius vita IOANNES *Diaconus* memorat. *L. II. c.* 6. „Scholam quoque cantorum (inquit) quæ hactenus eisdem „ inſtitutionibus in ſancta *Romana* eccleſia modulatur, conſtituit: eique cum „ nonnullis prædiis duo habitacula, ſcilicet alterum ſub gradibus beati PE- „ TRI apoſtoli, alterum vero ſub *Lateranenſis* patriarchii domibus fabrica- „ vit.“ Patet ex libro diurno *Romanorum* Pontificum per P. GARNERIUM „ edito, a prima infantia pueros ad hoc aſſumtos, ac in orphanotrophio, „ ut vocabatur, enutritos eſſe, Pontificesque curaſſe, ne quid proventibus illis „ demeretur. „Ne ergo (ut ibi habetur) cantorum deficeret ordo, atque *p.* 135. „ hinc DEI eccleſiæ contumelia irrogaretur, eadem curioſe inquirentes loca, „ a quibus ultra rationem detinebantur, præcipientes venerabili reſtituimus „ loco: iuſtum fore cernentes, ut pro laude DEI pupillos nutrientibus mi- „ niſtrarent, quæ uſibus excolebantur exterorum.“ De SERGIO II. refert ANASTASIUS: „Idem vero almificus & beatiſſimus Papa ſcholam cantorum, „ quæ pridem orphanotrophium vocabatur, & præ nimia vetuſtate in rui- „ nam poſita, atque confracta videretur, DEI annuente clementia a funda- „ mentis in meliorem, quam olim fuerat, ſtatum noviter reſtauravit.“ Et GUILIELMUS bibliothec. in vita STEPHANI VI. „Et in ſchola cantorum, quæ „ pridem orphanotraphium vocabatur, heptateuchum unum obtulit.“ De ſcholis cantorum ſæc. XI. DOMNIZO lib. I. de vita comitiſſæ MECHTILDIS c. 2. ſic canit:

Poſt hæc excelſum ſtuduit ſibi fingere templum,
Divinasque ſcholas, canerent quæ dulciter horas *Murat. Rer. Ital. ſcript. T. V. p.*350.

„ Licet (ut bene notat PETRUS *Urbevetanus* epiſc. in vitam LEONIS IV. apud „ CASSANDRUM in liturgicis p. 141.) a tempore SILVESTRI P. citra conſtructæ „ fuerunt in urbe plures eccleſiæ & magnæ, non tamen habebant clericos „ vel monachos ad officiandum iisdem. Presbyteri enim titulorum & dia- „ coni diaconiarum ad ſuum tantum officium vacabant. Primi namque in Sa- „ cramentis, ſecundi procurandis pauperibus inſudabant, nec habebant ſin-

„ gulæ tunc eccleſiæ, unde poſſent collegium ſuſtentare. Ideoque fuit or- „ dinata ſchola cantorum, quæ fuit communis in urbe, quia ſequebantur „ ex ſchola ſtationes, proceſſiones, & feſta principalia eccleſiarum urbis: „ vivebant enim in communi, & habebant Primicerium in prælatum. Et „ erat tunc hæc magna dignitas in urbe, quoniam caput erat totius cleri, „ & quaſi rector: & in hac ſchola informabantur iuvenes in cantu & lectione „ & in moribus. Hinc vero in eccleſiis cathedralibus proceſſit per mundum „ primicercii dignitas ſeu officium, de quo 25. diſtinct. & extra de offic. pri- „ mic. ſicque intelliges, quod hic dicitur de laudibus in S. PAULO per ſcho- „ lam canendis.“ Hæc ille. Ex vitis Pontificum ſub nomine ANASTASII SERGIUM I. & II. GREGORIUM II. STEPHANUM III. & PAULUM I. a tenera ætate ſcholæ cantorum traditos fuiſſe, ac enutritos legimus. De hac ſchola cantorum huiusmodi ſtatutum ſe reperiſſe in libro pervetuſto, teſtatur CASSANDER in liturgicis p. 141. „Primum in quacunque ſchola reperti pueri „ bene pſallentes, tollantur inde & nutriantur in ſchola cantorum, & poſtea „ fiant cubicularii: ſi autem nobilium pueri fuerint, ſtatim in cubiculo nu- „ triantur, & hanc accipiant poteſtatem ab archidacono, ut liceat eis ſu- „ per linteum villoſum ſedere, quod mos eſt ponere ſuper ſellam equi. „ Deinde ſicut Sacramentorum codex continet, quando & ubi fuerint usque „ in ſubdiaconatus officium ordinentur: diaconi vero atque presbyteri nun- „ quam niſi in publica ordinatione.“ Affert GEORGIUS ex MURATORIO fragmentum vetuſti epitaphii, quod ſuper ara maxima tituli S. CLEMENTIS an. 1727. detectum eſt, dum eadem exornaretur impenſis & pietate *Annibalis* ALBANI eiusdem tituli Card. Initio nonnulla deſunt, temporis vetuſtate conſumta. Quæ ſuperſunt, ita habent:

T. II. de liturg. Pontif.

T. IV. Theſaur. vet. inſcript. Murat. n. 1. pag. 1827.

Fallimur . . . . . .
Quam retinet ſæva mors dicione ſua.
Quæ rapuit famulos CLEMENTIS *Martyris aptos*
Membra ſimul quorum contegit hoc tumulum
Eſt quibus ANDREAS *nomen* CRESCENTIUS *atque*
Ambo ſacerdotes iſtius eccleſiæ
Cardinalis erant ac archipresbyter almæ
Primatum caulæ quisque tenens propriæ
Cantu profecti ſapientes atque magiſtri
Flabra dabant fidis muſica diſcipulis.

Iuxta

Iuxta inſtitutionem ſcholæ cantorum a S. GREGORIO factam cum munere cantorum ordo ſacerdotalis combinari non poterat, accedente præſertim dignitate archipresbyterali, ac cardinalitia. Sed iam obſervavit GARNERIUS in not. ad librum diurnum *Roman.* Pont. n. XIX. p. 135. GREGORII legem de cantoribus in eccleſia non viguiſſe, quum in libris eccleſiaſticis paſſim legatur, non ſolos ſubdiaconos, & clericos minores illud muneris obiiſſe, ſed & diaconos atque presbyteros. Ea ſucceſſu temporum præſertim circa primicerios immutatio fuit facta. Nonnulli primicerii epiſcopalibus infulis ornati, atque ſolii pontificii aſſiſtentes recenſentur ab *Andrea* ADAMI in lib. de Ratione & ordine pſallendi in pontificio ſacello. Sed hæc ad poſteriorem diſciplinam pertinent, ac ætatem. Cardinalis BONA notat ex *Cæſaris* RASPONI opere de baſilica *Lateranenſi* conventionem an. 1232. initam inter *L. II. c.* 4. *Lateranenſem* eccleſiam & primicerium, ac ſcholam cantorum, qua aſſignantur quidam proventus ipſi primicerio cum decem cantoribus pro officio in die S. IOANNIS *Baptiſtæ*, & in ſtationibus eiusdem eccleſiæ. Unde colligitur ſub primicerio ſcholam cantorum tunc temporis adhuc in communi convictu fuiſſe. Quin eodem non ſolum, ſed etiam ſequenti ſæculo XIV. in apoſtolicis ſanctionibus, & ritualibus S. R. E. libris *Primercii & ſcholæ cantorum*, & *ſcholenſium*, quod idem eſt, fit mentio. Loca citat GEORGIUS T. II. de lit. *Rom.* Pont. Ubi obſervat, Primicerium electioni etiam SS. Pontificum aſſenſum adhibuiſſe, ex litteris Cardinalium & cleri *Romani* an. D. 1119. datis de CALISTI II. electione in *Romanum* Pontificem approbanda, ubi primo loco poſt diaconum Cardinalem poſtremum *Primicerius ſcholæ cantorum laudo & confirmo.* HONORIUS III. anno pontificatus tertio XII. Kal. *Maii* nempe an. 1219. die 20. *April.* litteras dedit *Primicerio & clericis ſcholæ cantorum de urbe.* Has litteras ex typo Vatic. edidit in præfat. ad obſerv. de ratione pſallendi in ſacello pontificio, *Andreas* ADAMI. Ad calcem ord. *Rom.* XII. p. 220. exarata eſt pactio inita an. 1232. in qua undecim cantores unacum primicerio memorantur. Leguntur etiam aliis præterea addicti muniis: veluti BENEDICTUS baſilicæ *Vaticanæ* canonicus, qui ordinem *Romanum* XI. ſcripſit, eumque GUIDONI de CASTELLO tit. S. MARCI presb. Card. nuncupavit, *Romanæ*que eccleſiæ cantor erat.

III. Eiusmodi ſcholæ etiam per alias propagatæ fuerunt eccleſias. LEIDARDUS archiepiſcopus *Lugdunenſis* ad CAROLUM M. imperatorem *Habeo*, ſcribit, *ſcholas cantorum, ex quibus plerique ita ſunt eruditi, ut etiam alios erudire poſſint. Præter hæc habeo ſcholas lectorum.* Ex hiſtoria urbis *Pariſienſis* inſigne monumentum proferunt auctores hiſt. litter. *Franc.* epitaphium *T. IV. p.* 249.

Et alibi.

ADA-

a Addalaldi diaconi & magiſtri muſices a). Diaconus item erat Rothlandus *ſcholæ cantorum in domo* S. Stephani *præſidens*, in celebri nimirum ſchola *Metenſi* ſæc. X. ut narratur in vita Ioannis abb. *Gorzenſis* apud Mabillonium ſæc. V. art. ord. S. Ben. p. 372. Et p. 373. laudatur Bernacer *quidam clericus multo ante tempore cum* Warimberto *illo, de quo ſupra dictum eſt, Mettis apud eccleſiam ſancti Salvatoris verſatus manu libraria ceteris eius temporis non inferior, canendi diſciplina admodum præſtans, ſed & artis calculatoriæ ſtudioſiſſimus.* Warimbertum paulo ante cum Rotlando laudaverat auctor vitæ Ioannis. Ad calcem ordinis eccl. *Cameracenſis* eiusdem fere ætatis de ſchola grammatices, cantusque eccleſiaſtici additamentum legitur apud Pithoeum cod. can. p. 368. 369. Sæc. XI. præprimis in ſchola *Tulenſi* complures in diſciplina cantus eccleſiaſtici effloruerunt, atque in monaſterio S. Benigni *Divionenſi* ſub diſciplina præſertim S. Guilielmi abbatis, ut in act. Bened. legitur. T. VIII. p. 331. ut de aliis innumeris taceam per monaſteria eccleſiasque cathedrales inſtitutis, unde hodieque cantoris dignitas manet. Diſputat *Ant.* a Wood in hiſtor. Univerſ. *Oxon.* contra Tullerum, qui ex quodam Bedæ loco probare contenderat, iam ſub Theodoro archiep. *Cantuarienſi* ſæc. VII. in *geometria*, *arithmetica*, & *muſica* publicas fuiſſe illic inſtitutas ſcholas: ut nempe Academiæ *Oxonienſi* vindicet ab Alfredo ſæc. X. demum inſtitutas, ut diximus capite ſuperiore, ad exemplum *Franciarum* inde a Caroli M. tempore. De cura ac ſtudio Caroli M. in conſtituendis per loca congrua, monaſteria nimirum, & epiſcopia ſcholis iam diximus, ubi ingenuorum & ſervorum filii *gramaticam*, *muſicam*, & *arithmeticam* docerentur, paſſimque in id invigilavit paſtorum cura. Atque concilium *Valentinum* III. an. 855. neglectam illam reſtaurandam ſancit diſciplinam. b „Ut de ſcholis, tam divinæ, quam „humanæ diſciplinæ litterarum, nec non & eccleſiaſticæ cantilenæ iuxta „exemplum prædeceſſorum noſtrorum, aliquid inter nos tractetur, & ſi „poteſt fieri, ſtatuatur, atque ordinetur: quia ex huius ſtudii longa inter„miſſione pleraque eccleſiarum DEI loca & ignorantia fidei, & totius ſcien„tiæ inopia invaſit. Placet firmatum.“ Eodem tempore S. Athanasius epiſc. *Neapolit.* memoratur in chr. Ioannis *Diac.* apud Muratorium. „Ordi„navit autem lectorum & cantorum ſcholas: nonnullos inſtituit grammatica „inſtituendos; alios colligavit ad ſcribendi officium, ut ſic paſtor providus „cau-

[Margin notes: *L. I. p.* 35. — *Can.* 18. — *T. I. P. II. ſcript. rer. Ital. p.* 316.]

a) „On nous a conſerve en grandes lettres *Romaines* l'epitaphe d'un Addalalde, qualiſié diacre & maitre de muſique a *Argenteuil.* Le caractere de ce monument montre qu'il appartient au regne he Charle *Magne* ou de *Louis* le Debonnaire; & l'on tire de ce qu'il contient, que le monaſtere d'*Argenteuil*, qui avoit été fondé pour les filles, etoit double, & qu'il y avoit une ecole, ou l'on enſeignoit le chant; peut-être le nouveau apporté de *Rome* au ſiecle precedent & ſans doute les autres ſciences convenables a de moines.“ b) Vid. Ioly ecol. *T. I.* c. 13.

„ caulas ſui gregis muniret, quatenus nullius indigens Domino ſuo præſentaret ſpeculationem, atque veriſſime audiret: floret ſancta eccleſia in diebus tuis redemta ſanguine Chriſti. " De ſchola *Palatina* a regibus *Francorum* inſtituta ſuperiore capite mentionem feci, in qua viri celeberrimi cum cæteris etiam liberalibus artibus muſicam docuerunt. Fueruntque etiam ſelecti cantores *Palatini*, quos commemorat AURELIANUS in ſua *muſica diſciplina* c. 11. „ Antiphonam *O Sapientia!* a *Palatinis* ob excelſiorem vocis „ modulationem primo imponi tono. " Ad calcem HUCBALDI argumentatio cuiusdam habet, muſicalem antiphonam *O Sapientia!* a *Palatinis* de primo tono imponi. Idem AURELIANUS c. 7. fuerat teſtatus, ſuo tempore nobiliſſimos fuiſſe cantores: quando nempe huic diſciplinæ tanta in ſcholis fuit navata opera, tamque ſancta in ſacris chriſtianis fuit inſtitutio, ut ad ea ornanda peculiares ſcholæ ſeu chori cantorum pertinuerint, ad exemplum eccleſiæ *Romanæ*. Talis a DOMNIZONE in vita MATHILDIS Comit. memoratur in *Canoſſa* diœceſis *Regienſis*, ab AZZONE inſtituta. Itaque accipi poſſunt ſcholæ eiusmodi aut ad theoriam ipſius diſciplinæ muſicæ, aut ad praxin in cultu divino, quæ ex prioribus illis perfectionem accipiebant, profectumque. Neque fere ſcholæ publicæ medio hoc ævo carebant magiſtris in muſica diſciplina (ut de ſcholis in regno *Francico*, atque etiam in *Anglia Oxoniæ* inſtitutis diximus, ubi primus IOANNES *Scotus* monachus muſicam docuit, ut videre eſt in Hiſt. Univ. *Oxon.*) eæ præſertim, quæ in eccleſiis cathedralibus & monaſteriis informabantur. Apud auctorem geſtorum *Andegavenſium* in FULCONE *Bono* S. ODDO, *Cluniacenſis* poſtea abbas, *magiſter ſcholæ & præcentor* eccleſiæ *Turonenſis* notatur, ipſe antea in ſchola *Pariſienſi* ea diſciplina imbutus a REMIGIO *Altiſiodorenſi*, ut iam memini. Prælectionibus inſervire ſolebat MARCIANUS (qui inter cæteras artes liberales, etiam de muſica tractat) ut ex IOANNE, ſcriptore vitæ S. ODDONIS diſcimus; huncque etiam in monaſterio *Cluniacenſi* ſcholæ magiſterium aſſumſiſſe, ac primæ quidem iuventutis, alter vitæ eius auctor NAGOLDUS perhibet, præter id, quod de MARCIANO, prælegi ſolito, diximus. Cum poſtea ſenſim ſenſimque huiusmodi ſcholæ deficerent, eas reſtaurari iuſſerunt concilium *Lateranenſe* IV. INNOCENTIUS III. HONORIUS III. Uti demum Concilium *Trident.* in forma erigendi ſeminarium clericorum, inter alia *grammatices*, *cantus*, *computi eccleſiaſtici*, *aliarumque bonarum artium diſciplinam* ediſcendam præſcripſit. A veteri vero inſtituto eſt, quod in plerisque canonicorum collegiatis & cathedralibus eccleſiis cantoris appellatio maneat a). Quæ frequens olim fuit in præcipuis eccleſiis, ut de *Florentina* eccleſia

T. II. p. 31.

Sæc. V. Bened. p. 159.

Ibid. p. 191.

Seſſ. XXIII. c. 18. *de reform.*

a) Vid. IOLY Traité hiſtorique des ecoles epiſcopales Par. 2. c. 8. 9.

Della diſc. del canto eccl.

cleſia pluribus monumentis oſtendit *Dominicus* Manni. Sic notatur ſæc. X. D. Ioannes cantor. Sæc. XI. Rozo cantor præpoſitus, de quo etiam

Lib. cui tit. Gratiſſimus. c. 18.

Petrus *Damiani*: „Rozo, qui dicitur magiſter cantorum, *Florentinæ* ec- „ cleſiæ presbyter, vir apprime litteralibus ſtudiis eruditus.“ Eodem ſæc. pluribus in chartis occurrit Theodaldus cantor, Bodinus cantor. Sæc. XIII. Cambius, Iacobus item & Cauinus cantores maioris eccleſiæ *Florentinæ S. Reparatæ* cum Clano præpoſito. In diplomate Ottonis III. an. 996. capituli eccl. *Aretinæ* poſt archidiaconum, primicerius, cuſtos, & cantor ponuntur. Eodem teſte in civitate *Gravina* ſæc. XIV. poſt archidiaconum primus dignitate cantor erat. In charta MS. S. Apollinaris *Ravennæ* teſtata legitur electio facta de domno Benedicto, monacho eiusdem monaſterii in presbyterum, & rectorem *S. Mariæ de Caſale* a domno epiſcopo, & capitulo dominorum cantorum cathedralis eccleſiæ an. 1309. Recenſentur autem nomina quatuor cantorum. Quod vero ſingulare notat Ducangius ex Molano, *Coloniæ* in omnibus collegiatis eccleſiis chorepiſcopum eſſe primum cantorem, qui etiam in cathedrali eccleſia cum cantore officium faciens in ſolemnitatibus, baculo utitur epiſcopali. In *Colonienſi* Concilio an. 1260. cap. 9. & 10. chorepiſcopi, veluti chori rectores, ſeu ἐπίσκοποι cantoribus iunguntur. Concilium *Colon.* an. 1536. P. III. c. 3. eodem nomine utitur. In pluribus chartis apud illuſt. Hontheim in hiſt.

a *Trevirenſi*, ſubſcribunt chorepiſcopi, paſſimque cantores a). *Henricus* Baten, *Mechlinienſis* doctor theologus, *Pariſienſis* cancellarius, cantor & canonicus *Leodicenſis* circa annum 1350. *decem divinorum libris* de præcipuis agit quæſtionibus philoſophicis etiam muſicis, ut Vossius de Matheſi p. 181. notat. Varia ſcripta opera recenſent auctores hiſt. litter. *Franc.* Baldrici, cantoris eccleſiæ *Teruanenſis* T. VIII. p. 400. &c. Apud Mabillonium T. III. Annal. pag. 343. hæc lego: „ Hoc autem factum eſt anno „ MCXXXIII. Ii ſunt teſtes huius rei. Hugo decanus, Ansgerius cantor

T. I. p. 364. „ ... Andreas muſicus.“ Apud Labbeum Bibl. MSS. in diplom. an. 1051. nomina poſita reperiuntur „ Widonis archiepiſcopi *Remenſis*, Odalrici „ præpoſiti, Richardi decani, Odonis cantoris, nec non totius congre-

T. II. p. 560. „ gationis.“ Apud eundem inſcriptio diplomatis an. 1177. eccleſiæ *S. Francbaldi* itidem Odonem cantorem nominat: „ Ego Ebroinus DEI volunta- „ te decanus, Hilduinus theſaurarius, Odo cantor, & totus pariter cle-

rus

a) T. I. E. g. chart. 271. Signum Hungeri chori-epiſcopi. Ch. 299. Poppo chori-epiſcopus. Hungerus chori-epiſcopus. Poppo præpoſitus. Bruno chori-epiſcopus. Wiricus chori-epiſcopus. Ch. 427. Hardilius cantor. 430. Cuno cantor. 439. Fridericus cantor. 443. Cuno cantor. 450. Cuno maioris eccleſiæ cantor. 523. Sunt litteræ Urbani IV. ob Philippum Theſaurarium, & Theobaldun cantorem adverſis factionibus in epiſcopum *Metenſem* electos.

„ rus *S. Francbaldi Silvanectenſis.*“ Item p. 567. S. ISRAEL cantor eccl. colleg. *Doratenſis* , diœceſis *Lemovicenſis* ſæc. XI. Ibidemque p. 93. &c. celebrantur ab anonymo in hiſtor. archiepiſcop. *Bituricenſium* ODO epiſcopus *Pariſienſis* ex cantore *Bituricenſi.* ELIAS item *Lemovicenſis* cantor, poſt archiepiſcopus *Burdigalenſis. Gaufridus* MARTINI , de quo ſcripſerat BERENGARIUS hæreſiarcha ſæc. XI. ad BRUNONEM archiepiſcopum *Turonenſem.* BULÆO videtur eſſe GAUFRIDUS , ſeu GOFFRIDUS, *Turonenſis S. Martini* cantor, qualis etiam celebratur S. ODDO *Cluniacenſis* poſtea abbas, de quo plura inferius. De PETRO cantore & doctore academiæ *Pariſienſis*, tot libris editis claro, idem BULÆUS (quem virum vocat in academia *Pariſienſi* tam multarum palmarum) epiſtolam recenſet STEPHANI *Tornacenſis* ad WILHELMUM archiepiſcopum *Remenſem* „pro PETRO cantore *Pariſienſi* in *Tornacenſem* epiſcopum electo.“ Verum *Io.* BUZELINUS in ſuis annalibus *Gallo-Flandricis*, eodem referente, ſcribit PETRUM cantorem nulla unquam adduci ratione potuiſſe , ut epiſcopatum ſuſciperet. Apud eundem chronic. *Altiſiodor.* ad an. 700. „*Antiſiodorenſi* eccleſiæ poſt CLEMENTEM præfuit ADULPHUS ex cantore epiſcopus.“ Paulo poſt plura exempla afferemus ad ſummum etiam pontificatum, aliaſque dignitates inſignes elatos eſſe, qui a prima infantia in ſchola cantorum *Romæ*, & alibi fuerunt inſtituti. Celebris in *Anglia* fuit EADMERUS , cantor ſeu præcentor eccleſiæ *Cantuarienſis*, ut in necrologio eius eccleſiæ annotatur , qui varia edidit ſcripta, S. ANSELMI diſcipulus ac individuus comes. In chartis paſſim notantur cantores. Officium hoc, in *Angliæ* monaſteriis perhonorificum, præprimis erat viris doctrina præſtantibus conceſſum. E. g. in eccleſia *Dunelmenſi* cantor ſeu præcentor erat SIMEON primariis *Angliæ* hiſtoricis connumerandus : in eccleſia *Cantuar.* IOANNES *Thannatenſis* mathematicus inſignis : in eccleſia *Wintonenſi* WOLSTONUS non mediocris doctrinæ & eruditionis cœnobita : in monaſterio *S. Albani Thomas* WALSINGAMUS chronographus celebris : in monaſterio *Malmesburienſi Wilhelmus* SOMMERSET , bibliothecarius & hiſtoriographus celebratiſſimus , ut apud BALEUM & PITSEUM de illuſtr. ſcriptor. *Angliæ* videre eſt. Adhuc commemorandus eſt EADREDUS apud *Anglos* cantor peritiſſimus, per ſex ante mortem ſuam annos mutus extra ſolam eccleſiam. Piam artem ita fuiſſe a linguæ vitiis ſervatam affirmat SIMEON *Dunelmenſis*. Id univerſim annotarim, in cantoribus cathedralium eccleſiarum ſequioris ævi nomen ac dignitatem potius , quam cantus peritiam ſpectabilem eſſe.

T. I. hiſtor. univ. Pariſ. T. I. p. 440.

T. II. p. 486.

T. I. p. 89.

IV. Ex dictis vero patet non a trecentis primum annis ad inſignium eccleſiarum dignitatem, ut MARTENIO eſt viſum, redactum eſſe ordinem

Ordo Cantorum. *T. II. de an-*

tiq.eccl.rit.L. VII.c.8. art. 8. n.4. cantorum, qui conſtantius in eccleſia Orientali obtinuit, ſaltem apud *Syros Maronitas;* apud quos primus inter minores ordines habetur, *cuius eſt pſalmos & hymnos in eccleſia cantare*, ut videre eſt apud *Aloyſ.* Asemanni, *Cod. liturg. eccl. univ. L. VIII. c. 2.* etſi *Græci* atque *Syri Neſtoriani*, cantoratu prætermiſſo, ordines ſuos a lectoratu incipiant, teſte Morino, de ſacr. ord. Exercit. XIV. c. 5. Goaro Euchol. p. 233. 305. & Haberto, archierat. p. 37. qui exhibent ordinem, fieri ſolitum in ordinatione lectorum & cantorum poſt tonſuram, eique congruentem benedictionem: hoc diſcrimine, quod lectori liber apoſtolicus, ut aliquid ex eo legat, tradatur; *ſi vero cantor ordinetur*, *recitat propoſitum τὸ προκείμενον ex pſalterio.* Synodus VII. c. 14. illegitimis cantoribus vetat, ne ante manus impoſitionem, lectoribus propriam, ambonem conſcendere, & laudes divinas perſolvere audeant. Unde in Euchol. coniicit Goar p. 202. eiusdem ſynodi tempore lectoris poteſtatem cum canendi facultate coniunctam fuiſſe. Contrarium docet Balsamon in can. 4. *Trullan. Lectorum ordo*, inquit, *non*, *ut cantarent*, *inſtitutus eſt*, *ſed ut in ambone divinas ſcripturas legerent poſt finitum matutinum. Unde etiam lectores appellantur.* Canon utrumque cum aliis ordinibus diſtinguit: *ſiquis epiſcopus*, *vel presbyter*, *vel diaconus*, *vel ſubdiaconus*, *vel lector*, *vel cantor*, *vel oſtiarius &c.* In eccleſia *Hiſpanica*, quæ propius olim quidem cum *Græcis* ritibus conveniebat, *L. VII. orig. c. 12.* S. Isidorus pſalmiſtam & lectorem in ordinibus diſtinguere videtur; ſed improprie, ut Amalarius, *De eccl. off. L. III. c. 5.* qui „ſeptem (inquit) gradus ſunt ordina„torum, octavus cantorum, nonus & decimus auditorum utriusque ſexus.“ Nam idem Isidorus *L. II. c. 12.* „ſolent autem (inquit) ad hoc officium etiam absque „conſcientia epiſcopi ſola iuſſione presbyteri eligi quinque, quos probabi„les in cantandi arte eſſe conſtiterit.“ His ſimilis eſt canon XX. diſt. XXIII. apud Gratianum. Ad quem locum reſpiciens Durandus *L. II. Ration. divin. off. c. 3.* „ſane (inquit) „quod in plerisque ſacris canonibus, & præcipue XCIII. a ſubdiacono. „LXXVII. diſt. c. 1. & 2. & 3. facta de aliis ordinibus mentione, nihil „de hoc ordine tangitur, ex eo contingit, quoniam alii omnes cum ſo„lemnitate, & a ſolis epiſcopis dantur: iſte vero etiam a ſacerdote conferri „poteſt. Ideoque hunc non ordinem, ſed officium fore plurimi aſſeverant: „quamquam in eo, ab epiſcopo collato, quis clericale privilegium aſſequa„tur. XXI. diſt. cleros. in princ. Dictus eſt autem pſalmiſta a pſalmis di„cendis, ſive ab officio canendi: prout ſub lectore dicetur.“ Etſi vero in libris liturgicis huius ævi, in quibus ritus conferendi ordines exhibentur, non raro etiam de pſalmiſtis ſeu cantoribus agatur, non tamen aliis verbis, quam prout fere ex concilio IV. *Carthaginenſi* in ſacramentario *Gelaſiano* *L. I. c. 1.* expreſſa retulimus: „Pſalmiſta, id eſt cantor, poſtquam ab archidiacono „inſtructus fuerit, poteſt absque conſcientia epiſcopi ſola iuſſione presbyteri

„officium

„ officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi presbytero: *Videte, quod ore cantatis &c.*“ Martenius ex pontificali eccleſiæ *Moguntinæ* annorum cir. 400. hæc inter alia habet: „Sabbato quo cantatur *Sitientes*, ſi epiſcopus „ celebrare voluerit ordines, cantato Introitu & *Kyrie eleiſon*, dicatur letania. Qua finita confirmentur pueri, & coma benedicitur & præciditur, „ & ordinentur cantores ſeu pſalmiſtæ. Poſtea ordinentur oſtiarii, lectores &c.“ Sequitur poſtea ordo ad faciendum clericum, ſive ad conferendam primam tonſuram, tum: „Epiſcopus ſacris veſtibus indutus, vel ſine ſacris veſtibus, „ omni tempore & hora diei, prout maluerit, ordinandis coram eo conſtitutis indutis ſuperpelliceis dicat: *Adiutorium noſtrum &c. ſit nomen Domini benedictum.* Deinde tradat eis antiphonarium dicens: *Videte ut quod ore canetis &c.*“ Refert locum Burchardi, in quo cantores ſeu pſaltas cum lectoribus confudiſſe videtur. Qui tamen diſtinguuntur in ſtatutis canonicis de officio clericorum apud Canisium, quæ ſunt ex Burchardi libris collecta, verbis S. Isidori ita expreſſis: *Ad pſalmiſtam pertinet officium canendi: dicere benedictiones: laudes ad ſacrificium, reſponſoria, & quidquid pertinet ad canendi officium.* Deinde poſt oſtiarios, lectores ſequuntur. In uſibus *Tarnenſibus* ſæc. IX. ita lectoris & cantoris munus diſcernitur: *Lector dicitur, quia non cantat aut pſalmum vel hymnum, ſed legit: tantum illic enim modulatio, hic ſola pronuntiatio quæritur &c.* Innocentius III. mox lib. I. c. 1. myſter. inter ſex ordines clericorum cantores recenſet, & etiam rem ex veteri teſtamento illuſtrat, uti etiam ea, quæ ſtatim ſubdit capite ſequenti de primiceriis, & cantoribus. Lib. II. c. 10. *primicerii:* ſcholæ cantorum meminit, qui dextrum humerum pontificis altari appropinquantis oſculatur, & c. 12. cantorum in proceſſione præcedentium. Obſervavit Mabillonius commentario in ordinem *Romanum*, in duobus a ſe editis libellis ordinis *Romani*, eorum altero inter ordines minores ſolius acolythi ordinandi haberi ritus, nulla oſtiarii, lectoris, & exorciſtæ facta mentione; altero vero in ſchola cantorum antea nutritos dici pueros, tum Papæ cubicularios factos, antequam acolythi inſtituerentur. Accidit, ut ſicut lectorum, ita etiam cantorum inſtitutio a prima ætate fieret. *Romæ* etiam a S. Gregorio M. cautum, ne ex ordine diaconatus aliquis cantoris munus ſuſciperet. Quam in rem refertur apud Gratianum cap. *In ſancta Romana* diſt. 92. decretum ſub nomine Concilii *Romani*, quod ipſius Gregorii auctoritate in Append. epiſt. habetur a). Ad quod decretum reſpicit Ioannes a

T. II. antiq. eccl. rit. pag. 480.

T. I. P. I. p. 398.

T. II. Muſ. Ital. p. CV.

T. II. pag. 1288.

NES

a) „ In ſancta *Romana* eccleſia, cui divina diſpenſatio præeſſe me voluit, dudum conſuetudo eſt invalde reprehenſibilis exorta, ut quidam ad ſacri altaris miniſterium cantores eligantur, & in diaconatus ordine conſtituti, modulationi vocis inſerviant, quos ad prædicationis officium eleemo-

L. II. c. 1. n. 5.

NES *Diaconus* in vita S. GREGORII. „Omnes conſuetudines, quas contra „priſcam traditionem apoſtolicam noviter pullulaſſe cognoverat, videlicet „de miniſtris, de cantoribus, de laicis pontifici familiariter adhærentibus... „a totius ſanctæ univerſalis eccleſiæ corpore ſegregavit, eaque ſub inter- „poſitione terribilis anathematis, tam generaliter quam perpetualiter con- „demnavit.“ In *Gallia* diaconos etiam cantorum munus obiiſſe ex S. GRE-GORIO *Turonenſi* diſcimus. *Iubet*, inquit, *rex ut diaconum noſtrum*, *qui ante diem ad Miſſam pſalmum reſponſorium dixerat*, *canere iuberem.* Iuxta BEROLDUM *Mediolani* ſæc. XII. diaconi & presbyteri etiam munus cantorum obibant a). De epiſcopis aliiſque in dignitatibus conſtitutis dicemus deinceps. Scholam cantorum *Romæ* ex ſeptem ſubdiaconis conflatam fuiſſe, colligitur ex notitia veteri apud BARONIUM ad an. 1057. ac IOANNE *Diacono* ſeu potius anonymo in deſcriptione baſilicæ *Lateran.* ubi ſeptem ſubdiaconi memorantur, qui *ſchola cantorum* dicuntur. Vetus documentum in regeſto *Sublacenſi* an. 934. apud GEORGIUM, quo IOANNES *Subdiaconus & primicerius cantorum* locationi agelli, cuius ſubſcribit, ſic habet: IOANNES *Subdiaconus S. R. E. & primicerius ſcholæ cantorum*, *quæ appellatur orphanotrophium*, *conſentiente ſibi ſchola cantorum*, *iubente Domino* IOANNE X, *Papa.* Primus primicerius, vel prior ſcholæ; ſecundus, ſecundicerius dicebatur; tum tertius & quartus ſcholæ, qui & archiparaphoniſta vocabatur: in modulationis officio paraphoniſtæ aliique pueri cantores adiungebantur. Qua de re præter alios agit BARONIUS ad an. 1057. Noſque in eo ſumus, ut, quantum ad præſens de cantu & muſica eccleſiaſtica argumentum ſufficit, eadem de re quædam adhuc articulatius exponamus.

L. VIII. hiſt. Franc. c. 3.

Apud Murat. T. IV. ant. Ital. a

De munere & dignitate cantorum, concentorum, ſuccentorum, præcentorum, primicerii, canonarchæ &c.

V. S. ISIDORUS in celebri ad LUITFRIDUM epiſtola, quæ apud GRATIANUM refertur diſt. XXV. c. 1. „Ad pſalmiſtam (inquit) pertinet officium canendi, dicere benedictiones, laudes, ſacrificium, reſponſoria, & „quidquid pertinet ad peritiam canendi.“ Quæ ſic explicat DURANDUS lib. II. Ration. c. 3. „Dicere benedictiones, id eſt *Benedicamus Domino*, lau-

„des,

ſynarumque ſtudium vacare congruebat. Unde fit plerumque, ut ad ſacrum miniſterium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur, & cantor miniſter DEUM moribus ſtimulet, cum pópulum vocibus delectat. Qua in re præſenti decreto conſtituo, ut in hac ſede ſacri altaris miniſtri cantare non debeant, ſolumque evangelicæ lectionis officium inter miſſarum ſolemnia exſolvant. Pſalmos vero & reliquas lectiones cenſeo per ſubdiaconos, vel ſi neceſſitas fuerit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema ſit.“

a) „Diaconus hebdomadarius (inquit col. 886.) canit reſponſorium in baptiſterio (col. 887.) Tunc maior diaconus vadit ad cornu altaris, & cantat reſponſorium ad cornu altaris... Alter vero diaconus ſubſequitur ad aliud reſponſorium: tertius ad tertium ſimili modo (col. 889.) Secundum reſponſorium cantat presbyter iuſſu archipresbyteri ſui (col. 892.) Poſtea archidiaconus indutus pluviali reſponſorium.“

„ des, id eſt, *Alleluia*, vel *Chriſtus vincit* vel *Chriſtus regnat &c.* Sacri-„ ficium, id eſt offertorium, reſponſorium, id eſt officium Miſſæ: & quidquid „ canendi peritiam ſpectat." Explicatiora vero ſuis paſſim locis apud nos hæc redduntur. Idem Isidorus ipſa cantorum genera diſtinguit etiam apud „ Gratianum diſt. XXI. c. 1. cleros. „Cantor autem vocatur, quia vocem „ modulatur in cantu. Huius duo genera dicuntur in arte muſica; ſicut ea docti „ homines latine dicere potuerunt; præcentor & ſuccentor: præcentor ſci-„ licet, qui vocem præmittit in cantu, ſuccentor autem qui ſubſequenter „ canendo reſpondet. Concentor autem dicitur, quia conſonat: qui autem „ non conſonat, nec concinit, nec cantor nec concentor erit." Concentoris nomen occurrit in ord. *Cluniac.* Bernardi apud P. Herrgott in veteri diſc. monaſt. p. 136. Et quidem de abbate reſponſorium canente: „Si „ quando reſponſoria cantantur ad gradus, quod ipſe cantat in ſede ſua „ cum concentoribus ſuis accedentibus ad eum, & ſtantibus retro: ſed & „ cantor prius ſemper ad eum venit pronuntians quodcunque reſponſorium „ cantandum." Amalarius præcentoris & ſuccentorum nomine appoſite in cantu reſponſorio utitur. Ubi aliquam diverſitatem *Romanæ* eccleſiæ a *Metenſi* notat in libro de ordine antiphonarii cap. 18 a). Id quod agebat a in choro ſanctimonialium *Cantoriſſa* ſeu *Cantrix*, quas voces notat Ducangius, illam ex *Nic.* Trivetto an. 1277. hanc ex *Petro* Abælardo: *Cantrix toti choro providebit & diſponet officia, & de doctrina cantandi vel legendi magiſterium habebit, & de eis quæ ad ſcribendum pertinent vel dictandum &c.* b) In decretis S. Lanfranci pro ordine S. Benedicti, ac aliis b ſimilibus conſtitutionibus peculiare habetur caput 5. de cantore, ubi eius deſcribuntur munia c). Veluti etiam quoad canonicas, & monaſticas con- c gregationes apud Martenium in antiquis conſuetudinibus can. reg. accom. ad

a) „Non enim (inquit) ſancta *Romana* & noſtra regio uno ordine canunt reſponſoria & verſus. Apud eam præcentor in primo ordine finit reſponſorium: ſuccentores vero eodem modo reſpondent. Deinde præcentor canit verſum: finito verſu ſuccentores ſecundo incipiunt reſponſorium a capite, & uſque ad finem perducunt. Deinde præcentor canit *Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto*, quo finito ſuccentores circa mediam partem intrant in reſponſorium & perducunt uſque ad finem. Poſtremo præcentor incipit reſponſorium a capite, & perducit illud ad finem. Quo finito ſuccentores tertio repetunt reſponſorium a capite & perducunt illud uſque ad finem."

b) Vide vitam B. Margaretæ *Hungariæ* c. 64.

c) „Quicunque lecturus, aut cantaturus eſt aliquid in monaſterio, ſi neceſſe habet, ab eo, priusquam incipiat, debet auſcultare. Ipſius eſt omni hora ſollicite providere, ne eveniat negligentia in quocunque obſequio, quod fit in monaſterio. Si quis obliviofus non inceperit, cum incipere debet reſponſorium aut antiphonam, aut aliud huiusmodi, ſive in eodem iam bene incepto, aliquo modo deviaverit, ipſe debet eſſe proviſus, atque paratus, ut ſine mora, quod incipiendum erat, incipiat, vel eum, qui fallendo deviaverat, in viam reducat: ad ipſius arbitrium cantus incipitur, elevatur, remittitur; nulli licet cantum levare, niſi ipſe prius incipiat: ipſius eſt omnes fratres in tabula ad omnia officia annotare, non conſiderato converſionis ordine, aut voluntate eorum, vel ſecundum quod eis viſum fuerit, honeſtatem, aut ædificationem in hoc vigilanter conſideranti."

a ad uſum monaſterii *S. Evratii* a). *De officio cantoris* operæ pretium eſt
referre, quæ in conſtitutionibus *Lichefeldenſibus* an. 1193. leguntur T. II. ſu-
b plement. Conc. *Labb.* p. 763. b). Ex parte quarta rituum eccleſiæ *Laudu-*
c *nenſis* rediviv. docemur mox cap. 1. quæ ſint præcipue præcentoris partes c).
Deinde ſigillatim illius officia minima quæque ad veſperas, ad matutinum,
ad laudes, ad lectionem martyrologii, ad aſperſionem aquæ benedictæ, ad
Miſſam, capite ſecundo & ſequentibus proſequitur. Teſte continuatore
Aimonii lib. V. c. 54. in ſolemni Miſſa nuptiarum ſecundarum Ludovici
VII. *Galliarum* regis Matthæus præcentor *Senonenſis* & Albertus cantor
Pariſienſis chorum tenuerunt, ac cantum in proceſſione impoſuerunt. Solo
cantoris nomine haud raro officium venit ac munus perhonorificum, quippe
quo perfungi ambiretur ſingulari contentione, dum maxime aliqua præci-
pua agebatur celebritas. Exemplum affert anonymus apud Labbeum S.
Bibl. MSS. T. II. p. 95. Sulpitii monachus Ord. S. Bened. in ſuburbio *Bituricæ* civitatis, Hiſtor.
Patriarch. archiep. Bituricenſium c. 67. compoſita lite ſæc. XII. „ inter can-
„ torem *Bituricenſis* eccleſiæ & cantorem abbatiæ Sancti Sulpicii ſuper con-
„ ſuetudinibus fungendi cantorie officii de conſecrationis novi antiſtitis. Ve-
„ nerabilis pater Henricus (pergit) ſua induſtria, ſagacitate, & ſolertia
„ pacem inter illos non reformavit ſolum, verum etiam in monimentum
„ fœderis utrisque partibus conceſſit, & donavit quidquid auri vel argenti
„ in prima ſolemni Miſſa pontificis eidem a fidelibus (ut adhuc erat iſte
„ mos

a) „ Cantor debet ſtare in dextro choro, & ſuccentor in ſiniſtro, & unusquisque in choro ſuo fratres ad vigilandum & cantandum excitare, negligentias de antiphonis, pſalmis, reſponſoriis & hymnis, atque verſiculis unusquisque in ſuo & in altero, ſi alter non emendaverit, corrigere; ut fratres ordinate ſtent vel ſedeant providere, in feſtis duplicibus chorum cuſtodire, & ad omnes horas hymnos incipere, & antiphonas imponere &c. Cantoris eſt enim libros ſui officii in eccleſia prout potuerit diſtribuere, ad nutum ſacriſtæ uti cantare, lectiones abbreviare, *Alleluia* & antiphonas ad *Benedictus* & *Magnificat* imponere, & abbati quam incepturus eſt prænuntiare, & tunc canticum incipere; omnes qui in eccleſia falluntur in cantu & pſalmodia per omnia emendare. “

b) „ Cantoris officium eſt chorum in cantuum elevatione & depreſſione vel per ſe, vel per ſuccentorem ſuum regere, & in omni duplici feſto lectiones legendas canonicis præſentibus iniungere, chronica paſchalia ſingulis annis mutare, cantores, lectores & miniſtros altaris in tabula ordinare. Ad illum pertinet inſtructio puerorum & diſciplina, & eorundem admiſſio & ordinatio. Præterea in maioribus duplicibus feſtis tenetur intereſſe regimini chori ad miſſam cum cæteris rectoribus chori. Item in omnibus duplicibus feſtis rectores chori de cantibus iniungendis & incipiendis tenetur inſtruere. Prætcrea omnes cantus ab epiſcopo incipiendos ipſi epiſcopo in propria perſona tenetur iniungere. “

c) „ Miſſarum ac totius officii divini cantum apprime ſcire, eundemque tam in choro quam extra chorum ſecundum præſcriptum proprii miſſalis, breviarii ac ordinarii normam dirigere, invitatoria, antiphonas nec non pſalmos, reſponſoriorum verſus, hymnosque cantare, vel ſaltem incipere aut præintonare. Pſalmodiam item vel nimis elevatam, vel nimis depreſſam ad ordinarium tonum reducere, ac diſcordantes ad concordiam revocare. Eiusdem pſalmodiæ pauſas convenientes iuxta qualitatem ac feſtorum ſolemnitatem ordinare: eos qui in choro aliquid vel extra chorum cantaturi ſunt congruo tempore præmonere, ne vel ipſe vel alius in aliquo erret, aut tempus præveniat, aut cunctetur. “

„ mos retentus) oblatum fuiſſet. Quod ne cui dubium ſit, mihi præclarum videtur hic de verbo ad verbum inſerendum eſſe quoddam vetus inſtrumentum ex archivis ſupradictæ S. Sulpicii abbatiæ depromptum." Operæ pretium eſt idem exſcribere, continet enim ordinem in decantanda Miſſa cantoribus illis per vices præſcriptum a). Mox idem memorat, eundem Henricum archiep. dediſſe *capitulo Bituricenſi quendam cenſum* de auguranda *nuncupatum, quatenus feſtum Aſſumtionis glorioſiſſimæ Virginis* Mariæ *Genitricis fieret cantoris in eadem eccleſia.* Eundem Henricum prius notaverat habuiſſe *fratrem Dominum* Odonem *Pariſienſem epiſcopum & cantorem Bituricenſis eccleſiæ, virum etiam plurimarum virtutum amplitudine inſignem.* In hunc Odonem narrat capite ſequente omnium ſuffragia conſenſiſſe, ut poſt mortem Henrici archiepiſcopus *Bituricenſis* deſignaretur. De Elia priore capite egerat, cantore *Lemovicenſi*, facto poſtea archiepiſcopo *Burdigalenſi.* Officium hoc præciſe ſingulari cum dignitate haud fuerat coniunctum. Thomasius præfatione ad *Romanum* antiphonarium putat, præcentorem pſalmi reſponſorii in eccleſia uſitatius ex ordine lectorum fuiſſe, officiumque pluribus commune, quando plura reſponſoria in nocturnis vigiliis erant decantanda; ita ut ab antiquioribus ducto exordio, ad iuniores deſcendendo veniretur, prioraque prioribus, poſteriora poſterioribus præcinenda iniungerentur: quem ordinem didiciſſe ſe aſſerit Thomasius ex MS. antiphonario *Vaticanæ* bibliothecæ. Aliud erat in cathedralibus eccleſiis, atque in *Angliæ* monaſteriis officium præcentoris perhonorificum

a) „ Ego Henricus DEI gratia *Bituricen.* archiepiſcopus, Aquitaniæ primas notum facio univerſis præſentibus & futuris, litem & controverſiam, quæ inter venerabiles in Chriſto filios noſtros abbatem & fratres Sancti Sulpicii *Bituricenſis*, & Dominum cantorem beati Stephani ſuper oblatione & officio Miſſæ, quæ in eccleſia Sancti Sulpicii ab archiepiſcopo, quum de novo inſtituitur, antequam in maiori eccleſia cantet, de antiqua & hactenus obſervata conſuetudine celebratur uſque ad noſtra tempora, ſicut plurium proborum & antiquorum virorum teſtimonio accepimus, duraverat indeciſa, in hunc modum fuiſſe in præſentia noſtra de utriusque partis aſſenſu, & bona voluntate ſopitam. Sane cantor beati Stephani in choro S. Sulpicii officium Miſſæ de cætero primus incipiet, & pſalmum & ſecundum officium ſeriatim incipiendo cantabit. Cantor autem Sancti Sulpicii *Gloria Patri* & ultimum officium incipiet. Quo peracto cantor beati Stephani primum verſum de *Kyrie eleiſon* incipiet, & cantor S. Sulpicii ſecundum. Quibus cantatis, cantor S. Stephani & cantor S. Sulpicii ſimul *Gloria in excelſis DEO* deferent archiepiſcopo, & in reditu cantor B. Stephani incipiet *Et in terra pax.* Reſponſum vero cantabunt duo, quorum unus erit canonicus B. Stephani & alter monachus S. Sulpicii. Et ſimul a duobus canonicis & duobus monachis *Alleluia* cantabitur. Proſa ſiquidem a cantore S. Stephani incipietur. Ad hæc monachus ſubdiaconus epiſtolam, & monachus diaconus evangelium in veſtimentis ſolemnibus archiepiſcopo aſſiſtentes decantabunt. Et cantor B. Stephani æqualiter dividetur, & de parte cantoris B. Stephani ſuccentor medietatem habebit &c. Actum anno ab Incarnati Verbi 1186. Pontificatus vero noſtri anno 4. "

ficum præſtantibus viris conferri ſolitum, ut ex PITSÆO de illuſt. ſcriptor. *Angl.* obſervat P. ZIEGLBAUR, muniaque deſcribit: „Nam (inquit) præcentoris erat ſaltem diebus ſolemnioribus pſalmos & antiphonas inchoare, & „ intonare, & omni tempore quid cuique cantandum aliis præſcribere, divinum officium ordinare, & diſponere, rubricarum ſenſum in dubiis exſplicare, hymnos, ſequentias, lectiones ex hiſtoriis Sanctorum ad uſum „ chori & divinum obſequium componere, & ſimilia præſtare, quæ non „ niſi per virum eruditum fieri poterant." Idem hoc erat ac archicantoris munus, non minus alibi inſigne, uti ex inſcriptione epiſtolæ AURELIANI monachi *Reomenſis* ad BERNARDUM archicantorem, futurum archiepiſcopum, apud MARTENIUM patet, quem eundem abbatem ſuum deſignat: nec mihi videtur, quod in margine annotatur, archicantorem forte, quod in muſica arte omnibus præpolleret, dici, ſed puto indigitari præfectum cantorum; nec infrequens fuit, abbates munere archicantoris fungi. Qualis apud MABILLONIUM notatur IOANNES monaſterii *ad S. Martinum Romæ* abbas prope baſilicam *S. Petri*, ut potuerit munere ſuo illic fungi: quod idem eſſe cenſeo ac archiparaphoniſtæ, aut primicerii in ordinibus *Romanis* a MABILLONIO editis. Archiparaphoniſta in cærimonialibus antiquis etiam præcentor vocatur: ad quem pertinebat Miſſæ Introitum intonare ad ſignum egreſſionis papæ e ſacrario. Alia officia cum paraphoniſtis ac primiceriis partita habebat iuxta præſcriptum ordinum *Romanorum.* Teſte ONUPHRIO *in ſchola cantorum poſt primicerium quatuor maiores ſunt, primus, ſecundus, tertius & quartus ſcholæ. Quorum tres primi paraphoniſtæ, quartus vero archiparaphoniſta dicebatur.* Primicerius dicitur quaſi primus in cera: olim enim moris erat in tabulis ceratis & pugillaribus ſcribere. Quæ conſuetudo membranæ & chartæ uſu non ita ceſſavit, ut non ad ſequiora uſque tempora ceratarum tabularum uſus perduraret, atque eccleſia *Laudunenſis*, teſte BELLOTTE, ad hæc uſque tempora eum retinet, & cereis huiusmodi diptychis omnia *Laudunenſium* nomina quotannis inſcribuntur. Primicerius aliquando etiam grammaticus dicitur. Inter munia eccleſiaſtica paſſim occurrit *de officio primicerii.* Poſt alios vicarios epiſcoporum peculiaris eſt titulus 25. lib. I. Decretal. atque illius officium in eccleſiis cathedralibus plenius deſcribit ISIDORUS. In privilegio, quod LEO IX. altari S. ARNULPHI *Metenſis* monaſterii conceſſit, ad Miſſas in eodem altari celebrandas, inter ſacerdotes cum primicerius primo loco notetur, ante decanum & chorepiſcopum primum, patet perhonorificum fuiſſe id officium, eoque nomine primicerius cantorum MABILLONIO deſignari videtur: nec immerito, ea præſertim in eccleſia, *Metenſi* nimirum, ubi tantus muſices honor ac celebritas fuit. In litteris ſocietatis initæ cum *Cluniacenſibus* a WALTERIO epiſcopo

Hiſt. rei litt. O.S.B. P.II. c. 3. Sect. 6.

Collect. ampl. T. I. p. 121.

T. I. annal. p. 545.

Pag. 11. & 131.

Obſerv. in ritus eccl. Laudun. pag. 734.

Præf. II. in ſæc.VI. O.S. B. n. 94.

po *Etuenſi* poſt epiſcopum & abbates in ſubſcriptionibus inter dignitates occurrit primo Ansusus præcentor, poſtea Ansericus archidiaconus. Exempla alia paulo antea recenſui, de cantoribus tractans. Poſtremo notandum, primicerium cantorum ſeu præcentorum etiam priorem ſeu caput ſcholæ, indeque capiſcolum ſeu magiscorum, magiscuolam ſeu magiſtrum ſcholæ fuiſſe dictum a), ut pluribus docet *Domin.* Manni, inſigni etiam ſigillo demonſtrans. Primicerii cantorum nomen paſſim in *Romanis* monumentis occurrit, notatque P. Urbanus apud Cassandrum in Liturg. pag. 141. in vitam Sergii priorem cantorum & eius cantores vocatos fuiſſe initio miniſteriales, quaſi miniſterium impendentes divinis officiis, in ſtationum maxime diebus. Poſtea priorem iſtum cantorum dictum eſſe primicerium ſcholæ cantorum, & iſtud officium olim magnum fuiſſe in urbe, quia totus clerus minor in hoc pendebat officio. Idem habetur in vita Gelasii. Nonnulla de illis paulo ante notavimus. De primicerii muniis præſertim in nocturnis officiis, quibus intererat *Romanus* pontifex, paſſim agit Benedictus canonicus in Ord. *Romano* XI. & Cencius camerarius in XII. b). *Hugo* Victorinus „Ad primicerium (inquit) pertinent acolythi, exorciſtæ, „lectores, atque pſalmiſtæ, id eſt cantores. Signum quoque dandum pro „officio clericorum, pro vitæ honeſtate, & officium cantandi, peragen„di ſollicite lectiones, benedictiones, pſalmos, laudes, offertorium, & re„ſponſoria, quis clericus dicere debeat. Ordo quoque & modus pſallen„di in choro pro ſolemnitate & tempore &c." Sic nempe hoc munus etiam per alias eccleſias manavit, ut Onuphrius notat de Interp. voc. eccl. „Hæc ſchola habebat magnæ in urbe dignitatis & exiſtimationis præfectum, „qui primicerius, alias prior ſcholæ cantorum vocabatur: cuius opera o„ptimi iuvenes ſelecti in cantu, lectione ſacrorum librorum, & optimis mo„ribus inſtituebantur. Hinc primiceriorum per alias orbis terrarum eccle„ſias cathedrales manavit officium." Nempe etiam in Orientem, ut apud Goarum p. 268. videre eſt in *ordine ſanctæ magnæ eccleſiæ*, ſeu catalogo officialium iam laudato. *Duo primicerii ſtant cum domeſticis, ipſique etiam cantant. Proximus imperat, & ſignum dat pſalmodiæ tempore in catholica eccleſia.* De domeſtico diximus paulo ante, qui etiam protopſaltes ab aliquibus dicitur, ut in altero catalogo obſervatur. Et mox: *Domeſticus dicitur, ſive præcentor & cantuum cantorumque præfectus: ut in numerum & ordinem tam eos, quam cantum omnem componat. Ille*, ut ibidem ſubditur, *ſolemnioribus in vigiliis, quibus omnes conveniunt, dictis dat initium, ponti-*

a *Della diſciplina del canto eccl.*

b *T. II. de Sacr. c.* 18.

a) Vid. Bulæus Hiſt. Univ. *Pariſ.* T. I. p. 257. &c.

b) Vide S. Isidorum *Hiſpalenſem* in epiſtola ad Luitfridum, ex eoque Grat. diſt. 25. c. 1.)

pontificem vel ſacerdotem hac voce compellans εὐλόγησον Δέσποτα, Benedic
a Domine. *Et exinde magnus illi accreſcit honor &c.* a) Lectorum munia dum recenſet SIMEON *Theſſalonicenſis* lib. de Templo, unum ex lectoribus canonarcham facit, qui τὰς θείας προλέγει τοῖς ψάλλουσιν ὕμνους, ἤτοι κανοναρχεῖ, *divinos hymnos cantoribus primo recitat, & canonarcham agit.* Hoc eſt canones, hymnos, cantica eccleſiaſtica cantoribus ſuggerit. „Nam (inquit GO-
Euch. p. 30. „AR) cum raro e libris in pulpito recitent *Græci*, rariusque item muſices no„tis exaratis cantum dirigant vel inſtruant; defectibus his conſultum ſatis „putaverunt, ſi miniſter quivis voce, quæ commode a reliquis audiretur, „membratim per cola, huic & alteri choro e libro ſuggereret, quidquid oc„curreret canendum: dum interim cantus notitia & uſu magis inſignes va„riis dextræ digitorumque motibus, contractione, inflexione, extenſio„ne &c. (χειρονομίαν vocavit CEDRENUS in *Theophilo*) tanquam ſignis ad va„rias voces, moduloſque exprimendos uterentur. Ille itaque, qui cano„nas, hymnoſque per membra conciſos ſuggerit, ὑποβολεὺς ideo dictus „apud SOCRATEM lib. V. c. 35. decantandaque cuncta edicit, & voce præit „κανονάρχης, canonum dux & inceptor, non præfectus nuncupatur: & „quia recti ordinis in eccleſia obſervandi curam demandatam habet, εὐταξίας „coniunctum munus gerit, & e lectoribus unus eſt: unde & hic ex officio „pſalmum in medio eccleſiæ recitandum ſuſcipit." In ordine PHILOTHEI
b p. 2. Euchologii *Iac.* GOAR idem notatur b). Apud CODINUM occurrit protocanonarcha in pentade octava de officiis magnæ eccleſiæ, ſed cum lectoribus: apud quem etiam legit canonarcha in officio nat. Domini. In priore pentade, nimirum VII. ponitur protopſaltes cum duobus domeſticis primi & ſecundi chori. CITRIO cum quæſtio fuiſſet propoſita, *cuius linguæ ſit domeſtici appellatio, & quibus eccleſiæ miniſteriis nomen hoc impoſitum?* Reſpondit: Domeſtici appellationem ſecundum latinos ducem, ἐξάρχοντα, inceptorem, præpoſitum & præfectum ſignificare, ſic & in eccleſiaſticis ordinibus domeſtici vocem uſurpari. *Domeſticus igitur muſicorum ſeu cantorum nihil aliud eſt, quam præfectus, qui omnes regit ac dirigit, ipſoſque ſimul ac cantiones cunctas diſponit, ac in ordinem redigit.*

Item archichori, armarii &c.

VI. Fuerunt in monaſteriis alia quoque nomina, quæ iſtis fere reſpondebant, eorum, quibus ordo totius officii divini dirigendus erat, & archichori, ſeu armarii ſunt dicti. Archichori nomen generalius fuit, illis etiam com-

a) Vid. CITRII interrog. 8. & 10. Ubi etiam agit de inferioribus *domeſticis*, qui πατριαρχικοὶ *Patriarchales* ſunt vocati, & lectorum officio gaudent.

b) Vide eundem p. 29. P. VEZOSI T. IV. Opp. Card. THOMASII Præf. p. XVII.

commune, qui in minoribus feſtivitatibus chorum regebant, uti patet ex ordine *Cluniacenſi* BERNARDI ſæculi XI. ſcriptoris apud P. HERRGOTT in veteri diſciplina monaſtica: *Eodem modo*, ita ibi habetur, *facit*, *cum ſolus tenet chorum in feſtis maioribus*, *quod non licet ei*, *qui in dominicis & privatis ſolennitatibus archichorus extitit.* Loquitur de armario, qui aut ſolus, aut cum aliis regebat chorum, cuius ſolius erat, ut præſcribitur, ſi ſacerdos fallitur, & qui cantat horas in capitulo, ſeu in oratione, & ad Miſſam etiam, & ubicumque ſive diaconus, aut ſubdiaconus, aut omnino quivis in choro, in cantu, aut in huiusmodi, quæ dicta ſunt, emendare, atque in viam reducere. Unde etiam, qui in dominicis, atque huiusmodi feſtis *tenet chorum*, *poſtquam*, ut ibidem dicitur, *ad Miſſam incepit offerendam*, *accedere debet verſus armarium*, *donec poſſit eum videre*, *& debet illi ſignum facere incipiendi verſus officii*, *ipſe enim nunquam incipiet*, *namque ſolius armarii eſt*: *armarius autem inclinabit ei*, *annuens eius petitioni*, *& archichorus illi*, *& ad unumquemque verſum*, *quem incipiet*, *incepto eo facit ante & retro*, *& infantes inclinant.* *Eſt autem armarii portare abbati omnes cantus*, id eſt, ut P. HERRGOTT explicat, præcinere, modulationem cantus proferre, præmittere. *Habet etiam unum ſuffraganeum*, *qui & pueris cantet*, *& brevem faciat de lectionibus & reſponſoriis*, *& ceteris obſequiis*: *ceterum ipſa fratrum nomina*, *qui lecturi ſunt*, *& cantaturi*, *vel aliud quid acturi*, *non alius quam ipſe ponit &c.* Eiusmodi erant armarii munia, abbatis etiam, dum aberat, in vicem. „Armarii „eſt (ita ſtatim caput illud auſpicatur) ſi domnus abbas defuerit, reſponſorium eius cantare, atque eius lectionem per conſuetudinem legere, vicarius enim eius eſt. Quicumque leget in eccleſia, ſive cantat, ab eo „auſcultare debet; eius enim eſt omni hora providere ne eveniat negligentia de opere DEI in aliquo & ad Miſſam & ad matutinas, & ad cæteras omnes horas, & ad omne officium, quod fit in domo DEI, ſi enim „quilibet inſcius, aut oblitus non inceperit reſponſorium ſuum, aut antiphonam ſuam ad matutinas, ſeu quemlibet alium cantum ad omnes horas, ipſe debet eſſe proviſus, atque paratus, ut continuo incipiat, ſive eum, „qui fallitur reducat in viam. Ipſe eſt temperamentum quoddam totius „cantus, qui in monaſterio cantatur: ad ipſius namque nutum incipitur, „elevatur, humiliatur: nullus enim præſumere umquam debet, quemlibet „cantum altius incipere, aut inceptum elevare, ſeu quovis modo vitiare, „niſi armarius prius incipiat.“ Quæ habentur etiam in conſuetudinibus *Cluniacenſibus* ULRICI apud DACHERIUM, iisdem fere verbis. Unde patet armarii munus inter præcipua fuiſſe in monaſterio etiam eorum, qui litteris claruerunt, quos inter notatur ALULFUS, qui ex ſcriptis *Gregorianis* in

p. 162.

T. I. in f. p. 690.

novum vetusque teſtamentum commentarium compilavit. Cuius prologum Mabillonius edidit in analectis f. 130. Is ante monachatum clericus, Sigeri præcentoris *Tornacenſis* filius, diu reclamante patre, Odoni monaſterii *S. Martini* reſtauratori ſocius adiunctus, deinde armarii ſeu *cantoris* officium 47. annis tenuit. Nomen armarii venit a bibliotheca, quæ alio nomine armarium appellatur, ut habetur apud Dacherium. Sed munus potiſſimum in officio divino exercebat, ubi etiam varii libri ſub ipſius dire-
Vet. diſc. mon. p. 162. ctione erant: *Debent etiam armario adeo*, ut legitur apud P. Herrgott, *noti eſſe omnes libri miniſterio eccleſiæ neceſſarii, collectanei videlicet, epiſtolarii, textus, cæterique huiusmodi.* Collectanei, ut recte explicat P. Herrgott, libri ſunt, in quibus collectæ ſeu preces ad divinum officium pertinentes conſcripti fuerunt: epiſtolarii, in quibus epiſtolæ, textus, contextus evangeliorum pro feſtis. Quorum omnium præcipua erat armarii cura, alias enim etiam ſuum habebat ſuffraganeum, *qui & pueris cantet, & brevem faciat de lectionibus &c.* Ut apud utrumque, Dacherium & Herrgottum habetur. *Officionarius* autem frater, uti vocatur in conſtitutioni-
p. 105. bus *Farnenſibus* apud Herrgottum in eo ab armario fuiſſe diſtinctus videtur, quod ad oblationem ſacrificii pertinuerit: *hebdomadarius* autem quotidianum impleverit officium, de quo conſulendus *Edmund.* Martenius de antiqua eccl. diſc. c. 9. Idem in auctiori editione de ritibus eccleſiæ *Ant-*
L. I. c. 1. p. 122. *werpienſi* ex MSS. conſuetudinibus *Germaniæ*, hebdomadarium cantus ſeu melodiæ ſiſtit his verbis: *Hoc ſit officium hebdomadarii melodiæ. Primam in primo nocturno, & ſecundam ad matutinum inchoet antiphonam & ad cantica.* Eo itaque officia hactenus recenſita pertinebant, ut iis addicti cantum rite dirigerent, præirent, moderarentur, cunctisque canenda præſcriberent. Huc etiam ſunt revocanda ſigna ad divinum officium pertinentia, quæ notantur in conſtitutionibus S. Wilhelmi *Hirſaugienſibus*, quas ex *MS. Ein-*
a *ſidlenſi* edidit P. Herrgott in veteri Diſciplina monaſtica. a)

VII.

a) „Pro ſigno lectionis, manui & pectori digitum indicem impinge, & paululum attractum, ita fac reſilire, quaſi qui folium codicis evertit. Pro ſigno reſponſorii, articnlo indicis pollicem ſuppone, & ita fac eum proſilire. Pro ſigno verſus, articulo minimi digiti pollicem ſuppone, & hoc, quod præmiſſum eſt, de ſaliente adde. Pro ſigno antiphonæ, ſummitatem pollicis ac minimi digiti coniunge, & ſic parum pollicem deorſum tralic. Pro ſigno Introitus, pollicem & ei proximum profer ſummitatibus eorum iunctis, contra os manum applica, ac Miſſæ ſignum adiunge. Pro ſigno *Gloria*, digitos omnes dextræ manus inflecte, eandem manum ori applica, quod cantum ſignificat. Pro ſigno *Alleluia*, leva manum & ſummitates digitorum inflexas, quaſi ad volandum move propter angelos; quod ut creditur ab angelis in cœlo cantatur. Pro ſigno proſæ, quam quidam ſequentiam vocant, leva manum inclinatam, & pectore eam amovendo inverte, ita ut quod prius erat ſurſum, ſit deorſum. Pro ſigno reſponſorii, trahe manum per ventrem deorſum, quod tractim fieri ſemper ſignificetur & prædicto modo manum ad os applica. Pro ſigno offertorii, præmiſſo generali ſigno cantus, offerendi ſignum adde. Pro ſigno communionis, item generali ſigno præmiſſo cantus, ſignum communicandi adde. " *C. 20. p. 395.*

VII. Spectabant hæc ad moderatorem chori, qui & cantum, & quid canendum eſſet indigitabat. Præterea, ut omnia ordinatiſſime procederent, ante diſtribuebantur, notabanturque munia, ut quisque, quid ſibi agendum eſſet, cognoſceret. Lepida in hanc rem legitur hiſtoria in anonymo *San-Gallenſi* a). Habetur in laudatis *Hirſaugienſibus* conſtitutionibus præter ſingulare caput 78. de hebdomadario cantore, caput 79. *de eo qui notatus eſt ad primam antiphonam.* 80. *de eo qui notatur ad aliquam lectionem.* 81. *de eo qui notatur ad aliquod reſponſorium.* Et poſtea 88. *de cantoribus gradualium, reſponſoriorum, Alleluia, Kyrie*, ubi omnes ſimul ritus exſplicantur, & ordo in iis ſervandus b). Quo etiam pertinet ſequens caput 89. *Quando in clauſtro non ſit alte cantandum*, ubi iterum ſua ſingulis iniunguntur munia c). Eſt penes nos manuſcriptus *ordo operis DEI.* Cuiusmodi paſſim in aliis monaſteriis reperi antiquos codices, atque inter monumenta liturgiæ *Alemannicæ* habeo ordinem ſeu breviarium chori *Turicenſis* ſcript. an. 1260. pro eccleſia collegiata primariæ huius in *Helvetia* urbis. In eiusmodi libris pro totius anni circulo omnia, quæ pertinent ad officium di-

Ad cantum peculiariter notati, & aſſumti.

a *De geſtis Caroli L. I. c. 5. p. 445.*

p. 447.

b *p. 460.*

c

a) Quidam ad epiſcopatum nominatus aberat, cum in vigiliis S. MARTINI reſponſorium cantare debebat pro conſuetudine, ut magiſter ſcholæ deſignarat pridie ſingulis, quod reſponſorium cantare deberent in nocte. Huic autem qui epiſcopatum iam quaſi in manu retinebat, Reſponſorium: *Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius*, erat iniunctum. Cumque ergo defuiſſet ille, & poſt lectionem diuturnum ſilentium tranſiret, & alterutrum ſe ad ſublevandum reſponſorium cohortarentur, & alius atque alius ſuum reſponſorium ſe cantare debere diceret: tandem aliquando, dixit imperator, cantet aliquis. Tum abiectus ille (clericus quidam) Numine divino confortatus & tali auctoritate roboratus, reſponſorium intonuit. Mox clementiſſimus rex, non putans, quod totum canere noſſet, iuſſit eum adiuvare; cumque alii cantarent, & miſerabilis a nullo verſum perdiſcere potuiſſet, cantato reſponſorio cœpit orationem dominicam modulantiſſime pſallere: omnibus vero illum impedire volentibus, probare volens ſapientiſſimus KAROLUS, ad quem finem ille perveniret, prohibuit ne quis ei moleſtus eſſet. Quo verſum in hæc verba concludente *Adveniat regnum tuum*, cæteri vellent nollent reſpondere coacti ſunt, *Fiat voluntas tua.* "

b) „ Sed & qui cantant reſponſoria, gradualia, reſponſiones, *Alleluia*, & *Kyrie eleiſon* ante & retro faciunt ad gradum, & priusquam imponant, reverenter inclinant, & hæc in privatis diebus non niſi communiter cantantur a conventu. Si quod feſtum amplius in ſeptimana evenerit, cantanda ſunt iterum ab iis, a quibus & prius in dominica ſunt cantata. Subſequenti vero hebdomada in prioribus Miſſis eadem ipſi ſunt cantaturi. Si tamen cædem Miſſæ ſolemniter ſunt agendæ, excepto ſi Miſſa pro defunctis cum maximo ritu eſt celebranda; tunc cantant reſponſoria, quibus armarius iniungit. Scilam provectiores fratres, vel ipſi hebdomadarii ſi tales ſunt, tenent. Hi etiam verſus animarum canentes, cum inchoant, tunc tantum in ante inclinant: ſed in fine eius, ante & retro faciunt. Nullus tamen eorum vel aliorum illic obſequentium ante finitam offerentiam ſe exuit. Quodſi omnes ſunt in cappis vel albis, Armarius innuit, quibuscunque voluerit, pro eis cantandis. " *Pag.* 459.

c) „ Et hoc ſubnotandum eſt, quia nemo cantat in clauſtro in feſtis duodecim lectionum, quæ apoſtolis feriantur, niſi fratres illi, qui notati ad Graduale, vel *Alleluia.* Iſti quidem ante primam prædictum cantum ad invicem affirmare poſſunt, ſuppreſſa tamen voce. Quodſi prima in tantum acceleratur, ut brevitas ſpatii illud non patiatur, tunc quidem in veſtiario quando ſe albis induunt, eundem cantum, audiente armario, prævidebunt. "

divinum, ſingillatim ordinantur, ut ſciatur, quid agendum vel a tota communitate, vel a ſingulis ad curſum divini operis deſtinatis. Qui idem ordo canonicus, ubicunque copioſior clerus fuerit, ad abſolvendum ſolemni cantu pſalmodiæ penſum quotidianum, ſucceſſu temporis ſine peculiari cantorum ordine, paſſim etiam ſine ſchola aliqua cantorum ſingulari eſt ordinatus. Servatus tamen eſt ſemper ordo quidam in legendo publice & canendo,
a conſtitutus a præcentoribus ſeu armario, aut cui id muneris erat a). Omnia ordinate diſtincta habentur in antiquo ordinario eccleſiæ *Laudunenſis* apud
De antiq. eccl. diſcipl. c. 9. MARTENIUM: „Duo clerici legunt primam & quartam, tres canonici ſubdiaconi legunt ſecundam, tertiam & quintam, duo canonici diaconi legunt ſextam & ſeptimam lectionem, duo canonici ſacerdotes legunt octavam & nonam lectionem. Et debent eſſe eiusdem ordinis qui cantant reſponſoria, cuius ſunt qui legunt lectiones. Antiphonas autem in primo nocturno imponere debent ſacerdotes, in ſecundo diaconi, in tertio ſubdiaconi, omnes canonici." Hæc ubique etiam in congregationibus monaſticis ita ſunt diſtributa ſecundum gradus ſacrorum ordinum, poſtquam ad clericatum fuerunt deſtinati monachi, uti in manuſcriptis ordinibus operis DEI ordinatim præſcribuntur.

Ad id muneris apti, factique.
Reg. c. 38.

VIII. Id porro ſtudioſe cautum erat, ut cum ſelectu canerent ad hoc conſtituti aptique: prout etiam S. BENEDICTUS in ſua regula præſcripſerat: *Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, ſed qui ædificent audientes.* Pertinet hoc ad eum finem cantus, quo etiam S. AUGUSTINUS dicit conſuetudinem canendi probare eccleſiam, ut per oblectamenta aurium infirmior animus ad affectum pietatis aſſurgat. Auctores huius medii ævi, ut capite ultimo huius lib. II. exponemus, paſſim ex S. ISIDORO veterum in curanda voce diligentiam in exemplum adducunt. „Antiqui
L. II. Ration. c. 2. „(inquit DURANDUS) pridie, quo cantandum erat, cibis aliis abſtinebant, propter cauſam vocis, præterquam leguminibus, pſallentibus apertis. Unde & cantores vulgo fabarii dicti ſunt. Cantores autem ſunt, qui DEI laudatores, repræſentant prædicatores: alios ad DEI laudes excitantes. Eorum namque ſymphonia plebem admonet in unitate cultus unius DEI perſeverare." Neque hic commode venit *vox taurina*, ut vocat THEODUL-
An. 816. PHUS *Aurelianenſis* ſæculo nono, quo ineunte in concilio *Aquisgranenſi* inſignes

a) „Non ſecundum ordinem aut voluntatem eorum (ut habetur in conſtitutionibus *Cluniacenſibus* apud P. HERRGOTT p. 161. ſed tantum, ſecundum quod videbitur, & libitum ei fuerit, ad ædificationem & honeſtatem audientium, excepto ad lectiones &c. matutinorum. Illud enim tantum providet ibi, quod iunior non cantet, aut legat ad matutinos ſuper priorem ſuum, niſi pro aliqua neceſſitate, ut aliquis roget eum, aut aliquod pulchrum reſponſorium velit honeſtius cantari; aut defuerit, qui ſcriptus in tabula fuerat &c."

ſignes canones hanc in rem ſunt conſtituti inter alios 133. qui eſt in regula Chrodegangi caput LI. „Tales ad legendum, cantandum, & pſallendum in eccleſia conſtituantur, qui non ſuperbe ſed humiliter debitas „Domino laudes perſolvant, & ſuavitate lectionis ac melodiæ & doctos demulceant, & minus doctos erudiant; pluſque velint in lectione vel cantu „populi ædificationem, quam popularem vaniſſimam adulationem. Qui „vero hæc docte peragere nequeunt, erudiantur prius a magiſtris: & inſtructi, hæc adimplere ſtudeant, ut audientes ædificent." Eadem canone 137. inculcantur, & adhuc articulatius ordinantur, ſtatuiturque inter alia: *His vero, qui huius artis minus capaces ſunt, donec erudiantur, melius convenit, ut ſileant, quam cantare volendo quod neſciunt, aliorum voces diſſonare compellant.*" Hoc ut caveretur deinceps, ſtatuitur, quod in regula Chrodegangi cap. L. inter alia in hanc rem habetur. „Conſtituantur interea ſeniores fratres, probabilioris ſcilicet vitæ, qui tempore ſtatuto viciſſim cum cantorum ſchola ſint, ne hi qui diſcere debent, aut otio vacent, aut inanibus & ſupervacuis fabulis inſtent: ſi vero cantores ſuperbi „extiterint, aliis inſinuare renuerint, graviter ac ſevere iudicentur, ut „emendati atque correcti, talentum ſibi a DEO collatum aliis errogare procurent." De B. Geraldo *Bracarenſi* archiep. dum adhuc monachus eſſet *Moiſiacenſis*, narrat Bernaldus vitæ eius ſcriptor: *Muſicæ quoque, nec non etiam artis grammaticæ ſcientia eruditus, in monaſterio quorum, utpote bonus primicerius, doctiſſime regebat; & monachos minus eruditos tam in muſica quam etiam litterali diſciplina diligenter edocebat.* Oblatus autem *puer parvulus* in monaſterium, illic procul dubio ita profecit. In geſtis Guidonis, *Cenomanenſis* poſt Hildebertum epiſcopi, cum prius ibi *magiſtri ſcholæ & præcentoris dignitate ſublimatus eſſet*, id ſingulariter notatur: „Infantes quoque cum iunioribus qui in choro deſerviunt, docuerat binos & „binos ſingulis hebdomadibus tam ad nocturnos quam ad Miſſam reſponſoria decantare canonice, ſacerdotibus & altari miniſtrare; ſemper ſub „ſilentio demiſſo vultu, ordinatis veſtibus horis aſtare canonicis. Eos nempe „divinis canticis & cæteris eccleſiaſticis officiis attentius erudivit. Rebelles „vero & negligentiores modo verbere modo clementia hortabatur, quatenus bonis artibus animum applicarent. Nam præcentores cum magiſtris „ſcholarum ad hoc in eccleſia conſtituuntur, quo eorum diſpoſitione canonicum ibidem competenter celebretur officium: pueros quoque & adoleſcentes firma coerceant diſciplina, ne illorum incuria vel procacitate contemptus ibi poſſit pullulare vel ſcandalum." S. Bernardus in vita S. Malachiæ cap. 3. memorat, quod muſicam edoctus ab infantia, clericos & alios fideles in cantu inſtruxerit. Larga præſertim in maioribus eccleſiis,

T. III. Miſcellan. Baluz. p. 179.

T. III. anal. Mabill. p. 33.

in hunc finem cantoribus ſunt conſtituta beneficia, atque ſemper permanſit cantorum in iisdem officium, quod in inſignem etiam dignitatem elatum eo demum venit, ut inter primarias eſſet cantoris in capitulis cathedralis eccleſiæ functio, ad divinorum decantationem, vel recitationem officiorum, ut obſervavit THOMASINUS. *Romæ* ad hoc erant primicerii ſeu magiſtri cantorum, Cardinales etiam ac archipresbyteri, cantus præfecti, atque magiſtri, uti ex epitaphio, paulo ante relato, liquet, quod MURATORIUS *Romæ* in baſilica S. CLEMENTIS non longe ab amphitheatro VESPASIANI inventum iudicat ante annum Chriſti milleſimum poſitum fuiſſe, ubi inter alia:

De benef. P. I. lib. II. c. 77.

T. IV. n. 1. p. 1827.

Eſt quibus ANDREAS *nomen* CRESCENTIUS *atque*
Ambo ſacerdotes iſtius eccleſiæ
Cardinalis erant ac archipresbyter almæ
Primatum caulæ quisque tenens propriæ.
Cantu prefecti ſapientes atque magiſtri
Flabra dabant fidis muſica diſcipulis.

Cantores a prima infantia

IX. Duplex erat munus cantorum, & ad cantum rudes informandi, & in eccleſia cantum moderandi. *Iſta cantantium alii ſunt cantores*, inquit SYCHARDUS *Cremonenſis* epiſcopus in ſuo *Mitrali* MS. apud *Ioſ.* CARI ſeu THOMASIUM præfatione in antiquos libros Miſſarum *Romanæ* eccleſiæ, *qui cantus in choro voce magna diſtribuunt: qui ſunt rectores eccleſiæ, qui DEUM laudant; & alios verbo & exemplo ad laudandum invitant: alii ſunt pueri qui graduale in gradibus cantant &c.* Eadem verba apud DURANDUM leguntur. In ordinibus *Romanis* paſſim infantum fit mentio, qui ad ſcholam cantorum pertinuerunt. In laudato concilio *Aquisgranenſi* haud dubie de huiusmodi agitur pueris & adoleſcentibus, prout etiam in regula CHRODEGANGI legitur: „Quapropter in huiusmodi cuſtodiendis & ſpiritua„liter erudiendis talis a prælatis conſtituendus ſit doctrinæ & vitæ proba„bilis magiſter, qui eorum curam ſumma gerat induſtria, eosque ita con„ſtringat, qualiter eccleſiaſticis doctrinis imbuti, & armis ſpiritalibus induti, „& eccleſiæ utilitatibus decenter parere, & ad gradus eccleſiaſticos quan„doque digne poſſint promoveri.“ Erat hæc ſchola ac ſeminarium in canonicis & monaſticis congregationibus, veluti de monaſterio *S. Galli* conſtat ſub NOTKERO & MARCELLO apud PEZIUM. Ex conſtitutionibus *Cluniacenſibus* apud DACHERIUM, iam vidimus, armarium habuiſſe ſuffraganeum, qui & pueris cantet. Et de ipſo armario ſubditur: „Omni die diluculo poſtquam „tres pueri pſalmos, ut moris eſt, perlegerint, continuo venit ad eos, ut „pueri

p. XXV.

L. IV. Ration. c. 20. n. 7.

Can. 135.

c. 48.

T. I. anecd. p. 17.

T. IV. ſpic. p. 469.

T. I. ſpicil. in f. p. 691.

„ pueri, qui lecturus eſt in capitulo, audiat lectionem, vel etiam rite ſi ipſi „ aliquo modo pueri offenderint, maxime cantando, vel legendo negligen- „ ter, vel ſi cantum minus diligenter addiſcunt, dignam ab eo diſciplinam „ experiuntur.“ Ita in diſciplina canendi formati pueri aliquando ad coercendam aliorum licentiam idonei ſunt habiti: veluti de PETRO abbate *Andrenſi* in chron. eius monaſterii legitur apud DACHERIUM: *Ut autem diſ-* T. II. f.809. *ſueſcerent pſalmodiam more ſolito accelerare & illam diſcerent protelando canere pueris & iuvenibus nondum inſtallatis die & nocte pſalteria dabantur, & eis ad punctum pauſantibus ſeniores corde tenus pſallentes eos concorditer ſequebantur.* De GUIDONE *Cenomanenſi* modo retulimus, qua ratione ipſe in monaſterio a puerulo formatus poſtea præcentor *Cenomanenſis* ſedulo munus informandi pueros obierit. Tempore CAROLI M. ANGILBERTUS abbas in monaſterio *Centulenſi* ordinem divinæ pſalmodiæ ita inſtituerat, ut centum pueri in ſubſidium accederent, ut in chr. *Centul.* legitur: *Centum et-* L. II. c.VI. *iam pueros ſcholis erudiendos ſub eodem habitu & victu ſtatuimus, qui fra-* ſpicil. Dach. T. II. p.306. *tribus per tres choros diviſis in auxilium pſallendi & canendi interſint, ita ut chorus ſancti Salvatoris centenos monachos cum IV. & XXX. pueris habeat &c.* In actis FULBERTI *Carnotenſis* celebratur HERBERTUS *ex Iudæis* Act. O. S. B. Sæc. III. P. I. p. 371. *ortus ſed a puero Chriſtianus, qui in omni litterarum peritia tunc temporis & cantandi arte vocisque excellentia inter cæteros maxime florebat.* De GUNTRAMNO, qui ADELARDO primo abbati monaſterii *S. Trudonis* ſuccceſſit, in chronico eius monaſterii initio lib. I. narratur, quam vo- Apud Dacher. T. II. f.661. cis ac cantus ſuavitate primo ſtatim acceſſu monaſterii adoleſcens omnes in admirationem rapuerit, mox ſecundum ab abbate in choro adeptus locum a).

X. D. LEBEUF *Traité hiſt. ſur le chant, p.* 13. exempla affert virorum, qui Ad dignitates haud raro evecti præcipuas. hac puerili educatione maximas poſtea eccleſiæ ſunt conſecuti dignitates. Plures ex ſchola cantorum inſignes prodiere pontifices. De SERGIO I. vulgatus ANA-

a) „ Erat ille primæva pube vernans, forma elegantiſſima, ſtatura ultra noſtræ ætatis homines procera, graſſitudine proceritati congrua: vocalitas in eo inſtar tubæ altiſſona, prædulcis tamen, & mole corporis non indigna... Apprime eruditus in eccleſiaſticis officiis, *dum fuerat admiſſus in conventu.* Nocte illa converſio S. PAULI annualis de more ſolemniter celebrabatur; qua ille ad invitatorium, hymnos, pſalmos, antiphonas, reſponſoria dulciter iugiterque inſtar ampliſſimæ tubæ reboans, attonitas aures, fixosque in eum omnium fratrum animos abſque invidia delectabat. Cumque ad illud reſponſorium, quod cantandum abbati ab armario defertur, ſignificavit abbas armario, ut memorato iuveni pro ſe cantandum deferret, eo loco quo ſtabat in ultimo. GUNTRAMNUS ſuſcepta cum humilitate cantandi reſponſorii obedientia, tam mirabili tubæ vocis ſuæ novitate atque organica fiſtulati gutturis dulcedine totum chorum, ipſumque maxime abbatem permulſit, ut finito verſu & *Gloria Patri* eadem hora abbas ſignificaret ei ad ſe venire, & de eo quo ultimo ſtabat loco eum ad ſe ſecundum ſtare. “

ANASTASIUS: „Hic *Romam* veniens, ſub ſanctæ memoriæ ADEODATO pontifice, „ inter clerum *Romanæ* eccleſiæ connumeratus eſt. Et quia ſtudioſus erat, & „ capax in officio cantilenæ, priori cantorum pro doctrina eſt traditus: & aco- „ lythus factus per ordinem aſcendens a ſanctæ memoriæ LEONE P. in tit. S. „ SUSANNÆ, qui ad duas domos vocatur, presbyter ordinatus eſt.“ Sic SERGIUS II. a LEONE III. puer adhuc ſcholæ cantorum eſt traditus *ad erudiendum communibus litteris, & ut mellifluis inſtrueretur cantilenæ melodiis.* Et mox: *Inſignis idem ac ſolertiſſimus puer celeriter omnis litteralis diſciplinæ ſumpſit ingenium, ut omnes ipſius ſcholæ præcelleret puerulos.* Haud abſimile narrat in GREGORIO II. STEPHANO III. PAULO I. Ex eadem ſchola, ut ordo habet *Romanus*, pueri nobiles cubicularii pontificis fieri conſueverunt. URBANUS IV. pontifex vero ad finem ſæculi XII. Trecis inter infantes cathedralis eccleſiæ fuit enutritus. In eccleſia *Lugdunenſi* laudatus paulo ante LEBEUFIUS tumulum notavit Cardinalis cuiusdam, qui ibidem auſpicatus eſt ſacrum munus inter chori infantes; STEPHANUM item chorepiſcopum & abbatem *Laubienſem* ex chronico abbatum apud DACHERIUM, qui infans in eccleſia *Metenſi*, ſcientia cantus percelebri, meruerit.

Cantores epiſcopi, & principes cantu delectati.

XI. Idem LE BEUF notat p. 28. epiſcopos ſibi honori duxiſſe, quædam peculiariter canere in officio divino. Solemne archiepiſcopo *Mediolanenſi* fuiſſe in Sabbato S. teſtatur BEROLDUS, ut poſtremum canat reſponſorium. *Quod*, inquit, *archiepiſcopus debet cantare excelſa voce ad cornu altaris.* Nec ſunt hæc rara in aliis paſſim eccleſiis exempla, de quibus ſuis locis mentio fiet. Singulare eſt, quod narrat EKKEHARDUS in vita B. NOTKERI de quodam eius diſcipulo, cui in cantu *ſequentiæ* epiſcopi quidam comites imperatoris ſe ſe iunxerunt a). De ipſis principibus idem legimus, veluti de CAROLO M. qui teſte EGINARDO in eius vita, eccleſiam mane & veſpere, item nocturnis horis & ſacrificii tempore, quoad eum valetudo permiſerat, impigre frequentabat: quodque imperiali cappa ornatus ſolemnibus feſtis non dubitaverit cum cantoribus coniungere vocem auctor hiſtoriæ muſicæ aſſerit; certius vero id dicitur de FULCONE II. comite *Andegavenſi* ſub LUDOVICO IV. qui ut habetur in geſtis Conſulum *Andegav.* „ Cum in choro B. MARTI- „ NI eſſet ut canonicus, & caneret cum cæteris, regi *Franciæ*, qui tunc „ for-

Murator T. IV. ant. Ital. col. 898.

a *Apud Bolland. T. I. April. p.* 590.

T. I. p. 197.

Spicil. Dacher. T. III. fol. 235.

a) „ Agente imperatore CUNRADO paſcha apud *Moguntinum* civitatem, S. GALLI monacho ſcholas inibi regente & procurante etiam cantoris officium, ut ſolitum eſt in medio chori imponens crebro coronatus & infulatus, adornatusque pretioſiſſimis indumentis: cumque manum ille ad modulos ſequentiæ pangendos rite levaſſet, tres epiſcopi imperatori in throno ſuo proximi, ibimus, aiunt, Domine rex & magiſtrum in eo, quod ipſe nos docuit, iuvabimus. Illo hoc gratum fore dicente, deſcendentes veſtiti pontificalibus ſociantur S. GALLI monacho & inclinantes inclinato, opus DEI, quod docuit, reverenter cum eo perficiunt.“

„ forte aderat, & eum cum ſuis commilitonibus deludebat, litteras huius-„ modi formam habentes miſit: Regi *Francorum* comes *Andegavorum:* no-„ veritis, domine, quia rex illiteratus, eſt aſinus coronatus.“ Sed hæc alio pertinent. Carolum M. Eginardus in legendi & pſallendi diſciplina admodum peritum aſſerit: *quamquam nec publice legeret, nec niſi ſubmiſſum, & in commune cantaret.* Sic de S. Ludovico auctor coævus refert, omnes eum horas canonicas, & de glorioſa Virgine ſemper cum nota, id eſt cantu, audiiſſe, ſubmiſſe tamen easdem cum capellano dixiſſe. De Richardo *Angliæ* rege perhibet Le Beuf ex ſupplem. MS. ad chron. Roberti S. Mariani *Antiſiod.* ad an. 1199. ipſum in divinis cantibus ſibi admodum complacuiſſe. Rodericus de Rebus *Hiſp.* ſcribit: Ferdinandum eccleſiam *L. VI. c.* 13. veſpere & mane, nocturnisque horis, & ſacrificii tempore frequentaſſe, interdum cum clericis in DEI laudibus modulando, interdum etiam vices cantoris implendo. De imperatoribus & regibus, qui in Oriente & Occidente componendis cantibus operam dederunt, dicemus poſtea. In Oriente ut hymnorum compoſitioni animum applicuerunt imperatores quidam, ita & modulata ſonoraque voce in eccleſia publice cantare, in laude poſuerunt. Laudatus ideo Cedreno Leo *Armenus.* Et de Theophilo, *Ferunt etiam,* ait, *illum cantus amore illectum in ſolemnibus ad magnam eccleſiam conventibus ac feſtis ne manus quidem ad cantus artificioſam normam agitare detrectaſſe.* In Compendio hiſtor. p. 428. de S. Helwige *Poloniæ* duciſſa, & S. Elisabetha *Hungarorum* regis filia narrant, quod pietatis ſtudium iugiter in divino officio, horarum nimirum canonicarum, exercuerint.

XII. Habetur tamen interdictum Zachariæ P. in epiſtola ad Pipinum maiorem domus, quæ eſt quinta cod. Carol. editi T. III. hiſt. *Franc.* Duchesini: „ Quintum capitulum de monachis id eſt ancillis DEI: quibus flagitatum eſt, ſi liceat eas ad Miſſarum ſolemnia, aut ſabbato ſancto publi-„ ce lectiones legere, & ad Miſſas pſallere aut *Alleluia* vel reſponſorium. De „ his in libro decretorum beati Gelasii P. c. 23. deſtinatum eſt: quod ne-„ fas ſit fœminas ſacris altaribus miniſtrare, vel aliquid de his, quæ virorum „ ſunt officiis deputata præſumere.“ Accidit in hac re ingens abuſus iam a concilio *Cabilonenſi* an. 650. damnatus a). In homilia Leonis IV. de cura paſtorali, eius epiſtolis ſubnexa in conciliorum collectionibus, indiſcriminatim prohibe-

Mulieribus cantus interdictus in liturgia ſacra,

a *Can.* 19.

a) „ Valde enim omnibus noſcitur eſſe indecorum, quod per dedicationes baſilicarum, aut feſtivitates Martyrum, ad ipſa ſolemnia confluentes chorus fœmineus turpia quidem & obſcœna cantica decantare videntur, dum aut orare debent, aut clericos pſallentes audire. Unde convenit, ut ſacerdotes loci talia a ſeptis baſilicarum, vel porticibus ipſarum, ac etiam ab ipſis atriis vetare debeant & arcere. Et ſi voluntarie noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut diſciplinæ aculeum ſuſtinere. “

hibetur mulieribus canere in eccleſia: *Cantus & choros mulierum in eccleſia vel in atrio eccleſiæ prohibete.* Præierunt ſtatuta S. Bonifacii c. 21. *Non licet in eccleſia choros ſæcularium vel puellarum cantica exercere.* In capitulari quodam Caroli M. indulgetur, ut in funere „illi qui pſalmos non te- „nent excelſa voce, *Kyrie eleiſon Chriſte eleiſon* viris inchoantibus mulie- „ribusque reſpondentibus, alta voce canere ſtudeant pro eius anima.“ Idque ad tollendas paganicæ ſuperſtitionis reliquias, quæ in funerum ritu adhuc apud *Gallos* ſupererant, ut ex Eckarto P. Cales ad an. 742. ad indiculum ſuperſtitionum paganicarum adnotavit, cantica alternis puellarum choris pagano ritu fuiſſe decantata. Merito abrogatum fuit, quod Grancolas in Commentar. hiſt. in breviar. *Rom.* perhibet, in *Belgio Beguinas*, genus quoddam religioſarum mulierum, alternatim cum eccleſiaſticis ſingulos officii verſiculos ceciniſſe, quod idem uſu receptum quoque fuerit apud religioſas *Poiſſenſes*, quæ cum *Dominicanis* canebant. Ad *Te Deum* organa verſiculum modulabantur, *Dominicani* alterum canebant, tertium vero religioſæ. In MS. ordine officii divini ſecundum conſuetudinem chori præpoſituræ *Turicenſis* an. 1260. in feſto S. Fidei ſic notatum legi: „Dum ſacer- „dos incipit *Gloria in excelſis Deo* chorus dominarum ſubiunget *Et in ter-* „*ra pax hominibus bonæ voluntatis.* Chorus canonicorum *Laudamus te &c.* „& ſic alternatim etiam ſequentia: Item chorus dominarum incipit ſequen- „tia, *Exultent filiæ Sion*, primum verſum cantabit, chorus canonicorum ſe- „cundum, & ita dominæ & canonici ſequentiam finient alternatim.“

Apud Baluz. T. I. p. 957.

Annal. eccl. Germ. T. II. p. 252.

L. I. c. 18.

Et vox ſuavis in cantu quomodo?

XIII. Fuerunt etiam medio hoc ævo reprobatæ voces eviratæ, arte & ſtudio comparatæ, a *Ciſtercienſibus* vitio datæ *Cluniacenſibus.* „Illæ tennu- „læ, & eviratæ voces, quas vos graciles vocatis, & ſucco liquericii & ſum- „tuoſis electuariis acuere ſoletis, quid ſunt, niſi oblectamenta aurium con- „tra regulæ interdictum?“ Et quærente *Cluniacenſi*, ubi interdicat illas regula, reſpondet *Ciſtercienſis*: „Ubi præcipit legere & cantare cum „humilitate & gravitate, & S. Ambrosius interdicit eas in libro de Officiis „his verbis: *Vox ipſa plena ſit ſucci virilis, nihil fœmineum ſonet.* Tali- „bus vocibus cum novis & laſcivis melodiis in novis & uſurpatis feſtis veſtris „utimini contra veneranda canonum decreta.“ An hic forte voces intelligantur, quæ *Italis* falſetti dicuntur? ut infra ex regula ordinis de *Sempringham* referemus, præter organum & Decentum, & Pipeth etiam Fauſetum in divino officio prohiberi, dum viri fœmineas aut pueriles voces imitantur. Nuſpiam tamen, qui ſucceſſu temporum etiam caſtrati admiſſi ſunt, præſertim in *Italia*, media hac in eccleſia obſervantur ætate, licet Herodiano, & Dione teſtibus iam ineunte tertio ſæculo ſub Severo Plautinus pueros

Romæ

Romæ exquiſitos ad officium cantandi in aula cæſarea caſtrandos curarit. Sed aliud olim, ut ad nos redeamus, ſpectarunt, qui uſu ſacro & religioſo ſuavitatem in canendo attenderunt, dum vocem plenam gravitatis & ſucci virilis requirunt in canendi diſciplina, cantoribus ad hoc a primæva ſua origine tam in veteri, quam novo teſtamento inſtitutis: „ Ut inter reliqua or-
„ namenta (ſunt verba expoſitionis brevis antiquæ liturgiæ *Gallicanæ* apud
„ MARTENIUM) quæ fulgebant in templo, etiam divina eloquia dulci pro- *T. V. Anecd. p. 97.*
„ ferrentur eloquio, ut toto (leg. tanto) plus delectaretur DEI verbum,
„ quanto elegantius volvebatur vocis ornatu. Propter carnales namque in
„ eccleſia non propter ſpirituales conſuetudo eſt conſtituta cantandi, ut qui
„ verbis non compunguntur, ſuavitate modulaminis moveantur, penſantes
„ quanta ſit dulcedo cœleſtis cantici, quando in incolatu huius ſæculi tam
„ eleganter reſonat eccleſia laudes CHRISTI.“ AMALARIUS „ Ideo (ait) can- *L. I. de eccl. off. c. 5.*
„ torum dulcis vox huic operi dedita eſt, ut ſua dulcedine idonea ſit horta-
„ ri populum ad confitendum Domino. Ita enim ſcriptum eſt in libro *Pa-*
„ *ralipomenon: Igitur cunctis pariter & tubis & voce & organis & diverſis*
„ *muſicorum concentibus, & vocem in ſublime tollentibus, longe ſonitus audi-*
„ *tur &c.*“ Et poſtea: „ Miniſterium cantorum laudem reſonat, ut idem
„ (AUGUSTINUS) in pſalmo ſeptuageſimo ſecundo: Qui enim cantat laudem,
„ non ſolum laudat, ſed etiam hilariter laudat. Qui cantat laudem, non
„ ſolum laudat, ſed & amat eum, quem cantat.“

XIV. Multa ibi in eam rem proſequitur myſtice tum ex ſcripturis, cum etiam ex iis, quæ in eccleſiaſticis canendi ritibus agebantur, veluti de pace cantoribus mox initio Introitus cum aliis dari ſolita: *Eandem*, inquit, *pacem offert cantoribus, qui retro ſtant, adimplens quæ dixit diſcipulis:* Pacem meam do vobis &c. *Hoc eſt quod ſolemus dicere, innuit epiſcopus cantori &c.* Frequenter hoc occurrit in ordinibus *Romanis*, atque generatim cavetur in ordine ſexto a MABILLONIO edito Tomo II. *Muſæi Italici, ſine cuius* (epiſcopi) *inſinuatione cantores nihil canere licebit.* Et in Miſſa ex codice RATOLDI abbatis *Corbeienſis* a MENARDO ad calcem ſacramentarii S. GREGORII edita: *nihil incipitur a cantòre niſi ab epiſcopo præcipiatur* a).

Cantores nonniſi iuſſi cantabant.

Pag. 72.

a

Alias

a) In ordine *Rom.* I. Muſ. *It.* p. 7. n. 7. ita habetur: „ Subdiaconus regionarius. . . dicit (al. vocat ſcholam) ſchola reſpondet *Adſum.* Et ille: *Quis pſallet?* reſpondet, *Ille & ille.* Et rediens ad pontificem ſubdiaconus porrigit ei mappulam, inclinans ſe ad genua illius, & dicens, *Servi Domini mei talis ſubdiaconus regionarius leget apoſtolum, & talis de ſchola cantabit.* Et poſtea non licet alterum mutare in loco lectoris, vel cantoris. Quodſi factum fuerit, archiparaphoniſta a pontifice excommunicabitur, id eſt quartus ſcholæ, qui ſemper pontifici nunciat de cantoribus. Quod cum nunciatum fuerit, ſtatim ſequitur ſubdiaconus adſtans ante faciem pontificis, uſque ei annuat pontifex ut pſallat. Cui cum annuerit ſtatim egreditur ante fores ſecretarii, & dicit: *Accendite.* Qui dum accenderint, ſtatim ſubdiaconus ſequens tenens

Alias etiam archidiaconus hoc agit: „Finito *Kyrie eleiſon* (ut habetur apud „eundem Mabillonium p. 37.) annuit archidiaconus primo ſcholæ: & „ille inclinans ſe illi, incipit *Alleluia* cum pſalmo, *Dixit Dominus Domino* „*meo.* Poſt hunc annuit ſecundo, vel cui voluerit: ſed & omnibus in- „cipientibus hoc modo præcipit. Dicitur *Alleluia* cum pſalmo CX. ſequi- „tur poſt hunc primus ſcholæ cum paraphoniſtis infantibus *Alleluia*, & „reſpondent paraphoniſtæ. Sequitur ſubdiaconus cum infantibus *Alleluia*, „*Dominus regnavit*, & reliqua: & ſemper reſpondent paraphoniſtæ & an- „nunciant verſ. II. infantibus. ℣. *Parate ſedes tua DEUS.* Item verſ. III. „*Elevaverunt flumina Domine.* Poſt hos verſus ſalutat primus ſcholæ archi- „diaconum, & illo annuente incipit *Alleluia* cum melodiis infantium. Qua „expleta reſpondent paraphoniſtæ ſemel.“ Ex his multa colligi poſſunt de diſciplina canendi in *Romana* eccleſia, præſertim, quibus ex perſonis ſchola cantorum conſtiterit viris & infantibus, ſeu pueris & magnis, uti Durandus vocat. Huc etiam revocari poſſunt, quæ paulo ante de variis ſignis ex P. Herrgott retuli pro cantu, rebusque eo pertinentibus.

Locus, inſtrumenta cantorum in eccleſia.


XV. Totum ordinem chori eccleſiaſtici nobis deſcribit anonymus compilator in cod. *Caſinenſi* ſæc. XI. qui ſub nomine Ioannis presbyteri innotuit a). Barbare quidem & confuſe, quod ad præſens argumentum ſpectat de cantu eccleſiaſtico, inter alia χειρονομίαν deſcribit, quam alibi, maxime apud *Græcos* cum certis in manu expreſſis ſignis frequentatam cantus modera-

thymiaterium aureum, pro foribus ponit incenſum, ut pergat ante pontificem. Et ille quartus ſcholæ pervenit in presbyterio ad priorem ſcholæ, vel ſecundum ſive tertium inclinato capite dicit, *Domine iubete.* Tunc illi elevantes ſe, per ordinem vadunt ante altare, & ſtatuuntur per ordinem acies duæ tantum; paraphoniſtæ quidem hinc inde a foris: infantes ab utroque latere infra per ordinem. Et mox incipit prior ſcholæ antiphonam ad Introitum.“ Similia habentur in ordine II. & III. Et in ordine V. „Epiſcopus annuat magiſtro ſcholæ, quando a cantoribus Graduale vel *Alleluia* repeti debeat.“

a) „Ex una parte chori tres clerici in eccleſia & tres de alia; & magiſter per medium, qui albas indutum atque pluvialem ſiniſtra manu paſtoralem virgam propter diſciplinam tenens, ut omnes obiiciantur. Proinde dextra manu elevata metiri, atque componere oſtenſionibus omnibus demonſtrat, ut, inſimul aſpiciantur ad manum, ut ſicut metiendo prænotatur cantus omnes quaſi una voce concorditer cantum componat, ſicut de acies pugnatorum diximus. Et iſti ita directa mente, mundo corde, prona voluntate, voces æquales atque conſimiles zelum odii contra diabolum: & zelum amoris DEI dirigat cantum. Omnes veſtiti duplicibus ſtragulatam veſtem atque talari tunicam ordinati atque compoſiti per doctrinam ſtent presbyteri in primo gradu ordinati per longum & dorſum recumbati ad chorum. Levitæ in ſecundo gradu in ſubtus, iterum ante aſtando faciem contra illi qui inde vel contra magiſtrum, qui per medium ibat, directi per longum ordinati ſtent ſicut & presbyteri. Similiter in pavimento ante diacones ordinati per longum ſtent exorciſtæ, atque acolyti, lectores, & oſtiarii, & de alia parte ſimiliter epiſcopus vel abbas ſuper choros ſtet recumbatum.“

derationem ſcimus, quamque idem anonymus poſtea explicatius ediſſerit a). a
Apud Mabillonium ordo habetur, quo procedebant cantores, ſtabantque
ante altare: *ſtatuuntur per ordinem acies duæ tantum, paraphoniſtæ hinc* Pag. 8.
inde a foris, infantes ab utroque latere infra per ordinem. Idem in ſe-
cundo ordine repetitur, congruitque cum eo, quomodo hodieque conſiſti-
mus *duæ acies in choro per ordinem ab utroque latere*, ut ibi habetur. Erant
tamen etiam elatiores loci tum in medio cum a latere, ut iam diximus,
quos ambones vocabant, quod nomen iam in concilio *Laodiceno* notavi- Can. 15.
mus, ubi de canonicis cantoribus agitur, qui ambonem aſcendunt, & ex
membrana pſallunt, ſtatuiturque, ne alii canant in eccleſia, de quo etiam
apud Gratianum habetur canon: *Non liceat in pulpito pſallere, aut legere,* P.I. diſt. 92.
niſi qui ab epiſcopo lectores ſunt ordinati. In concilio *Trullano* damnan- c. 3. Can. 33.
tur quarumdam eccleſiarum abuſus, in quibus laici ſuggeſtum aſcendentes
lectoris & cantoris officio fungebantur. Conveniunt hæc quoad locum tam
in oriente quam occidente elatiorem, in quem per gradus aſcendebatur,
unde & *Graduale*, ut ſuo loco dicemus, appellatur tum cantus, poſt e-
piſtolam ibi ſingulariter decantari ſolitus, tum liber, qui etiam *cantatorium*
dicitur, de quo Amalarius: „ Notandum eſt volumen, quod nos vocamus Præf. in an-
„ antiphonarium, tria habere nomina apud *Romanos*. Quod dicimus gra- tiphon.
„ dale, illi vocant cantatorium, quia adhuc iuxta morem antiquum apud
„ illos in aliquibus eccleſiis in uno volumine continentur. “ Uti nimirum
habetur in ordine *Romano* I. apud Mabillonium: *Poſtquam legerit* (ſubdia-
conus) *cantor, cum cantatorio aſcendit & dicit reſponſum.* Et in ordine II.
*Poſtquam legerit, cantor cum cantario ſine aliqua neceſſitate aſcendit, non ſu-
perius, ſed ſtat in eodem loco ubi lector.* Putat Mabillonius forte legen-
dum

a) „ Unus magiſter in medio ſtat ſacris veſtibus indutus, qui dicitur cheronomica (χειρονομικὸς) ſiniſtra manu baculum epiſcopi vel abbati tenens, quaſi poteſtate ab eo accepta dextra manu ſurſum tenens, ut omnes ibi aſpiciant, & ille per ſtudium artis neumarum caſibus demonſtrat, ita ut diximus, ſerena voce oſtendens per quinque neumas in quinque cordis aſcendit, vel deſcendit per gradibus cordarum tonando: ita illa neuma, qui per quinque gradibus cordarum tonando aſcendit vel deſcendit ſerenimpha vocatur. Ita facta eſt quem cum manibus demonſtrat.



Qui inſuper & in ſubtus per ſeptem organis, qui nominatur ita: *Tricanos*, *Cuphos*, *Bubos*, *Chamilon*, *Anaton*, *Scalpicon*, *Ionicon*, *Boarmus* fidem oſtendunt, & voces fervorem ſancti amoris, quaſi omnes inſimul unus ſpiritus, & una fides, cor, & anima una, una voce quaſi unum corpus eccleſiæ in totidem membris cum organicis vocibus modulatione laudem DEO reddunt Patri &c. “ Ita bardus iſte.

dum *ſine aliqua ceſſatione.* Sed minime opus eſt mutare verba, commodus enim habetur ſenſus, toti contextui congruens, ut cantor in loco & gradu lectoris conſiſtat: quidquid Ecloga innuat, cantorem indifferenter poſſe aſcendere. Eadem leguntur verba in expoſitione Miſſæ, transſcripta ex duobus venerandæ vetuſtatis codicibus *Miſnenſi* & *Eyſtatenſi*, qui per omnia concordant, editi cum aliis *Venetiis* an. 1572. ſub titulo *Speculum Miſſæ. Poſtquam legerit cantor in cantorio ſine aliqua neceſſitate aſcendit non ſuperius, ſed ſtat in eodem loco ubi & lector.* Quodſi virgulam in ſuo loco relinquas, ſenſus eſt cantorem aſcendere quidem, ſed non ſuperius lectore. A loco hoc elatiori diſtinguitur *forma* ſeu ſolium canentium in choro, cuius exemplum

Pag. 274. vide apud P. Herrgott *de veteri diſciplina monaſtica*, & plura apud Du-Cangium. Quoad gradus *ambonis* notari adhuc merentur duo apud Tho-

Antiqui libri Miſſ. præf. p. XXXI. masium loci. Alter ex veteri MS. expoſitione Miſſæ: „Nec in eodem gradu „reſponſorium vel *Alleluia* cantari debet, quo recitatur evangelium:“ Al-

L. I. de Offic. c. 34. ter Ruperti abbatis: „Cantor ad gradum ſæpius conſiſtit, & inferior eo „ſtare conſuevit, qui ſubſequens *Alleluia* concinit.“ Item apud Cardinalem Bona ex ordine *Romano:* „Subdiaconus qui lecturus eſt, mox ut viderit „poſt pontificem presbyteros reſidentes, aſcendit in ambonem ut legat, non „tamen in ſuperiorem gradum, quem ſolus ſolet aſcendere, qui evangelium „lecturus eſt.“ Ad cantatorium autem, ſeu librum gradualem vel antipho-

L. III. de Off. c. 13. narium etiam pertinent tabulæ, de quibus Amalarius: *Eorum vice cantor ſine aliqua neceſſitate legendi tenet tabulas in manibus.* Quid vero tabulæ fuerint, poſtea explicat: *Tabulæ, quas cantor in manu tenet, ſolent fieri de oſſe.* Hæc eadem verba in ſacramentario Honorii *Auguſtodunenſis* c. 81. ha-

T. II. Anecd. P. I. p. 321. bentur apud Pezium. Putat Thomasius tegumentum libri gradalis fuiſſe. Hic ergo continens pro contento ſumi deberet. Coniecturam confirmat, quod eas tenebat cantor, etiam ſine neceſſitate canendi, id eſt, etiamſi re ipſa non canebat, ut videtur eſſe ſenſus. Poteſt tamen etiam hic eſſe ſenſus: cantor niſi aliqua neceſſitate prohibeatur, tenet tabulas in manibus. Præterea veteri more tenebant baculum cantores in choro, uti ex Honorio

Gemma animæ L. II. c. 228. *L. II. Ration. c.* 2. *n.* 6. *Auguſtod.* & Durando diſcimus, vocaturque baculus aureus vel argenteus in conſuetudinibus *Dionyſianis* apud Martenium *de ant. monach. ritibus p.* 293. quem portabant cantores, virga regia. Eosdem etiam baculos ad e-

Rit. Laudun. P. IV. c. 1. *p.* 139. vangelium reliqui fideles iuxta ſedem cantoralem deponebant, ut videre eſt apud Bellote.

Oblatio vini vel aquæ a cantoribus facta cum mappula.

XVI. Utrasque occupatas manus expeditas fuiſſe oportet, quando a cantoribus vinum aut aqua fuerunt offerenda, ſecundum libellum *Gemma animæ de antiquo ritu Miſſarum* inſcriptum, editum cum aliis in laudato Speculo

culo Miſſæ : *Unus cantor vinum cum ampulla offert , alter aquam vino admi-* *Cap. 32.*
ſcendam. Quæ, ut ibidem legitur, non nudis manibus, ſed fanonibus mul-
to labore candidis offerebantur. Fanon forte hinc peculiariter ad cantores
pertinebat. Apud Martenium enim in ampliore editione de ritibus eccl. *T. IV. p. 591.*
ex MS. ord. 700. circiter annorum S. Gregorii in valle *Gregoriana* hæc *ed. Antwerp.*
oratio ad *fanonem* præſcribitur. *Da mibi, Domine, ſenſum & vocem , ut*
poſsim cantare laudem tuam. Quoad oblationem aquæ tantum a cantoribus
fieri ſolitam in ord. *Rom.* I. antiquiſſimo n. 14. iſte notatur ritus : *Deinde de-* *p. 14.*
ſcendit ſubdiaconus ſequens in ſcholam , accipit fontem de manu archipara-
phoniſtæ , & defert archidiacono , & ille infundit faciens crucem in calice.
Et in ord. V. n. 8. *Rediens itaque a populo pontifex , accipiat oblationem* *p. 67.*
ſcholæ ſine vino. Et paulo poſt : *Cantor vero per iuniorem ſuum cannam*
cum aqua involutam mappula transmittat ſubdiacono, calicem in manu tenen-
ti. *Per iuniorem ſuum* cantorem ex pueris interpretor, qui ſub primicerio
ſeu archiparaphoniſta erant, qui in ordine primo notatur ; illic vero ſub-
diaconus ab eo *fontem*, id eſt aquam accepiſſe dicitur , hic per iuniorem
ſuum delatam , ne cantor ſuo in canendi officio impediretur. Qua ratione
commode explicatur , quod legitur apud Cassandrum in liturgicis p. 60.
ex *Romani* ordinis expoſitore, quem Beroldum , ſeu Bertholdum *Con-*
ſtantienſem putat. *Cantores propter inſtantem neceſsitatem cantandi non ha-*
bent licentiam huc illuc diſcurrendi : unde ſtatutum eſt eis , ut non ſint penitus
extorres a ſacrificio, ſed offerant aquam pro cæteris. Amalarius etiam a- *Cap. 19.*
quam a cantoribus oblatam teſtatur a). Ioannes *Abrincenſis* epiſcopus ſic *a*
de hac re loquitur: *Cantor aquam linteo coopertam in feſtis diacono deferat,* *L. de Officiis p. 19.*
quam diaconus vino miſceat : dulci enim cantorum modulatione populus pia
devotione & divino amore accenditur &c. Linteum hoc fanonem eſſe exi-
ſtimo , de quo ſupra , ceu cantoribus ſingulari , diximus.

XVII. De veſtibus eorum nunc pauca ſunt memoranda, iuxta id, quod *Veſtes cantorum.*
Amalarius, atque iisdem verbis Honorius *Auguſtodunenſis* in Sacramenta-
tario c. 81. apud Pezium meminerunt de exſpoliatione caſularum. *Miniſtri* *T. II. anecd. p. 321.*
caſula ſe exuunt, ſunt verba Amalarii , *quando lectoris ſive cantoris offi-* *L. II. c. 15.*
cium aſſumunt. Et poſtea : *Albam ſine caſula portat lector ſeu cantor in ſin-*
gu-

a) „ Omnis populus (inquit) intrans eccleſiam, debet ſacrificium DEO offerre : at cantores , qui ſunt de genere Levitarum , propter inſtantem neceſſitatem cantandi , non habeant licentiam huc illucque diſcurrendi , ut ſinguli offerant cum cæteris. Populus offert vinum, cantores aquam : ſicut vinum & aqua unum fiunt in calice , ſic populus & cantores in corpore Chriſti. Cantores more Levitarum antiquorum, qui omnia neceſſaria tabernaculi providebant , quærant aquam ad fontem , & ſervent eam coopertam uſque ad tempus ſacrificii , & tunc mundam eam offerant.“

Cap. 4. *gulari officio.* Idem antea de veſtibus cantorum *Primi*, ait, *cantores veſti-
ti erant byſſinis, ut verba dierum notant. Ex natura byſſi poſſumus intelli-
gere, quam proxima ſint hæc duo, byſſus & linum, quo noſtri cantores u-
tuntur.* Et mox: *In ſignificatione non diſcrepat noſtrum linum, quo noſtri
cantores veſtiuntur, a byſſo. Ipſi enim labores, quos ſupra diximus, non
ſunt candor, ſed per eos pervenitur ad candorem: ac ideo ut prætulimus per
caſulam poſſumus intelligere ipſos labores: in camiſia vero ipſam munditiam
carnis, quæ ſplendet ante Dominum.* Singulare vero eſt ſubdiaconis de ſcho-
Num. 51. la, ſc. cantorum, quod notatur in ordine *Romano* I. *Subdiaconus vero de
ſchola ſtatim ubi impoſuerit antiphonam, ad Introitum levat planetam cum
Num. 3. *ſinu.* Et in ordine II. *Incipit prior ſcholæ cantorum antiphonam ad Intro-
itum: ſubdiaconi vero de ſchola levant planetas cum ſinu.* Quæ verba ap-
a poſite explicat Thomasius a). Auctor *Gemmæ animæ*, qui Honorius *Au-
b guſtodunenſis* creditur, cappam dicit propriam cantorum veſtem b). Quod
L. I. c. 227. vero ibi de pileis habet, novum prorſus & inauditum videtur Georgio de
T. II. de lit. Rom. Pont. c. 7. Schola Cantorum; cum ſæc. XII ſacri miniſtri divina myſteria nudis capi-
tibus perſolverint. Quam in rem citat *Io. Bapt.* Thiersium in hiſt. fictæ
comæ capillitiæ c. 3. & 4. In concilio *Gradenſi* an. 1297. cap. 6. ſancitur:
„ Nullus in ambone ſeu pulpito in lectorio, aut ante altare ſive ſacerdos fue-
„ rit ſive cuiuscumque alterius ordinis clericus legere vel cantare capite ve-
„ lato præſumat, neque in choro dicendo orationes vel antiphonas, aut ver-
„ ſum reſponſorii in eo officio inchoando. Zupellos quoque, cum ante al-
„ tare legit vel cantat, omnino deponat.“ Inter eos, qui in Cœna Do-
mini *ordinati cum mitris* ſedere ad menſam præſente pontifice dicuntur in
T. II. Miſ. Ital. p. 181. *Sacram. c.* 33. ord. *Rom.* XII. auctore Cencio, ſunt diaconi Cardinales cum primicerio. Sed
nihil hoc commune habet cum zupellis aut pileo, de quo Honorius *Augu-
ſtodunenſis*, qui veſtes cantorum deſcribendo, alibi capparum etiam memi-
nit.

a) „ Paraphoniſtæ fortaſſis (inquit) & pueri cantores planetis non utebantur, ſed tantummodo in albis tunicis lineis & ſuccincti ſemper manebant. Porro elevare planetam cum ſinu, ut arbitror, idem eſt ac retrahere planetam ſupra utrumque brachium exertis manibus, ita tamen, ut ante pectus ſinus eiusdem planetæ convolutus remaneat: eſt enim ſermo de planeta vetere, indumento amplo rotundo, undique clauſo, inſtar hodiernæ cappæ *Romanæ* amplæ & rotundæ, quam Cardinales & Canonici geſtare ſolent.“ *Ant. Miſſ. Rom. præf. p. XV.*

b) „ Cappa (inquit) propria veſtis eſt cantorum, quæ pro tunica hyacinthina legis mutuata videtur, unde ſicut illa tintinnabulis, ita iſta inſignitur fimbriis. Per hanc veſtem ſancta converſatio præmonſtratur. Ideo a ſingulis ordinibus portatur. Hæc in ſupremo habet caputium, quod deſignat ſupernum gaudium. . . . Hæc uſque ad pedes pertingit, quia in ſancta converſatione in finem uſque perſeverare convenit. Per fimbrias labor denotatur, per quem ſervitium DEI conſummatur. Hæc veſtis in ante aperta manet, quia Chriſti miniſtris ſancte converſantibus æterna vita patet. Porro in tunica ſonus tintinnabulorum eſt vox DEO canentium cantorum.“ L. II. c. 228. „ Cantores caput pileis ornant, quia ſe in atria Domini concupiſcere clamant, ut DEUM, qui eſt caput omnium, in ſæculum ſæculi laudare valeant. Baculos manibus portant, ut, quo ipſi properant, alios ſecum invitare fatagant.“

nit. „ Veſtes cantorum (inquit) ſunt lineæ, candidæ & longæ: lineæ, ut „ ſint mundi & caſti: longæ, ut ſint perſeverantes in bono uſque in finem. „ Laxitas capparum & latitudo charitatis, fimbriæ bona opera.“ Cappæ, cantorum præſertim monaſticorum indumentum in ſolemnitatibus, paſſim occurrunt apud P. HERRGOTT, ſæpius laudatum, & DACHERIUM in antiquioribus conſuetudinibus *Cluniacenſibus*. In ant. conſuetud. *Can. Reg.* monaſterii *S. Victoris Pariſ.* accommodatis ad uſum monaſterii *S. Evrutii*, apud MARTENIUM quoad officium nocturnum id explicatur. „Calendis *Octobris* uſ- T. I. Spicil. ſ. p. 691.
„ que ad vigiliam paſchæ fratres, qui in eccleſia aliquid ſpecialiter cantant „ vel legunt, cappas non deponunt exceptis his, qui in ſabbatis quatuor „ temporum lectiones ad Miſſam legunt. A vigilia vero paſchæ uſque ad calendas *Octobris* quotiescumque duo ſimul ſive ad matutinum ſive ad Miſ- „ ſam aliquid cantant, in ſuperpelliceis id facere debent præter Miſſas de- „ functorum & vigilias. Tunc enim cantant fratres, ſicut ſunt in choro.“ In decretis vero LANFRANCI pro ordine S. BENEDICTI c. 5. quoad officium Miſſæ: „ In feſtivitatibus quæ fiunt in cappis, ſecretarius debet eligere, quod „ opus fuerit de melioribus cappis, earum, quæ ipſo die habentur in choro, „ & ante initium Miſſæ ponere eas ſupra dextram formam chori. Cantor ve- „ ro diſtribuat eas fratribus illis, quos ſecum in choro habere voluerit: ipſa „ enim capparum diſtributio, eorum eſt ad regendum chorum advocatio. „ Nullusque eorum ante finem Miſſæ de choro debet recedere ſine eius licen- „ tia. Cantor vero cuiuscumque ordinis vel ætatis ſit in medio eorum debet „ eſſe in choro &c. Eodem modo fit cum in feſtis in albis ſolus vel cum a- „ liis chorum tenet, quod non licet ei, qui in dominicis & huiusmodi fe- „ ſtis hebdomadarius cantor exiſtit.“ In MS. ordine div. officii ſecundum conſuetudinem chori præpoſituræ *Turicenſis* an. 1260. ſic præſcribitur quoad cantorem chorum regentem: „ Item in ſummis feſtis vel duplicibus cantor „ ad priores veſperas, & ad Miſſam publicam ſtans cappatus in medio ſum- „ mitatis chori videlicet inter pulpita ſcholarium reget chorum geſtu & vo- „ ce decenti.“ In Oriente veſtis cantorum erat tunica brevis & ſtricta, etiam domeſticorum ſeu protopſaltum, *Qui*, ut habetur in ſæpe laudato catalogo officialium p. 235. apud GOARUM, *dum cantant primi cantoris more, deferunt tunicas breves & corpori adſtrictas.*

 CAP. III.

CAPUT III.

De ipſo cantu, qualis in eccleſia fuerit medio ævo, ac cantionum generibus.

I.

Cantus notio ac incrementa medio ævo. *De offic. Miſſæ c.* 11.

Poſtquam de cantoribus verba fecimus, nunc de cantoris officio quoad rationem cantus eſt dicendum. *Cantor*, inquit Amalarius, *multa officia habet. Unum quodque officium ex illo quod efficit, nomen habet.* Loquitur ibi de diſtincto lectoris & cantoris munere. *Lectio dicitur*, ait, *quia non cantatur ut pſalmus vel hymnus; ſed legitur tantum. Illic enim modulatio, hic ſolum pronunciatio quæritur.* (*Ibid.*) Equidem media hac ætate nomen cantus, cantandique aliquando, ut initio capitis ſequentis de liturgia Miſſæ pluribus oſtendemus, pro ſimplici lectione etiam tacita ſumitur, veluti in explicatione Remigii *Altiſiodorenſis* ſuper canonem Miſſæ. *Idcirco*, inquit, *venit conſuetudo in eccleſia, ut tacite ipſa obſecratio atque conſecratio a ſacerdote cantetur, ne verba tam ſacra vileſcerent.* Et in concilio *Namnetenſi* (*Can.* 19.) de privata horarum canonicarum recitatione ſtatuitur: „Presbyter mane matutinali officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ canendo *primam, tertiam, ſextam, nonam*que perſolvat: ita tamen, ut poſtea, horis competentibus, iuxta poſſibibilitatem, aut a ſe, aut a ſcholaribus publice compleantur." Quamquam vero hic ſecreta etiam & privata oratio cantus nomine venit, falluntur tamen, qui ſecretam orationem cantui ita præciſe opponi volunt, præſertim in celebratione Miſſæ, ut contra inolitam eccleſiæ conſuetudinem contendant, ſecreta ipſumque canonem alta voce pronuntiandum eſſe. Cuius aſſertionis falſitatem allatus Remigii locus demonſtrat, atque antiquiſſimus ordo *Romanus*, ad uſum monaſteriorum ab annis haud minus mille accommodatus; quippe quem in antiquiſſimis MSS. *Italiæ*, *Galliæ*, & *Germaniæ* cum ſuis tamen mutationibus reperi, atque idcirco inter monumenta liturgiæ *Alemannicæ* editurus ſum, non obſtante editione Muratorii ex codice *Vaticano*, Martenii ex codice *Murbacenſi*, (*T. V. anecdotorum.*) ubi expreſſe orationes poſt oblationem dicendæ *ſecrete nullo alio audiente* recitandæ præſcribuntur. Omnia ergo rite ſunt diſtinguenda in officio divino, fueruntque labentibus ſæculis magis magisque diſtincta, atque etiam

etiam in cantu ipſo ordinata, ut ea, quæ cantanda ſunt, non aliter, nec alio modo, quam ſecundum quod ſcripta ſunt, decantentur, ut RADULPHUS *Tungrenſis* ex S. AUGUSTINI ore loquitur propoſitione VII. de canonum obſervantia. Et poſtea ad illud PAULI *Coloſſ.* III. alludens de *pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus*, in his quoad canendi modulationem, quod ſucceſſu temporum factum eſt, notat diſcrimen. „Quamvis prius (inquit) „hæc tria, pſalmi, hymni & cantica differenter intellecta ſint: tamen hic „hymnos & cantica intelligamus ea, quæ voce ſonora in laudibus fiunt „divinis. Et nunc ſpecialiter de iis cantandis in eccleſia DEI fiet ſermo. „Pro quo ſciendum, quod ab initio divinum officium omnimode conſtitutum erat in ipſis pſalmis, absque hoc, quod aliqua cantarentur, ſed „cuilibet pſalmorum *Alleluia* cum oratione adiungebatur. Et huiusmodi „orationes in antiquis pſalteriis reperiuntur elegantes.“ Congruunt hæc antiquis monachorum *Ægypti* inſtitutis iuxta CASSIANUM, atque vetuſtiſſimo *Gallicano* & *Hiſpanico* ritui, de quibus egimus lib. I. c. 3. Semper vero per varias orationum, lectionum, & cantus viciſſitudinem eccleſia, apoſtoli præceptum ſecuta, officium divinum magis magisque excoluit, medio potiſſimum hoc ævo, ut ex libris liturgicis, ad cantum eccleſiaſticum pertinentibus, undique notis muſicis refertis, palam eſt, tantoque ſcriptorum numero, qui aut regulas artis expoſuerunt, aut de divinis officiis tractantes, hymnorum & canticorum ſpiritualium genera, quæ in uſu eccleſiæ habentur, explicarunt. „Omnis autem laus DEI (idem ait RADULPHUS) largo „nomine hymnus dicitur. Antiphonæ autem, reſponſoria, & metrici hymni „manifeſte cantica ſunt: quia altiori voce per notulas diverſificantur. Si „igitur in dictis verbis apoſtoli per hymnos, lectiones & capitula, atque „orationes; per cantica, antiphonas, reſponſoria, & laudes DEI metricas, quas vulgariter hymnos appellamus, intelligere volumus, omnia divinarum laudum officia habemus.“ AMALARIUS itidem apoſtolum de expoſitione S. HIERONYMI interpretatus, „Tres (inquit) mutationes noſtri curſus in iſtis tribus præceptis apoſtolicis intelligo compleri, videlicet, ut pſalmi ſint in noſtra locutione, quando pſalmos cantamus: & „hymni, quando ex lectione dictorum ſanctorum patrum ad laudes DEI „compungimur: & cantica, quando per cantum reſponſorii noſtra mens „ſublevatur aliqua lætitia ad concentum ſupernæ patriæ. Cantus enim ſæpiſſime in lætitia celebratur.“

Prop. XII. *Propoſ.* 8. *De off. div. lib. IV. c.* 3.

II. Duplex primum occurrit eccleſiaſtici cantus genus, cuius quidem origo antiquior, propagatio vero & cultura ſingularis ad hanc ætatem refertur, cantus nimirum antiphoni, & reſponſorii. „Inter reſponſoria (in- *Antiphonus.*

„quit

De canon. obſerv. prop. XII. „ quit RADULPHUS *Tungrenſis* ex *Rhabano* MAURO *de Inſtit. cler. lib. I. c.* 33.) „ & antiphonas hoc differt, quod in reſponſoriis unus verſum dicit, in antiphonis autem chori alternant verſus. Antiphonæ enim generaliter dicuntur, ſive ſint illi cantus, quos vulgariter antiphonas appellamus: ſive „ invitatoria, quæ BENEDICTUS appellat antiphonas; ſive ſecundum officium „ *Romanum* Introitus, Offertorium, & Poſtcommunio: ſive ſecundum officium *Ambroſianum*, pſallenda, ingreſſa, antiphonæ poſt evangelium, offerenda, confractio, & tranſitorium.“ Nunc vero, quæ hoc medio ævo fuerit antiphonarum ratio, primum eſt videndum: quando earum notio & ſignificatio cadere cœpit in brevem ſententiam, ſive e quopiam pſalmi verſiculo depromtam, ſive aliunde acceptam, quæ pſalmo vel cantico, aut ſaltem uni vel pluribus pſalmi verſiculis præcinitur, & ad eius ſymphoniam ipſe componitur pſalmus, repetita iterum in fine, aut etiam ſæpius, vel poſt ſingulos pſalmi verſus antiphona. Ad primam inſtitutionem reſpexit *Rhabanus* MAURUS. ἀντιφωνὴ, inquit (de Inſtit. cler. L. I. c. 33.) *græce vox reciproca ex duobus ſcilicet choris alternatim pſallentibus dicitur.*

L. IV. de off. c. 7. Poſteriorem vero etiam uſum expreſſit AMALARIUS: *Antiphona*, inquit, *dicitur vox reciproca: antiphona inchoatur ab uno unius chori; & ad eius ſymphoniam pſalmus cantatur per duos choros. Ipſa enim, id eſt antiphona, coniunguntur ſimul duo chori.* Diſquirit *Teophilus* RAYNALDUS Præl. II.

T. VIII. opp. p. 459. in *O paraſceuaſticum ſeptiduanis antiphonis maioribus natale Chriſti antecurrentibus præfixum*, undenam factum ſit, ut vox antiphona, quæ duntaxat alternam vocem ſonat, extenſa ſit ad ſignificationem huiusmodi ſententiæ, vel verſiculi, decantari ſoliti ante pſalmum concinendum. Loquitur is de uſu noſtrorum temporum, qui in hoc antiquiſſimus eſt, quod verſus, qui antiphona dicitur, cantando pſalmo præmittatur, eique melodiam quaſi prælibet; quod idem eſt ac antiphonam imponere, veluti apud S. GREGO-

L. IV. dial. c. 35. RIUM M. legitur de IOANNE quodam morti proximo, qui „Vocatis fratribus coram ſe, pſallere præcepit, quibus tamen antiphonam ipſe per „ ſemetipſum impoſuit, dicens: *Aperite mihi portas iuſtitiæ, & ingreſſus* „ *in eas confitebor Domino; hæc porta Domini, iuſti intrabunt per eam.* „ Cumque coram eo aſſiſtentes fratres pſallerent &c.“ Unde colligit THOMASIUS, atque pluribus probare nititur in præfat. in reſponſ. & antiphon. antiphonam integram ſemper ante pſalmum cantatam fuiſſe, quod hodie ſo-

p. XXVII. lis in feſtis duplicibus fit. Quemadmodum ritu veteri *Hiſpanico*, quem *Mozarabicum* appellant, antiphonæ omnes, quæ cum pſalmo vel cantico dicuntur, integræ ſemper præſcribuntur ante pſalmum. Geminatam etiam antiphonam ante pſalmum fuiſſe notat; aliam vero rationem poſterioribus temporibus frequentatam, ut ſcilicet biſariam diſpertito antiphonæ concentu

centu

centu eiusdem pars una ab uno, altera ab altero choro dicatur, ſicque ſibi invicem chori reſpondeant. Quo accipit illud Amalarii: *In antiphonis* *L. IV. c. 7.* *coniunguntur ſimul duo chori... duobus choris alternatur antiphona &c.* Exempla huius reſponſionis utriusque chori in una eademque antiphona, prout obſervabant clerici *Romani* in ſolemnioribus feſtis ſæc. XII. profert ex antiphonario *Vaticano* a ſe edito. Nos vero ſuis locis alia exhibebimus. Ibi pag. 47. ex edit. Vezzosii in epiphania habetur: *Hodie ad omnes antiphonas reſpondemus.* Et in feſto S. Petri p. 121. *Ad omnes antiphonas vigiliæ reſpondemus.* Et clarius p. 37. *In nocte natalis Domini ad omnes antiphonas vigiliæ chorus choro reſpondet; & ſic omnes antiphonas cantamus ante pſalmos, & infra pſalmos, ubi inveniuntur; & in fine pſalmorum, & poſtea* Gloria Patri, *& poſt* Sicut erat. Quid vero ſit chorum choro reſpondere, cenſet explicandum ex alio loco p. 39. „Finitis lectionibus, quin- „que vel ſex de canonicis induti pluvialibus in medio chori ſimul cantent „antiphonam *Ecce* Maria *genuit*, uſque ad mediam, & uterque chorus „reſpondet *Ecce agnus DEI.* Id quod ad cantum reſponſorium accedit. Fuerunt nonnunquam peculiares verſus ad reſpondendum, ſive ad repetendum, frequentiores in officio Miſſæ ad *Introitum*, ubi de illis plura; ut tamen etiam alicubi in vigiliis nocturnis ſolemnioribus adhiberentur poſt pſalmum, vel canticum modulatum. Repetita enim poſt *ſicut erat* antiphona, dicebatur ab altero choro hic verſus ad repetendum: quo decantato chorus alter, qui ℣. *Sicut erat* dixerat, iterum antiphonam repetebat. Verſus eiusmodi ad reſpondendum ſingulis pſalmis adduntur apud Thomasium T. IV. in feſto S. Laurentii ad vigilias. *Ant.* Quo progrederis &c. *Pſ. Beatus vir.* ℣. Beatus Laurentius dixit: ubi adnotat Thomasius ex Breviario edito *Venetiis* in Natali Sancti Laurentii: *Verſi antiphonarum dicuntur immediate poſt pſalmos ante receptionem antiphonarum, & non dicuntur niſi in hac nocte tantum.* Iuxta priſcum antiphonarum ritum antiphona ſtatim poſt verſum *ſicut erat* in fine pſalmorum repetebatur: ut tunc dicto ℣. *ad reſpondendum* ab altero choro, iterum chorus alter antiphonam caneret. Antiphonæ vero dum ad plures, aut ad omnes pſalmi verſiculos fuerunt repetitæ, verum ac genuinum diſcrimen exhibent inter reſponſoria & antiphonas, quod in reſponſoriis unus dicit verſum, in antiphonis alternant verſibus chori a). Quod cum negligeretur, indigne a tu-

a) Thomasius in præfatione ad *Romanum* antiphonarium p. XXIII. „Antiphona itaque eſt verſus aliquis (inquit) ſive ſententia intercalaris, quæ unacum pſalmi canticique verſibus ſive aliquot, ſive omnino omnibus decantatur intercalari concentu, eodem prorſus ordine, quo eccleſiaſtica reſponſoria cantantur. Cum ea ratione a reſponſorio antiphona differat, quod in

tulit Anonymus apud Canisium *de Benedictione DEI*, in præfatione ad Bathe-
a rium epiſcopum *Ratisbonenſem*, qui ſedem illam obtinuit anno DCCCXIV. a).
Duplici autem modo ita cantus antiphonus antiphonarum continua repeti-
tione inſtitui potuit, cum aut eadem antiphona ſeu verſus interpoſitus ſin-
gulis verſibus pſalmi repeteretur; aut diverſæ concinerentur antiphonæ, ſeu
breves periodi, quæ a *Græcis troparia* vocantur, apud quos uterque mo-
b dus obtinet, prout exemplis a Thomasio illuſtratur b). Goarus in eu-
chologio pag. 123. aliud eſſe ait apud *Græcos* ἀντίφωνον aliud ἀντιφωνὴν; ac
antiphonam dici ſententiam vel modulum cuilibet pſalmo decantato adiun-
ctum, & quaſi ex oppoſito reſpondentem: *antiphonum* vero pſalmi ver-
ſus aliquot, ad quorum ſingulos una & eadem fit ſemper ab altero choro
reſponſio. Cantus antiphoni, quo diverſæ antiphonæ pſalmis & canticis
intercalantur, exemplum ex Thomasii antiphonario in ſabbato S. *ad Ma-
c gnif.* ſeu *in Evang.* apponimus c). Alia diverſa eiusmodi exempla paſſim oc-
cur-

reſponſoriis chorus uni cantori reſpondeat, in antiphonis vero unus chorus alteri choro ſuccinat, & in reſponſorio quidem unus cantor verſus intercinat, intercalcante ſemper choro reſponſorium, in antiphonis vero chorus alter concinat verſum, altero choro antiphonam reciprocante. "

a) „Contigit enim (ſcribit) me multa peragrando loca, audiſſe divina officia inordinate ſine auditus delectatione celebrari. Sunt namque nonnulli, qui tantum ob verecundiam hominum, ne forte ignavi ab ipſis iudicentur intrantes eccleſiam ſine antiphonis curſim & cum omni velocitate, ut citius ad curam carnis exeant peragendum, divinis negligenter adſiſtunt laudibus, cum in mundanis ſtudioſi habeantur operibus. Qui neſciunt, quia ſancti doctores & eruditiores eccleſiæ Sancto Spiritu & gratia DEI repleti inſtituerunt modulationem in antiphonarum vel reſponſoriorum repetitione honeſtiſſimam: quatenus hac dulcedine animus audientium delectatus ad DEI laudes & amorem cœleſtis patriæ ardentius accenderetur." Ex hoc loco colligit Thomasius præfat. in reſponſ. & antiph. p. XXXIV. tunc temporis cœpiſſe in eccleſiis *Germaniæ* antiphonarum repetitionem intermitti, imo ipſasmet etiam antiphonas omitti brevitatis gratia. „Quæ quidem (ſubdit) omiſſio ſatis demonſtrat, quod plurimum temporis poſtularet ex antiquo more antiphonarum concentus, quam quod flagitat mos hodiernus, cum ſemel tantum vel bis antiphonam canimus. Malebant idcirco eccleſiaſtici illi ipſas antiphonas omnino prætermittere, quam eas reſponſionibus truncatas præter authenticum ordinem utcumque concinere. "

b) Ex Typico S. Sabæ in Nativ. D.

℣. I. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Interceſſionibus Deiparæ Salvator ſalva nos.

℣. II. In conſilio rectorum & congregatione magna opera Domini. Interceſſionibus Deiparæ &c.

℣. III. Exquiſita &c. &c.

Ex Triodio *Græcorum* in vigiliis Dominicæ paſſionis.

Canimus antiphona iterantes omnes ſententias.

Antiphonum primum. Tonus obliquus

Principes populorum convenerunt adverſus Dominum & adverſus Chriſtum eius. [Principes].

Verbum iniquum conſtituerunt adverſum me Domine Domine ne derelinquas. [verbum]

Senſus noſtros puros præſentamus, & ut eius amici animas noſtras per ipſum immolemus, & ne huius vitæ ſollicitudinibus ſuffocemur ſicut Iudas, verum in cubiculis noſtris clamemus: Pater noſter qui es in cœlis. Libera nos a malo. Gloria [Patri &c.] Et nunc [Et ſemper

De Deipara idem tonus.

Virgo inexpertis nuptiis peperiſti, & virgo permanſiſti, mater cœlebs, Deipara Maria Chriſto DEO noſtro ſuplica, ut ſalvet nos.

c) *Antiph.* Veſpere autem ſabbati &c. *Pſ.* Magnificat &c. *Antiph.* Et ecce terræ motus &c. *Pſ.* Et exultavit &c. *Antiph.* Angelus autem Domini &c. *Pſ.* Quia reſpexit &c. *Antiph.* Erat enim aſpectus

currunt in libro reſponſali T. III. opp. S. GREGORII P. editione a PP. *San-Maurenſibus* curata, cum inſcriptione *In evangelio*, nimirum in duo cantica evangelii *Magnificat* & *Benedictus.* Servatur hodie aliquid veteris huius cantus in altero cantico evang. *Nunc dimittis*, in feſto *Purificationis.* Nec penitus obſolevit antiphonus cantus in aliis duobus iuxta ritum *triumphandi*, ſeu ter ſaltem repetendi antiphonam. *Unde*, inquit DURANDUS, *mos inolevit, quod in præcipuis feſtivitatibus antiph. ad* Mag. & Bened. *ter dicitur, ſive toties canendo protelatur.* Qua de re poſtea. Quoad cantus antiphoni in Miſſa uſum memorabilis eſt locus expoſitoris ordinis *Romani* apud CASSANDRUM, quem is in liturgicis p. 84. BEROLDUM ſeu BERTHOLDUM *Conſtantienſem* eſſe putat, ita vero habet: „Introitus, reſponſoria, *Alleluia*, atque offertoria, & antiphonæ, quæ ad communionem dicuntur, omnia fere hæc officia de pſal. compoſita eſſe probantur, & antiphonatim pſalluntur, ſi rite & ſecundum ordinem celebrantur. Quodſi videtur aliquibus grave & laborioſum, hæc ſingula repetendo continuare, ipſi noverint præſcripta officia non alio tempore, niſi in ſolemnitatibus atque ſtatutis diebus celebranda eſſe, quando debet populus ad eccleſiam ſolemniter convenire, & ſacrificare, & communicare, propter quod & ipſa officia ſunt conſtituta." Laudatus RAYNALDUS in aliis antiphonis hæret, præſertim dum initio antiphona non cantatur integra, ut extra officium duplex, quando uni dumtaxat eius inchoandæ cura demandatur, & in fine antiphonam coniunctim ab omnibus concini ex uſu ſit. „Quare (inquit loco citato) cum nulla in eiusmodi ſententia aut verſiculi decantatione cernatur alternatio, non apparet cur dicta ſit antiphona, quæ ut vox ipſa docet, reciprocum cantum, & alternam vocem deſignat. Non habeo (pergit) nodum ſecando potius quam ſolvendo, unde hanc difficultatem commodius extricem, quam dicendo certamen eſſe etiam præludia certaminis, & myſteria eſſe etiam quæ præcedunt myſteria, ut ait CLEMENS *Alex.* lib. I. *ſtrom.* pag. 330. Itaque cum antiphonæ vulgatæ ſint præluſiones & præludia pſalmorum decantandorum, & tonus, quo decantantur, ſive metrum toni quo pſalmus alternatim decantandus eſt, haud incongrue nomen alterni cantus ſive antiphonæ ad huiusmodi metrum extendi potuit." Ex quo autem, mollito vocis rigore, & laxata eius notione, huiusmodi pſalmorum procœmia no-

Ration. lib. V. c. 8.

&c. *Pſ.* Quia fecit mihi magna &c. *Antiph.* Præ timore autem &c. ℣. Et miſericordia eius &c. *Antiph.* Reſpondens autem angelus &c. ℣. Fecit potentiam &c. *Antiph.* Venite & videte &c. ℣. Depoſuit potentes &c. *Antiph.* Cito euntes &c. ℣. Eſurientes &c. *Antiph.* In *Galilea* IESUM videbitis &c. ℣. Suſcepit ISRAEL &c. *Antiph.* Nolite expaveſcere &c. ℣. Sicut locutus &c. *Antiph.* Et valde mane &c. ℣. Gloria Patri &c. *Antiph.* Et dicebant ad invicem &c. ℣. Sicut erat &c. Semper autem additur modus ſeu tonus o i a. euouae, i. e. Gloria. ſæculorum amen.

nomine antiphonæ donata ſunt, ulterius eiusdem vocis extenſio facta eſt ad ſimiles verſiculos, etſi non canantur ante vel poſt pſalmos. Non loquimur de antiphonis eiusmodi ſeu verſiculis, quando plures ſæpe magno numero coacervantur: quales e. g. in ſupplemento *Thomaſiano* apud Iosephum *Blanchinium* habentur *antiphonæ ad proceſſionem*, quæ videntur alternatim fuiſſe cantatæ. Alias antiphonis ex veteri more aliqui ſaltem verſus fuerunt coniuncti: quales ritu *Mozarabico* frequentius occurrunt, ad quos ſingulos repetitiones antiphonæ notantur, paſſim in breviario *Mozarabico*, atque inde etiam exemplum videre eſt apud Thomasium præfat. in reſponſ. & antiph. p. XXIV. ritu *Ambroſiano* autem non ſolum in iis antiphonis, quas *pſallendas* appellant, ſed expreſſius in iis, quæ quinquies vel ſepties aliquando dicuntur, interpoſito ſingulis repetitionibus *Kyrie eleiſon*, vel *Gloria Patri.* Repetendam autem eſſe antiphonam, ex parte ſaltem ad ſingulos ei oppoſitos verſus, ſatis apparet ex eccleſiaſticis libris præfatorum rituum, ut iam notavit laudatus Thomasius, atque etiam exempla attulit p. XXX. ex breviario *Romano*, & antiphonario *Gregoriano*, non ſolum in *Introitu* Miſſæ, ſed etiam ad *offertorium*, & *communionem.* Unde totum opus in antiquis codicibus, ut teſtatur Pamelius in præludiis ad 2. Tomum liturg. latin. & apud pleroſque rituum eccleſiaſticorum tractatores inſcribitur *antiphonarium.* Solus *Micrologus* ex antiquioribus nominat *gradualem*, *ſive quod pleræque Miſſæ concinerentur in loco eminentiori, ad quem adibatur per gradus; ſive ut antiphonæ Miſſarum ſecernerentur ab iis antiphonis*, *quæ ſunt pſalmis præcinendæ.* Et ita quidem hactenus antiphonarium a graduali diſtinguitur, antiphonarii nomine reſervato reliquis præter liturgiam Miſſæ officii divini partibus, ubi antiphoni cantus ſi non antiquus uſus in antiphonis ipſis, in pſalmis ſaltem obtinet: qui olim etiam, ut ſuo loco diximus, integri ante Miſſam canebantur. Deinceps vero verſus ſaltem cum *Gloria* antiphonως decantabantur. *Primo omnium*, inquit auctor de divinis officiis ſub nomine Albini, *dicitur antiphona ad introitum. Antiphona ex græco interpretatur vox reciproca in latinum: duobus alternatim pſallentibus ordine commutato ſive de uno ad unum.* In Miſſa ex codice Ratoldi, edita a Menardo in appendice ad ſacramentarium S. Gregorii rubrica ſic ſonat: *Annuente epiſcopo incipiatur pſalmus a cantore cum Introitu reciprocante.* Apparet in antiphonario *Romano* a *Ioſ.* Cari ſeu Thomasio edito, antiphonam ad Introitum fuiſſe repetitam poſt verſum pſalmi, & poſt *Gloria Patri*, *verſusque ad repetitionem*, ut habet inſcriptio. *Offertorium* habuit olim plures verſus a choro cantatos alternatim, atque etiam *communio.* Ubi id expreſſe
n. 20. innuit ordo *Romanus: Mox ut pontifex cœperit in ſenatorio communicare,*

ſtatim

ſtatim ſchola incipit antiphonam ad communionem per vices cum ſubdiaconibus: & pſallunt uſque dum communicato omni populo annuat pontifex ut dicant Gloria Patri*: & tunc repetito verſu requieſcunt.* Servatus diu fuit mos antiquus deinceps; ceſſante vero publica in ſolemni Miſſa communione, id etiam ceſſavit, ita ut unus ſaltem relictus ſit verſiculus. Eſt mihi præ manibus codex MS. ſæc. XIII. qui verſus offertoriorum per feſta integri circuli anni complectitur. Quoad canonicas horas non una eademque obtinuit cantus antiphoni ratio, ut infra peculiariter diſquiremus, quantum nobis ex hac ſecunda ætate, ſeu medio ævo monumenta ſuppetunt, atque paulatim pſallendi ordo alternus exemplo cætuum monaſticorum ubique in ecleſia obtinuit. Apud MABILLONIUM S. WILFRIDUS epiſc. *Eborac.* de ſe teſtatur, primum ſe *poſt obitum primorum procerum a S.* GREGORIO *directorum... iuxta ritum primitivæ eccleſiæ conſono vocis modulamine binis adſtantibus choris perſultare reſponſoriis antiphoniſque reciprocis inſtruxiſſe.* Apud eundem de S. AGRICOLO ex *Lirinenſi* monaſterio ad *Avenionenſis* eccleſiæ cathedram aſſumto an. 660. ut ex vitæ ipſius auctore refertur, ſequens habetur locus: „Voluit etiam horas canonicas, & divina officia deinceps in „eadem eccleſia eodem modo, quo ſolerent in monaſteriis, alternis videlicet cantibus recitari; nondum enim in illis partibus invaluerat ille mos, „quem aliquot ante annos DAMASUS pontifex maximus invexerat.“ In monaſterio noſtro *S. Blaſii* videtur cantus alternus ſeu antiphonus demum receptus fuiſſe ſub UTTONE abbate, ſæculo duodecimo iuxta ſequentes verſus, in *Gallia* etiam *chriſtiana* relatos:

Act. ord. S. Ben. ſæc. IV. P. I. p. 705.

Præfat. in ſecundam partem ſæc. IV. ord. S. Bene. n. 210.

T. I. p. 800.

> *Pſallere præcepit normamque tenere canendi*
> UTTO, *& ad alterutrum tendere voce ſonum.*

Notanda etiam ſunt *Io.* BELETHI verba explic. div. off. c. 58. poſt relatam ex hiſtoria tripartita de S. IGNATIO narrationem, audiviſſe angelos cantantes antiphonas in monte, *Qui exinde quasdam antiphonas in eccleſia cantari inſtituit, & pſalmos iuxta antiphonas tonizari. Et cum antea confuſe & quaſi chorea cantarentur pſalmi & antiphonæ, ſtatutum eſt a maioribus, ut ſeorſum chorus ſederet, & alternatim caneret, id eſt, ut una pars chori unum pſalmi verſum caneret, atque illa alium.* Atque huc iam fere hodie cantus *antiphonus* ſeu *alternus* rediit, antiphonarum antiqui moris intercalatione ceſſante, *ne ex prolixitate tædium generetur,* quæ ALBERTI M. verba citat D. DE VERT T. III. p. 14. Occurrit menti, quod in vita S. ODDONIS abb. *Cluniac.* legitur de officio vigiliarum feſti S. MARTINI, in quo ita decurtatæ erant antiphonæ, ut officium integrum non æquaret hiemis

Sæc. V. ord. S. B. p. 153.

noctes. Sperarunt medicari ſe poſſe huic malo, ſi antiphonas ad ſingulos pſalmi verſus iterarent. Verum hæc antiphonarum geminatio & laboris & tædii plurimum creabat. *Fiebat nempe eis labor improbus.* Rogarunt itaque S. ODDONEM, ac tandem, quantumvis renitentem, eo permoverunt, ut prolixiores ipſis concinnarit antiphonas, integrumque officium, quod longiores noctes æquabat. Neque enim ordinarium erat unquam, ut totis in officiis, vigiliis etiam nocturnis, ſingulis pſalmorum verſibus antiphonæ intercinerentur, ſed ſuis locis ac temporibus tantum, præſertim in maioribus feſtis, in quibus etiam frequenter triumphari, id eſt, ter repeti ſolebant. Alias vero poſt ternos etiam aut duos pſalmos ſolum repetebantur, ſuntque hodiedum eiusmodi viciſſitudines, intermiſſionesque antiphonarum. Quod carpit RADULPHUS *Tungrenſis* prop. X. atque „In dictis horis (vigiliis, lau„dibus & veſperis inquit) quoties laus ſanctæ Trinitatis *Gloria Patri* can„tatur, ſemper ſequi debet antiphona. Antiphona enim pertinet ad pſal„mos decantandos. Et ita B. GREGORIUS ad ſingulos pſalmos dictarum ho„rarum antiphonas ordinavit. Sed aliqui aliquando in veſperis, aliquando in „laudibus decorem pervertunt.“

Reſponſorius & Tractus.

III. Cantui *antiphono* ſeu *alterno* proxime, ut iam vidimus, accedit *reſponſorius* antiquiſſimus in eccleſia cantus, & iugiter ſervatus. Unde nomen libri *reſponſalis* eſt inter opera S. GREGORII, ratione etiam cantus reſponſorii conſtantius ſervata apud nos, in horis ſaltem canonicis. „Inter reſpon„ſoria quoque (inquit *Rhabanus* MAURUS) & antiphonas hoc differt, quod „in reſponſoriis unus dicat verſum, in antiphonis autem alternent chori. „Reſponſoria (inquit S. ISIDORUS) ab *Italis* longo ante tempore ſunt re„perta: & vocata hoc nomine, quod uno canente chorus conſonando „reſpondeat. Ante autem id ſolus quisque agebat, nunc unus, interdum „duo vel tres communiter canunt, choro in pluribus reſpondente.“ Apud *Rhabanum* MAURUM eadem plane occurrunt verba. Dum vero ſolus canebat, nullo ſuccinente vel reſpondente, ſed audientibus omnibus, *Tractus* vocabatur eiusmodi cantus, ut etiamnum nomen habet, quando graduale in Miſſa non canitur cum *Alleluia.* *Reſponſorium*, inquit DURANDUS, *cui omnes reſpondent, Tractus cui nullus.* Quoad reſponſoria AMALARIUS de ordine antiphonarii diverſitatem hic aliquam *Romanæ* eccleſiæ notat ac *Gallicanæ.* „Non enim ſancta *Romana*, & noſtra uno ordine canunt reſpon„ſorios & verſus. Apud eam præcentor in primo ordine finit reſponſorium. „Succentores vero eodem modo reſpondent. Deinde præcentor canit ver„ſum finito verſu, ſuccentores vero ſecundo incipiunt reſponſorium a ca„pite, & uſque ad finem perducunt. Deinde præcentor canit: *Gloria Patri.*“

De inſtit. cler. lib. I. c. 33.

De div. off. l. c. 8.

L. II. de inſtitutione clericorum c. 51.

De ordine antiphonarii c. 18.

In

In ordine *Romano* I. apud Mabillonium ita præſcribitur: *Cantor cum cantatorio aſcendit & dicit reſponſum.* Et poſtea: *Item de reſponſorio graduali: ab incipiente uſque ad finem cantatur, & verſus ſimiliter.* Et ita uſitatum fuit, ut unus ſolus præcineret, cæteri repeterent etiam ſecundo poſt verſum reſponſorium. Idem in ordine II. n. 7. notatur, atque Amalarius in eclogis in ord. *Romanum* apud Mabillonium p. 552. *Reſponſorium,* inquit, *nunc ideo dicitur, eoquod uno cantante cæteri reſpondeant. Ipſe idem ſolus verſum cantat &c.* Eodem modo auctor veteris expoſitionis Miſſæ in *ſpeculo Miſſæ* p. 91. loquitur. Et alia expoſitio Miſſæ ſimpliciter idem exponit: „Poſtquam legerit cantor in cantario ſine aliqua neceſſitate aſcen„dit, non ſuperius, ſed ſtat in eodem loco ubi & lector & ſolus inchoat „reſponſorium. Et cuncti in choro reſpondent. Et idem ſolus verſum re„ſponſorii cantat. (Et Honorius *Auguſtodunenſis*) reſponſorium dicitur quod „alio deſinente id alter reſpondeat.“ Poſtea enim explicat, pro more tropologiam commiſcens: „Lector legem Domini dat auditoribus, qui nu„per vocati ſunt per officia cantorum ad nuptias in ſcholam DEI. Schola „dicitur vacatio: in qua ſiquis adhuc ſurdis auribus torpeſcit, cantor cum „excelſa tuba ſonat in aurem eius dulcedinem melodiæ, ut mens eius ex„citetur. Cantores, qui reſpondent primo canenti: vox eſt auditorum quaſi „vigilantium & DEUM laudantium. Verſus ſignificat ſervum arantem in „evangelio.“ Colligitur inde, quod verſus altiori nota fuerit cantatus, dum niſi verſu cantato, excelſa voce reſponſorium canere non licuit: *Verſus timore,* inquit Amalarius, *non eſt auſus alte levare reſponſorium: neſcit quomodo finiat verſum.* Verſus, quod a cantoribus peritis canerentur, erant modulatiores, excedentes etiam quandoque orbitam toni ſeu modi, quod innuit Aurelianus c. 15. diſciplinæ muſicæ: „Interea (inquit) mos conſi„derandus eſt veteranorum cantorum, præſertim *Gallias* degentium, qui non „omnem toni ſequentes auctoritatem verſus reſponſoriorum aliter ac aliter „quam ſonoritas tonorum ſeſe habeat, præpediente multitudine ſyllabarum „in diverſam mutavere partem. P. Carpentier in ſupplem. ad Gloſſ. du Cangii ex ſtatutis Gaufridi abb. *Rivipul.* an. 1157. hunc affert locum: *Cantor ebdomadarius in loco ſuo reſponſorium beatæ* Mariæ, *non breve, ſed modulatum ſolus decantabit.* Ex contextu colligere erit in cod. regio 5132. fol. 102. an modulatum reſponſorium præciſe reſponſorio brevi, quod ſequi ſolet lectionem brevem, opponatur. Radulphus *Tungrenſis* de *reſponſoriorum* uſu tam in officio *Romano*, quam *Ambroſiano* ita ſcribit: *Reſponſoria vero ad lectiones adiunguntur in utroque officio & in Ambroſiano ad veſperas & in utroque ad lectiones in Miſſa.* Reſponſoria poſt lectiones tam in Miſſa, quam etiam in nocturnis vigiliis uſitata hactenus fuerunt.

n. 7. *n. 26.* *T. IV. Bibl. PP. Pariſienſis p. 766.* *L. III. de offic. eccleſ. c. 11.* *Propoſ. XII. de canon. obſervat.*

Re-

Reſponſoria brevia vero poſt lectiones breves. Reſponſoria frequenter ab uno vel etiam a duobus aut pluribus cantoribus canebantur, prout nuncque ſubinde pro ratione feſtorum fit diſtinctio. Etiam aliquando reſponſoria Miſſæ in eccleſia *Romana* a duobus cantoribus fuerunt cantata, uti
n. 40. præſcribitur in rituali Benedicti canonici: *Duo cantores incipiunt graduale:* Chriſtus factus eſt pro nobis obediens. *Primicerius cum ſchola reſpondet, & illi duo cantores reiterant graduale.* Legitur etiam, a pluribus concentu ſeu ſymphonia plurium vocum fuiſſe cantatum. Cuiusmodi locum laudatus P. Carpentier ex *Necrolog. eccl. Pariſ. MS.* III. *Idus Iul.* affert. *Singulis vero clericis, qui in Miſſa Reſponſum vel Alleluia in organo triplo vel quadruplo decantabunt &c.* Ad reſponſoria referri poſſunt etiam verſus, cum canantur reſponſorio cantu, atque olim habebant ſuos
Gloſſar. V. Verſarius. ſingulares libros verſarios, uti ex necrologio *Pariſienſi* Ducangius refert: *Dedit nobis pſalterium cum hymnis, duos troperios, duos verſarios.* Huc
T. III. p. 790. pertinent *verſoria* in reſponſali S. Gregorii: *Ab octava paſchæ per totam reſurrectionem ſuper pſal. in evangelium & verſoria & in ſanctorum Alleluia dicendæ ſunt.* Atque hos verſus declinatorios eſſe cenſeo, de quibus editores *San-Maurenſes* in obſervationibus præviis ad collectionem *reſponſoriorum, antiphonarum, verſuum* &c. „In dominica V. quadrageſimæ (de „ paſſione) iam tum nuncupata, verſus iſti: *Eripe me ab homine malo. E-* „ *ripe me de inimicis meis. Erue a framea. De ore leonis*, appellantur „ verſi declinatorii. Multi alii alibi occurrunt, ut in ſanctiſſimo paſchæ die, „ cum eodem titulo: cur vero ita dicantur, nondum aſſequi potuimus, niſi „ ex mera coniectura, quam timide proferimus, donec certius aliquid no- „ bis ſuppetat. Hi verſus omnino diſcrepant ab illis, qui in reſponſoriis „ inſeruntur, idque habent ſingulare, quod pſalmodiam ſeu pſalmorum can- „ tum claudant. Quando vero canuntur, facies ad altare convertitur, quem „ ritum obſervavit Amalarius. Itaque dici potuerunt hi verſus declinatorii „ cum propter inclinationem ſeu converſionem vultus & totius corporis ad „ orientem, vel altare, tum propter pſalmodiæ finem quem indicant: quæ „ enim ad finem vergunt, ea declinare dicuntur.“

De Neumis. *L. I. Muſ. pract. c. 8.* IV. *Neuma*, ut definit Gaffurius, *eſt vocum ſeu notularum unica reſpiratione congrue pronunciandarum aggregatio. Neuma græce, latine nutus ſolet interpretari. Deſcribunt enim notatores in antiphonis, & nocturnis reſponſoriis, atque gradualibus ipſam certa linea, in modum pauſæ, cantilenas terminantis, omnia linearum intervalla complectente: dividentem diſtinctiones: qua quidem innuunt vocis ipſius reſpirationem.* At ſpectata ipſa hac ratione, deſcriptioneque, videtur potius detracta prima littera a voce

pneu-

pneuma, veluti ſpiritus ac ſonus ſine vocibus, quando productior melodia plures ſonos uni vocali aptat. Uſitatum etiam hoc erat vocabulum generatim ad deſignandam vocis per varios ſonos modulationem, ac ſpeciatim eam, quæ in fine tonorum ſeu octo modorum eccleſiaſticorum, pſalmorumque terminatione ipſos diſtinguebat, unde vulgatum illud *Euouae*, id eſt *ſæculorum amen;* atque etiam terminatio vocabatur, quæ quidem ſemper modulatione compoſita pluribus ſonis ad ornandum terminandumque cantum fiebat. Priore illo ſignificatu generali perſæpe apud ſcriptores medii ævi occurrit, quando de cantionum muſicarum compoſitione agunt, quod *neumatizare* vocant. Sic etiam apud P. Carpentier in ſupplem. Gloſſ. Du-Cangii V. *Pneuma*, *Pneumatibus muſicæ artis dictare* idem eſt, ac notas muſicas verbis cantandis ſuperponere: ex Andr. *Floriac.* in vita MS. S. Gauzlini archiep. *Bitur.* lib. I. Allatam tamen notationem nominis ſunt, qui expreſſis verbis reiecerunt. *Neuma*, ut apud Goldastum Balbus habet, *vocum emiſſio vel modulatio*, *& neumaticus modulator dulcis*, *& conſonans. Et eſt vitium ſcriptorum*, *quum invenitur pneuma*, *ut ſcribatur per P. & eſt ibi barbariſmus*, *quia vitioſe additur littera ibi.* Et Belethus de div. offic. c. 59. *Hic eſt notandum quod ſemel diximus neumam feminini generis abſque P. accipi pro iubilo.* Unde etiam iubilatio ſeu ſequentia vocabatur, mentem ſuaviter afficiens ad pietatem, ac veluti ineffabile gaudium loquens: quod etiam ex antiquis patribus SS. Hilario, Augustino & aliis libro primo notavimus. „Quoniam (inquit Durandus) „laudes æternitatis verbis humanis plene non reſonantur, ideo quædam eccleſiæ myſtice pneumatizant ſequentias ſine verbis, aut ſaltem aliquos verſus earum: nulla enim erit ſignificatio verborum neceſſaria, ubi ſingulorum corda patebunt ſingulis intuentibus librum vitæ.“ Idem docuit capite antecedenti, ſequentiam communi, non modo cantorum, voce iubilari ſolitam: *Sequentiam vero*, ait, *non illi ſoli decantant*, *ſed chori communiter iubilant: quoniam iubilus æternus & ineffabilis angelis erit communis & hominibus.* Omnes fere, qui medio hoc ævo de rebus liturgicis ſcripſerunt, in ſenſum anagogicum hic aſſurgunt a). Amalarius de or- a

T. I. Rer. Alem. p. 113.

L. IV. Ration. c. 22. circa fin.

num. ult.

dine

a) „Hæc iubilatio (inquit Amalarius lib. III. de eccleſ. offic. c. 16.) quam cantores ſequentiam vocant, ſtatum illum ad mentem noſtram ducit, quando non erit neceſſaria locutio verborum, ſed ſola cogitatione mens menti monſtrabit quod retinet in ſe.“ Magis ſolide, & ad rem Rupertus abbas idem exprimit: lib I. de div. offic. c. 34. „Canitur ergo *Alleluia* poſt graduale, canticum lætitiæ poſt luctum pœnitentiæ: & ſummopere nitentes exprimere magnitudinem conſolationis, quæ repoſita eſt, iubilamus magis quam canimus: unamque brevem digni ſermonis ſyllabam in plures neumas vel neumatum diſtinctiones protrahimus, ut iucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc, ubi ſancti exultabunt in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.“

dine antiphonarii c. 18. agens de ultimo reſponſorio in feſtivitate Sancti Ioannis, *Contra*, inquit, *conſuetudinem cæterorum reſponſoriorum cantatur neuma triplex*, *& verſus eius, atque* Gloria, *extra morem neumate protelantur. . . . Fit enim neuma memoratum inter cætera verba circa verbum* intellectus. In MS. ordine divini officii ſecundum conſuetudinem chori præpoſituræ *Turicenſis* an. 1260. de nocturno officio in nat. D. hæc rubrica legitur: *Poſt ultimum reſponſorium* Verbum caro *repetitur, & cum neuma finali decantatur.* Et ſic paſſim in recentioribus etiam monumentis, ut ſuo loco notabimus, occurrit, etiam de antiphonis. *In quovis tono eſt neuma proprium, quæ fit in caudis antiphonarum*, ut habetur in *Enchirid.* Gregor.
T. IV. conc. Germ. p. 257. pſalmod. In Conc. *Wormat.* an. 1316. ſtatuitur: *Quotieſcunque matutinæ dicuntur cum tribus vel novem lectionibus, finalis ſeu iubilus, qui dici conſuevit in fine antiphonarum, obmittatur.* Diſcimus ex Eckehardo decano
T. I. April. p. 587. *San-Gallenſi*, auctore vitæ B. Notkeri *Balbuli* c. 10. apud Bollandum, iubilos hos etiam ſolitos organis exprimi: „Sequentiæ (inquit) etiam canticum victoriæ deſignant, quo iuſtorum animæ in DEO pro ſua liberatione exultant: ſicut filii Israel pro ſua ereptione canticum victoriæ canebant, & quondam *Romani.* Iubilus autem, id eſt neuma, quem quidem in organis iubilant, plauſum victorum lætantium commendat.“ Loquitur ibi de ſequentiis, de quibus paulo poſt dicemus, quæ in locum huiusmodi iubilationum ſunt inductæ in Miſſa, ut nimirum loco ſonorum, verbis humanis deſtitutorum, ſubſtituerentur. Unde etiam nomen ſequentiarum ſervarunt, quod antea iubilationibus eiusmodi proprium fuit, haud dubie, quia ſoni illi ultimam verbi ſyllabam ſeu vocalem ſequebantur. *Se-*
n. 7. *quitur iubilatio*, ut habetur in ordine *Romano* II. *quam ſequentiam vocant.*
p. 93. Idem in veteri expoſitione Miſſæ in ſpeculo Miſſæ, & tomo IV. *Biblio-*
p. 766. *thecæ PP. Pariſienſis* iisdem verbis legitur.

In Alleluia, Kyrie eleison, antiphonis &c.

V. In citatis his locis agitur de *Alleluia*, in cuius ultima ſyllaba huiusmodi neumæ haud raro ſatis longæ comparent in veteribus codicibus, notis muſicis exaratis. Eiusmodi cantum *Alleluia Baba*, id eſt cum pneumate ſeu iubilo dictum P. Carpentier notat in ſupplemento Gloſſ. Du Cangii V. *Alleluia* ex ordinario veteri MS. *eccleſ. Camerac.* ad Miſſam Dominicæ I. in adventu: „*Alleluia* cantatur a duobus Dominis in pulpito, epiſtola & „ evangelium ſimiliter in pulpito. Poſt *Alleluia*, cantor incipit *Alleluia*, quod „ dicitur *Baba*, & cantatur a choro alternatim ad modum ſequentiæ. . . . „ *Alleluia*, veni Domine ſine *Baba.*“ Ipſa illa repetitio a a a cum modulatione ſequentia dicebatur. *Poſt* Alleluia *quædam melodia neumatum cantatur*, *quod ſequentiam quidam appellant*, ait S. Udalricus lib. I. conſuet.

Cluniac.

Cluniac. c. 11. Belethus idem affirmat: „Moris enim fuit, ut poſt *Alleluia* „cantaretur neuma. Nominatur autem neuma cantus, qui ſequebatur *Alle-* „*luia.*" Quod tamen ita intelligi debet, ut ipſi ultimæ vocali *A.* coniungeretur. „Eſt etiam (inquit Durandus) *Alleluia* modicum in ſermone, & multum in *pneuma*; quia gaudium illud maius eſt, quam poſſit explicari ſermone. Pneuma enim, ſeu iubilus, qui fit in fine, exprimit gaudium & „amorem credentium: & quanta lætitia & laus ſecuta ſit per prædicationem „& fidem auditam iuxta illud: *audivit & lætata eſt Sion &c.* Quid ſit „*pneuma* dicitur in procemio V. partis. Quando autem dicitur ſequentia, „non dicitur *pneuma* poſt *Alleluia*, prout ſub tit. de ſeq. dicetur." Agit ea de re capite ſecundo libri ſeu partis quintæ: unde diſcimus etiam in *Kyrie eleiſon* factas fuiſſe neumas; nimirum e. pariter ac a. in *Kyrie eleiſon* & *Alleluia* ſonantioribus aptioribusque ad cantus ſuavitatem ac gaudium exprimendum. „Sane (inquit) neumæ, quæ in Miſſa fiunt, repræſentant gaudium: quæ potius fieri ſolent in e, ut in κύριε ἐλέησον, vel in a, ut *Alle-* „*luia*, quam in aliis vocalibus, ad notandum gaudium ſpirituale, quod nobis reſtitutum eſt in partu Virginis, cui facta eſt mutatio huius nominis „Eva in ave &c." Ratio vero naturalis eſt, quam & hodie muſica tenet, quod a. & e. vocales ſonantiores ſint. Quemadmodum vero in ſequentiis verba ſignificativa iubilis iſtis ſunt ſubſtituta, ita etiam in *Kyrie eleiſon* variis interpolationibus idem factum eſſe paulo poſt videbimus. Idem de *Sanctus*, & *Agnus DEI* eſt dicendum. In cantu *Ambroſiano*, & apud *Carthuſienſes* ſimplicior in his eſt cantus, nec unquam interpolationes illæ admiſſæ ſunt. Notatque Grancolas, ex illis additionibus hodie prolixa illa notarum pneumata relicta eſſe. Sed potius dici poteſt, interpolationes illas factas ob longiores illos notarum tractus, cum in antiquioribus libris cantus ſacri reperiantur. Uno hic etiam verbo commemorandi ſunt illi verſiculi *de Alleluia* pro diebus dominicis, cum longo neumate, ſeu notarum ſirmate paſſim ad calcem plerumque antiquiorum librorum liturgicorum, cuiusmodi a Pamelio & Thomasio editi proſtant. Id demum etiam de *Alleluia* eſt notandum, ſolitum fuiſſe ita iubilari notis antiphonarum. Sic in ordine *Romano* XI. auctore Benedicto apud Mabillonium de officio Dominicæ primæ poſt octavas Epiphaniæ habetur: „In tertio nocturno in „loco antiphonarum cantatur *Alleluia.* Ad matutinas laudes cantatur *Alleluia*, in tono *lux orta eſt ſuper nos*, & ceterarum antiphonarum, ſicut „in antiphonario continetur." Vocatur hoc in ordine *Cluniacenſi* apud P. Herrgott in *veteri diſc. monaſt.* cantari *de melodia*, ac in paſchate ſæpius notatur: „Cum ad omnes alias horas ant. dicantur, ad ſolos veſpe- „ros ſuper pſalmos non ant. ſed ſolum *All.* cantatur de melodia. Ant.

De div. offic. c. 121.

L. IV. Ration. c. 20. *n.* 6.

Durand. lib. V. c. 2. *n.*33.

Ancien. lit. p. 462.

T. II. Muſ. It. p. 131.

P. II. c. 19. *p.* 320.

„ *Scio quod Chriſtum &c.*“ Obſcurius hic eſt, quid ſit cani *de melodia:* exſplicatius paulo poſt habetur: *Ad ſolos Noct. Veſp. ſuper pſalmos, non niſi* Allel. *cantatur ad melodiam ſubſcriptarum antiphonarum formata, & primo quod in ſecunda feria,* Allel. *ut* poſtulavi &c. Et ita deinceps per ſingulas ferias illius hebdomadæ uſque ad ſabbatum notatur, quarum antiphonarum melodia *Alleluia* cantetur, ſubditurque: „De tribus *Alleluia,* quæ per „ ſingulas ferias ſecundum melodiam trium primarum antiphonarum ſunt „ prænotatæ, prima ſemper eſt ad primos ſex pſalmos nocturnorum; ſe„ cunda ad alios ſex, tertia ad veſp. ſuper pſalmos. De his agit Amalarius ſingulari capite 78. *De antiphonis converſis per convenientiam ſoni in* Alleluia, libro de ordine antiphonarii: „Antiphonæ (inquit) aliquæ ſunt „ poſt reſponſorios collectæ, quarum ſonus redactus eſt in ſola *Alleluia* ſibi „ invicem coniuncta, ut per dominicas noctes ſuper pſalmos matutinales ſo„ lum *Alleluia* audiatur ad memorandam lætitiam futuræ reſurrectionis, quæ „ reſtat in octava die. Excipitur hymnus trium puerorum &c.“ Videtur hoc idem eſſe ac canere, ut in libris ritualibus huius medii ævi occurrit, *alleluiatice.* Pertinent huc neumæ, quales etiamnum alicubi uſitatas D. le Beuf in tractatu ſuo de cantu eccleſiaſtico notavit, ubi pars antiphonarum ſolo notarum ſono repetitur, vel ut mox diximus, proprio cuiusque toni neumate finalis ſeu iubilus antiphonæ ſubiungitur, ſine verbis eiusmodi, de qua nunc egimus iubilationis ſeu ſequentiæ modulatione. Vario iſta ſignificatu occurrit apud P. Herrgott in *antiqua monaſtica diſciplina,* etiam aliquando ad arbitrium armarii protendenda pp. 181. 277. 284. 288. 289. 294. 319. 321. 345. 346. 396. 411. 447.

De tropis, proſis, & ſequentiis.

VI. *Tropus* in re liturgica eſt verſiculus quidam, aut etiam plures ante, inter, vel poſt alios eccleſiaſticos cantus appoſiti; ac *Proſæ* etiam dicuntur omni ſoluti metro. *Proſæ* nomen occurrit apud Cyprianum in vita S. Cæsarii *Arelatenſis* his verbis: *Adiecit atque compulit, ut laicorum popularitas pſalmos & hymnos pararet, altaque & modulata voce inſtar clericorum alii græce alii latine proſas antiphonasque cantarent.* Sed huc non pertinere iam monuit *Dominicus* Georgius diſſertatione tertia T. II. de liturgia *Romani* pontificis. P. Carpentier in ſupplem. gloſſarii du Cangii voc. *Pneumatica nota,* ex ordinario MS. *eccl. Camerac.* fol. 9. locum in medium affert, ex quo palam eſt, *Proſæ* notas quandoque ſeu vocum tonos, non verba cantari ſolitos *Ad matutinas* (Natalis Domini). *Accedunt alii duo ſubdiaconi cantantes proſam,* Verbum Patris, *præcentoribus ſedentibus ante pulpitum ligneum, ceteris vero in ſuis locis. Finita proſa a choro, dicitur Pneumatica nota* (in alio antiquiori neumatica nota) *proſæ,* ſu-

ſuper fabricæ mundi, *deinde accedunt duo diaconi cantantes proſam*, lumen de lumine. . . . *dicitur tertia proſa* facturæ dominans, *a duobus capellanis*. Le Beuf ex MS. antiquiſſimo bibliothecæ regiæ locum edidit, in quo Adriano II. varia tribuuntur, quæ circa officium divinum in eccleſia decantandum inſtituerit: ex quibus hic opportune aliqua ſunt dilucidanda de *proſis* ac *tropis:* „Quod (ut ibi dicitur) interpretatur, figurata ornamenta in laudibus Domini. Hic conſtituit per monaſteria ad Miſſam maiorem in ſolemnitatibus præcipuis non ſolum in hymno angelico *Gloria in excelſis DEO* canere hymnos interſtinctos quos laudes appellant, verum etiam in pſalmis *Davidicis*, quos *Introitus* dicunt, interſerta cantica decantare, quæ „*Romani feſtivas laudes, Franci Tropos* appellant: quod interpretatur, figurata ornamenta in laudibus Domini. Melodias quoque ante evangelium „concinendas tradidit, quas dicunt *ſequentias*; quia ſequitur eas evangelium. Et quia a Domino papa Gregorio *primo* & poſtmodum ab Adriano unacum Alcuino abbate, delicioſo magni imperatoris Caroli, „hæ cantilenæ feſtivales conſtitutæ accommodatæ fuerant multum in his delectato ſupradicto cæſare Carolo, ſed negligentia cantorum iam intermitti „videbantur, ab ipſo almifico præſule, de quo loquimur, ita corroboratæ „ſunt ad laudem & gloriam Domini noſtri I. C. ut diligentia ſtudioſorum „cum antiphonario ſimul deinceps & Tropiarius in ſolemnibus diebus ad „Miſſam maiorem cantilenis frequentetur honeſtis. Hic conſtituit ut clerici *Romani* inſtruerent pauperes Domini noſtri J. C. fratres noſtros, ut „ante dominicum ſacratiſſimum diei paſchæ tribus diebus, hoc eſt, Domini Cœna, Paraſceve, & ſancta ſepultura Domini noſtri IESU Chriſti, „non aliter peterent eleemoſynam per urbem hanc *Romanam*, niſi excelſa „voce cantilenam dicendo per plateas & ante monaſteria, & eccleſias huiusmodi: *Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Domine miſerere nobis. Chriſtus Dominus factus eſt obediens uſque ad mortem.*" Dicit Lebeufius hæc hodieque cani in *Galliis* ad finem officii Tenebrarum. Quod convenit cum eo, quod ſuo tempore Rupertus *Tuitienſis* factum refert ſub hoc titulo: „Quid tropi ſignificant? (Ita ibi ſcribit): Pleriſque moris eſt, ut extinctis luminaribus, in ipſis tenebris lugubres *tropi* præcinentibus cantoribus, & choro reſpondente, flebili modulatione decantentur incipientibus „a *Kyrie eleiſon.* Significant autem lamenta ſanctarum mulierum, quæ „(ut in evangelio legimus) lamentabantur Dominum ſedentes contra ſepulchrum." Quodſi nobis de ætate ſcriptoris laudati conſtaret, firmare coniecturam liceret, an non, quod ſuſpicamur, ſua cum anterioribus tempora miſcens neumas illas ſeu σύϱματα notarum plurium in una ſyllaba, ſeu vocali confuderit cum *tropis* poſterioris ævi: de quibus nullum ſupereſt

Cod. 4660.

Traité hiſt. ſur le chant eccleſ. p. 104.

L. V. de divinis officiis c. 27.

monumentum, tempore Adriani II. iam viguiſſe: ne quid de Gregorio M.
Adriano I. & Alcuino dicam, *a quibus cantilenæ hæ feſtivales conſtitutæ*
dicuntur, *multum in his delectato cæſare* Carolo. *Tropi* enim proprie ſunt
moduli: nomenque retinuerunt, cum illis verba ſunt ſubſtituta, ut poſtea
de ſequentiis dicemus. An *Troparia Græcorum* aliquid commune habeant
cum tropis *Latinorum*, diſquirunt *Leo* Allatius in diſſertatione de libris ec-
cleſiaſticis *Græcorum* p. 62 &c. & *Iac.* Goarus in notis ad Euchòlog. p. 32.
434. 435. Τροπάριον porro apud *Græcos* modulum proprie ſignificat, ad
eum modum, quo *tropi* octo tonorum deſignant modulationem cui-
que tono propriam: communiter vero pro certis hymnis & cantibus ſu-
mitur, ad ſuos εἱρμοὺς ſeu tractus compoſitis, ut infra oſtendemus, ac loco
citato Goarus legi poteſt, & *Nicol.* Rayæus diſſertat. prælim. T. II. *Iunii*
apud Bolland. p. 17. *Troparia Græcorum* pluribus conſtant verſibus, cum
hac etiam ſolemni voce *audite verſum*: cuiusmodi auctores novæ diploma-
T. III. p. 389. ticæ P. Toustain & Tassin ex congregatione S. Mauri indigitant. Con-
ſimile aliquid habent, quos verſus ſeu tropos in feſtivitatibus notat Duran-
L. VI. c. 113. dus: *Hi autem*, inquit, *verſus tropi vocantur*, *quaſi laudes ad antiphonas*
convertibiles: τρόπος *enim græce converſio dicitur latine.* Loquitur ibi de
verſibus in quibusdam feſtis antiphonis anteponi ſolitis. Contra in laudato
Lebeufii loco ex manuſcripto regio apud *Francos* dicuntur *Tropi*, quas
Romani feſtivas laudes vocant, non ſolum in hymno angelico *Gloria in ex-
celſis DEO*, verum etiam in pſalmis *Davidicis*, quos *Introitus* dicunt. *In-
troitus* antiphonæ ſunt ex pſalmis, quibus in quibusdam feſtis verſiculi ad-
ponebantur. MS. regium ſingularem librum notat *Tropiarium*, quod *Tro-*
Explic. off. div. c. 59. *ponarium* ſeu *Trophonarium* vocat Durandus & *Io.* Belethus: „Eſt autem
„ *Trophonarius* (ait iſte) in quo continentur ii cantus, qui cum Introitu
„ Miſſæ cantari ſolent, & maxime quidem a monachis, cuiusmodi ſunt
„ tropi, ſequentiæ, Kyrie eleiſon, & neumæ. *Tropi* dicuntur, quia prius
„ canitur verſus, ac poſtea *eleiſon*: & iterum verſus, & *eleiſon* deinde. "
L. IV. c. 5. Durandus, eorum inſtitutionem S. Gregorio tribuit: „In quibusdam (in-
„ quit) eccleſiis *Tropi* dicuntur pro pſalmis, ex inſtitutione Gregorii papæ,
„ ad maius gaudium de adventu Chriſti repræſentandum. Eſt autem pro-
„ prie tropus verſiculus, qui in præcipuis feſtivitatibus cantatur immediate
„ ante *Introitum*, quaſi quoddam præambulum, & continuatio ipſius *Introi-
„ tus.* Ut verbi gratia, in feſto Nativitatis, ante introitum illum: *Puer
„ natus eſt*, præcedit tropus iſte: *Ecce adeſt de quo prophetæ cecinerunt di-
„ centes: Puer natus eſt &c.* " Belethus omnia ea colligit, quæ in tro-
pario libro, ut mox videbimus, continebantur, etiam ſequentias: quam
in rem apertiorem adhuc locum Durandi infra proferemus, acturi de variis
ad

ad cantum pertinentibus libris. Videnturque ibi ad hunc etiam cenſum referri *ipſæ ſequentiæ*, *quæ ab ipſo*, ut ait, *almifico præſule* (ADRIANO) *de quo loquimur*, *ita corroboratæ ſunt ad laudem & gloriam Domini noſtri I. C. ut diligentia ſtudioſorum cum antiphonario ſimul deinceps & Tropiarius in ſolemnibus diebus ad Miſſam maiorem cantilenis frequentetur honeſtis.* Vocantur *ſequentiæ* etiam *proſæ* a metri ratione reſolutæ; quamvis vel inde latius pateat proſa: *Et nota*, inquit DURANDUS, *ſecundum* ISIDORUM *quod proſa eſt, producta ratio a lege metri reſoluta, ſic dicta, eoquod ſit profuſa*: *ſequentia vero dicta eſt*, *quia pneuma iubili ſequitur.* Sed de ſequentiis poſtea videbimus, nunc tantum de illis hæc fuerunt prælibanda, quatenus ſubſtitutæ ſunt neumis, quæ ad ipſam canendi rationem pertinent, de qua nunc agimus. Unde etiam de *proſa Card.* HUGO, *Idem*, inquit, *ſignificat*, *quod neuma.* Et in antiquis conſuetudinibus *Cluniacenſibus* de *proſa* S. PETRI *ad vincula*, ita habetur: *Ad Miſſam neuma de laude iocunda.* *Troporum* etiam & *proſarum* ſeu *ſequentiarum* eadem fere fuit origo. De *tropis*, *proſis* & *ſequentiis*, aliisque huiusmodi ritibus Cardin. BONA lib. II. rer. liturg. c. 3. agens, nullum ſe eorum veſtigium inveniſſe dicit apud ſcriptores, qui ante annum milleſimum libros de divinis officiis ediderunt. Et *Domin.* GEORGIUS, „Nullum ſane (inquit) de tropis ante „ ſæculum Chriſti XI. hactenus exemplum deprehendi. A monachis ad alias „ eccleſias ante ann. Domini 1031. hic mos derivatus erat. Nam Conci-„ lium *Lemovicenſe* anno Domini 1031. habitum de his tropis in eccleſia „ cantandis meminit.“ De illis copioſe tractat tom. II. diſſert. III. & IV. de liturg. *Rom.* pont. In laudato vero conc. de hymno angelico agitur: *Angelico interea hymno cum tropis*, *id eſt feſtivis laudibus ornatiſſime expleto &c.* Exempla varia apud laudatum GEORGIUM T. II. diſſert. III. habes: Auctores vero *troporum* & *ſequentiarum* diſſert. IV. tum T. III. antiphonarium *tropis & ſequentiis* refertum edidit. Potuiſſet vero doctiſſimus GEORGIUS vel *Romæ* videre codices maioris quam ſæc. XI. antiquitatis, *tropis proſis*que refertos. Ut vero nihil dicam de DURANDI opinione, iſtos S. GREGORIO attribuentis, ſi monumento a LE BEUFIO prolata fides eſt habenda, ad ſæc. IX. eſt aſſurgendum. In antiquiſſimo codice Bibliothecæ *Angelicæ Romæ*, quem *Angelus* ROCCA ac THOMASIUS dilaudant, tropi varii intermixtis ſequentiis cum notis muſicis deſcribuntur a). Codici huic Biblio- a

L. IV. c. 22.

Loc. cit.

thecæ

a) „ *Tropho in nocte ad Scă* MARIA. A ſolis orto cardine &c. *In nocte ad S.* MARIAM *troph.* Exultate iuſti &c. *In prima mane trophi.* Iam lux oriens &c. *Al. trophi* Hora eſt iam nos. *In die natalis dñi trophi* Hodie Salvator mundi. *Alio troph.* Quod priſco &c. *Ad Gloria troph.* Gloria tibi Chriſte. Gloria tibi ſancte, Gloria tibi Domine, quia veniſti omne genus liberare, & omnes gaudentes dicite eia ℣. Gloria Patri & filio. *Ad Reſ. trophi.* Quem naſci mundo cecinere ex ordine vates. *Puer natus eſt.* Viſceribus ſacris quem geſſit mater opima. Cuius

thecæ *angelicæ* maiorem antiquitatem quam ſæc. XI. tribuunt iam periti, ad
ſæculum nonum uſque referentes. Duo certe codices inſignes *San-Emeranenſes*, ſæculo X. inferiores cenſendi haud ſunt, in quibus cum libro ſequentiarum verſibusque gradualium, ſeparatim pro cantu reſponſorio de-
a ſcriptis, quandoque etiam interpolatis a), ſequuntur varia *troporum* genera cum notis muſicis. Primum ad *Kyrie eleiſon. Gloria in excelſis.*
b Deinde ad feſta per annum *incipiunt tropi* b). Antiquiſſimus eſt codex *Vero-*

imperium & diadema cluens capitis in vertice condet. *Et vocabitur.* Archangeli lætantur, paſtores annuntiant in choro angelorum omnes clamant *Kyrie eleyſon.* Tibi Chriſte ſuplices &c. *Kyrie. Et ſic tertio* Kyrie, *ter* Chriſte, *ter iterum* Kyrie *cum trophis.* Sequitur rubrica. *Ad pontifex.* Paſtor bone veni ante ſacrum & ſanctum altare ut in laude regis regum vocem tuam prior emittere digneris ſupplices te rogamus eia dic domne *Gloria in excelſis DEO* Pax ſempiterna &c. Sequitur integrum *Gloria in excelſis* cum interpolationibus. " Patet autem hinc, rubr. *ad reſ.* non ad reſponſorium graduale, ſed ad reſponſionem verſus in Introitu pertinere: eo certius, quod poſt *Gloria in excelſis* notetur *Reſponſorium. Sequentia &c.* In eadem Miſſa „ *ad offertor. troph.* Tui ſunt cœli & tua eſt terra rex fili DEI magne omnis honor & poteſtas in æternum eia. *Of.* Tui ſunt cœli &c. Sequitur *ſcs Græco* Agios &c. *Scs latino* ſanctus. *In frac.* Emitte angelum tuum Domine & dignare. *Require retro.* Agnus DEI qui tollis peccata mundi miſerere nobis. Qui ſedes ad dexteram &c.

In die ſcm̄ epiphā verſus ante epm̄ Gratuletur omnis coronato Chriſto &c. *In die ſcm̄ epiph. troph. Ad Introitum* Hodie deſcendit Chriſtus in Iordane &c. *Kyrie &c. Gloria in excelſis &c.* cum tropis. *Incipit troph. in nat. Confeſſor. In feſto Purif. In natale virginum. Ad offert. troph. in Annuntiat. In dom. Quinquag.* vero notatur *Proſa* In VR (verſu reſponſorio) *Proſa* Viam iniquitatis Domine *uſque* cor meum. *Proſa.* Tu ſummus potens, tu feciſti omnia.

Incipiunt verſus in nat. Sci PETRI *Apli* Paſſio pontificum PETRI & PAULI: rutila orbem &c. *Incipiunt verſus de miracula beati* LAURENTII: LAURENTI *merito flammis vitalibus uſte &c. Incipiunt trophi in commemoratione omnium ſanctorum.* Hodie mundo feſtivus illuxit dies &c."

a) In natale Dn̄i. „ Poſt paterni Verbi partum inviolata permanſiſti. DEI genetrix civibus ſuperis dominatrix, cunctisque ſæculis aderis interventrix. Intercede pro nobis. (In Sabb. S.) Iam Dominus optatus reddit laudes paſcha cum Chriſtus adeſt favete, qui canentes. *Alleluia.* Confitemini &c. (In paſcha.) Iam redeunt gaudia feſta lucent clara iam nobis paſchalia inferni rapit ſpolia agnus, tremunt quem omnia, qui regit diſperſa ſemper imperia. *Alleluia.* Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Chriſte tu vita vera, quam paveſcit ipſa mors nimis tartarea, te noſtra vocant iubila ut emundes precordia, qui regis ætera laus tibi perpetua. ℣. Epulemur in azymis ſinc. & verit. "


b) „ *In natale Domini.* Hodie cantandus eſt nobis puer, quem gignebat ineffabiliter ante tempora pater & eundem ſub tempore generavit inclita mater. *Int.* ℣. Quis eſt iſte puer, quem tam magnis præconiis dignum vociferatis, dicite nobis, ut collaudatores eſſe poſſimus. *Reſp.* ℣. Hic enim eſt quem preſagus & electus ſymmiſta DEI ad terras venturum prævidens longe ante prænotavit ſicque prædixit: puer natus eſt. " Pertinet hoc ad ſolemne *officium paſtorum*, de quo infra, ubi de Introitu Miſſæ, & ſingulariter etiam de natali Domini ſumus acturi. Sequuntur *Kyrie & Gloria in excelſis* cum tropis ad feſtum pertinentibus, uti deinceps etiam, ac quidem ſtatim *In nat. S.* STEPHANI tropus ad Introitum, quem exempli loco appono. *Domine IESU Chriſte ſumme princeps quia te prædicabam & colui, & in tuo nomine multa operatus ſum miracula.* Etenim. ℣. *Qui ſe exiſtimabant legis eſſe peritos ſuisque mendaciis me vincere cupientes.* Et adverſum ℣. *Me ſeductorem legisque moſaicæ blaſphematorem eſſe dicentes.* Et iniqui. ℣. *cum lapidibus interficientes communemque cunctis ſepulturam mihi denegantes.* Adiuva me. ℣. *In quo omnem ſpem meam fiduciamque poſitam habeo.* Quia ſervus. Pſ. *Beati immaculati.* ℣. *Quam iſte adeo ſervavit, ut morti*

ronenſis ſic inſcriptus *Incipiunt proſarum de... Imprimis de adventu Domini* SANCTISSIMUS &c. ut in fronte huius operis *proſam* ſeu *tropum* de S. GREGORIO diverſum ab eo, qui in codice *San-Emeranenſi* conſpicitur, typis æneis expreſſimus. Inter MSS. S. GALLI præſertim, non pauca in hanc rem reperimus. Quodam in codice ſæc. XII. poſt graduale cum notis muſicis, collecti ſunt *tropi* auctorum S. GALLI. In fronte eſt imago S. GALLI, & LUITHERI, qui fuit eorum præcipuus excultor; poſtea titulus hic ponitur: *Incipiunt tropi carminum in diverſis feſtivitatibus Miſſarum canendi.* Præter iſtos vero *tropos* carminum eſt etiam *Kyrie eleiſon*, *Gloria in excelſis* cum interpolationibus, aut notulis alicubi poſt ſingulas pericopas per integram lineam relictis, ad ſubſtituendas eiusmodi interpolationes ſeu *tropos* vel *proſas*. Alius codex, qui creditur TUTILONIS *tropos* continere, ita inſcribitur: *Incipiunt tropi carminum in diverſis feſtivitatibus canendi per circulum anni:* in natali Domini, S. STEPHANI, S. Io. *Evangeliſtæ*, Innocentum, Epiphaniæ, & eius octava, Purificationis Dom. Paſchæ & in octava, Aſcenſionis Dni, Dom. Pentecoſtes, Nativ. Io. *Bapt.* Nat. S. PETRI, S. LAURENTII, Aſſumt. B. M. V. item eius Nativit. S. GALLI, SS. Omnium, S. OTHMARI, S. ANDREÆ, dedication. eccleſiæ, cum alias ſaltem in Natali Domini frequentarentur ante *introitum*, & per *introitum;* hic autem plerumque etiam in offertorio & communione comparent. Sequuntur varii etiam *tropi* eiusmodi in *Gloria in excelſis, Sanctus, Agnus DEI, Ite Miſſa eſt*, iterato poſt verſus ante evangelium, & ad Euchariſtiam ſumendam, omnia cum notis muſicis: ac poſtea liber ſequentiarum ſubditur cum præfatione NOTKERI ad LUITFRIDUM. In alio vero codice ornatiſſimo, aureis characteribus interſtincto, ſæculi circiter decimi iterum ante ſequentias mox initio ſunt *tropi* ad introitum, offertorium, communionem, ad *Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis* pro feſtorum ratione, uti in non paucis aliis: interpolatæ ſunt epiſtolæ etiam in nonnullis feſtis. Verſus ante evangelium, de

pro ipſa ſuccubuerit. Gloria ℣. *Pro qua venerandus* STEPHANUS *uſque ad mortem viriliter diſputando certavit.* Etenim. Sequuntur tropi eiusmodi in nat. S. IOANNIS ad *Gloria in excelſis :* ad introitum in feſto Innocentum. In octava nat. d. In epiphania Domini. In Purificatione. In die paſchæ etiam ad *Gloria in excelſis.* In Aſcenſione Domini. De Pentecoſte Δόξα *en ipſiſtis* ſeu *Gloria in excelſis* totum græce cum notis. Tropi de S. IOANNE. S. PETRO, S. BENEDICTO, S. LAURENTIO, Aſſumtione & Nativ. B. V. De S. EMERANO, S. MAURICIO, S. MICHAELE, omnibus Sanctis, S. MARTINO, S. ANDREA, SS. Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus. In dedicatione ſequitur *Sanctus, Agnus DEI* variis modis cum tropis. Et poſt verſus ad offertorium tropus GREGORIUS *Præſul* &c. de quo alias in adventu Domini dominica prima cantari ſolito. Tum alii tropi de adventu, Annunciatione, reſúrrectione & aſcenſione Domini.

de quibus mox diximus, HARTMANNO adſcribuntur. In ſcheda quadam notatur, a quo cantari adhuc ſæc. XIV. conſueverint *tropi* his verbis: *Sciendum eſt, quod præbendarius ſacri ſepulchri tenetur cantare tropos in choro ſuper introitum, offertorium & communionem cum adiuncta ſibi perſona. Verſum autem ſuper graduale in ſummis feſtivitatibus plebani S.* LAURENTII *& S.* MAGNI. *Alleluia vero plebanus S.* LEONARDI *cum uno Dominorum in clauſtro.* Ex MS. *San-Blaſ.* ann. 400. ſpecimina hic damus, ac ſubinde alia inſeremus ſuis locis etiam cum biscantu. Nota ex MS. bibliothecæ capituli *Auguſtæ Vindel.* ſæc. XIV. vel XV. *In octava* S. CATHARINÆ *per omnia ut in die ipſius præterquam quod tropi non habentur in matutinis & in veſperis. Tropi* inter *Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis, Sanctus* & *Agnus DEI* miſceri ſoliti in miſſali *Romano* iuſſu PII V. edito ſublati ſunt, quod priſcam *Romanæ* eccleſiæ liturgiam minime ſaperent.

TROPUS SUPER TRITUM PER BISCANTUM.



PROSA

PROSA CUM BISCANTU.




VII. Haud raro etiam lingua vulgari quandoque rhythmice compoſitæ cantiones publice in eccleſia audiebantur, quarum potiſſimus uſus erat profanus: quales *Gallicas* Lebeufius a) notavit, ſed ultra ſæc. XI. non aſcendit. Nos etiam inferius inter ſpecimina contrapuncti dabimus ex codice monaſterii S. Georgii. Florentius *Wigornienſis* monachus, qui obiit an. 1118.

Lingua vulgari rhythmicæ cantilenæ.


a

a) Tr. hiſt. & pratiq. ſur le chant eccleſ. Diſſert. ſur l'etat des ſciences ſur le Roi Robert.

Apud Bulæum T. I. hiſt. acad. Pariſ. p. 212. de liberis ALFREDI regis & *Oxonienſis* academiæ inſtitutione verba faciens. *Inter cætera*, inquit, *præſentis vitæ ſtudia pſalmos & ſaxonica carmina ſtudioſe didicere.* METHODIUS archiepiſcopus *Panonienſis* eccleſiæ *Sclavorum*, ſive *Moravorum* æque ac *Bulgarorum* ineunte ſæc. X. Apoſtolus, qui WORSIOVIUM, primum *Bohemiæ* ducem ad Chriſti ſacra perduxit circa annum DCCCXCIV. multas cantilenas in linguam *Sclavonicam* traduxit, chriſtia-
a namque religionem propagavit a). Huc referendum celebre apud *Bohemos* canticum S. ADALBERTI ſæculo X. epiſcopi *Pragenſis* lingua *Sclavica* notis muſicis inſtructum, in litaniæ quemdam modum, quod ab auctore eius vitæ fuit latine translatum, aſſerente, membranam *Sclavicis* litteris & notis muſicis exaratam BOLESLAO principi, clero, cæteris etiam ordinibus palam oſtendiſſe S. virum, hymnumque deſideratiſſimum alta voce præcinuiſſe, ut refert P. ZIEGELBAUR in hiſtoria litteraria ord. S. BENEDICTI. Idem ego hic adſcribam canticum cum recentioribus modulis ex *Mathiæ Bened.* BOLELUCZKY *Roſa Bohemica* ſive *vita S.* WOYTIECHI *agnomine* ADALBERTI *Pragenſis epiſc.* P. II. poſt pag. 28. *Pragæ* 1668.



a) Vid. *Io. Georgius* STREDOWSKY in ſacra *Moraviæ* hiſt. lib. II. c. 2. p. 94. & *Io. Pet.* KOHLII introduct. in hiſtoriam & rem litterariam *Sclavorum* p. 124.



In recenſione bibliothecæ *Zaluskianæ*, quam *Io. Dan.* IANOZKI edidit *Dreſdæ* an. 1747. p. 36. notatur *canticum manibus & oraculo Sancti* ADALBERTI *ſcriptum. Bogarodzica*, id eſt *Deipara* initium eſt, in *Polonia* celebratiſſimum, quod a maioribus acceptum ante conflictus bellicos concinere ſolebant. Apud MABILLONIUM in annalibus *Benedictinis Saxo* memoratur prin- *L. XXXVI. n.* 48. cipatu LUDOVICI Auguſti, *qui apud ſuos non ignobilis vates habebatur*, a quo vetus ac novum teſtamentum in *Germanicam* linguam translatum fuit, ut non ſolum litteratis, verum etiam illiteratis ſacra divinorum præceptorum lectio panderetur: feruntque eundem vatem in ſomnis fuiſſe admonitum, ut ſacræ legis præcepta ad cantilenam propriæ linguæ congrua modulatione coaptaret. Quod cum pluribus aliis eius generis opuſculis TRITHEMIUS tribuere videtur OTFRIDO, qui paulo poſt floruit in *Weiſſenburgenſi Alſatiæ* monaſterio ſub GRIMOLDO abbate non minus pius, quam doctus, ut teſtatur volumen evangeliorum, quod rhythmis theotiſcis compoſuit quinque libris. Occaſionem & cauſas operis idem auctor in ſua præfatione explicat, aitque id factum ſtudio & interpellatione quorumdam probatiſſimorum virorum, & quorumdam memoria dignorum fratrum, maximeque cuiusdam venerandæ matronæ, nomine IUDITH: qui, offenſi laicorum canticis obſcœnis, flagitarunt, ut partem evangeliorum in vernacula lingua rhythmis ad cantandum illigaret, qua occupati cantus dulcedine, ſæcularia illa cantica paulatim dediſcerent. Dicemus de hoc OTFRIDO paulo poſt: cuius labor ad privatum potius fidelium uſum, quam publicum in eccleſia cantum fuiſſe videtur. Ubi tamen non raro vulgari, ut diximus, lingua cantum fuiſſe adhibitum, de lectione etiam epiſtolæ in Miſſa, ac Sequentiis oſtendimus. *Iod.* MEZLERUS de viris illuſtr. *San-Gall.* RAPERTUM monachum *L. I. c.* 23. ſeniorem teſtatur compoſuiſſe *rhythmice lingua tamen germanica vitam S.* GALLI, *& publice in eccleſia decantandam populo dediſſe.* Obiter hic etiam eſt mentio iniicienda ſpectaculorum ſacrorum, ſeu repræſentationum tragi-

carum Paſſionis dominicæ, & aliorum myſteriorum, cuiusmodi ex antiquis *Italiæ* chronicis in diverſis *Italiæ* partibus ſæc. XII. memorat MURATORIUS: quarum uſum innumerabilis multitudo *Europæ* populorum, ad magnum ſequentis ſæculi Iubilæum *Romam* confluentium, in ſuas transtulit terras.

De cantus moderatione.

VIII. Maxima fuit medio ævo cura ac ſtudium, eccleſiæ *Romanæ* imprimis, cantum eccleſiaſticum recte informandi, præeunte S. GREGORIO M. unde & cantus *Gregorianus* nomen accepit, & ad præſens retinuit. De quo obſervat FRANCHINUS apud Card. BONAM de cantu eccleſiaſtico divinæ pſalmodiæ §. 5. capitis XVII. eum in nocturnis reſponſoriis vehementer, & diſſolute ſomnolentos ad vigilandum hortari: in antiphonis plane, atque ſuaviter ſonare: in introitibus quaſi voce præconis ad divinum officium evocare: in *Alleluia* & verſibus divino iubilo dulciter gaudere: in tractibus & gradualibus protenſe, atque humiliter procedere: in offertoriis, & communionibus quamdam ſervare mediocritatem. Attenta etiam temporis ac feſtivitatum eſt ratio: quemadmodum AMALARIUS auctorem antiphonarii laudat, de ſacræ paſſionis tempore: „In duabus hebdomadibus ante paſcha „Domini undecumque potuit colligere compoſitor antiphonarii ſermones „convenientes paſſioni Domini, ſuper eos fecit ſonum cantus habilem ad „id tempus, id eſt lugubrem.“ Id autem factum præſertim ipſo paſſionis tempore, in quo laudat *Romanæ* eccleſiæ magiſtros: *Cæteri* (reſponſorii) inquit, *compoſiti ſunt a magiſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in quibus compunctio traditionis eius frequentatur, & dolor crucifixionis eius ſtimulat corda fidelium.* In *inſtitutis Patrum de modo pſallendi ſive cantandi* ſubinde laudatis ex MS. *San-Gallenſi* multa in hanc rem habentur a). Omnem

L. III. c. 8.

Ap. Thomaſ. in append. lib. reſp. & antiph. p. 441.

pſallendi

a

a) „Tres ordines melodiæ in tribus diſtinctionibus temporum habeamus v. g. in præcipuis ſolemnitatibus toto corde & ore omnique affectu devotionis; in dominicis diebus & maioribus feſtivitatibus ſive natalitiis Sanctorum, in quibus plebes laborant partim vel totaliter, multo remiſſius, privatis autem diebus ita pſalmodia moduletur nocturnis horis, & cantus de die, ut omnes poſſint devote pſallere & intente cantare ſine ſtrepitu vocis cum affectu absque defectu. Omni tempore æſtate vel hyeme, nocte ac die, ſolemni ſive privato, pſalmodia ſemper pari voce, æqua lance, non nimis velociter, ſed rotunda virili, viva & ſuccincta voce pſallatur. Syllabas, verba, metrum in medio & in fine verſus, id eſt (in marg. arſos, dyeſis, theſis) initium, medium & finem ſimul incipiamus & pariter dimittamus. Punctum æqualiter teneant omnes. (Et paulo poſt): Ergo cum quidquid agitur pro defunctis, totum flebili & remiſſiori debet fieri voce, ut nihil ibi reſonent verba, niſi devotum mœrorem & humilitatem. In hymnis *Te DEUM laudamus*, *Gloria in excelſis*, & *Credo in unum*, ſic punctus & pauſa fiant, ut intellectus diſcernatur, & mediocri voce decantentur. Dum hymnus vel reſponſoria ſive antiphonas ſeu *Alleluia*, *Kyrie eleyſon*, *Sanctus* ac *Agnus DEI*, quæcunque pulchra, ſuavia ac dulcia & iocunde ſonant: in his punctum bene diſcernendo notulas decantemus, & in clauſulis pauſam faciendo aliquantulum exſpectemus, & hoc maxime feſtivis diebus. Caveamus etiam, ne neumas coniunctas nimia moroſitate.... vel disiunctas inepta velocitate coniungamus. Sed concorditer pauſam ad punctum habeamus. Vel ſequentias ſi cantamus ſive alternatim, ſive una ſimul

pſallendi diſciplinam breviter præſcribunt *antiquæ conſuetudines monaſteriorum* Ord. S. Bened. quas ex cod. S. Galli in analectis Mabillonius edidit: „In oratorio ſummum ſilentium, ſummam pſallendi reverentiam, temperamentum elevatius canendi, & ordinatiſſimum modum in choro ſtandi; in omnibus agendis temperatam modulationem, ablata in omnibus feſtinatione confuſa, ac celerrimum ad omnia ſigna conventum.“ Facit huc caput L. regulæ canonicorum Chrodegangi *de cantoribus*, ac Isidori *de pſalmiſtis*, Innocentii III. myſter. lib. I. c. 2. *de primiceriis & cantoribus*, aliorumque, quos paſſim citamus, auctoritas. Atque ad hoc non ſolum cantum ipſum, ſed ipſos etiam cantores rite vocibus compoſitos vel maxime eſſe voluerunt a). Vidimus ſuo loco, quæ cantus eccleſiaſtici ratio arriſerit S. Augustino, quæ nimirum modico vocis flexu iuxta S. Athanasii inſtitutionem pronuncianti potius accedebat. Ea quidem moderatio non eſt ſervata hoc ævo, ſuis tamen limitibus ſcrupuloſe, ut poſtea videbimus, reſtrictus cantus *contra male & inordinate compoſitum cantum*, ut vocat S. Bernardus, *qui ita, quatenus, prout decet, audiri nequeat; vel ita elevatur, ut cantari non valeat. Sic enim debet fieri, ut in inferioribus auditorem habeat*

in fol. p. 252.

L. II. de Off. c. 12.

a

De cantu ſeu correct. antiph. n. 7.

concentu parili voce conſona finiatur. Iubilus vero dulci modulamine bene diſcretis neumis deponatur. Omnem igitur cantum ſive pſalmodiam ſi moroſe ac propere pſallimus, ſemper cum facultate vocum & rotunde ſuavi modulamine peragamus. Reſponſoria vero & antiphonas, gradualia, tractus, *Alleluia*, offertoria & communiones omnemque gravem cantum remiſſiori ac velociori proceſſu perſolvamus. Feſtivis namque diebus in omni cantu punctum & pauſam non omittamus. Privatis autem diebus ſic pſallamus ac cantemus, ut nullus tepidus aut deſidioſus aliquem aſtute cavillando, poſſit habere excuſationem. Si duo ſimul cantent, ſyllabas & pauſam ad punctum æqualiter incipiant & finiant, & deſcendat vox infirmiori fortior. Si autem impares ſint voces, & diſſonæ, vilior mutetur, & ſic parificentur. Solus quidquid cantet vel legat, mediocriter inchoet, & tali voce, ut ſine ſtrepitu perficiat, & intellectui verba diſtribuat, ac neumata dulci diaphonia ſymphoniace terminet, ut ædificentur audientes. Quicumque imponit antiphonam vel reſponſorium, aut graduale, tractum, ſive *Alleluia*, ſeu quidquid incipit; duas vel tres ſyllabas an unam ſyllabam, & duas aut tres notulas imponat ſolus tractim, aliis tacentibus, & ab eo loco, quo intonans dimiſit, cæteri inchoent, ſubſequentes, non repetendo, quod ille præcinuit. Similiter obſervetur cum cantor imponit aliquid vel reincipit, ſeu quemcunque cantum pronuntiat; chorus concordi melo ſubſequatur voce unanimi.“

a) „De quarum differentia (ut vocat *Walafridus* Strabo de rebus eccleſ. c. 12. ſtatuitque) illam eſſe divinis laudibus aptam, quæ qualitercunque ſonuerit, ex bono theſauro cordis profecta, internæ intentioni concordat. Nam & in bono legitur vox alta, dum dicitur in dedicatione templi Salomonis, vox ſacerdotum & levitarum in tubis, & hymnis exclamantium, longius ſonuiſſe, & Sancti Martyres ſub ara DEI, voce magna clamaſſe leguntur. Ubi quamvis intelligi poſſit, ſicut & in aliis multis locis, illam eſſe magnam vocem, quæ quamvis ſit ſono humilis, ex bona devotione procedit, ſicut ad Moysen dicit DEUS: *Quid clamas ad me:* cum non legatur ibi aliquid clamaſſe, tamen bonum eſt, & omni quieti præferendum, in laudem DEI decenter & ſimpliciter laborare. Cumque omne genus laudationis divinæ ſecundum rationem exhibitæ, ſit laudandum: illud probabilius eſt dicendum, quod habuerit vanitatis & iactantiæ minimum. Lege libros confeſſionum Sancti Augustini & invenies, quantum ille indicaverit eſſe periculi in cantilenarum cum melodia dulcedine.“

beat & in ſuperioribus prolatorem. Hæc S. BERNARDUS, ſub quo in monaſterio *Clarevallenſi* maxime laudat modeſtiam cantus ERNALDUS, dum publicam INNOCENTII papæ exceptionem deſcribit ſub pſalmorum cantu. Sunt S. BERNARDI inſignia eam in rem monita epiſtola ad abbatem *Ærremacenſem* circa cantum, „ut plenus ſit gravitate, nec laſciviam reſonet, nec ruſti- „citatem. Sic ſuavis ut non ſit levis: ſic mulceat aures, ut moveat corda. „Triſtitiam levet, iram mitiget, ſenſum litteræ non evacuet ſed fœcundet. „Non eſt (pergit) levis iactura gratiæ ſpiritualis levitate cantus abduci a „ſenſuum utilitate, & plus ſinuandis intendere vocibus, quam rebus in- „ſinuandis." Refert Card. BONA antiquiſſimum ordinis *Ciſtercienſis* ſtatutum de optima canendi inſtitutione, quam idem ſanctiſſimus pater BERNARDUS ſuis diſcipulis reliquerit a). Factum hinc eſt, ut pro norma eſſet cantus ſeu pſalmodiæ ratio, prout apud *Ciſtercienſes* in primo ſuo obtinebat vigore: veluti exemplum nobis ſuppeditat chronicon *Andrenſis* monaſterii apud DACHERIUM in PETRO abbate ſæc. XII. b) Apud eundem lib. VIII. chron. S. TRUDONIS de RADULPHO abb. ſæc. XII. legitur: *Ipſe autem nocte & die aſſiduus erat in omnibus horis in choro, & de pſalmis tractim cantandis, & cantu dulce æque modulando indefeſſa illi ſollicitudo.* Plura deinceps in hanc rem infra dicemus. Iuvat vero identidem hoc inculcare, quo principaliter ſcopus huius ſcriptionis collimat, ut, ortu & progreſſu cantus ac muſices eccleſiaſticæ ob oculos poſito, pateat, quousque res abierit, dum

L. II. c. 2. (margin)

a (margin)

T. II. fol. p. 809. (margin)

b (margin)

a) „Pſalmodiam (inquit de div. pſalm. c. 17. §. 5.) non nimium protrahamus, ſed rotunde & viva voce cantemus. Metrum & finem verſus ſimul intonemus, & ſimul dimittamus. Punctum nullus teneat, ſed ſtatim dimittat. Poſt metrum bonam pauſam faciamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere præſumat, aut poſt alios *pneuma* trahere, vel punctum tenere, ſimul cantemus, ſimul pauſemus ſemper auſcultando. Quicumque incipit antiphonam, aut pſalmum, hymnum, reſponſorium, *Alleluia*, unam aut duas partes ſolus dicat aliis tacentibus: & ab eo loco, quo ille dimittit, alii incipiant, non repetentes, quod ille iam dixit. Monemus vos dilectiſſimi, ut ſicut reverenter, ita & alacriter Domino aſſiſtatis non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis, & remiſſis vocibus muliebre quiddam de nare ſonantes, ſed virili ſonitu & affectu voces Sancti Spiritus depromentes. Viros enim decet virili voce cantare, & non more fœmineo tinnulis vel falſis vocibus veluti hiſtrionicam imitari laſciviam; & ideo conſtituimus mediocritatem in cantu ſervari, ut gravitatem redoleat, & devotio conſervetur."

b) „Imprimis ergo circa opus divinum ſollicitus & intentus, ſicut in cœnobio *Allodiorum* quandoque audierat, & conſueverat, pſalmodiam more *Ciſtercienſium* protrahi, & moroſe cantari inſtituit; nec ſemetipſum, licet multipliciter implicatum die ac nocte, ab ipſo labore excuſari voluit: & hæc quidem conſuetudo multo tempore ſubditis ſuis diſplicuit, & tanto amplius, quo in vicinis eccleſiis, excepto famoſo Sancti BERTINI cœnobio, mos iſte non inolevit: ſed pio patre non pigritante, labor improbus omnia vicit. Ut autem diſſueſcerent pſalmodiam more ſolito celebrare, & illam diſcerent protelando canere, pueris & iuvenibus nondum inſtallatis die & nocte pſalteria dabantur, & eis ad punctum pauſantibus, ſeniores cordetenus pſallentes, eos concorditer ſequebantur. Verum ut faſtidium de medio tolleretur, & mens uniuscuiusque in horis canonicis devotius accenderetur, auctoritate Domini PETRI abbatis multiplex pſalmodia, ſyncopata potius, quam eatenus in uſu habita fuit, intermiſſa &c."

dum parvis initiis infinitorum incrementorum acceſſione, veluti rivulis confluentibus, torrens quidam horrendum perſæpe ſtridens ac ſpumans exortus eſt. Claudam igitur nunc ſermonem, poſtquam unum adhuc, ne eccleſiam orientalem præteriiſſe videar, *Trullanum* adduxero canonem LXXV. „Eos, „ qui in eccleſiis ad pſallendum accedunt, volumus nec inordinatis vocifera- „ tionibus uti, & naturam ad clamorem urgere; nec aliquid eorum, quæ „ eccleſiæ non conveniunt, & apta ſunt, aſciſcere; ſed cum magna atten- „ tione & compunctione pſalmodias DEO, qui eſt occultorum inſpector, „ offerre.“

CAPUT IV.

De ſolemni Miſſæ decantatione.

I.

Auctores medii huius ævi diſcrimen hic agnoverunt primæ eccleſiæ ætatis in liturgia celebranda: *Sed enim*, inquit *Rhabanus* MAURUS, *initio mos iſte cantandi non erat, qui nunc in eccleſia ante ſacrificium celebratur, ſed tamen* (tantum) *epiſtolæ* PAULI *recitabantur*, *& ſanctum evangelium.* Concinit pſeudepigraphus ALCUINUS de divinis officiis. Apertius INNOCENTIUS III. rem declarat: COELESTINUS *P. conſtituit, ut pſalmi* DAVID *CL. ante ſacrificium canerentur antiphonatim ex omnibus, quod antea non fiebat, ſed epiſtola tantum & evangelium legebantur. Excepti ſunt ergo de pſalmis Introitus, gradualia quoque ac offertoria, nec non Communiones, quæ cum modulatione ceperunt ad Miſſam in eccleſia Romana cantari.* Hæc conſtanter hactenus ſervantur in liturgia Miſſæ iuxta *Romanæ* eccleſiæ diſciplinam, diverſam, ut mox videbimus, ab aliis ritibus, ut tamen quoad rem ipſam omnes conveniant, atque ſemper aliquis modulandi uſus in celebratione myſteriorum fuerit, quemadmodum a prima eccleſiæ ætate ſuperiore libro expoſuimus, ac deinceps per eccleſiæ ætates oſtendemus, nunc de medio ævo. FLORUS magiſter, qui vixit tempore CAROLI *Calvi* in exegeſi, ſive expoſitione Miſſæ edita T. IV. Bibliothecæ PP. *Pariſienſis*, auſpicatur, in recenſione eorum, quæ ad Miſſæ celebritatem ſpectant, a mo-

Qualis cantus in ſacra liturgia.

Inſtit. cler. lib. I. c. 32.

Myſter. Miſſæ lib. II. c. 18.

p. 643. *&c.*

a dulatione divinarum laudum a): INNOCENTIUS III. procemio in libros ſex myſteriorum evangelicæ legis, ac Sacramenti Euchariſtiæ, & ex INNOCENTIO iisd verbis, ut alia plurima, DURANDUS, diſtinguens res & verba in ſacris noſtris uſitata, tribus verbis hæc complectitur, medium locum modulationibus tribuens. *Verborum etiam tres ſunt diverſitates: ſcilicet orationes, modulationes, & lectiones.* Nec ſolum hæc vocum diſcrimina, ſed etiam in ipſo divino officio ſolemnitatum diſtinctionem hoc medio ævo deprehendimus. Ut quandoque in præcipuis feſtis ad ea in cantu ornanda concurrerent, veluti in chronico monaſterii S. TRUDONIS lib. VIII. apud DACHERIUM legitur: „Ut ſupra dictis ſolemnitatibus chorum „ noſtrum annuatim ad maiorem Miſſam cum reverentia intrarent, induti „ albis ſicut & fratres noſtri, & ſi qui forte eorum vocales eſſent, tropos „ qui tunc temporis apud nos cantabantur, aut graduale, ſive *Alleluia* can„ tarent.“ Obſervatum etiam quoad cantum fuit diſcrimen pro dierum ac feſtorum ratione: quale e. c. RADULPHUS *Tungrenſis* inter Miſſas dominicales & feriales ponit in officio *Gregoriano.* „Excolamus igitur (inquit) „ & veneremur ſanctas Miſſas *Gregoriani* officii, & ante omnia Miſſas do„ minicales cum earum glorificationibus omnino diebus dominicis, niſi maior „ feſtivitas impediat, honoremus: nec eas ponamus ſub triſtitia feriali.“ Superiore capite inſignem locum attulimus expoſitoris ordinis *Romani* BERTOLDI *Conſtantienſis* apud CASSANDRUM in liturgicis p. 84. de cantu antiphono in ſolemnitatibus præcipuis. Mentio hic etiam iniicienda eſt Miſſæ, quam *auream* vocant. Quod nomen declarat *Io.* LEGATIUS in chron. S. GODEH. *Hildesheim.* apud LEIBNIZIUM T. II. ſcriptor. *Brunſw.* p. 408. his verbis: *Item Miſſam ſingulis annis inſtituit de beata ſemper Virgine, quam ob ſuam magnificentiam auream vocamus.* Et poſtea ex variis lection. ad BUSCHIUM, quas idem LEIBNIZIUS p. 811. ex MS. *Kilon.* publicavit, ubi res ad præſens inſtitutum magis declaratur: „Aurea cantatur Miſſa ab omnibus præ„ latis, canonicis, ſecularibus, & religioſis cuiuscunque ordinis, Benedicti„ nenſibus, Canonicis Regularibus, Prædicatoribus, Minoribus totius civita„ tis, de B. V. MARIA in organis, quæ per tres ſeu quatuor horas vix pot„ eſt terminari propter caudas magnas, quas cantando & organizando per„ trahere tunc conſueverunt.“ Et p. 494. „Aurea Miſſa ab omnibus ca„ nonicis totius civitatis, & a cunctis prælatis & religioſis cuiuscunque or„ dinis etiam mendicantibus per tres aut quatuor horas decantari ſolet de

L. IV. Ration. c. 1.

T. III. in fol. 689.

De canon. obſerv. prop. ult. circ. fin.

B.

a) „Primo igitur (inquit) convenientibus in unum & adſtantibus in domo DEI fidelibus, præcedente modulatione divinarum laudum, præcedente lectione apoſtolorum & evangeliorum, præcedente etiam nonnunquam ſermone & allocutione magiſtrorum, ſubiuncta quoque ſymboli confeſſione, & oblatione populorum, & initiata conſecratione Sacramentorum, in quibus omnibus mens aſtantium ad divina & cœleſtia cogitanda ac deſideranda præparatur &c.“

„ B. Maria Virgine in organis." Hæc de ſolemni Miſſæ officio. Habemus econtra exempla antiqua, quod etiam in privatis Miſſis, quarum ſingulæ partes non canebantur, hymni, quos *Ambroſianos* vocant, fuerint adhibiti a). a
Vocari ſolet hæc *Miſſa cantata*, prout a ſolemni eam diſtinguit *Ioſeph* Vicecomes *de Miſſæ ritibus* b) quam cum ſacerdote ſine miniſtris ſacris celebrante cantores muſico concentu alternant, convenitque iuxta P. Merati cum Miſſa *media: Quæ*, inquit, *participat de Miſſa privata, & Miſſa ſolemni: nam cum ſolemni habet cantum; cum privata vero convenit, quod celebratur ſine miniſtris ſacris.* Huc etiam revocari poteſt diſtinctio Miſſæ *altæ*, ac *baſſæ*: altamque puto a cantu dictam ſeu voce, de qua fit mentio in charta an. 1377. apud Rymerum T. VII. p. 139. *uſque ſummum altare ad altam Miſſam celebrandam acceſſeram. Baſſa* vero, quam nos vocare ſolemus *die ſtille Meſſe*, eadem ac privata eſt ſine cantu. Clare ad præſens inſtitutum exprimitur in Concilio *Mogunt.* an. 1310. *unam, vel plures* (Miſſas) *ſubmiſſa voce, & ſine nota.*

b

n. 53.

T. IV. Conc. Germ. p. 203.

II. Dum vero privata Miſſa cani dicitur apud auctores medii huius ævi, non ſemper de cantu aliquo id intelligendum venit, ut obſervavit, pluraque teſtimonia collegit *Stephanus* Baluzius in notis ad libros capitularium, quæ tamen omnia id non tam aperte declarant, quam unicum apud P. Herrgott in *veteri diſciplina monaſtica*, ubi caput 86. Conſtitutionum S. Wilhelmi *Hirſaugienſium* inſcribitur, *de privata Miſſa, quomodo ſit cantanda, id eſt, legenda.* Ibique explicatur res planius his verbis: *Inde Miſſam incipiens totum cantum, qui ad eum pertinet pro edicto patrum noſtrorum magis legit indirectum, quam audeat cantare.* In ant. conſuetud. Can. Reg. monaſterii S. Vict. *Pariſ.* accommod. ad uſum monaſterii S. Evrutii apud Martenium c. 38. eo ſenſu vox ea ſæpe occurrit, etiam quando chorus, aut Miſſa ſolemnis habebatur interim, ut fieri ſolet c). Atqui c

Cantus Miſſæ privatæ lectio dicta.

*T.II.p.*1168.

pag. 454.

a) Quos etiam aliqui (inquit *Walafridus* Strabo de rebus eccleſ. c. 25) in Miſſarum ſolemniis, propter compunctionis gratiam, qua ex dulcedine concinna augetur, interdum aſſumere conſueverunt. Traditur ſiquidem, Paulinum *Foroiulienſem* patriarcham ſæpius & maxime in privatis Miſſis, circa immolationem Sacramentorum, hymnos vel ab aliis, vel a ſe compoſitos, celebraſſe. Ego vero crediderim tantum tantæque ſcientiæ virum hoc non ſine auctoritate, nec ſine rationis ponderatione feciſſe."

b) L. V. c. 7. apud P. Merati T. I. P. I. in rubr. gener. obſerv. prælim. n. 36.

c) „ Omni tempore ante Miſſam maiorem interim dum fratres in clauſtro ſedent, poſſunt privatæ Miſſæ cantari. In illis vero diebus, in quibus totus conventus communicare debet, conceditur ſacerdotibus, priusquam tabula mane pulſetur, de dormitorio deſcendere & uſque ad primam Miſſam cantare. In eisdem quoque diebus conceditur eis cantare Miſſam interim, dum matutinalis Miſſa cantatur, & etiam poſt evangelium maioris Miſſæ, ſi ante non potuerint. Eos, qui privatim cantant, interim dum conventus in choro eſt, debent iuvare hi, qui extra chorum ſunt... Fratres qui privatim cantant, hoc diligenter cavere debent, ne tali hora incipiant cantare, ut neceſſe ſit eos vel capitulo deeſſe, vel aliquam regularem horam perdere."

qui vero ſub choro aut maiori Miſſa nonniſi ſecreto legere Miſſam licuit. Idem luculentiſſime dicitur in ſynodo *Gradenſi* an. 1296. c. 4. *Statuimus, ut in ferialibus diebus, quando plures Miſſæ cantantur, ſimul tantum una Miſſa in eccleſia alta voce cantetur, aliæ vero ſic dimiſſa voce cantentur, quod nullus ſonus non ſit, vel modice audiatur &c.* In Conſtitutionibus *Cluniacenſibus* Bernardi P. I. habetur c. 71. *Quibus horis liceat ſacerdotibus cantare Miſſas.* Agitur vero de celebratione privata, ſæpiusque nomen *cantare*, quemadmodum etiam alibi apud eundem, ac alios auctores, collectoresque librorum liturgicorum, occurrit, ut opus non ſit in re clara teſtimonia accumulare a).

a In Oriente, & Occidente, etiam græce nonnulla cantata.

III. Quoad cantandorum vero genera in ſolemni liturgia ac Miſſa, varia fuit ratio in orientali quam occidentali eccleſia. Iam recenſuimus lib. I. varias apud *Græcos* cantionum ſpecies, quarum apud eos in ſacris fuit uſus, non tamen diverſus adeo in liturgia, quam in acoluthia divini officii horarum canonicarum, ut videre eſt apud Goarum, Leonem Allatium, T. IV. *Bibliothecæ PP. Pariſienſis*, Bollandum T. II. *Junii*, Quirinum *de veteri Officio quadrageſimali Græcorum &c.* locisque a nobis paſſim indicatis, & porro citandis. Et quoniam hoc medio ævo rubricæ libris liturgicis frequentius additæ fuerunt, ſolent etiam deſignari, quæ elatiori voce ſunt proferenda, acclamationes ſacerdotum, diaconorum, cantorum chori, ac populi ſuccentus. In Occidente vero, ſicut hodieque fit in monaſterio S. Dionysii prope *Pariſios*, olim haud infrequens in

b Miſſa fuit etiam cantus *græcus* b). Quem uſum puto manaſſe ex monaſterio *Caſinenſi*, ubi vicinus ubique fuit ritus *græcus* per monachos *græcos* in *Italiam* allatus, paſſim etiam cum *latino* intermixtus aliquibus ſaltem partibus, cuiusmodi adhuc antiqua ſervantur ſacramentaria, celebre *Gelonenſe* ſæc. VIII. in monaſterio S. Galli ſæc. IX. in noſtro S. Blasii, & *San-Emeranenſi* ſæc. X. *Vindobonenſi* Cod. theol. 685. ſcripto ſub Ottone Imp. *Zwifaltenſi* ſæc. XI. & alibi. Veluti de monaſterio S. Albani teſtatur *Georgius* Wicelius apud Serarium lib. I. *Rer. Mogunt.* cap. 35. ſe ante exuſtam a ſchiſmaticis baſilicam reperiſſe vetuſtiſſimos codices manu monachorum *Benedictinorum* olim ſcriptos, e quibus manifeſtiſſimum eſt, uſum *Græcitatis* extitiſſe in Miſſa publica. „ Ibi legi (ait) doxologiam, nos dicimus, *Gloria* „ *in excelſis Deo*, in *græco* non ſolum ſcriptam, litteris tamen *latinis*, ſed „ ad cantum etiam choralem adoptatam. Unde liqueat, *græce* apud nos „ cani ſolitam. Vidi ibidem in eodem codice ſymbolum apoſtolicum, & „ Triſagion, & hymnodiam, cæteraque *Græcanica* notis muſicis interſtincta, „ ne

a) Vid. Du-Cangius & P. Carpentier in Gloſſar. V. *Cantare*.

b) Vid. *Pet.* Rodota de ritu *Græco* in *Italia*.

„ ne nobis clam eſſet *Credo*, *Sanctus*, *Agnus &c.* in *Romana* eccleſia ad „ cultum divinum, *græca* interdum dialecto decantata fuiſſe.“ Veteres ordines *Romani* documento ſunt, *Romæ* etiam in aliis officii divini partibus idem factitatum. Hucque revocari poteſt Triſagion, quod ſemel ſaltem quotannis in die *Paraſceve* per totum Occidentem canitur, atque quotidie in liturgia *Ambroſiana*, & *Mozarabica*. Hodieque, quando Papa ſolemniter celebrat, Epiſtolæ ſaltem & Evangelium *græce* etiam cantantur.

IV. Licet vero magno conatu Pontifices *Romani* egerint, ut *Romana* liturgia undique adoptaretur, nihilominus non ſolum in *Hiſpania*, *Gallia*, verum etiam in *Italia Romæ* viciniore *Mediolanenſis* præſertim eccleſia proprium conſervavit ritum & cantum unacum liturgia a S. Ambrosio *Ambroſiana* dicta: „ Ambrosius, *Mediolanenſis* epiſcopus (inquit *Walafridus* „ Strabo) tam Miſſæ, quam cæterorum diſpoſitionem officiorum ſuæ ec- „ cleſiæ & aliis liguribus ordinavit: quæ & uſque hodie in *Mediolanenſi* te- „ nentur eccleſia.“ Ex iis, quæ initio huius libri ſtatim retulimus ex Landulpho apud Mabillonium, quæ ſub Adriano I. Pontifice actitata ſint ad abolendum *Ambroſianum* ritum, diſcimus, ſaltem miſſale apud quemdam ſacerdotem integrum fuiſſe ſervatum. Quidquid de hiſtoria illa ſit, conſtat *Mediolanenſem* eccleſiam conſtanter ſemper ſuum conſervaſſe ritum, in aliis a *Romano* differentem, in aliis vero conſonum, ut Radulphus notat a). Edidit Muratorius, T. IV. Antiquit. *Italic.* medii ævi, Beroldum *Mediolanenſem* de ordine & cæremoniis eccleſiæ *Ambroſianæ Mediolanenſis* ſæc. XII.

Varius ritus in Occidente.

Ambroſianus.

De rebus eccleſ. c. 22.

T. I. P. II. Muſ. Ital. p. 107.

a

V. De *Gallicana* eccleſia unicum prima ætate proferre potuimus opus liturgicum S. Germani a Martenio T. V. anecdotorum editum, ubi etiam cantus inter Miſſarum ſolemnia celebratus deſignatur, qui diu adhuc per ſecundam hanc ætatem fuit conſervatus, ut paſſim obſervamus. Notandum hic eſt, quod apud Thomasium, Mabillonium & Muratorium habetur

Gallicanus, & Mozarabicus.

a) „In *Ambroſiano* autem officio (inquit prop. 23.) copioſe habentur per totum annum epiſtolæ, & evangelia, ſæpe cum *Romano* officio concordantes, & ſæpe differentes. Item etiam officium in feſtivitatibus & dominicis pulchrum ſervat ordinem: nam ad Miſſam poſt *Gloria in excelſis*, & *Kyrie eleiſon* ter. Deinde legitur prima lectio de veteri teſtamento cum reſponſorio, quod pſalmetum vocant, & nos graduale. Secunda de novo teſtamento cum *Alleluia* & verſu, ut *Romani*. Tertia de ſancto evangelio, ante quod & poſt quod cantantur antiphonæ, quæ dicuntur *ante evangelium & poſt evangelium*, quibus carent *Romani*. Officium autem *Ambroſianum* longe præceſſit *Romanum*, ut ſupra propoſitione XII. Et qui videt *Ambroſianum*, aperte cognoſcit, quod cantus Miſſæ, epiſtolæ, evangelia, & plures orationes, reſponſoria, & antiphonæ, & cætera officia ſunt ab illo. Et huius ſignum eſt, quia cantus concurrentes utrobique ſunt eiusdem toni, ut introitus *Gaudeamus* utrobique eſt primi toni. Sed nota *Ambroſiana* eſt fortior, durior, & magis extenſa.“

habetur in miſſali *Gothico Immolatio* Miſſæ, quæ nunc præfatio dicitur in nat. S. Laurentii M. *Cuius vocem per hymnidicum modolamini pſalmi audivimus, canentis, atque dicentis: Probaſti cor meum DEUS & viſitaſti nocte &c.* Quod etiamnum in feſto S. Laurentii in graduali canitur. Quod vero Mabillonius *modulum*, vel *modulati* reponit, ego potius *modulamen* corrigerem, eiusmodi erroribus ſcatentibus libris liturgicis antiquioribus. Multi vero ex eruditis ſunt, qui antiquum *Gallicanum* officium idem eſſe putant, ac *Mozarabicum*, paucis immutatis & additis, forte a SS. Leandro & Isidoro *Hiſpalenſi*, cui & S. Ildephonso præcipuæ in hac re attribuuntur partes. Ab aliis cantus antiquus *Gallicanus Ambroſiano* comparatur. Etiam poſtquam vetus cantus *Gallicanus* exoleviſſe viſus eſt, cantus quidam *Francigenus* alias etiam regiones pervaſit, ut cap. primo huius libri memini ex antiphonario *Ambroſiano* ſæc. XIII. circ. in quo habetur *Halleluia*, & *lilium convallium Francigena* inſcriptum. Quoad tempora remotiora notandus eſt canon 2. *Toletani* IV. loco *Galliciæ*, quæ ibi coniungitur *Hiſpaniæ*, *Galliam* legendo, iuxta MSS. codices. Quam lectionem etiam Muratorius tuetur, ob in unum tunc coeuntes provincias iſtas, nec Mabillonius fert correctionem, quæ ad oram librorum editorum apponitur. „Hunc quippe locum (ait) ita legit Berno abbas *Augienſis* cap. 2. „ ubi *Gallos* & *Hiſpanos* in Miſſarum ſuarum celebritate a *Romano* uſu ſimi- „ liter receſſiſſe fatetur. Atqui non ſolum *Gallia Narbonenſis*, ſed etiam aliæ „ *Galliarum* provinciæ in eodem ritu conveniebant.“ *Gothico* nimirum ac *Mozarabico*, quem eundem cum veteri *Gallicano* exiſtimat, mutuaque collatione ibidem probat. Sed iam canonem *Toletanum* audiamus. „ Unus „ ergo (ſtatuunt Patres) ordo orandi atque pſallendi a nobis per omnem „ *Hiſpaniam* atque *Galliam* conſervetur, unus modus in Miſſarum ſolemnitati- „ bus, unus in veſpertinis officiis: nec diverſa ſit ultra a nobis eccleſiaſtica „ conſuetudo, quia una fide continemur & regno. Hoc enim & antiqui „ canones decreverunt, ut unaquæque provincia & pſallendi & miniſtrandi „ parem conſuetudinem teneat.“ Chriſtiani in *Hiſpania Arabibus* permixti *Mozarabes* dicebantur, quaſi mixti *Arabibus*, & eorum officium divinum „ *Mozarabe* inde appellationem retinuit (ut ait Pamelius.) Uſitata fuit hæc „ Miſſa iam olim & maxime D. Leandro *Hiſpalenſi*, & poſt D. Gregorium „ partim adhuc D. Isidoro. Immo hac uſa eſt *Hiſpania* uſque ad tempora Alphonsi *ſexti*, quo tempore auctoritate Gregorii Papæ ſeptimi mutata eſt, li- „ cet & *Toleti* adhuc in ſex parochiis ſervetur, & in cathedrali ecclésia in ſacello „ fratris *Franciſci* Ximenez, ac *Salmanticæ* ſtatim etiam diebus in ſacello doct. „ *Tababricenſis*, quod eſt in periſtylio templi ſummi.“ Sex illas eccleſias nominat Orizius in ſummi templi *Toletani* deſcriptione p. 96. iisdem quibus *Al.*

Go-

p. 277.

L. I. c. 3. n. 14. liturg. Gallic.

T. I. liturgiæ eccl. lat. p. 642.

Gomecius verbis lib. II. *de rebus geſtis Fr.* Ximenii, ubi eiusdem etiam fata proſequitur, de quibus ſupra a). Cuius officii modum & ordinem deſcribit Pamelius, Martenius, habeturque T. IV. Bibliothecæ *Pariſienſis*, & XXVII. Bibliothecæ PP. *Lugdunenſis*, unacum excerpto cap. 23. libri de Vita & Geſtis *Franc.* Ximenii S. R. E. Cardin. ab *Eugenio* Roblesio ſcripta, de auctoritate huius ſancti officii eiusque uſu, & ex eo Card. Aquirre in Collect. Conc. *Hiſpan.* ubi illud ſingulariter notat *in officio Romano ſanctorum nomina ſubmiſſa voce proferri; ſecus vero in Mozarabico: & cum Miſſa canitur, omnia cantantur.* In multis convenit cum antiquiſſima apud laudatum Martenium Miſſa S. Germani, in aliis tamen etiam cum Miſſa *Ambroſiana* ac *Romana*. Cantus potiſſimum eſt reſponſorius ad Introitum, ſeu *introito*, ut ad marginem ponitur in Biblioth. *Lugdunenſi*, ſicuti poſt lectionem *pſallendo* cum hac rubrica: *Tunc canetur pſallendo*: & poſt evangelium *Lauda*, quod frequens eſt in officio *Mozarabico*, & poſtea *ſacrificium*, nempe antiphona vel reſponſorium cum duobus aut tribus verſibus, & alia, quæ ſuis locis deinceps notabimus. Haud dubie in *Hiſpania* ritus canendi cum veteri *Africano* in plurimis convenit, de quo libro primo auctorem S. Augustinum laudavi, eiusque diſcipuli S. Fulgentii ſtudium, quod in illius vita c. 19. Ferrandus diaconus memorat.

a

p. 657. &c.

p. 660. F.

T. XXVII.

p. 666. D.

VI. Dein-

a) „Igitur iis qui ſic inter *Arabes Toleti* manſerunt (inquit) ſex eccleſiæ, in quibus rem divinam facerent, a *Mauris* permiſſæ ſunt, divorum Marci, Lucæ, Sebastiani, Torquati, Eulaliæ, Iustæ nominibus dedicatæ, in quibus ritum illum *Iſidorianum*, qui incolumi florentique civitate in templis omnibus canebatur, captiva etiam quadringentos ferme annos conſervaverunt, quod *Toletanum* officium appellabatur. At vero urbe ipſa divina tandem benignitate, Alphonsique regis, Ferdinandi magni filii, felicibus auſpiciis recuperata, cum de facris in ea inſtaurandis reſtituendisque ageretur, rex, Ricardi *Maſſilienſis* abbatis ſuaſu, & Constantiæ reginæ uxoris aſſidua inſtigatione, ritum facrorum, a divo Gregorio olim inſtitutum, *Toletano* prætulit, quamvis populis clamantibus, uſum ſuorum ſacrorum tot ſæculis inter medios *barbaros* conſervatum, per ſummam iniuriam aboleri. Quæ vero de ſingulari militum certamine, altero pro *Gotthicis* facris, altero pro *Gregorianis* dimicantium, deque pyra in medio foro *Toleti* incenſa dicuntur, in quam facri utriusque officii codices coniecti ſint, apud alios authores, qui de ea re ſcripſerunt, explicatius & uberius legi poterunt. Sed tamen ut rex animos turbarum leniret adhuc ſacra ſua auferri frementium, cum in urbe nuper recuperata inter varias baſilicarum, fanorum ædiumque facrarum dedicationes, parœciales imprimis (quas vulgo parrochiales vocant) eccleſiæ regionatim conſtituerentur, ad quas populus rei divinæ cauſa conveniret, ſuique limites per vicos domosque ſingulis definirentur, ſolis illis ſex eccleſiis, in quibus *Iſidorianus* ritus, vel inter hoſtes per tot annos duraverat, fines nulli præſcripti ſunt, ſed ſui cuique *Mozarabes*, illorumque poſteri, ubi illos intra extrave urbem in agro *Toletano* morari contingeret, immunitatibus, & privilegiis non vulgaribus conceſſis, pro parrochianis & tribulibus aſſignati fuerunt. Quamdiu ergo illi *Mozarabes* eorumque poſteri floruerunt, ſuam quisque eccleſiam, facraque gentilia frequentarunt. Sed paulatim familiis deficientibus, ritus etiam ille deficere & *Gregorianus* ſenſim in ſex etiam illas eccleſias introduci cœpit. Tandem ergo factum eſt, ut nonniſi paucis quibusdam ſtatis, feſtisque diebus eo ritu in illis ſacrificaretur.“

Romanus. VI. Deinceps per totum fere Occidentem, ut iam obſervavimus, cantus *Romanus* ſeu antiphonarium *Romanum* vel *Gregorianum* eſt propagatum, quo continentur, quæcumque in Miſſa chorus canit, a gradali ſeu graduali, quo nomine venit reſponſorium, poſt lectionem canendum, *Gradale* ſeu *Graduale* etiam dictum: utrumque vero coniungens Micrologus *antiphonarium Gradualem* appellat, ut ex notis ad feſtum S. Pauli, & officium S. Apollinaris conſtat. Quodſi hoc antiphonarium ex integro in regno *Francico* ſub *Carolingica* ſtirpe ſeu ipſo Carolo M. ſuſceptum eſt, mox tamen poſt eius mortem immutationes tulit. Legitur in chronico *Centu-*
L. III. c.3. *lenſi, Miſſalis Gregorianus, & Gelaſianus modernis temporibus ab* Albino
T. IV. ſpicil. *ordinatus. Hugo* Menardus in celebri codice S. Eligii *Corbeienſi*, qui
Dacher. in indice in *S. Germanenſi* monaſterio *Pariſiis* aſſervatur, putavit ſe genuinum habere
librer. an. 831. S. Gregorii partum, omnes vero fatentur hodie, nuſpiam haberi purum S. Gregorii ſacramentarium vel antiphonarium, in multis ſubinde auctum immutatumque. Grimoldus abbas, cuius ſacramentarium edidit Pamelius, idem ſub Ludovico *Pio* circa ſacramentarium *Gregorianum* feciſſe dicitur, quod ipſe S. Gregorius circa *Gelaſianum*, ordinando præſertim antiphonarium, in hoc a ſacramentario diſtinctum, quod hic ea contineantur, quæ a ſacerdote ipſo in Miſſa aut legerentur aut canerentur: orationes nempe, imprimis dominica, præfationes; in illo autem ea, quæ a ſchola cantorum cantabantur, quandoque ſola, quandoque ſacerdote auſpicante, e. g. *Gloria in excelſis.* Hæc inſtitutioni S. Gregorii, qui nimirum ea digeſſit,
a tribuit Benizo apud Murator. T. III. antiq. It. p. 604. a). Quæ omnia unde hauſerit, divinare non poſſum. Pleraque quidem initio ſacramentarii, ex authentico libro bibliothecæ cubiculi deſcribi ſoliti, notata præmittuntur, ut in variis MSS. antiquioribus inveni. E. g. noſtræ bibliothecæ MSS. ſæc. IX. circ. qui liber Miſſa *Romana* celebratur: „Hoc eſt imprimis *Introitus*, qualis fuerit ſtatutis diebus ſive temporibus, ſeu cottidianis. Dein *Kyrie eleyſon.* Item dicitur *Gloria in excelſis DEO*: ſi epiſcopus fuerit tantummodo die dominico ſive diebus feſtis, a presbyteris autem minime niſi in paſchate. Quando litania agitur neque *Gloria in*

„ *ex-*

a) „Beatus vero Gregorius primus in *Romana* eccleſia inſtituit, ut antiphona, quæ vocatur *Introitus*, ad mulcendum audientium animos decantaretur, & hoc a *Mediolanenſi* habuit eccleſia. Deinde, *Kyrie eleyſon* a clero novies decantari, & poſt apoſtolum *Gradale* & *Alleluia*, excepto a Septuageſima uſque ad Paſcha: in quo tempore *Tractus* cantari conſtituit. Lectoque evangelio, dum oblationes offeruntur, *Offertorium* decantari inſtituit. Addidit præterea in canone: *Dieſque noſtros &c.* Addidit etiam: *Præceptis ſalutaribus moniti &c.* Et conſtituit, ut hoc cum dominica oratione ſuper Euchariſtiam alta voce a ſacerdote decantaretur, ut ſequens oratio, quæ ſic incipit: *Libera nos Domine ab omnibus malis:* quæ ante eum alta voce decantabatur, ſecrete diceretur. Et poſt fractionem Euchariſtiæ poſtquam communicaverint, antiphonam, quam vocant *poſtcommunionem*, decantari inſtituit.“

„ *excelſis* neque *Alleluia* canitur, poſtmodum dicitur oratio, ſequitur apo„ ſtolus, item graduale ſeu *Alleluia:* poſtmodum legitur evangelium. Deinde „ offertorium, oratio ſuper oblata. Deinde dicit alta voce *Per omnia ſæ*„ *cula ſæculorum.*" Sequitur præfatio cum antiquis notis muſicis, poſtea canon uſque ad *Agnus DEI*, ante quod, atque adeo ante communionem, olim benedictiones epiſcopales fieri ſolebant, quæ ad calcem ſecundum varias feſtivitates habentur: atque his fere continetur, quidquid tam in ſacramentario, quam lectionario & antiphonario, ſeu graduali ad communem Miſſæ celebrationem ſeparatim medio ævo diu habebatur. Vidi tamen in bibliothecis *Italiæ*, *Galliæ*, & *Germaniæ* in antiquiſſimis MSS. miſſalibus ſæculi IX. X. & ſequentium, intermixtum antiphonarium cum notis antiquis muſicis, quandoque in margine, aut ad oram pagellarum recentiori manu notatis, ut Muratorius etiam obſervat in cod. *Othoboniano* antiquiſſimo, alias verò ſuo in ordine. Quod idem D. Calmet in itinere *Helvetico* p. 68 &c. obſervans in miſſ. 500. an. *San-Gallen.* argumento eſſe vult, ſacerdotem ad altare tunc temporis hæc omnia ſimul cum choro cantare ſolitum. Eo quis forte accipiat, quod in *Gallia chriſt.* narratur de S. Bernardo *Hildesheimenſi* Piligrinum *Colonienſem* epiſcopum futurum exorante, ut primam Miſſam, quam in *Colonia* celebraret, pro paupere Bernwardo decantaret. Piligrinus poſtmodum factus archiepiſcopus iuxta ſancti vaticinium regnante *Henrico* de Bavenberg an. D. 1023. XII. Cal. *Dec.* ad altare Miſſam celebraturus accedens, cantoresque præveniens, Miſſam pro defunctis inchoavit. At id potius forte de minoribus eccleſiis dici queat ob paucitatem cleri & miniſtrorum; alias enim nec per ſe quidem privatim, quæ ab aliis canebantur, legebanturque, recitabant, vel auſcultantes, vel interim peculiares orationes ſub cantu dicentes, ut in Miſſa *Illyrici*, & ſimilibus habentur. In Ordinibus autem *Romanis* a Cassandro, Hittorpio, Mabillonio &c. editis, diſtinctim & ordinatim ritus præſcribuntur. Hic ſingulariter etiam notandus eſt ordo ad uſum monaſteriorum a Martenio & Muratorio editus, paſſimque a nobis in antiquiſſimis MSS. *Alemanniæ* repertus, ac duobus quidem noſtræ bibliothecæ. Ubique vero propemodum, in monaſteriis præſertim, peculiares ordines operis DEI adhucdum inter monumenta vetera reperiuntur, in quibus ea etiam, quæ ad cantum ſpectant, peculiariter præſcribuntur maiore varietate, quam poſteaquam poſtrema demum ætate omnia exactius ad ritum *Romanum*, agentibus ſummis pontificibus, opitulanteque arte typographica, ſunt compoſita. Diſcimus ex Radulpho *Tungrenſi* etiam alios deinceps ordines religioſos hic aliquid ſuper *Gregorianos* libros uſurpaſſe, innovaſſeque. „Item (ait) beatus Gre„ gorius in lib. graduali & miſſali ſanctis DEI proprias Miſſas habentibus

T. III. p. 656.

Prop. 22.

„ ſuos cantus & epiſtolas cum evangeliis in eorum diebus adſcripſit, remiſſiones faciendo, quando iterato dicerentur, prout communiter habent „ libri ſæculares: ſed fratres in eorum libris de toto ſcripſerunt unum commune Sanctorum, aggregando introitus per ſe, deinde cætera per ſe. Et „ præterea omiſerunt epiſtolas & evangelia temporales & feriales, quæ in „ libris *Romanis* continentur.“ Quæ ſpectant diviſionem proprii officii de tempore & Sanctis, ut hodieque in miſſalibus & breviariis habetur.

Introitus ad Miſſam.

VII. Tempus iam eſt, ut de ſingulis, in Miſſa cani ſolitis, partibus aliquid ſingillatim afferamus, ab antiphona ad Introitum exorſi, quæ ſicut a genere modulationis, uti iam diximus, ab origine ſua potius, quam hodierno uſu ſic dicitur, ita *ab Introitu ſacerdotis ad altare nomen Introitus meruit habere*, ut inquit Micrologus, ſeu Ivo *Carnotenſis*. (c. 1.) Paſſim auctores huius medii ævi pro more hic allegorizant, occaſionem præſertim arripientes ab exordio antiphonarii, ſicut a S. Gregorio ordinatum eſt, & conſtanter in eccleſia ſervatum, ut ab adventu Domini initium ſumat. *Chorus igitur pſallentium clericorum*, ait Durandus, (*L. IV. c. 5.*) *qui ſignificat chorum prophetarum, & multitudinem Sanctorum, Chriſti adventum exſpectantium, animam ſuam dilatat, & Introitum in iubilo cantat.* Poſtea tamen eandem, quam Micrologus, affert rationem. *Dicitur autem Introitus, eoquod, dum ille canitur, ſacerdos miniſtraturus ad altare intrat, ſeu quia per illam antiphonam ad officium intratur.* Hanc poſteriorem rationem *Rhabanus* Maurus (*L. I. c. 33. de inſtit. cleric.*) accommodate ad præſens inſtitutum illuſtrat a): Quæ etiam in ordine *Romano* MS. *Vallicellani* redditur apud *Ioſ.* Thomasium in diſquiſitione de antiquioribus ritibus cantuum Miſſæ. „ Non ab apoſtolica (inquit Remigius *Altiſiodorenſis* mox initio *Expoſit. de celebratione Miſſæ*) vel evangelica lectione, quod maius eſſe conſtat, eadem Miſſa inchoatur: ſed „ potius canendo, & pſallendo; quatenus dulcedo ſuavitatis corda audientium prius demulceat, & ſic poſt modulationem ſuavis cantilenæ in ſpiritualibus rebus populus per compunctionem mentis intus ſalutifera evangelii verba ardentiori affectu ſuſcipiat.“ Quæ ipſiſſima verba apud auctorem de officiis ſub nomine Alcuini habentur cap. *de celebratione Miſſæ.* Albertus M. *de officio Miſſæ*, „ Miſſa (inquit) in tres partes dividitur: in *Introitum*, in quo eſt iſtius boni per magnos clamores advocatio

a) „ Primum autem (inquit) in celebratione Miſſæ ad *Introitum* ſacerdotis ad altare antiphona cantatur a clero, ut audiatur ſonitus, quando ingreditur ſanctuarium in conſpectu Domini, ſicut in veteri teſtamento per tintinnabulorum ſonitum ingreſſus innotuit pontificis. Bene ergo in ingreſſu ſacerdotis, concrepantibus choris, auditur modulatio divinæ laudis, ut dominicæ celebrationis myſteria miniſtrorum pie præcedat conſonantia, & Corporis & Sanguinis Chriſti venerabile Sacramentum antecedat dignæ laudis ſacrificium. “

„ tio & invitatio. In *inſtructionem*, in qua de hoc bono perfecta ponitur illuminatio: & in *oblationem*, in qua eſt iſtius boni adeptio, & diſtributio, & communicatio.“ Excitatur atque ad ſuperna erigitur mens per cantum mox in ipſo ſacerdotis, ac miniſtrorum Introitu ad altare, unde etiam, ut diximus, Introitus dicitur iſte cantus, procedente nimirum tum ad altare ſacerdote cum miniſtris. „Miſſarum vero officium (ut habet AURELIANI muſica c. 20.) conſtat in antiphonis, quæ Introitus dicuntur. Quæ „ideo vocantur, quia introeunte populo in baſilicam decantentur, & eo „uſque concio eius protendatur, quousque in perturbato ordine tam pontifex, quam ceteri eccleſiaſtici ordines ſecundum ſuam quisque dignitatem ingrediantur eccleſiam, & congruam ſuſcipiant ſtationem a). Singularis eſt in Miſſa pontificali *Romana* hic Introitus, quando collectæ fiunt cum proceſſione ſolemni ad ſtationem, qualis in ordine *Romano* I. apud MABILLONIUM & MURATORIUM ad feriam IIII. initium quadrageſimæ deſcribitur b): Notanda eſt ex Miſſa *Illyrici* rubrica iſtæc: *Et dum pervenit ad altare, imponat per ſe antiphonam:* Introibo ad altare DEI &c. *cum pſalmo:* Iudica me DEUS &c. Et apud BONAM: *Et cum pervenerint ante altare, incipiant pſalmum cum antiphona*, Introibo ad altare DEI *Pſ.* Iudica me

a

T. II. Muſ. It. p. 17. *T. II. liturg. Rom. p.* 988.

b

a) Paſſim in libris liturgicis notatur ea proceſſio ad *Introitus* cantum. In veteri Miſſa RATOLDI T. III. opp. S. GREG. p. 243 &c. ſic deſcribitur: „Cum omni quoque diligentia epiſcopus veneretur a ſuis. Eo autem rationabiliter flamineato, accedat ordinatim omnis proceſſio..... Interim ſane præparet ſe ſchola, & cantor eorum medius annuente epiſcopo inchoat antiphonam. *Reſurrexi.* Pſ. *Domine probaſti me.* Properante epiſcopo ad templi veſtibulum, & ad oſtium ſecretarii, oſculetur evangelium: & poſtea cum omni diligentia incedant. Finitoque Introitu ingrediatur medius pontifex cum collegio proceſſionis. Eo autem adſtante & orante dicat hanc orationem: *Suſcipe confeſſionem meam &c.* annuente epiſcopo incipiatur pſalmus a cantore, cum Introitu reciprocante. Interim quoque oſculetur omnes ſibi circumdatos, incipiens ſiniſtre alternatimque veniens dextre. Hoc autem expleto, epiſcopus ſigno digiti ſui, inchoet cantor, *Gloria Patri.* Et properet epiſcopus ad altare ſtipantibus miniſtris, dicat hanc orationem: *Indignum me &c.*“ Et in alio ritu antiquo celebrandæ Miſſæ apud eundem: „Ad *Gloria Patri*, choro Introitum a B. COELESTINO inſtitutum canente, ſacerdos in veſtiario, ceterique miniſtri ſanctis veſtibus iuxta ordinem induantur..... unus qui cantet graduale & deferat candelabrum, alter, qui *Alleluia*, & ferat thuribulum. Pſalmo dicto, incipiente choro *Gloria Patri*, ſacerdos ceterique miniſtri ſic ad altare procedant &c.“ In appendice rerum liturg. Card. BONÆ fragmentum Miſſæ ſæc. X. idem habet: „Deinde cum clerici inceperint *Gloria* poſt introitum procedat &c.“

b) „Colligunt ſe omnes ad eccleſiam Sanctæ ANASTASIÆ circa horam ſeptimam. Ingreditur pontifex in ſecretarium, induit ſe veſtibus. Schola vero canit antiphonam ad Introitum. Tunc adveniens pontifex aſcendit ad altare. Ut autem finita fuerit antiphona, ſtans pontifex a dextris altaris directus ad populum dicit, *Dominus vobiſcum;* deinde regyrat ſe ad orientem: dicit: *Oremus*, Diaconus, *Flectamus genua*, deinde *levate*. Sequitur oratio. Deinde incipitur antiphona, *Per viam.* Ut autem prope eccleſiam venerint, incipient letaniam. Ut autem ingreſſi fuerint eccleſiam, pontifex ingreditur in ſecretarium. Schola pergit decantando uſque ad altare. Ut autem finierint litaniam, poſt paululum incipiunt antiphonam ad Introitum.“ Inde haud dubie eſt, quod hodieque duplex veluti antiphona ad Introitum feria IV. cinerum canatur.

me DEUS & diſcerne cauſam meam, *cum* Gloria Patri, *& repetitur antiphona.* Pertinet hoc ad eam iam ætatem medii ævi, quando antiphonæ nomen ſeparatim ab ipſo cantu antiphono accipi cœpit in privato etiam uſu. Quod contra Flac. *Illyricum* obſervo, nimiam Miſſæ, abs ſe editæ, antiquitatem iactantem. Quod vero quibusdam diebus, in ſabbato Paſchæ & Pentecoſtes, nullus dicatur Introitus, non tam a prima eccleſiæ ætate venit, quando a lectionibus, ut ſuo loco diximus, incipiebat liturgia; quam a litania terna, cuius finis initium dabat Miſſæ. De die Paraſceves argumentum peti haud poteſt, utpote quo ſacrificium non celebratur. Id vero ſingulare eſt, quod ex antiquo ordine *Romano* ad uſum monaſteriorum apud Martenium diſcimus, de feria quinta. „Quinta vero feria ante paſcha, „ id eſt, cœna Domini ad Miſſas antephona ad Introitum non canuntur, apo„ ſtolum & evangelium non legatur, nec reſponſorium cantatur, nec ſalu„ tat presbyter, id eſt *Dominus vobiſcum*, nec *pacem* faciant uſque in Sab„ bato ſancto.“ Quidquid autem ſit, utrinque officium primævo more a lectionibus incipit. Et quando primum etiam pſalmi, ſeu antiphona ad Introitum dici cœpit, id tantum a cantoribus, annuente pontifice iuxta ritum *Romanum* Miſſæ pontificalis, fuit factum, dum procedebat ad altare pontifex e ſecretario, ubi ſeſe ad Miſſam cum miniſtris parat, ſcholam cantorum ſubdiacono ad regiam ſecretarii invitante, uti apud Mabillonium
p. 42. Ord. I. præſcribitur: „His ita compoſitis, invitante ad regiam ſecretarii præ„ fato ſubdiacono ſcholam, quartus ſcholæ, qui ſemper nunciat pontifici de „ cantoribus, adſtans ante faciem pontificis, & nutum eius ad pſallendum „ exſpectans, ſtatim dum innuit ei, egreditur ante fores ſecretarii, & dicit *ac„ cendite....* Et ille quartus ſcholæ ad priorem vel ſecundum vel tertium „ inclinato capite dicit, *Domini iubete.* Tunc ſtatuuntur duæ acies in choro „ per ordinem ab utroque latere, & mox incipit prior ſcholæ antiphonam „ ad Introitum“ Duæ ita compoſitæ ab utroque latere in choro acies ad cantum antiphonum ſeu alternum ita ordinatæ erant. Notandum vero in
p. 70. alio ordine *Romano* de Miſſa epiſcopali, extra ſive intra ſacrarium, ubi ſe epiſcopus induebat, duos presbyteros unacum ſeptem diaconis coram epiſcopo ſtantes miniſtraſſe, cantantes cum illo ſeptem pſalmos cum letania. Sed hoc ad Introitum non pertinebat, & forte cantus hic improprie ſumitur: ut hodieque fit in Miſſa epiſcopali, miniſtris cum celebrante pſalmos præparatorios ad Miſſam recitantibus. Procedens vero epiſcopus ita ex choro
p. 71. ſtare iubetur, *ut cantori manu innuere valeat. Cui etiam ſilendum eſt, uſquequo epiſcopus cantare iuſſerit: Dehinc innuente epiſcopo cantatur Introitus.* Innuebat ergo celebrans, ut cantaretur Introitus, non ipſe cantabat.
92. Quod expreſſius habetur in alio ordine, ubi epiſcopus ordinandus proſter-

nere

nere ſe dicitur in orationem, ſchola canente Introitum *Elegit te Dominus.* Et apud Muratorium T. II. p. 394. *Inde prope accedat ad altare, & proſtrato omni corpore in terra fundens orationem pro ſe vel pro peccatis populi, uſquedum antiphona ad* Introitum *cum pſalmo & Gloria cum verſos ad repetendum dixerint.* Hæc ex codice *Vaticano* ſæculi IX. deſcripſit Muratorius, continente mox laudatum breviarium Miſſarum, & officii divini monaſticum S. Benedicti ad ritum *Romanum*, idem prorſus, quale Martenius edidit, ac nos ſimile edemus in liturgia *Alemannica.* Ubi monachi agebant, quod in eccleſia *Romana* ſchola cantorum, qui Introitum cantabant, antequam celebrans cum miniſtris ad altare conſiſtebat, dum nimirum ad illud procedebat, uti in primo ordine de Miſſa epiſcopali præ- p. 65. ſcribitur: *Presbyteri vero, dum a cantore incipitur Invitatorium, omnes ſtent in loco ſuo, id eſt hinc & inde ex utraque parte chori. Cumque a cantore verſus ad Invitatorium elevatus fuerit, inchoatur proceſſio.* Invitatorium idem eſt ac Introitus, eiusque nominis rationem Amalarius reddit: *Ideo,* inquit, *cantorum dulcis vox huic operi dedita eſt, ut ſua dulcedine idonea ſit hortari populum ad confitendum DEO.* Idem apud *Græcos* (ubi etiam in aliis officii partibus eſt ἐυχὴ εἰσόδȣ *oratio Introitus*, qua finita canitur propoſitum diei *ſticheron*) fit, cæpto trium antiphonarum concentu, quæ in exordio Miſſæ eorum ritu dicuntur, uti apud ſæpe laudatum Thomasium ex p. XII. vetuſtis codicibus translationis latinæ habetur in liturgia S. Basilii. „ Et cantent „ cantores tres vel quatuor verſus pſalmi: *Bonum eſt confiteri Domino.* Et rurſus: „ Et cantant cantores in ambone tres vel quatuor verſus pſalmi, *Dominus regna-* „ *vit decorem indutus eſt*, cum *Alleluia* & *Gloria.* Et infra: Et cantant „ cantores *Venite exultemus Domino*, cum antiphona, *Salvos fac nos Fili* „ *Dei, qui ſurrexiſti a mortuis, cantantes tibi Alleluia.*" In uno exemplari S. Chrysostomi apud Goar p. 101. tria Miſſæ antiphona a populo; in aliis eadem p. 66. & 67. a choro, & p. 90. a cantoribus cantanda dicuntur. Annotante Goaro in *Euchology.* p. 52. Primum antiphonum proprie reſpondet Introitui apud *Latinos;* ut tamen iuxta liturgiam S. Chrysostomi proxime ſe conſequantur. „ *Poſt pacifica chorus pſallit primum anti-* T. XII. opp. „ *phonum vel typica, ſi eſt dominica; ſin vero, quod diei proprium eſt.* Se- p. 782. „ quitur mox *oratio antiphoni ſecundi ſecreto.* Si adſit diaconus, iterum „ *pacifica.* Et *Poſt pacifica ſecunda cantat chorus ſecundum antiphonum vel* „ *typica ſecunda; ſi ſit dominica; ſin vero, quod diei eſt.* Sequitur conti- „ nenter *oratio tertii antiphoni*, de quo poſtea ad evangelium. " *Nicolaus* Cabasilas in *Expoſitione lit.* c. 15. univerſim de his antiphonis agit,

a T. IV. Bibl. PP. Pariſ. p. 107. &c. prop. 23.

præeuntibus ſemper precibus cani ſolitis a). In Miſſa *Mozarabica* poſt exomologeſin, uti nunc fit in Miſſa *Romana*, in dextro latere ad librum antiphona in modum Introitus dici ſolita, notatur. Obſcurius RADULPHUS *Tungrenſis* diſcrimen hic declarat Miſſæ *Ambroſianæ* a *Romana*: „In *Romano* „officio Introitus cantatur cum verſu & pſalmo *Gloria Patri*, & repetitione, „quod non fit de ingreſſa *Ambroſiana*. In Graduali B. GREGORII ad Introi- „tus annotantur ſemper duo verſus de pſalmo, ſicut hodie obſervamus de „*Requiem*. Aliqui ſcripſerunt, quod ex ſtatuto COELESTINI totus pſalmus „olim cantabatur. Sed quod B. GREGORIO adſcribitur, quod Introitus mo- „dulando compoſuit, intelligendum eſt, quod multos Introitus ex pſalmis „addiderit: quia valde multi ab AMBROSIO ſunt recepti." Qui veterem ritum concinendæ antiphonæ ad Introitum a binis cantorum claſſibus, ſive choris hinc illincque ſe invicem reſpicientium atque reſpondentium ſcire ad oculum cupit, *Ioſ.* CARI ſæpe laudatum adeat, qui id in exemplo proponit. Edidit in appendice rerum liturgicarum fragmentum Miſſæ Cardinalis BONA, ubi poſt orationes ad ſacras veſtes ita præſcribitur: „Deinde can- „tet cum circumſtantibus clericis hos pſalmos: *Quam amabilia. Benedixi-* „*ſti. Inclina &c.*" Congruit Miſſa *Illyrici*: „Hos pſalmos interim, dum pa- „ratur epiſcopus, circumſtantes clerici cantent. *Quam dilecta tabernacula.* „*Benedixiſti Domine &c.*" Loco precum ſequuntur alii quatuor pſalmi. Idem ex codice *Tiliano* apud MENARDUM eſt notandum, in Miſſa pontificali cantum etiam præſcribi pſalmorum, qui hodieque ad præparationem Miſſæ dicuntur: *Deinde cantet cum circumſtantibus hos pſalmos:* Quam dilecta. Benedixiſti. Inclina &c. *Quemadmodum etiam in reditu ad ſacrarium cum diaconibus & cæteris cantet hymnum trium puerorum &c.* Idem in Miſſa *Illyrica* habes, & apud MICROLOGUM. Huc pertinet quod modo ex ordine *Rom.* de Miſſa epiſcopali notavimus.

VIII.

a) „Propterea (inquit) eum perfecit orationem hanc cauſæ allationem, quia & eſt in extrema parte, & eſt glorificatio, legit omnibus audientibus, ut omnes hymni participes fiant, & DEUS ab omni eccleſia laudetur. Audientes ergo, ſunt hymni cum illo participes. Poſtquam enim ille dixit, & glorificavit, fideles omnes *amen* dicunt, & cum hoc verbo acclamarunt, omnes illius voces, ut proprias ſibi aſſumunt. Deinde ſacras pſalmodias incipit quidem ſacerdos, implent autem univerſum ii qui circumſtant, divinitus inſpirata ſacrorum prophetarum verba cantantes: *Bonum eſt confiteri &c.* Principio conveniens ſtatim verbum, quia de ipſo dicit hymno, quod eſt bonum, quod oportet omnino ſcire ante omnem hymnum, appellans confiteri, gratias agere, hymnos canere. His autem & iis quæ ſequuntur cantatis, Diaconus fideles ad orationem adhortatur. Interea autem dum peragebantur pſalmodiæ & fideles orabant, ſacerdos poſtquam intus oravit... cauſam adiicit in primis opportunam & convenientem *Quia tua eſt potentia &c.* Et cum hanc cauſæ redditionem, utpote quæ ſit glorificatio, omnium fidelium auribus inclamavit, & nos hymni ad DEUM participes effecit, ſicut & prius: rurſus incipit pſalmodias, & fideles eas complent. Idem tertio facit." De quibus tribus antiphonis deinceps agit ſingulatim.

VIII. Quod vero non ſemel iam obſervavi, pſalmos fuiſſe dictos initio ad Introitum, id etiam quadantenus hoc adhuc tempore fuit continuatum. Antiphona nimirum ad cantum antiphonum ſpectat cum pſalmo, ex quo hodie unus relinquitur verſus, olim autem plures, aut integer pſalmus canebatur, aut diviſus ad ipſam etiam communionem. In Capitulari Ord. eccl. quod ex codice *San-Gall.* 900. annorum inter monumenta liturgica veteris *Alemanniæ* edemus, ita præſcribitur de B. M. V. „*In feſtivitate autem Sanctæ* MARIÆ *vel in aliis ſolemnitatibus virginum antephona ad Introitum* Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, *cum pſalmo* Eructavit cor meum, *ad communionem antephona* Quinque prudentes virgines *cum ipſo pſalmo* Eructavit cor meum *vel etiam* DEUS noſter refugium *adiungentes Gloria Patri.* Iuxta ordinem *Romanum* VI. apud MABILLONIUM, *cum pſalmus cantatur innuente epiſcopo præcedant acolythi &c.*" Ita ergo proſequebatur ſchola cantorum, donec ſacerdote cum toto miniſterio ad chorum pſallentium ſeu altare conſiſtente poſt orationem & oſculum pacis annueret, ut cantaretur *Gloria Patri. Hoc autem expleto,* ut habetur ordine *Rom.* V. *annuat cantori, ut* Gloria *dicat, ipſe vero ductus a diaconibus pergat ante altare.* Videtur ergo nondum altare attigiſſe, ſecus ac in ordine II. *Romano* habetur: „ Et pertranſit pontifex in caput ſcholæ, & in gradu ſuperiore, inclinato capite „ ad altare primo adorat ſancta, & ſtat ſemper inclinatus uſque ad verſum „ prophetalem. Tunc ſurgens & faciens crucem in fronte ſua, dat pacem „ presbyteris duobus &c. & reſpiciens ad priorem ſcholæ, annuit ei, ut di- „ cat *Gloria Patri &c.* Et prior ſcholæ inclinat ſe pontifici, & imponit &c." Auctor *de div. Offic.* ſub nomine ALCUINI cap. *de Celebratione Miſſæ*, nullam pſalmi aut verſiculi facit mentionem, ſed antiphonæ immediate ſubiungit *Gloria*: „Primo (inquit) omnium dicitur antiphona ad Introitum... Dein- „ de imponitur *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.* Quæ verba ad di- „ viſionem pſalmorum, qui prius indifferenter canebantur, B. HIERONYMUS „ DAMASO P. petente compoſuit. Sed cum nequaquam id ſufficeret prædi- „ cto apoſtolico iterum ſuggerente addidit adhuc *Sicut erat in principio &c.* „ & hoc ad nutum diaconi ait cantor, ſicut & *Kyrie eleiſon.*" Quæ verba explicant *Germaniæ* conſuetudines apud MARTENIUM *de antiquis monachorum ritibus,* ubi dicitur, diaconi nutu incipere præcentorem *Gloria Patri,* & *Kyrie eleiſon.* „Forte (ſubdit MARTENIUS) quia toties Introitum repe- „ teret cantor, donec ſibi diaconus innueret, aut *Gloria* & *Kyrie* omitte- „ ret, ſi non ſignificaſſet." Addebatur verſus *ad repetendum*, ſeu *ad re- „ ſpondendum* vocatus, poſt *Gloria Patri*; nimirum eo etiam tempore, quo ceſſavit cantus ille antiphonus Introitus, dum antea, pſalmo currente, antiphona ad Introitum alternatim interponebatur. Huiusmodi verſus ad repe-

De verſu ſeu pſalmo Introitus, eiusque cantu antiphono, & tropis.

p. 71.

p. 66.

43.

L. II. c. 5. n. 10.

petendum in antiphonariis *Romanis* a *Ioſ.* THOMASIO editis ſemper occurrunt. Verſiculum ad repetendum non indicant codices *Pameliani*: rariſſime etiam in MSS. *Italiæ*, *Galliæ* & *Germaniæ* reperi. Indicatum illum deprehendit *Dionyſius* SAMARTHANUS in celebri *Compendienſi* codice ſub hac compendiaria nota A R. uti in aliis MSS. codd. obſervare licet: cuius ſignificatum cum ex THOMASII libro non intellexit, varia comminiſcitur, modo *aliter* interpretatus, modo *Graduale* in adnotat. ad antiphonarium col. 655. 656. Plura de hac re lege ſis apud THOMASIUM de cantu etiam antiphono Introitus veteri, quo ſingulis pſalmi verſibus, qui ab uno choro canebantur, ab altero ſimiliter ſubiungebatur antiphona ad Introitum: qua & poſt verſum *Gloria Patri* repetita ex eodem plerumque pſalmo verſiculus unus canendo reſumebatur, is ipſe qui *ad repetendum* fuit dictus, quem demum excipiebat repetitio laudatæ antiphonæ ad Introitum. Sic Dom. III. Adv. in antiphon. THOMAS. ℣. Ad repetendum *oſtende nobis. Gaudete.* Nimirum Introitus notatus ad repetendum. Alias vero licet antiphonaria ad unum redigantur verſum, antiphona ſaltem poſt eundem, atque etiam poſt *Gloria Patri* repeti ſolebat. INNOCENTIUS III. præciſe hodiernum morem deſignat: *Interea chorus concinit antiphonam ad Introitum, quam repetit interpoſita Gloria Trinitatis.* Quod ſimiliter fit in officio *Hiſpanico.* Sic notat *Io.* VASÆUS in chronico *Hiſpaniæ* ad an. 717. „Antiphonam in modum Introitus cum duobus ver- „ſibus &, *Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui ſancto in ſæcula ſæ-* „*culorum amen.* Sicut etiam in Concilio *Toletano* quarto cautum eſt, ut „ad eum modum dicatur. Ad quemlibet verſum repetunt partem antipho- „næ more reſponſoriorum noſtrorum, ut vulgato more loquar.“ Omittebatur autem *Gloria*, ut hodieque fit a dominica Paſſionis uſque ad Paſcha, prout præſcribitur in ordine *Romano* XI. Alias autem poſt pſalmum ad nutum pontificis protractum dicebatur, ut hodie poſt verſum, qui videri poſſet eſſe verſus prophetalis, in ordine *Romano* V. indicatus; ſed recte iudicat MABILLONIUS, eſſe ipſam antiphonam ad Introitum, quæ antiphona ex prophetæ pſalmis &c. ſemper deſumta eſt. „Quin imo (iuxta DURAN- „DUM) de pſalmis excepti ſunt omnes Introitus regulares, Gradualia, Of- „fertoria & Communiones, quæ cum modulatione primo cœperunt ad „Miſſam in eccleſia *Romana* cantari. GREGORIUS enim Introitum Miſſæ „cum cantu ordinavit, & unum verſum de illo pſalmo qui cantabatur, re- „tinuit.“ Non ſatis clarum eſt, an verſum hic ipſam antiphonam indigitet, an verſum, qui hodieque ex pſalmis repetitur, etiamſi antiphona aliunde ſit, quales multæ habentur e. g. *Puer natus eſt nobis* in Nativitate Domini: *Viri Galilæi* in die Aſcenſionis: *Spiritus Domini* in die Pentecoſtes &c.

De myſt. Miſſæ lib. II. c. 18.

p. 135.

L. IV. Ration. c. 5. n. 5.

S. BER-

S. Bernardus apud *Iacobum* Homey *de ratione cantandi*, vel quisquis eſt *Suppl. PP.* auctor illius tractatus, hoc ſingulariter in multis eccleſiis laudat: „ Nota *p.* 28. „ quod multæ authenticæ eccleſiæ, inter quas eſſe arbitror *Ambianenſium*, „ *Morinorum*que eccleſias, ſicut in Introitibus ita & pſalmos habent in Poſt- „ communionibus.“ Quod hic commune in Introitibus, id ſingulare in Poſtcommunionibus ſtatuere videtur. Iſtud tamen perinde uſitatum in aliis etiam eſſe Miſſæ cantibus ex Durando mox audivimus, atteſtaturque Stephanus *Eduenſis ex* Coelestini PP. inſtitutione pſalmos cani ſolitos: *De Sacram.* „ Pſalmos (inquit) cum antiphonis cantari inſtituit. Ex hac inſtitutione mos *Alt. c.* 20. „ inolevit, ut omiſſis pſalmis ex illis Introitus, Graduale, Offertorium, Com- „ muniones exciperentur,“ Videtur hic antiphonæ notionem attribuere iam ætati Coelestini PP. quæ longe poſterior eſt, ut peculiarem aliquem verſum deſignet, quales ex pſalmis deſumpſiſſe S. Gregorium audivimus modo, viſum eſſe Durando. Et ex MS. baſilicæ *Vaticanæ* apud *Ioſ.* Cari ſæ- *p. XVII.* pe citatum patet, olim verſum Introitus ex eodem pſalmo, ex quo Introitus erat, immediate fuiſſe deſumtum: „ Eſt ſciendum, quod ſemper, „ quando primus verſus pſalmi ſumitur pro Introitu, verſus Introitus eſt „ ille verſus, qui immediate aut quaſi immediate ſequitur primum verſum „ pſalmi: ut verbi gratia Introitus ſit *Deus in adiutorium*, verſus erit *Avertantur* „ *retrorſum.* Aſſignato igitur Introitu non oportet aſſignari verſum Introitus. „ Item ſemper quando aliquis verſus infra pſalmum ſumitur pro Introitu, „ verſus Introitus erit primus verſus pſalmi: ex quo ſequitur quod verſus „ Introitus, dat intelligere unde ſumitur Introitus.“ Pertinet hoc manuſcriptum ad eam ætatem, qua iam unus ſolus verſus, ut fit hodieque, ex pſalmo fuit ſumtus, poſt quem mox iterum antiphona repetitur: uti patet ex MS. *Vallicellano* apud eundem *Ioſ.* Thomasium Interr. *Verſus quare cantatur?* ℟. *Eoquod per eum revertimur ad Introitum.* Et ita ſæpius antiphona olim repetebatur in feſtis, etiam in binas partes diviſa doxologia *Gloria Patri.* „ Item *Gloria* dividitur, ut habet ordo *Romanus* I. ſed tantum *N.* 26. „ feſtis diebus. Taliter habetur Introitus in Ordinario *Turonenſi* apud Mar- „ tenium: incipiat cantor *Puer natus.* Deinde *Cantate* bis. Deinde *Puer.* *De ant. Eccl.* „ Item *Gloria Patri.* Deinde *Puer.* Item *Sicut erat.* Deinde *Puer.* Item *diſc. c. XII.* „ *Hæc dies.* Deinde *Puer.*“ Ubi quinquies repetitum vides Introitum. Quod Hugo Cardinalis ter tantum fieri in præcipuis feſtis dicit, alias bis in pro- *Explic. Miſſ.* feſtis ſecundum Durandum, qui eundem morem ter repetendi in præci- *c.* 4. *L. IV. c.* 6. puis feſtis memorat.

Tropi ad Introitum. *Ibid.*

IX. Poſtea agit de tropis, alicubi Introitibus præmittendis. „In quibusdam (inquit) eccleſiis Tropi dicuntur pro pſalmis ex inſtitutione GREGORII Papæ ad maius gaudium de Chriſti adventu repræſentandum.“ Eſt autem proprie Tropus hic quidam aut plures verſiculi, qui in præcipuis feſtivitatibus cantantur immediate ante Introitum, quaſi quoddam præambulum ipſius Introitus, ut verbi gratia, in feſto Nativitatis ante Introitum illum: *Puer natus eſt &c.* præcedit Tropus iſte: „Ecce adeſt, de quo prophetæ cecinerunt dicentes: *Puer natus &c.*“ Cuiusmodi diſtinctos tres pro ſingulis tribus Miſſis Natalis Domini notat MURATORIUS. In codice pulcherrimo *S. Galli* ſæc. circiter X. de quo iam ſupra, alii Tropi in Natali Domini habentur, quibus interſtinctus eſt Introitus interlocutione quadam paſtorum, cum turba angelica Salvatorem denunciantium a). Alios diverſos Tropos ſeu proſas ad Introitum Miſſæ cantari ſolitos ſpeciminis loco apponimus ex MS. codice *Vindobonenſi* ſæc. X. b). In celebri codice biblioth. *Angel. Romæ*

Liturg. Rom. c. 7. T. I. p. 100.

a) „Hodie cantandus eſt nobis Puer quem gignebat ineffabiliter ante tempora Pater, & eundem ſub tempore generavit inclyta mater. *Int.* Quis eſt iſte puer, quem tam magnis præconiis dignum vociferatis, dicite nobis, ut conlaudatores eſſe poſſimus. *Reſp.* Hic enim eſt quem præſagus & electus ſymmiſta Dei ad terras venturum prævidens longe ante prænotavit, ſicque prædixit: *Puer natus eſt nobis.* Præter omnem puerorum conſuetudinem de Virgine procreatus, *Et Filius datus eſt nobis.* Ex tempore quidem matri, ſempiternitate vero conſubſtantialis Patri. *Cuius imperium ſuper humerum eius.* Crucis videlicet lignum ad debellandos inviſibiles inimicos. *Et vocabitur* privilegio Patris Filius ſuperni *Nomen eius* Iudæis ac gentibus adnuntians ſe Deum *Magni conſilii Angelus.* P. *Cantate Dño canticum novum, quia mirabilia fecit.* Miro modo eum de Virginis utero ut homo proceſſerat, ſed ut Deus imperitat. *Puer.* nob. gla. Amen &c. Sequitur alio modo. *Laudemus omnes Dominum.*“

b) „Incipiunt Tropi carminum de nativitate Dñi. Hodie cantandus eſt nobis Puer quem gignebat ineffabiliter ante tempora Pater & eundem ſub tempore generavit inclyta mater. *Interrogatio.* Quis eſt iſte puer quem tam magnis preconiis dignis vociferatis dicite nobis ut collaudatores eſſe poſſimus. *Reſponſio.* Hic enim eſt quem preſagus & electus ſymmiſta Dei ad terras venturum previdens longe ante prenotavit ſicque predixit Puer natus eſt.

In natali S. STEPHANI.

Domine IESU Chriſte ſumme princeps quia te predicabam & colui & in tuo nomine multa operatus ſum miracula. Etenim pes. Qui ſe exiſtimabant legis eſſe peritos ſuisque mendaciis me vincere cupiebant. Et adverſum. Tur. me ſeductorem legisque moſaycæ blaſphematorem eſſe dicentes. Et iniqui me. Cum lapidibus interficientes communemque cunctis ſepulturam mihi denegantes Adiuva. In quo omnem ſpem meam fiduciamque poſitam habeo. Quia. Quam iſte adeo ſervavit ut morti pro ipſa ſuccubuerit. Pſal. *Beati immacul.* Pro qua venerandus STEPHANUS uſque ad mortem viriliter diſputando certavit. Etenim. Hac quidem laude bonum eſt inſiſtere & Trinitatem ſemper honorare. Etenim.

In natali S. IOANNIS.

Quoniam Dominus IESUS Chriſtus ſanctum IOHANNEM plusquam ceteros diligebat apoſtolos. In medio. Ut ſacramentum fidei & Verbum coeternum Patri ſcriptis pariter & dictis predicaret. Et implevit. Qui cum in tantum dilexit ut in cena ſacratiſſima ſupra pectus ſuum cum recumbere permiſiſſet. Spũ Sap. Quo inſpirante evangelizavit dicens *in principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum.* Stola gloriæ. Inde nos moniti peccata noſtra confitentes tibi Chriſte ſanctoque IOHANNI pſallimus dicentes Pſ. *Bonum eſt.* cum *Gloria.* Quam Trinitatis gloriam dilectus Do-

mæ ſæc. IX. In die Natalis Domini præter Tropos antiphonæ ad Introitum, notatur etiam Tropus ad *Gloria Patri*, *Ad rep.* Verſum nimirum ad repetendum, cum Tropis ad *Kyrie eleiſon &c.* ut ſupra de Tropis. Pertinet huc etiam encomium, de quo iam memini, in laudem S. GREGORII ante Introitum dominicæ primæ Adventus cantari ſolitum, cuius inſtitutio in veteri MS. Bibl. regiæ apud LE-BEUFIUM iam laudatum ADRIANO Papæ tribuitur: *Tr. hiſt. ſur le chant. p.* 103.
„Hic antiphonarium *Romanum* ſicut anterior ADRIANUS diverſa per loca cor-„roboravit, & ſecundum prologum verſibus hexametris ad Miſſam maio-„rem in die primo Adventus Domini I. C. decantandum inſtituit, qui ſimi-„liter incipit ſicut anterioris ADRIANI procemium: quod ille ad omnes Miſ-„ſas in eadem dominica prima Adventus decantandum ſtrictiſſimum confe-„cerat; ſed pluribus iſte conſtat verſibus." Quonam vero ritu cantari conſueverit, videri poteſt apud MARTENIUM, & in *Præf. ad P. I. T. I. de Liturg. & Pſalm. Hiſpan.* THOMASII: notabimusque infra de Adventu Domini.

mini IOHANNES profundiſſime & intellexit & excellenter pronuntiavit. In medio.

In natali Innocentum.

Hodie pro Domino peremta ſunt infantum milia, quos occidit HERODIS ſevitia. De quibus olim propheta predixerat. Ex ore. Veneranda preſentis diei feſtivitas ante tempora multa prenotata eſt cum propheta videret hunc luctum atque dixiſſet. *Vox in Rama.*

In Epiphania Dñi.

Forma ſpecioſiſſimus manuque potentiſſimus ex DAVIDIS origine natus MARIA Virgine. Ecce advenit.

In purificat. S. MARIÆ.

Hodie quemadmodum patriarchis antiquis repromiſſum eſt & ſicut revelante Spiritu ſancto a prophetis predictum eſt. Suſcepimus. Iam Dominus optatas reddit laudes paſcha cum Chriſtus adeſt favete. Cui canentes. *Alleluia. Confitemini.*

In reſurrectione Domini.

Poſtquam factus homo tua iuſſa paterna peregi in cruce morte mea mortis herebum ſuperando. Reſurrexi. *Alleluia.* In regno ſuperno tibi coæqualis iam ultra ſine fine ſemper immortalis. Poſuiſti *Alla.* Laudibus cœlorum qui te laudant ſine fine. Mirabilis tua. Cui canunt angeli. *Alleluia.* Pſ. *Dñe probaſti.*

In pentecoſten.

Conſubſtantialis Patri & ſempiterno Filio coæternus omnipotens, ſumma vel ima continens. Spiritus Dni.

In nat. S. IOHANNIS B.

Angelo prenunciante Magnus hodie puer ex vetula matre procedens gaudium multis naſcendo donavit cum quo concinite. De ventre.

In nat. S. PETRI Apli.

Eductus quidem ſanctus de carcere PETRUS quando diſceſſit angelus dixit. Nunc ſcio. Divina beatus PETRUS ereptus clementia in ſe rediens dixit. Nunc ſcio.

In nat. S. LAURENTII.

Hodie cœleſti igne ſuccenſus beatiſſimus LAURENTIUS ſuperavit flammas ignis temporalis intrepidus. In cuius feſto pangite Chriſto læti dicentes pariter. Confeſſio.

In Aſſumpt. S. MARIÆ.

Hodie ſanctiſſima Virgo virginum cœlos aſcendit hinc gaudent chori angelici gaudeamus & nos Salvatori noſtro canentes. Vultum. Gaudeamus.

In nativ. S. MARIÆ.

Nativitatem venerandam Sanctæ Genitricis Dei perpetuæ Virginis MARIÆ laudibus devotis celebremus canentes & lætis vocibus. Gaud.

In nat. omnium SS.

Hodie omnium Sanctorum feſta colentes & te Deus inde laudantes vocibus in excelſo devotis iubilemus dicentes. Gaudeamus.

In dedicatione eccleſiæ.

Hodie revolvat annua iſta plebs ſolempnia, quæ ſunt Encænia huius eccleſiæ. Terribilis eſt.

ni. Eodem pertinet *Sanctiſſimus namque* GREGORIUS *&c.* ut in fronte huius operis poſuimus ex antiquiſſimo *Veronenſi* MS. cuius iſta eſt inſcriptio: *Incipiunt Proſarum de ... Imprimis de Adventu Domini. Sanctiſſimus &c.*

De cantu KYRIE ELEISON ſeu Litaniæ.

X. Plerique, qui medio hoc ævo de officiis divinis ſcripſerunt, ſancto GREGORIO etiam tribuunt, quod *Kyrie eleiſon &c.* etiam *Rogus DEI* in antiquis regulis PP. apud HOLSTENIUM dictum, in Miſſa dici inſtituerit, quod tamen ex ſuperioribus conſtat, iam prima ætate fuiſſe frequentatum. Ex ipſo nihilominus S. GREGORIO probantur fuiſſe, qui ei inter alias innovationes, in eccleſiam *Romanam* ſecundum ritum eccleſiæ *Cpolitanæ* introductas, aliquid circa hanc ſupplicationem tribuerint, quod ipſe diluit, alium
L. VII. Reg. ep. 64. ritum *Romanæ* ac *Græcæ* eccleſiæ hic declarando: „ *Kyrie eleiſon* nos neque „ diximus, neque dicimus ſicut a *Græcis* dicitur: quia in *Græcis* ſimul o- „ mnes dicunt; apud nos autem a clericis dicitur, & a populo reſpondetur, & totidem vicibus etiam *Chriſte eleiſon* dicitur, quod apud *Græcos* „ nullo modo dicitur.“ Hoc vero ipſum STEPHANUS *Eduenſis*, & RUPERTUS abbas S. GREGORIO tribuere videntur. „ GREGORIUS a *Græcis* (inquit
De Sacr. Alt. c. 20. „ ille) *Kyrie eleiſon* aſſumpſit: & a ſolo clero ſonora modulatione cantari
L. II. de Off. c. 21. „ præcepit. Hic vero *Kyrie eleiſon* a clero ad Miſſas cantari præcepit, quod „ apud *Græcos* ab omni populo cantabatur.“ DURANDUS repetitionem præterea novenariam a S. GREGORIO inſtitutam innuere videtur, primam autem
L. IV. ep. 13. inſtitutionem S. SILVESTRO tribuit: „ B. GREGORIUS inſtituit Κυριε ελ. novies, & a clero tantum publice in Miſſa cantari: quod prius apud *Græcos* „ a clero & populo cantabatur. SILVESTER vero papa illud a *Græcis* aſ-
Can. 2. ſumſit.“ Ex Concilio *Vaſenſi* ſub FELICE IV. lib. I. docuimus, tam in ſede apoſtolica, quam etiam per totas orientales atque *Italiæ* provincias dulcem & nimium ſalutarem conſuetudinem eſſe intromiſſam, ut *Kyrie eleiſon* cum grandi affectu & compunctione dicatur, numerum vero certum non determinat, ſed tempora ſolum officii divini ad matutinos, Miſſas, & veſperas. Hoc S. GREGORIO ſingulare recte adſcribitur, quod præter conſuetas officii quotidiani partes illud in illis ſupplicationibus ſeu litaniis, quas *Romæ* inſtituit ad peſtem depellendam, *Kyrie eleiſon* per plateas urbis cantari fecerit. Litaniam etiam ſubinde ad initium Miſſæ fuiſſe cantatam conſtat ex
p. 17. ordine *Romano* I. apud MABILLONIUM, ubi ad feriam IIII. initium Quadrageſimæ præſcribitur: „ Ut autem prope eccleſiam venerint, incipient litaniam. Ut autem ingreſſi fuerint eccleſiam, pontifex ingreditur in ſecretarium. Schola pergit decantando uſque ad altare, ut autem finierint li-
p. 26. „ taniam, poſt paululum incipiunt antiphonam ad Introitum.“ Et poſtea:
p. 36. „ Iuſſi faciunt litaniam ternam.“ Et iterum: „ Deinde ſchola iuſſa facit li- „ taniam

„ taniam ante altare: primam ſeptenam; ſpacio facto faciunt alteram quinam; intervallo facto faciunt tertiam ternam.“ Præſcribuntur hæc omnia in Quadrageſimæ exordio, & fine, in Sabbato ſancto. In antiphonario *Ioſ.* Cari ſeu Thomasii p. 92. &c. in officio Sabbati ſancti primo occurrit ſeptena: *Septem vices iſta litania dicatur.* Et poſtea quina: *Hæc litania quinquies pronuncietur, & quinquies reſpondeatur.* Et demum terna: *Ter pronuncietur; terque ab omnibus reſpondeatur, quouſque ſtella in cœlo apparuerit: viſa ſtella ingreditur ad Miſſam. Finis vero iſtius litaniæ ſic finiatur, ſicut ad Miſſam in die dominico.* Sic in antiphonario inter opera S. Gregorii ed. *San-Maur.* in ſabb. Pentec. *Ad Introitum letania.* Id tamen nomen promiſcuum fuit, quando *Kyrie eleiſon* ad Miſſam dicendum deſignabatur, atque ita a *Rhabano* Mauro vocatur: *Poſt Introitum ſacerdotis ad altare litaniæ aguntur a choro.* Et in ordine *Rom. Prior ſcholæ cuſtodit ad pontificem, ſi vult mutare numerum litaniæ.* Canebatur etiam in proceſſione ab eccleſia, ubi collecta fiebat, ad illam uſque, in qua ſtatio futura erat. Hinc aperta ratio colligitur, cur *Kyrie eleiſon*, ubi litaniæ agebantur, non amplius diceretur, quandoquidem in fine litaniæ, ut mox audivimus, canebatur, ut alias ad Miſſam fieri conſueverat. Id quod expreſſe in ordine I. *Rom.* apud Mabillonium ſtatuitur: „Quando litania agitur, nec „*Gloria in excelſis DEO*, nec *Kyrie eleiſon* poſt Introitum, nec *Alleluia* „cantatur, excepta litania maiore.“ Idem in ord. *Rom.* XI. in feſto Purificationis præſcribitur: „Finita antiphona a ſchola ſubdiaconus regionarius more ſolito portat crucem ad altare, & facit litaniam, reſpondente „ſchola cum acolythis. Et Dominus papa cantat Miſſam, ſed non cantatur *Kyrie eleiſon* propter litaniam.“ Hinc argumentum ſumitur, litaniam eſſe ſupplicationem cum aliqua proceſſione, dum præeunte ſubdiacono ſchola cantorum reſpondebat, quod in publicis ſupplicationibus etiam populus faciebat. Hoc clarius ponitur ibidem inferius, ratioque additur, cur *Kyrie eleiſon* tunc dictum haud fuerit, etiam in Dominica pentecoſtes: „*Kyrie* non dicitur propter letaniam proceſſionis, ubi dictum eſt *Kyrie:* „ſed ſolummodo finito hymno trium puerorum, pontifex incipit Miſſam, „*Gloria in excelſis DEO*, & reliquum.“ Quando vero canebatur *Kyrie eleiſon*, id ad nutum pontificis fiebat excelſiore voce. *Ipſe vero pontifex*, ut habetur ordine V. *cantori annuat, quando excelſiori voce* Kyrie eleiſon, *ſive* Chriſte eleiſon *dici debeat.* Ex ſuperius laudato S. Gregorii loco conſtat, toties fuiſſe dictum *Chriſte eleiſon*, quoties *Kyrie eleiſon*, ſed numerus non deſignatur, qui nempe ad nutum pontificis fuit, ut colligitur ex ordine III. „Schola vero, finita antiphona, incipit *Kyrie eleiſon*, ſed prior ſcholæ debet ad pontificem cuſtodire, quando præci-

De inſtit. cler. lib. I. c. 35.

p. 18.

p. 132.

p. 148.

p. 66.

p. 56.

„ cipiat mutare numerum litaniæ, & innuenti inclinat ſe. Quæ cum „ finita fuerit, pontifex incipit, *Gloria in excelſis DEO*, ſi tempus fuerit.“ *Kyrie eleyſon*, interim dum fiebat incenſatio, dictum fuiſſe ex Ruperto *Tuitienſi* diſcimus, quæ cum rata fuerit, certus numerus potuit ſucceſſu temporum determinari, qualem deſignat Durandus unacum myſterio: *Congrue*, inquit, *chorus laudat & invocat Trinitatem triplicando* Κύριε ἐλέησον. Ubi etiam dicit in quibusdam eccleſiis ſtatim poſt ultimum Κύριε ἐλέησον ſubiici ἡμᾶς. De hac additione nihil refert Stephanus *Eduenſis*, dum novenarii numeri myſterium declarat: „ Interim de prophetis vel apoſtolicis ſcripturis cho- „ rus DEO laudem concinit, & pneumatizando *Kyrie eleiſon* ſupplicat ſibi „ miſereri. Ter triplicatum ſignat Trinitatem angelorum, quæ triplicata „ laudem inceſſanter ſummæ Trinitati decantat. Finito pneumate choro ta- „ cente, ſacerdos ſe convertens ad occidentem clerum ſalutat & populum &c.“ Quod ibi dicit, chorum pneumatizando *Kyrie eleiſon* ſupplicare ſibi miſereri, idem etiam tum ad populum, cum ſpeciatim ad cantores refert Amalarius ſimplicius, ſed clarius myſterium Trinitatis explicando a). Sed de aliis etiam ritibus aliquid dicamus, uti iam de *Græcis* diximus, quos in frequentando *Kyrie eleiſon Ambroſianos* æmulari teſtatur Radulphus *Tungrenſis*: „ Sciendum eſt (inquit) quod *Græci* & *Ambroſiani* multum „ ad hoc frequentant *Kyrie eleiſon*. Et in Miſſa *Ambroſiana* dicitur ter „ *Kyrie eleiſon* in tribus locis poſt *Gloria in excelſis*, & poſt evangelium, „ & in fine Miſſæ. In *Romano* vero dicitur novies in uno loco, cum „ *Chriſte eleiſon*, quod *Græci* & *Ambroſiani* non dicunt. Item *Ambroſiani* „ ad eorum *Kyrie eleyſon* ad *Gloria in excelſis* ad *Credo* ad *Sanctus*, uni- „ cam ſervant notam.“ Id eſt neumas nullas adhibent. Notandum eſt diſcrimen, quod idem Radulphus *Tungrenſis* obſervat ritum inter *Romanum* & *Ambroſianum*: „ Poſt primam orationem dicit *Gloria in excelſis*, „ dein *Kyrie eleiſon*: ſed nos ordinem converſum ſervamus, poſt Introitum, „ *Kyrie eleiſon*, & *Gloria* deinceps orationes dicentes.“ In officio *Mozarabico* deprehendi quidem, quod officium veſperarum incipiat a *Kyrie eleiſon*, ac etiam repetat, in Miſſa tamen S. Iacobi illius ritus, quæ habetur T. XXVII. Bibliothecæ Patrum *Lugdun.* nuſpiam invenio. Mabillonius

L. I. de off. c. 29. — *L. IV. c. 12.* — *Ib. n. ult.* — *De Sacram. Euch. c. 12.* — *L. III. de eccleſ. off. c. 6.* a — *Prop. 23. de canon. obſerv.*

a) „ Ac ideo (inquit) dicant cantores *Kyrie eleiſon* Domine Pater miſerere. *Chriſte eleiſon miſerere*, quia nos redemiſti ſanguine tuo. Et iterum: *Kyrie eleiſon* Domine Spiritus ſancte miſerere. Poteſt & ſimpliciter intelligi de *Kyrie eleiſon* neceſſario conſtitutum eſſe a præceptoribus eccleſiæ, ut cantores poſt finitam antiphonam deprecentur Domini miſericordiam, quod deprimat inanem iactantiam, quæ ſolet ſequi cantores. Habent enim quandam exultationem propter egregiam compoſitionem melodiarum, & non humiliationem lectionis, qua illuminantur ad ſtudium humilitatis.“ Hæc ad verbum repetuntur in uſibus *Farfenſibus*, additurque: „ In omnibus igitur peractis officiis ſequatur *Kyrie eleiſon* ante orationem dominicam.“ Quod etiamnum ſervatur.

nius in liturgia ſua *Gallicana*, ad antiquiſſimum lectionarium *Luxovienſe legenda in depoſitione &c.* præter morem *Kyrie eleiſon Chriſte eleiſon Kyrie eleiſon* ad oblationem dici obſervat. p. 164.

XI. Mentio etiam adhuc eſt iniicienda interpolationum inter *Kyrie eleiſon* adhiberi ſolitarum, quales in appendice ſua ad antiphonarium *Romanum* exhibet *Ioſ.* Cari ad dominicas duas Quadrageſimæ. Ad Dominicam I. Quadrageſimæ ſic incipit: *Kyrie eleyſon Domine DEUS Omnipotens patrum noſtrorum Kyrie eleiſon.* Et Dominica ſecunda in Quadrageſima: *Kyrie eleiſon DEUM Patrem, Filiumque eius Dominum IESUM Chriſtum & Spiritum Sanctum devotis animis invocemus Kyrie eleiſon &c.* Quæ tamen potius genus aliquod antiquarum litaniarum eſſe videntur, atque a communibus illis *tropis* differunt, qui fuerunt multis ſæculis uſitati: cuiusmodi paſſim in antiquis MSS. antiphonariis cum notis muſicis deprehendi: *Kyrie fons &c.* Item *Omnipotens* &c. & quos alios Cardinalis Bona habet. Ex dictis vero ſuperiore capite de *tropis* eiusmodi patet, falſum fuiſſe doctiſſimum Cardinalem, dum ſibi ante ſæculum XIII. uſitatos non fuiſſe perſuadet; ipſe contra deceptum fuiſſe credit *Ioan.* Bromtonum abbatem *Ciſtercienſem* inter ſcriptores rerum *Anglicarum* p. 879. editum, aſſerentem, B. Dunstanum ſemel ſoporatum angelos audiſſe cum ſuavi nota *Kyrie eleiſon* pſallentes, cuius modulos harmoniæ adhuc contineat *tropus* ille apud *Anglos* famoſus, *Kyrie rex ſplendens*, qui in maioribus feſtis Sanctorum cantari ſoleat. De modulis harmoniæ loquitur, qui ſervati ſunt ſubſcriptis verbis ſeu *tropis.* De aliis mox dicemus, inter *Gloria in excelſis* dici ſolitis. Singularis vero eſt apud Pamelium ad finem T. I. liturgiar. qui utrumque continet, *Kyrie eleiſon* & *Gloria in excelſis,* non talis quidem, quales inſulſos eiusmodi Tropos invenire eſt. Aliquando etiam græca verba ſunt intermixta, veluti: *Kyrie O theos &c.* ut in cod. *San-Emeranenſi,* ex quo paulo ante *tropos* ad Introitum deſcripſi, poſt quos *Incipiunt* verſus ſuper *Kyrie eleiſon.* In cod. *Vindobon.* theol. 685. ſcripto ſub Ottone *Imp.* cum notis muſicis inter *Kyrie tropi* partim latini, partim græci notantur. In *Weingartenſi* ad natale Domini pariter reperi cum notis muſicis. Specimen addo ex codice *S. Galli* pulcherrimo illo ſæc. X. in quo cum notis itidem muſicis ad feſtum Innocentum *tropi* ſunt compoſiti:

Tropi ad Kyrie eleiſon.

p. 244. &c.

Rer. liturg. lib. II. c. 4.

Kyrie eleiſon. Pater infantium.
Kyrie eleiſon. Refectio lactantium.
Kyrie eleiſon. Conſolatio pupillorum.
Chriſte eleiſon. Imago Genitoris.

Chri-

Chriſte eleiſon. Abolitio facinoris.
Chriſte eleiſon. Reſtauratio plaſmatis.
Kyrie eleiſon. Fomes charitatis.
Kyrie eleiſon. Plenitudo probitatis.
Kyrie eleiſon.

Ex MS. *San-Blaſ.* 400. circ. ann. ſpecimina damus ſingularia cum notis muſicis ac contrapuncto.





XII. Mox expleto *Kyrie eleiſon* ſacerdos iubetur imponere hymnum angelicum *Gloria in excelſis*, *Cumque*, ut habetur in vita Caroli M. auctore monacho *San-Gallenſi* c. 20. *præmiſſis melodiis iuxta miniſterium ſuum imponere debuiſſet hymnum angelicum &c.* Quod iuxta ordinem *Romanum* factum fuit hoc medio ævo converſa ad populum facie: „Quando vero „finierint, dirigens ſe pontifex contra populum incipit *Gloria in excelſis* „*DEO* : & ſtatim regyrat ſe ad orientem uſque dum finiatur:" Proſequente nimirum choro. „Litania finita (ut habetur in altero ordine) in-

Gloria in excelsis Deo.

Ord. I. n. 9.

Ord. II. n. 6. „ cipit ſolus pontifex clara voce hymnum *Gloria in excelſis DEO,* ſi tem-
„ pus fuerit: Deinde vero totus reſpondet chorus. "

Angelicum prius hic ſacrifex pater incipit hymnum
Inceptum complet vociferando chorus.

Ut canit Mauricius *Senonenſis*, ſeu Petrus *Venerabilis* ex ſententia I. *Alberti* Fabricii, qui carmen illud de Miſſa edidit ad calcem bibliographiæ antiquariæ. Non ineptum huius rei Durandus pandit myſterium. „ Sane
L. IV. c. 13. „ (inquit) ſacerdos primus & ſolus illud inchoando pronuntiat, qui angelum „ magni conſilii præſentat. Nam ortum Salvatoris ſolus angelus, cuius per- „ ſonam ipſe gerit, primo nuntiavit . . . Chorus vero concinendo re- „ ſpondens gerit perſonam multitudinis, de qua in evangelio ſequitur: *Subito facta eſt cum angelo multitudo cœleſtis militiæ laudantium Deum.*" Dicit ibidem Durandus Sacerdotem ſe ad Orientem vertere dicendo *Gloria in excelſis,*
L. III. de Eccl. Off. c. 8. cuius rei etiam rationem affert Amalarius, cum econtra iuxta laudatum ordinem *Romanum* verſus populum ſe dirigendo poſtea ſe regyrare dicatur ad Orientem. Patet autem ex mox ſequentibus verbis ſenſus: „ Poſt hoc di- „ rigens ſe iterum ad populum dicens *Pax vobis*, & regyrans ſe ad Orien-
p. 27. „ tem &c. " Ioannes *Abrincenſis* in libro de Officiis eccleſiaſticis „ *Gloria* „ *in excelſis* (inquit) in feſtis, excepto Adventu, & Quadrageſimæ tempore, „ ſemper poſt *Kyrie eleiſon* ſacerdos ad Orientem verſus incipiat . . . hy- „ mnum vero præfatum chorus celebriter canendo expleat." Obſervat Paris *de Craſſis* apud Mabillonium, vetuſtiſſimum eſſe capellæ papalis morem, ut eodem tono invariato cantetur hymnus angelicus his notis *ut re fa fa fa mi fa ſol mi, ſol fa mi mi,* quæ eſt melodia hodieque uſitata in feſtis quibusvis duplicibus, & maioribus. Iam notavi ſolere in capite Sacramentariorum, ex authentico bibliothecæ cubiculi hac media ætate deſcribi ſolitorum, rubricam poni, qua epiſcopis quidem diebus feſtis & dominicis, presbyteris autem minime, niſi in paſchate dicere conceditur *Gloria in excelſis.* Idque in variis etiam ordinibus *Romanis* cavetur, etſi alia etiam presbytero agenda permittantur, quando in ſtatione Miſſas faciebat. „ Si-
p. 17. „ militer (ut habet Ordo I.) etiam & a presbytero agitur, quando in ſtatio- „ ne facit Miſſas, præter *Gloria in excelſis*: quia a presbytero non dicitur
p. 18. „ niſi in paſcha." Et mox iterum: Item de eo, quod *Gloria in excelſis Deo* „ uſque in caput Quadrageſimæ in dominicis diebus cantatur. A presbyte- „ ris vero *Gloria in excelſis Deo* minime cantatur, niſi ſolum in paſcha." Berno *Augienſis* impugnans hanc prærogativam epiſcoporum, ſibi laudatam

præ-

prætitulationem, ut vocat, Miſſalis obiicit a). Ex eoque colligitur, tantum *Romanos* presbyteros ſic fuiſſe arctatos b). Oportet ſane, non admodum pervagatum fuiſſe hunc ritum, nec diu duraſſe: non enim ita multo poſt BERNONEM, qui undecimo vixit ſæculo, MICROLOGUS, ſeu IVO *Carnotenſis*, qui floruit ſæculo duodecimo, & DURANDUS ſæculo XIII. nullum presbyteros inter & epiſcopos diſcrimen ponunt. „In omni feſto (inquit „ille) quod plenum habet officium, excepto intra Adventum Domini, & „Septuageſimam, & natale Innocentum: tam presbyter quam epiſcopus „*Gloria in excelſis* dicunt. Quod etiam nunquam poſt meridiem legitur „dicendum, niſi in Cœna Domini, ubi chriſma conficitur, & in ſabbatis „Paſchæ & Pentecoſtes.“ Id diu videtur obtinuiſſe in eccleſia, ut ſoli epiſcopi in Cœna Domini dicerent *Gloria in excelſis* more etiam *Romanæ* eccleſiæ iuxta reſcriptum NICOLAI P. ad RADULPHUM archiepiſcopum *Bituricenſem* apud GRATIANUM; „Porro *Gloria in excelſis Deo* ab epiſcopis in „Cœna Domini inter Miſſarum ſolemnia more noſtro dicenda eſt.“ Teſtatur de eo more DURANDUS, ſed ex quorundam tantum ſententia: „Et hoc „(inquit) in eccleſiis, in quibus chriſma conficitur, & non in aliis: pro- „ut quidam dicunt.“ Quod autem dicit MICROLOGUS non dici *Gloria in excelſis* poſt meridiem, de diebus ieiunii intelligendum eſt, quando hora nona aut veſpertina Miſſa agebatur, alias hora tertia. Unde DURANDUS: „Quidam „(inquit) dicunt non eſſe cantandum in Miſſa, niſi in hora tertia, quia tunc „Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcendit, & eos gloria & exultatione „replevit.“ Sed magis nativa eſt ratio, quæ in antiquo ordine *Romano* ad „uſum monaſteriorum apud MARTENIUM & MURATORIUM redditur: „Omni „vero tempore quando ieiunium faciunt, & hora nona Miſſas celebrant, „nec *Gloria in excelſis Deo*, nec *Alleluia* canuntur.“ Adhuc aliquoties ibi occur-

a b *Microl. c. 2.* *De conſecr. d. I. c. 56.* *L. VI. c. 71.* *L. IV. c. 13. n. 5.* *T. V. anecd. p. 103. &c. T. II. p. 392. &c. lit. Rom.*

a) „Nunc (inquit de quibusdam rebus ad Miſſam ſpectant. c. 2.) ſtylus ad movendam quæſtionem ſe vertat, ad quam totus hactenus ſermo habitus intendebat, videlicet, cur non liceat die dominico vel natalitiis Sanctorum presbyteros illum hymnum canere, quem nato in carne Domino angeli cecinere dicentes: *Gloria in excelſis DEO.* Quodſi conceſſum eſt illum cantare in paſcha ſecundum prætitulationem miſſalis, non multo minus licitum puto in nativitate Domini, quando primum cœpit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab angelis canebatur in cœlis. Proferant contradictores in medium, ubinam ſit a ſanctis Patribus, vel ab ipſo ſanctiſſimo Papa GREGORIO interdictum, & ſi ad hæc reſpondere non valemus, merito manus damus. (Et poſtea): ſuper hæc omnia cum in capite libri miſſalis, quando presbyteri *Romani Gloria in excelſis DEO* canere & non canere ſoleant, legimus ſolummodo prætitulatum, nusquam autem vel a beato papa GREGORIO, vel aliquo ſanctorum Patrum nobis interdictum puto, quin omni die Dominica vel in Sanctorum natalitiis liceat nobis ſæpe dictum hymnum canere ad augmentum laudis divinæ.“

b) „Nam (ait) ſi ideo, ut ſæpe dictum illum angelicum hymnum prohibemur in feſtivis diebus canere, eoquod *Romanorum* presbyteri non ſolent eum canere, poſſumus ſimili modo poſt evangelium ſymbolum reticere, quod *Romani* uſque ad hæc tempora divæ memoriæ HENRICI imperatoris nullo modo cecinerunt.“

occurrunt *Gloria in excelſis* & *Alleluia* pariter canenda, aut omittenda. Quod ea religione eſt ſervatum, ut pontificio indultu opus fuerit, ſi vel in præcipuis feſtis cani liceret: cuiusmodi Breve apoſtolicum a COELESTINO III. an. 1198. datum in archivio *San-Blaſiano* ſervatur, quod hic exſcribendum ducimus a). Iungitur *Sequentia*, cum vice *Alleluia* cantetur, quod pariter in Septuageſima omittitur. De quibus LEO IX. apud GRATIANUM: *De conſecr. diſt. I. c. 55.* „ Hi „ duo ſolummodo hymni ab angelis in novo Teſtamento inveniuntur decantati, *Alleluia*, atque *Gloria in excelſis Deo.* Quos pariter in Septuageſima intermittimus, quia peccato hominis veteris a conventu angelicæ iubilationis expulſi in huius miſeræ vitæ Babylonem, ſuper flumina eius ſedemus, & flemus, dum recordaremur illius *Sion*, in qua Deum „ decet hymnus.“ HONORIUS *Auguſtodunenſis* eandem rationem myſticam adhuc magis enucleans, „ Nos (ſubiungit) iſtis diebus *Alleluia*, & *Gloria in* *Explic. Miſſæ c. 6.* „ *excelſis*, quæ ſunt cantica lætitiæ, non canimus.“ HUGO Card. eandem rationem de eodem tempore, atque etiam de Adventu Domini tangit, cum hoc diſcrimine, quod in Adventu *Alleluia* non omittatur. „ Sed notandum „ (inquit) quod in Adventu Domini non cantant *Gloria in excelſis Deo.* Per „ quod repræſentatur mœſtitia veterum patrum propter tædium exſpectationis Incarnationis Domini. Cantatur autem *Alleluia:* quia habebant ſpem *c. 30.* „ liberationis.“ MICROLOGUS etiam *Te Deum laudamus* iungit, quod pariter ſolemne eſt lætitiæ canticum b). In ordine *Romano* XI. apud MABILLONIUM p. 132. de Septuageſima: „ Deinceps tacetur *Te Deum*, & *Glo-* „ *ria in excelſis Deo*, niſi fuerit feſtivitas novem lectionum.“ Verum ante de officio & Miſſa pontificali, etiam in Adventu, agens, teſtatur p. 120. can-

a) COELESTINUS epiſcopus ſervus ſervorum DEI. Dilectis filiis abbati & conventui S. BLASII in *Conſtantienſi* diœceſi conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Licet ſingulis diebus Domino debeamus canticum iubilationis exſolvere, SS. Patrum tamen inſtitutio deliberatione provida ordinavit, ut in diebus feſtivis cum maioribus debeamus modulationibus decantare & quæ in ſolempnitatibus eſſent a fidelibus depromenda atque aliquo tempore reticenda diſpoſitione mirabili ſtabilivit. Verum in hoc devotionem veſtram in Domino multipliciter commendamus, quod ab apoſtolica ſede, penes quam diſponente Domino plenitudo reſidet poteſtatis, concedere vobis humiliter poſtulaſtis, ut in Annuntiatione & Purificatione beatæ Virginis, feſto S. BLASII vobis liceat, cum infra ſeptuageſimam evenerint, *Gloria in excelſis Deo* & ſequentiam ad Miſſam cantare. Nos igitur veſtris petitionibus annuentes, auctoritate præſentium indulgemus, ut liceat vobis in feſtivitatibus ante dictis *Gloria in excelſis Deo* & ſequentiam in Miſſarum ſolempniis decantare: devotionem veſtram attentius commonentes, ut ſicut voce cupitis angelici cantici eſſe participes, ſic vos tales exhibeatis in opere, quod in æterna patria angelorum poſſitis faciente Domino conſortia adipiſci. Datum *Laterani* VI. Id. *April.* Pontificatus noſtri anno ſeptimo.“

b) „ Ab adventu Domini uſque ad nativitatem eius *Te DEUM. laudamus*, *Gloria in excelſis Deo*, *Ite Miſſa eſt*, dimittimus: quia maior gloria eſt novi Teſtamenti quam veteris, cuius typum infra Adventum Domini obſervamus.“ Et poſtea c. 46. „ ſemper autem eum *Gloria in excelſis Deo* etiam *Te DEUM*, & *Ite Miſſa eſt*, recitamus: niſi de nativitate Domini in nocte, & in cœna Domini, & in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes.“

cantatum *Te Deum laudamus*, pontificemque cantare Miſſam cum *Gloria in excelſis Deo*, ſicut in aliis dominicis, uſque ad natalem Domini. RADULPHUS *Tungrenſis* rationem reddit, cur hymnus *Te Deum laudamus* ſequatur hymnum *Gloria in excelſis* a). De ritu *Ambroſiano* eorum tempo- a
rum, ut alias ſolet, nihil addit. BEROLDUS vero *Mediolan.* de ordine & cæremoniis eccleſiæ *Ambroſianæ Mediolanenſis* ſic explicat poſt acceſſum *Apud Muratorium T. IV. antiq. It. medii ævi p. 870.* ad altare, incenſum, & confeſſionem. „Quo facto magiſter ſcholarum „ incipit ingreſſam, qua finita archiepiſcopus, aut presbyter ebdomadarius „ dicit: *Dominus vobiſcum.* Sequitur *Gloria in excelſis*, & magiſter ſcho„ larum canit totam gloriam, excepto in præcipuis ſolemnitatibus, quando „ canit tantum uſque ad *Suſcipe deprecationem noſtram*, a qua lectores ca„ nunt excelſa voce uſque in finem. Tunc magiſter ſcholarum dicit ter „ *Kyrie* cum pueris ſuis. Sequitur oratio ſuper populum &c." Cum ritu *Romano* convenit *Mozarabicus*, antiquiſſimo more; cum iam ETHERIUS epiſcopus & BEATUS presbyter lib. I. adverſus ELIPANDUM teſtimonium dent, hymnum hunc ſeu doxologiam in *Hiſpania* cantari conſueviſſe diebus dominicis, & quibusdam feſtivitatibus. Id ſingulare habet ROBLESIUS in vita Card. XIMENII: „Die Dominica Adventus S. IOANNIS BAPTISTÆ *c. 27.* „ non dici *Gloria* in Miſſa; verum eius locum ſubire canticum *Benedictus* „ *Deus Iſrael &c.* Sed aliis diebus poſt dictum *Gloria* recitari orationem." In ſacramentario *Gallicano* apud MABILLONIUM legitur cum hac rubrica: *T. I. Muſ. Ital. P. II. p. 281.* Gloria *ad Miſſam decantanda. Græci* canunt in matutinis laudibus, ut etiam in nonnullis antiquis regulis præſcriptum olim fuiſſe ſuperius memini. At nec apud illos quotidie cantatur. PHILOTHEUS patriarcha in ordine ſacri miniſterii, quomodo videlicet ſacerdoti diaconus miniſtrat in celebribus veſperis, matutino, & Miſſa, mox initio tempora decernens, quibus diaconus ſacro in ornatu ſeu veſtitu miniſtret: *Nec non*, inquit, *in matutinis, in quibus magna glorificatio* (δοξολογία) *canitur.* Singulare eſt, quod DURANDUS dicit, quando omnia ea recapitulat, quæ hactenus ſecundum morem *Romanum* de canendo certis temporibus hymno angelico retulimus. „ Epiſcopus tamen *Bethleemitanus* ex abuſu omni die & omni Miſſa, & *L. IV. c. 13.* „pro

a) „Quoniam (inquit Propoſ. 13. de canon. obſerv.) hymnus *Te DEUM laudamus* pariter reſonat laudem ſanctæ Trinitatis, ſicut hymnus *Gloria in excelſis*, ideo *Romana* obſervatione introducta eſt regula, ut hi duo hymni pariliter unus in laudibus, & alius in Miſſa debeant cantari, & pariter intermitti, ut ponit beatus INNOCENTIUS papa tertius, extra de celebratione Miſſæ capite Concilium, in fine: Ubi idem papa aliam dat nobis auctoritatem: ut ſicut ad feſtivitates dominicales & Sanctorum hi duo hymni ſuis temporibus decantantur, ita eisdem temporibus in diebus profeſtis, hoc eſt procul a feſtivitate ſcilicet in diebus privatis, quando tres fiunt lectiones, dicti duo hymni cantari non debent, ut inter commemorationem & ſolemnitatem differentia oſtendatur. Et hoc debent obſervare, qui diligunt decorem domus DEI."

„ pro eo, quod hymnus ille, Luca teſtante, primo in *Bethleemitana* regione cantatus eſt.“

Græce & cum Tropis.

XIII. In S. Dionysii monaſterio prope *Pariſios* ſolet doxologia hæc cum integra liturgia græce decantari in præcipuis feſtivitatibus, vidique in antiquiſſimo ſacramentario cum notis antiquis muſicis, litteris latinis, uti etiam in MSS. *San-Gallenſi*, *San-Emerano*, *San-Blaſiano*, & nonnullis aliis. Frequentes hac media ætate fuerunt eius interpolationes, quas Tropos vocarunt, cuiusmodi in multis manuſcriptis reperi. Singularis autem eſt in celebri cod. bibl. *Angelicæ Romæ* ſæc. IX. inſcriptus *Ad pontifex.* „Paſtor „ bone veni ante ſacrum & ſanctum altare ut in laude regis regum vocem „ tuam prior emittere digneris ſupplices te rogamus eia dic Domine: „ *Gloria in excelſis Deo.*“ Directo nempe ad pontificem, celebrantem ſacra, cantu, cuius erat inſonare *Gloria in excelſis.* Sequitur totus hymnus angelicus cum Tropis. Alia ſpecimina addo ex cod. *Vindobon.* theol. 685.
a ſcripto ſub Ottone Imp. a). Conſervati ſunt eiusmodi Tropi prope ad præ-
Liturg. T. I. p. 611. 614. ſens ævum, ſed fere tantum de B. M. V. Singulares ſunt apud Pamelium Tropi: alter in nativitate Domini, *Gloria in excelſis &c. laus tua Deus reſonet coram te rex &c.* alter item in dedicatione baſilicæ, *Gloria in excelſis Deo. Quem cives cœleſtes ſanctum clamantes laude frequentant.* Eſt penes me miſſale MS. decimi tertii circiter ſæculi cum notis muſicis variis modis, ſed nullis alias interpolationibus, excepta unica iſta parva additione poſt *fili unigenite* „ſalus noſtra.“ Paris *Craſſus* refert in cæremon. ſum. Pont. c. 67. Nicolaum V. prohibuiſſe, ne in ſua capella *Gloria in excelſis* cum illis interpolationibus diceretur. Huc referendum puto Innocentii IV. breve, quod hic, a *Ioſ.* Garampio archiviorum apoſtolicorum præ-
b fecto mecum communicatum, ex T. III. litterarum, epiſt. 377. edo b).

So-

a) „ *Gloria in excelſis DEO & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Odas pangimus tibi almus rex angelorum. *Laudamus te* qui formaſti polum una ſolum feciſti. *Benedicimus te* O rex glorioſe, qui cuncta creaſti. *Adoramus te.* O mater digniſſima Maria, quæ DEUM protuliſti. *Glorificamus te.* Ex utero virginali Xpm̃ genuiſti auctorem. *Gratias agimus tibi &c.* “ Ut nunc, cum notis muſicis.

Item in angelicum carmen

„ Dies noſtros Domine diſpone in pace. *Laudamus.* Laus tua DEUS reſonet coram te rex. *Benedicimus te.* Qui veniſti propter nos rex angelorum DEUS. *Adoramus* In ſede maieſtatis tuæ. *Glorificamus* veneranda Trinitas. *Rex cœleſtis* glorioſus es rex in throno Patris tui. *Dñe fili* clamamus ad te Dñe, ne tardes ſubvenire. *Ihũ Xpẽ* Deus fortis & immortalis. *Deprecationem.* Auxiliare nobis Dñe *Qui ſedes* Dñe Ds redemptor Israhel. *Miſerere.* Cœleſtium terreſtrium & infernorum rex. *Tu ſolus altiſſimus.* Regnum tuum ſolidum permanebit in æternum (cum notis muſicis).

b) Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum DEI venerabilibus fratribus epiſcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, & aliis eccleſiarum prelatis, ac rectoribus, eorumque capitulis, & collegiis in terra dilecti filii viri marchionis *Miſnenſis* conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum in ſummi regis palatio virgo ſe glorioſam pro nobis iugiter exhibeat advocatam,

Solebant vero, ut alias notavi, loco neumatum fieri eiusmodi interpolationes, hinc etiam Tropi vocati, ſicut & ſequentiæ, ut poſtea videbimus, inde ortum traxerunt. Iuxta RADULPHUM *Tungrenſem* ſicut *Ambroſiani* ad *Kyrie eleiſon*, ad *Gloria in excelſis*, ad *Credo*, ad *Sanctus* unicam ſervant notam, id eſt cuique ſyllabæ unam tribuunt notam, ita & de *Gloria in excelſis*, & *Sanctus in graduali beati* GREGORII *Romæ paucæ ſunt notæ. Et credendum, quod plures notæ ſecularium ſuper illis ſine auctoritate exiſtant. Ideo humilitati locorum veſtrorum congruere videretur, ut ſuper illis ſequeremini Carthuſienſes.*

XIV. In Miſſa antiqua ex codice *Tiliano* apud *Hugonem* MENARDUM, appendice ad lib. Sacramentor. p. 249. S. GREGORII P. habetur oratio „ interim dum *Gloria in excelſis Deo* cantatur. (Et:) Poſt Collectam uſque „ ad evangelium prout ſibi videtur, dicit has orationes &c.“ nimirum dum interim Graduale cantabatur, uti poſtea: „Dum canuntur Offertoria, aſcen- „ dat ad altare, & humillime dicat hanc orationem.“ Idem obſervatur in Miſſa ab ILLIRICO edita: „Donec cantentur verſus ad Introitum, & *Kyrie* „ *eleiſon*, & deinde *carmen angelorum.* (Poſtea) finita angelica laude, miſ- „ ſalem orationem dicat ſacerdos. Deinde lectio recitetur, & inter lectio- „ nem & evangelium, id eſt tempore Gradualis & *Alleluia* ac Sequentiæ, Epi- „ ſcopus dicat has orationes &c. (Multis interiectis) quamdiu Offertorium „ & verſus canuntur, has dicat orationes &c. (Præfatione finita) quando alii „ *Sanctus* decantant, hæc oratio curſim dicenda eſt a Sacerdote &c.“ Similes orationes videntur eſſe apud MABILLONIUM in Sacramentario *Gall.* immediate poſt hymnum *Gloria in excelſis* poſitæ eumque reſpicientes: *Deus, cui merito & in excelſis & in terra, utriusque loci incolis Gloria decantatur &c.* Item alia: *Deus, cui merito & angeli in cœlis & homines in terra debito famolato conlaudant: cuius ſanctum nomen ſuper omne nomen exaltatum fidele*

De orationibus, & ſalutatione cum reſponſione populi.

T. I. Muſ. Ital. P. II. p. 281.

feliei cum patrocinio nobis clementer flectens ad veniam, quem humanus exceſſus interdum graviter provocat ad vindictam, non debet ab ipſius lingua carnis laudibus ſe aliquatenus continere, quin ei pro tam placido munere gratiarum ſurgat ad debitum, ut dampnoſæ ingratitudinis caute vitare valeat detrimentum. Sane dilectus filius nobilis vir. . . marchio *Miſnenſis* ſinceritate, qua decuit, revolvens in animo, ut quem ad ipſam habet devotionis affectum evidenter exprimeret, eamque pro ſuæ poſſibilitatis modulo congruis obſequiis honoraret, ſuper *Kyrie eleiſon*, & *Gloria in excelſis Deo* cantum novum ediſiſſe proponitur, ut cappellæ ſuæ clerici eo in Miſſarum ſolempniis eiusdem Virginis uterentur; & quia tamen ipſum ex parte ipſius marchionis preſentatum, quem coram nobis cantari fecimus, Deo gratum, & hominibus acceptum invenimus, ipſum ob inventoris devotionem, quæ, dum ſpiritu Dei dicitur, muſicæ regulis non artatur, duximus approbandum, cantandi & faciendi eum cantari vobis in præmiſſis ſolempniis libera facultate conceſſa. Ad maiorem vero certitudinem præmiſſa *Kyrie eleiſon*, & *Gloria* ſub ipſo cantu vobis ſub bulla noſtra mittimus intercluſa. Datum *Laterani* X. Calendas *Februarii* Pontificatus noſtri anno undecimo.

fidele exultatione concelebrant &c. Potius hæ orationes alludunt ad cantum *Gloria in excelſis*, quam poſſint haberi communes collectæ, ritu *Romano* ſubiungi ſolitæ immediate poſt hymnum angelicum, ſalutatione præmiſſa: p. 72. „Igitur (ut habetur in Ordine *Romano* VI.) cum *Gloria in excelſis* percanta- „bitur, & pontifex ſe ad populum *Pax vobiſcum* dicturus convertit, diaco- „ni ſimiliter cum eo ſe converſuri ſunt." Iuxta epiſtolam Leonis VII. ad T. IX. conc. p. 596. conſultationem epiſcoporum *Galliæ* & *Alemanniæ*, quando in Dominicis, & principalibus feſtis *Gloria in excelſis* canitur, epiſcopi ſalutant *Pax vobis*, in Quadrageſima vero, Quatuor temporibus, vigiliis Sanctorum, & aliis ieiunii diebus *Dominus vobiſcum.* Ad quam ſalutationem ſolemnis ſemper fuit populi reſponſio, de qua ingruentibus hoc medio ævo privatis Miſſis dubitatum fuit, an non plures eſſe deberent reſpondentes. In Ahytonis epiſcopi Spicil. T. I. in fol. p. 584. *Baſil.* capitulari apud Dacherium ſtatuitur, *ut ad ſalutationes ſacerdotales congruæ reſponſiones dicantur, ubi non ſolum Clerici, & Deo dicatæ ſacerdoti reſponſionem offerant, ſed omnis plebs devota conſona voce reſpondere debet.* Ivo *Carnotenſis* in ſuo Micrologo eadem verba ex Concilio *Aurelianenſi* citat, ubi ex ipſis verbis *Dominus vobiſcum* rationem colligit, plures debe- c. 2. re eſſe, qui reſpondeant. „Notandum (inquit) ex his verbis, plures eſſe „debere reſpondentes, & unum ſalutantem. Sicut enim inepte reſpondere- „tur: *Et cum ſpiritu veſtro*, cum unus eſſet ſalutator; ſic incongrue ſalu- „tatur per *Dominus vobiſcum*, cum unus tantum adſit, vel nullus." Laudat Prop. 23. hunc locum Micrologi Radulphus *Tungrenſis.* Ac deinceps diu multumque fuit diſputatum etiam quoad privatam divini officii recitationem, quam vindicat Petrus *Damiani* peculiari libello, qui appellatur *Dominus vobiſcum.* De quo nihil opus eſt hic dicere, agentibus de ſolemni liturgiæ cantu, ad quem pertinent ſalutationes, reſponſionesque, plerumque ante preces a ſacerdote dicendæ, ad quas olim, præſertim apud *Græcos*, ſolemni diaconorum acclamatione populus excitabatur: quæ etiamnum προσφωνήσεις, *acclamationes* vocantur, & apud *Latinos* in hoc diſtinguuntur a *ſecretis* collectis ante *præfationem;* quæ tamen teſte Radulpho Propoſ. 23. *Tungrenſi* ritu *Ambroſiano* etiam *alte* dicebantur: „*Ambroſiani* (inquit) „hoc loco habent prolixas & plures orationes. Secretæ orationes dicun- „tur eo ordine, quo & primæ. In *Ambroſiano* dicuntur alte." *Io.* Vasæus chron. *Hiſpan.* ad an. 717. de oratione, quæ ritu *Mozarabico*, *Romano* more, mox poſt hymnum *Gloria in excelſis* dicitur: „Sacerdos cantando „dicit *Per omnia ſemper ſæcula ſæculorum.* Neque ante orationem dicitur „*Oremus*, neque in fine *Per Dominum*, ſed tantum reſpondetur *Amen.*" In oratione etiam ſecreta ritu *Romano* poſtrema ſaltem verba alte ac cum cantu pronunciantur, ut populus reſpondendo vota ſua coniungat. Taceo

ceo eorum opinionem, qui ſecreta ideo tantum dici putant, quod a cantu diſtinguantur, quo reliquæ orationes in ſolemni liturgia quadam ſaltem modica inflexione cani ſolent a celebrante totius populi nomine, ad id invitati voce *Oremus*, & poſtea vota coniungentis ſolemni acclamatione *Amen.* Ubi diſcrimen notat Durandus inter *Amen*, quod ſacerdos in ſilentio ſolet dicere poſt orationem dominicam; alias vero populus conclamat: „In „ aliis vero (inquit) orationibus, quæ in officio eccleſiaſtico dicuntur, *Amen* „ exprimit potius affectum optantis, ideoque in illis congrue profertur a „ populo, a quo optatur, quod in illis a ſacerdote orante poſtulatur. Pro- „ fert tamen hic ſacerdos *Amen* ſub ſilentio.“ Hoc ideo refero, ut pateat media hac ætate populum ſaltem voces ſuas coniunxiſſe adhuc (uti indiſcriminatim factum fuiſſe primo eccleſiæ tempore ſuperius vidimus) in ſolemnibus eiusmodi reſponſionibus, quando alias cantus eccleſiaſticus modulatior ad cantores rediit, muſicæ artis peritos, longoque uſu exercitatos, quod maxime tunc opus fuit, quando tanta difficultate, ut poſtea videbimus, cantus eccleſiaſticus diſci potuit.

L. IV. c. 48. n. 21.

XV. Hic referendum eſt, quod in ord. *Rom.* IX. apud Mabillon. *Muſ. Ital. T. I. p.* 92. de ordinatione pontificis præſcribitur: „Stans vero „ in gradibus ipſius ſedis elevata voce dicit, *Gloria in excelſis Deo.* Poſt „ hæc, data pace, ſchola cantorum canit ei laudem, & patroni regionum „ ſimiliter.“ Eo pertinent litaniæ, quas haud raro reperi in MSS. *Vindobon. San-Emeran. Francoford. San-Gallenſi*, & apud Goldastum a). In pontificali vocatur *Triumphus* apud Martenium, præcipuis feſtis in inſignioribus eccleſiis decantari ſolitus. In officio *Mozarabico* poſt *Gloria in excelſis* in paſchate *Sanctus Deus qui ſedes ſuper Cherubim &c.* cum pluribus verſiculis occurrit. Sapit hoc *Græcorum* ritum, qui ante lectionem hymnum ter ſanctum ἅγιος ὁ Θεὸς κ.τ.λ. *Sanctus Deus &c.* canunt, & in celebrioribus feſtis ἑτέραν δόξαν præmittunt, nimirum δόξα πατρὶ κ.τ.λ. *Gloria Patri &c. Et poſtea legitur Apoſtolus.*

Laudes cum litania *Chriſtus vincit &c.* apud Græcos hymnus ter Sanctus, doxologia.

a *Marten. de antiq. eccl. diſc. c.* 25.

XVI.

a) *Finita oratione poſt* Gloria in excelſis Deo *dicit Sacerdos:* Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, *tribus vicibus ſimiliter & clerus.* Exaudi Chriſte ℟. Nicolao ſummo pontifici & univerſali papæ vita. Salvator mundi. ℟. Tu illum adiuva. S. Petre ℟. Tu illum adiuva &c. Exaudi Chriſte ℟. Omnibus indicibus vel cuncto exercitui *Francorum & Alemannorum* vita & victoria. S. Hylari ℟. Tu illos adiuva &c. Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat &c &c. In cod. *San-Emeran.* ſæc. X. inſcrib. *laudes cum letania* Xps vincit Xps regnat &c. Ter N. ſereniſſimo regi &c. &c. Ter N. iocundiſſimæ reginæ ſalus & vita. S. Gabriel. Tu illum adiuva &c. &c. Domno N. abbati & univerſæ congregationi S. Emmerammi ſalus & vita. S. Martine. Tu illos adiuva &c. *T. II. antiq. Aleman. p.* 147.

Lectiones, & cum eis coniunctus cantus.

XVI. Lectionum ex utriusque ſcripturæ paginis ſicuti primarius fuit
a prima eccleſiæ ætate uſus, antequam etiam fixus fuit pſalmorum, alio-
rumque eccleſiaſticorum canticorum ritus, ita deinceps per hæc media ec-
cleſiæ tempora ubique eſt pulcherrima inter divinarum laudum cantica
viciſſitudine intermixtus, in Oriente pariter ac Occidente. De Oriente te-
a ſtis eſt nobis *Nicolaus* CABASILAS a). Triplicem lectionem in eccleſia *Græ-
ca* numerat *Georgii* PACHIMERIS Paraphraſis in illud DIONYSII de Hier. eccl.
c. 3. *lectio tabularum ſanctarum ſcripturarum.* „Deinde (inquit) per lecto-
„res (illos enim vocat liturgos, id eſt miniſtros) divinarum ſcripturarum
„prophetiarum, apoſtoli, & divini evangelii fit lectio.“ In Miſſa *Æthio-
pica* medii ævi una PAULI habetur, altera ex Actibus apoſtolorum præter
evangelium. De ritu *Ambroſiano* teſtis nobis eſt RADULPHUS *Tungrenſis* de
b canonum Obſerv. Propoſit. XXIII. b). Ritum *Mozarabicum* nobis de-
c. 27. ſcribit *Eug.* ROBLESIUS in vita Cardinalis XIMENII eodem modo, ac no-
p. 108. tatur in Miſſa *Mozarabica* edita Tom. IV. Biblioth. PP. *Pariſ.* præmiſſa
ſemper ſalutatione: „*Dominus ſit ſemper vobiſcum*, reſpondetur, „*Et*
„*cum*

a) „Eſt (inquit expoſ. lit. c. 16.) univerſa myſterii celebratio veluti unum quoddam corpus hiſtoriæ ab initio uſque ad finem convenientiam & integritatem conſervans, adeo, ut unumquodque eorum, quæ fiunt vel dicuntur ſeparatim aliquid ad univerſi confectionem conferat. Unde pſalmi, ut qui in divini myſterii celebrationis exordio canuntur, primum tempus Chriſti Incarnationis ſignificant. Quæ autem ea conſequuntur, nempe ſacrarum ſcripturarum lectiones, & reliqua, id quod deinceps ſequitur. Atqui alia eſſe cauſa dicta eſt ſcripturarum & pſalmodiarum, quod ſint ſcilicet præpurgationes & præparationes ad ſacra myſteria.“ Qua ratione autem hæc in ſacra liturgia procedant, poſtea c. 22. exponit. „Poſt ter ſanctum hymnum (inquit) legitur liber apoſtolicus. Deinde evangelium hymno prius DEO ab eccleſia cantato. Cur autem ante lectiones ſacrarum ſcripturarum DEUM laudamus? Quod in omnibus oportet hoc facere, quibus ille nos perpetuo donat, maxime autem propter aſſecutionem magni alicuius boni, quale eſt divinorum eloquiorum auditio. Sed in apoſtolo quidem hymnus cum ſupplicatione, additur enim illud: *Miſerere.* In evangelio autem puram a ſupplicatione facimus hymnodiam.“

b) „In *Ambroſiano* autem (inquit) officio copioſe habentur per totum annum epiſtolæ & evangelia ſæpe cum *Romano* officio concordantes & ſæpe differentes. Item etiam officium in feſtivitatibus & dominicis pulchrum ſervat ordinem: nam ad Miſſam poſt *Gloria in excelſis* & *Kyrie eleiſon* ter. Deinde legitur prima lectio de veteri teſtamento cum reſponſorio quod *pſalmelum* vocat, & nos *Graduale.* Secunda de novo teſtamento cum *Alleluia* & verſu ut *Romani.* Tertia de ſancto evangelio ante quod & poſt quod cantantur antiphonæ, quæ dicuntur ante evangelium & poſt evangelium quibus carent *Romani* &c. (Et poſtea T. XXVI. Bibl. PP. p. 316. E.) *Romani* ex ordine *Ambroſiano* ſolam lectionem admittunt: nunc de veteri, nunc de novo teſtamento cum reſponſorio & *Alleluia.* Et hodie, ut dicunt, eccleſiæ plures civitatis *Mediolanenſis* ex more *Romano* ſola lectione cum *Alleluia* contenti ſunt. In eccleſia tamen maiore ſemper ſervatur ante dictus decor, quem in *Romano* officio in quatuor Miſſis nativitatis Domini dumtaxat receptum videmus. Unde aliquæ eccleſiæ *Italianæ* in tribus Miſſis ipſius diei graduale poſt primam interponunt lectionem, morem B. AMBROSII imitantes. Et in vigilia graduale dividunt, primam partem poſt primam lectionem, & verſum poſt lectionem ſecundam decantando. Fratres tamen noſtri has primas lectiones a *Romano* officio amoverunt in ſex feriis quartis ante ſabbata Ordinationum. In *Romano* duæ ſunt lectiones cum duobus reſponſoriis.“

„ *cum ſpiritu tuo.* Lectio Isaiæ prophetæ. Reſpondetur: *Deo gratias,* „ mox legitur prophetia, qua lecta rurſum Sacerdos *Dominus ſit ſemper* „ *vobiſcum,* Reſpondetur: *Et cum ſpiritu tuo.* Inde dicitur Tractus duorum „ vel trium verſuum. Quo finito ſacerdos inquit: *Silentium facite. Sequen-* „ *tia epiſtolæ Pauli apoſtoli &c.* Reſpond. *Deo gratias.* Mox canitur ſive re- „ citatur epiſtola. Poſt quam, libro in alterum altaris cornu translato, „ continuo dicitur evangelium ad hunc modum: *Dominus ſit ſemper vobiſ-* „ *cum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo. Gloria tibi Domine.* Finito evangelio „ Reſpond. *Amen.* Mox ſacerdos: *Dominus ſit ſemper vobiſcum.* Reſpond. „ *Et cum ſpiritu tuo,* Poſtea dicitur *Alleluia cum verſu*, ſicut nunc ante „ evangelium cantatur.“ In Sacramentario *Gallicano* apud Mabillonium *T. II. Muſ. Ital. p.283.* mox in prima Miſſa cum hoc titulo: *Incipiunt lectiones de adventu Domini* (a quo loco maxime incipere miſſale *Gallicanum* notat in margine Mabillonius, cum quæ præcedunt, fere ex ordine *Romano* deſumta ſint) duæ, ut in ritu *Ambroſiano*, & *Mozarabico* ſervatur, occurrunt lectiones præter evangelium, *lectio Malachiæ prophetæ, & lectio epiſtolæ Iacobi apoſtoli ad gentes:* quemadmodum paſſim laudatur Iacobi epiſtola *ad gentes*, qui titulus Petri epiſtolæ primæ tribuitur in lectionario *Gallicano*, ubi ſemper duæ ſunt lectiones, una ex veteri, altera ex novo teſtamento: quod iuxta ordinem *Romanum* antiquum in natali Domini fiebat. Iſta de re Rupertus *Tuitienſis* inquirit in hunc modum: *De div. Offic. L.III. c. 15.* „ Illud quæſitu dignum eſt, cur in hac ſo- „ lemnitate dominicæ nativitatis tam die quam nocte duæ ad Miſſarum ſole- „ mnia legantur epiſtolæ, quod alias per totum annum eo modo non fit. „ Quodque maxime prætereundum non eſt, prima ſemper de veteri, ſequens „ de novo teſtamento ſumta eſt.“ Durandus eundem uſum in vigilia nati- *L. VI. c.12.* vitatis Domini in quibusdam tantum eccleſiis notat, & poſtea de ipſo natali: „ Ante epiſtolam (inquit) legitur immediate prophetia, ut baſis ſit ſub *c. 13.* „ columna, innitente baſi. Non enim, quæ dicuntur in evangelio, crede- „ rentur impleta, niſi forent in veteri prædicta. Secundo ideo in vigilia & „ in hac Miſſa duæ lectiones ſine intervallo dicuntur: una de prophetia, a- „ lia de apoſtolo, quia Chriſtus pro duobus populis in pariete coniungen- „ dis naſcitur &c. Quidam tamen nullam dicunt prophetiam, ſignificantes, „ quod vetera tranſierunt &c.“ Deprehendi hoc in antiquis miſſalibus MSS. tam in *Galliis* quam *Germania* ſcriptis, poſtquam ordo *Romanus* ubique fuit receptus: unum etiam citatur apud Martenium miſſale MS. Bibl. *Colbert.* *De ant. eccl. diſc. c. 14.* circiter 500. annorum, ubi etiam in feſto *Epiphaniæ* prophetia, & epiſtola occurrit, quod & alicubi me deprehendiſſe memini. In codice *Vallicellano* ſæc. X. B. VIII. *Romæ* id etiam in feſto S. Ioannis *Evang.* & S. Silveſtri obſervavi. Et cum alibi in feſto Nat. D. continenter poſitæ ſint le-

 ctiones,

a ctiones, in *Vallicellano* Graduale interponitur a). Adhuc ritus commemorandus eſt, quo in *Narbonenſi* eccleſia tam prophetia, quam epiſtola in natali Domini cantabatur, prout ex *Ordinario* MS. eius eccleſiæ MARTENIUS edidit his verbis: „Prophetia lectio ISAIÆ, & cantatur a duobus „clericis, ita quod ſimul incipiant *lectio* ISAIÆ *prophetæ*. Deinde unusquisque cantet per ſe ſuum verſum, ita quod alter eorum cantet textum „prophetiæ, & alius ornaturam, ſive farcituram: dicta prophetia immediate ſequitur epiſtola PAULI ad TITUM *Chariſſime*, & cantetur a duobus „eo modo, quo ſupra in prophetia eſt ordinatum.“ De *ornatura* ſeu *farcitura* dicemus mox: quæ nimirum erat vernacula expoſitio lectionis, quam ad ſingulos verſus cum ſingulari melodia alter ſubdiaconorum ſeu clericorum populo pronunciavit iuxta MARTENIUM alibi etiam uſitato ritu &c. Quoad modum vero ordinarium lectionum, „Dicitur (inquit DURANDUS) „lectio, quia non cantatur, ut pſalmus vel hymnus, ſed legitur. Illic „enim modulatio, hic ſola pronuntiatio quæritur.“ ISIDORUS de ritu *Hi-*
De div. off. lib. I. c. 11. *ſpanico* ſeu *Mozarabico*: „Pronuntiantur autem lectiones in Chriſti eccleſiis de ſcripturis ſanctis, conſtat autem eadem ſancta ſcriptura ex veteri
c. 10. „lege & nova.“ Eadem voce uſus eſt antea, quando dicit lectiones pronunciare antiquæ inſtitutionis eſſe, ut videatur innuere ſine cantu pronuntiantis ſolum voce lectiones tunc fuiſſe dictas, quæ ipſa viciſſitudo iuxta
De Miſſa c. 5. BERNONEM quandam ſymphoniam facit: *Ut*, inquit, *aliquando omnis cantus videlicet antiphonarum (quæ dicuntur Introitus) gradualium, offertoriorum, communionum, cum lectionibus apoſtolicis, & evangeliis ita conveniat, ut velut quoddam organum diſtantis inter ſe vocis concordem ſymphoniam reddat.* In
p. 115. Miſſa *Æthiopica* T. IV. Bibl. PP. *Pariſ.* ad epiſtolam hæc habetur rubrica: *Poſtea magna voce dicit epiſtolam.* In antiquiſſimo lectionario *Luxovienſi*, quod meis oculis ſolicite perluſtravi, nullum potui deprehendere cantus indicium, niſi forte color ruber mutationem quandam vocis indicarit, quem notavi in quibusdam evangeliis, ubi ſingularis attentio exprimenda videtur præſcripta, uti in feſto Sancti IOANNIS *Baptiſtæ* in medio contextus

tus

a) „Poſt primam in prima Miſſa de nocte. Gr. *Tecum principium &c.* ℣. *Dicit Dñs Dño meo &c. Kñe apparuit. Alleiuia. Dñs dixit ad me filius meus es tu ego hodie genui te.* Sequentia mane prima &c. *Spiritus Dñi ſuper me.* Gr. *Benedictus qui venit.* ℣. *A Dño factum eſt. Kñe apparuit benignitas. Allā. Dñus regnavit.* In die lect. *Propter hoc ſciet.* Gr. *Viderunt omnes fines.* Lec. *Multifariam. All. Dies ſanctificatus.* In feſto S. IOAN. Evangel. in I. Miſſa lectio libri ſap. *Qui timet.* Gr. *Beatus vir.* Lectio ep. B. P. A. ad Eph. *Fratres Benedictus Deus. Allā. Iuſtus ut palma.* In natali ubi ſupra in II. Miſſa. Lectio libri ſapient. *Iuſtum deduxit.* Lect. ep. B. P. A. ad Eph. *Fratres iam non eſtis.* Gr. *Exiit ſermo.* ℣. *Sed ſic eum volo. Allā. Hic eſt diſcipulus ille.* Nota hic graduale integrum poſt ſecundam lectionem, quod alibi diviſum inter duas lectiones. Sic pridie Kal. Ian. nat. S. SILVESTRI P. lect. libri ſap. *Beatus vir qui inventus.* Gr. *Ecce ſacerdos.* Lect. ep. B. P. A. ad *Hebr. Fratres plures facti ſunt ſacerdotes. Alla. Memento Domine.*“

tus evangelii verba hæc: *Benedictus Dominus Deus Iſrael.* Et in alio evangelio verba hæc: *Medius autem Dominus ibat.* Cum alias in illo lectionario, quæ cantanda ſunt, rubro deſignentur. In evangelii libro, quem *textum* vocabant, bibliothecæ noſtræ ſæculi circiter decimi notas paucas circa finem periodorum inveni, excepta paſſione Domini, ubi in illis verbis *Eli Eli &c.* plures habentur notæ, ſeu neumata. In alio recentiori ſæculi circiter XIII. eodem fere modo notatas inveni tam lectiones, quam evangelia, ex novo nimirum teſtamento, quæ ſecundum HUGONEM *Cardinalem*, & DURANDUM eodem modo canebantur, terminatæ in accentum acutum, diſtinctum a lectione veteris teſtamenti, deſinente in gravem, niſi hæc in Miſſa epiſtolæ locum teneat a). Quæ prona & nativa eſt ratio, communemque modum canendi in Miſſa epiſtolam deſignat, qui conſimilis olim, ſecus ac paſſim nunc, in epiſtola, quam evangelio fuit, non idem tamen ſemper, ac unius modi ubique: *Romano* etiam pontifice aliquando graviter pro conformitate *Romanæ* eccleſiæ agente. Quam in rem narratur ſingularis hiſtoria ab annaliſta *Saxone* ad an. 1053. quæ eadem T. III. Conc. *Germ.* p. 119. ex TRITHEMII annal. *Hirſaug.* refertur b). Erat tum feſtum S. STEPHANI ubi in multis locis planctus S. STEPHANI ſingulari ratione lingua vulgari fuit decantatus. Teſtatur id ſe reperiſſe MARTENIUS in veteri rituali MS. eccleſiæ *Sueſſionenſis*, & in antiquo miſſali S. GRATIANI *Turonenſis* ab annis circiter ſexcentis exarato, deſcriptam in folio

a

b

T. I. de ant. eccl. rit. lib. I. c. 3. art. 2. n. 11.

a) „Lectiones (inquit HUGO Card. expoſ. Miſſ. c. 9.) terminantur in gravem accentum. In novo vero teſtamento promittuntur ſpiritualia & æterna. In cuius ſignum evangelium & epiſtola terminantur in accentum acutum.“ Et DURANDUS „Quæritur autem (inquit lib. IV. c. 16.) quare prophetias voce inferius deflexa, evangelium vero ac epiſtolam, vocem exaltando finimus: reſpondeo, per prophetiam, quæ eſt in veteri teſtamento, ſynagoga, quæ inclinata eſt, & cecidit, intelligitur: idcoque inclinando vocem, & quaſi cadendo prophetia finitur. Hinc etiam eſt, quod ſynagoga depingitur, quaſi fracta haſta vexilli: per evangelium vero & epiſtolam eccleſia militans repræſentatur, quæ exaltata eſt, & ideo illa cum exultatione vocis finiuntur. Præterea in vet. teſt. temporalia & caduca promittebantur: in cuius figura lectiones in gravem accentum terminantur, in novo teſtamento ſpiritualia & æterna, in cuius rei ſignum evangelium & epiſtola in accentum terminantur acutum. Quædam tamen lectiones de veteri teſtamento ſumtæ, quæ in officio Miſſæ pro epiſtolis ſæpe leguntur, in acutum terminantur accentum, & ſub tono epiſtolari leguntur. Cum enim tunc in locum epiſtolæ ſuccedant, merito, & quoad hoc, & quoad nomen illarum debent imitari formam.

b) „LEO apoſtolicus & HEINRICUS imperator *Wormaciæ* natale Domini celebrabant. Ubi papa Miſſarum ſolemnia in ſancta die, ut oportuit, celebrans, ſequenti die LUIPPOLDUM *Moguntinum* archiepiſcopum, utpote in ſua diœceſi, huic ſubrogavit officio, qui peracta proceſſione, & ubi ad hoc ventum eſt, dicta oratione, poſtquam ſe in ſua ſede locavit, quidam ex diaconibus ſuis, HUMBERTUS, ſicut multi ob illius feſti venerationem ſolent, lectionem decantavit, quod quidam ex *Romanis* papæ aſſiſtentibus vituperantes, & contra papam, quia *Romanorum* more non ageretur, obiurgantes perſuaſerunt, ut ad eum mitteret, decantationem interdiceret, quod cum ille iuvenum more contemneret, item mittendo Papa interdixit, qui eadem vocis ſonoritate qua prius cantavit, decenter lectionem uſque ad finem perduxit.“

folio ſeparato, prout ſequitur. *Lectio actuum apoſtolorum. Por amor de vos pri ſaignos Barun. Se & voſtuit eſcoſtet la lecun de ſaint Eſteure le glorieux Barun &c.* In MS. *San-Gallenſi* ſæc. XIII. vel XIV. reperitur in die S. STEPHANI & INNOCENTUM epiſtola interpolata. In Epiphania item, & octava. Item in die paſchatis. De S. IOANNE. In cod. *Barbar.* n. 1853. lit. *Longobard.* ſcripto: *In nocte Nat. D. lec. munda ſit, pura ſit, hæc ergo canto. Audiat, ſentiat, quid dicat* lectio ISAIÆ prophetæ, *in qua Chriſti lucida vaticinatur nativitas.* Hæc dicit Dominus *Pater, Filius, Spiritus Sanctus*: Populus gentium qui hambulabat in tenebris &c. Et ſic interpolata eſt tota epiſtola ſuperpoſitis amplis notis muſicis. Sequitur lectio ſine notis, & deinceps in aliis duabus Miſſis duæ lectiones ſine notis. Refert D. LEBEUF exempla varia epiſtolarum in die S. STEPHANI, S. IOANNIS evangeliſtæ, SS. INNOCENTUM, Circumciſionis, Epiphaniæ, S. BLASII partim ex ſcripturis, partim etiam ex ingenio compoſitarum, unde & *vita de innocentibus, Vie du jour de l'an, vita diei anni,* quo prima anni dies, circumciſionis nimirum, deſignatur. *Vita Epiphaniæ, vita S.* BLASII apud eundem loco epiſtolæ nominantur, ſecundum veterem nimirum conſuetudinem legendi acta Sanctorum in Miſſa, aut etiam miracula: ſicuti de S. STEPHANO paſſim meminit S. AUGUSTINUS: Dicitque DUCANGIUS, univerſalem fuiſſe uſum olim in *Galliis*, cantandi eiusmodi planctus, ut vocabantur S. STEPHANI, lingua latina cum paraphraſi *Gallica*, quales ſunt omnes laudatæ apud LEBEUFIUM epiſtolæ, cantu plano cum multo modulamine. Referam, quæ auctores hiſt. liter. *Franc.* T. X. p. XVIII. recenſent ex LE BOEUF a). Quæque vocari ſolebant epiſtolæ farcitæ, ſeu *cum farſia* magna ſolemnitate cantatæ, veluti teſtatur laudatus MARTENIUS in *ordinariis* MSS. *Narbonenſi* & *Cabilonenſi*: habeturque ſtatutum epiſcopi *Pariſienſis* an. 1198. apud LE-

Tr. hiſt. ſur le chant. p. 122. &c.

p. 134. 136.

a


BEU-

a) Recherches ſur les plus anciennes traductions en langue françoiſe: Memoires de l'acad. des inſcript. T. XVII. p. 714-717. Que lorsqu'on reçut dans l'egliſe *Gallicane* la liturgie *Romaine*, on commence à lire a l'office de nuit les actes des Saints, qui, dans l'obſervation du rit *Gallican*, ſe liſoit a la Meſſe. La nuit n'étant pas un temps propre a la predication, on ne ſongea plus a expliquer au peuple; comme on faiſoit auparavant, les actions des Saints dont on ſolemniſoit la fête. Ceux de ſaint ETIENNE, étant les ſeuls, qui fuſſent lus a la Meſſe ſelon la liturgie *Romaine*, parce qu'ils ſont tirés des livres ſaints, furent auſſi les ſeuls, qui perpétuerent l'ancien uſage *Gallican*, de lire les actes des martyrs avant la celebration des ſaints myſteres. Et comme, ſelon un autre article de la liturgie *Romaine*, l'eveque ou le pretre ne pouvoit monter en chaire, qu'apres la lecture de l'evangile pour en donner l'explication, il eſt vrai ſemblable, que ce fut dans ces conionctures, qu'on ſtatua, que la vie de ſaint ETIENNE, qui ſe trouvoit prononceée en latin a la Meſſe, ſeroit auſſi expliquée en langage vulgaire au peuple, & chantée en cet etat avant la celebration des ſaints myſteres. Voila pour quoi on trouve les actes de ſaint ETIENNE premier martyr en langage vulgaire, dans les livres de preſque tous les ſiecles, depuis le neuvieme. M. l'abbe LE BOEUF renvoye a ſon traité hiſtorique ſur le chant eccleſiaſtique, pour apprendre de quelle maniere cela ſe pratiquoit.

BEUFIUM: *Miſſa ſimiliter cum cæteris horis ordinate celebrabitur ab aliquo* p. 119. *prædictorum, hoc addito, quod epiſtola* cum Farſia *dicetur a duobus in cappis ſericeis.* Et *Ordinarium Sueſſionenſe* eodem ſæculo ſcriptum: *Epiſtolam debent cantare tres ſubdiaconi induti ſolemnibus indumentis: Entendez tuit a ceſt ſermon.* Aliæ apud eundem citantur eiusmodi epiſtolæ duplici lingua *cum farſia* (quæ etiam *ornatura* vocabatur, ut apud MARTENIUM videre eſt) latina, cum paraphraſi *Gallica,* aut etiam mere latina, qualem de S. NICOLAO vidiſſe ſe dicit LEBEUF in urbe *Brivatenſi.* Aut dimidiæ latinæ & dimidiæ *Gallicæ*, qualis de S. BLASIO apud *lingonas* habetur, ubi non ſolum in natalitiis Domini, ſed aliis etiam ſolemnitatibus canebantur: & non ita pridem adhuc *Divione* planctus S. STEPHANI. Iuvat hic ſpecimen dare, prout in codice an. 500. latine cum modulatione muſica habetur in noſtra bibliotheca *San-Blaſiana.*


De ant. Eccl. diſc. c. XII. num. 21.

De ant. rit. L. I. c. 3. art. 2. n. 11.




Duo


Duo alia ſpecimina ſingularia damus ex MS. *San-Blaſ.* 400. ann. cantus lectionum etiam cum contrapuncto : de dedicatione , & B. M. V. *Vidi civitatem.* Et: *In omnibus requiem quæſivi.*




ſanc tam | Iehru ſalem | no vam | de ſcen den tem |
ſanc tam Iehru ſalem no vam de ſcen den tem
de ce lo | tan quam | ſpon ſam |
de ce lo tan quam ſpon ſam
or na tam | vi ro | ſu o. - - | - - ||
or na tam vi ro ſu o.
Lec ti o | li bri ſa pi en ci e |
Lec ti o li bri ſa pi en ci e


In om ni bus
In om ni bus
re qui em que ſi vi &
re qui em que ſi vi &
in he re di ta te Do mi ni mo ra bor
in he re di ta te Do mi ni mo ra bor
tunc pre ce pit & di xit mi chi cre a tor
tunc pre ce pit & di xit mi chi cre a tor


om ni um & qui cre a vit
om ni um & qui cre a vit
me re qui e vit in ta ber na cu lo me o.
me re qui e vit in ta ber na cu lo me o.
Et di xit mi ch i
Et di xit mi ch i
In Ia cob in ha bi ta
In Ia cob in ha bi ta



Graduale.

XVII. Solemne ſemper fuit lectioni, tum aliis divini officii partibus, cum etiam in Miſſa, reſponſorium ſubiungere, de quo MAURICIUS *Senonenſis*, ſeu PETRUS *Venerabilis* in carmine de Miſſa:

Illorum monitis dum reſponſoria cantat,

Edocet aſſenſum ſe tribuiſſe chorus.

Præf. in ant. lib. miſſales Rom. eccl. p. XXI.

„ In antiquioribus eccleſiæ moribus (inquit *Ioſ.* CARI ſeu THOMASIUS) numerandus eſt pſalmus reſponſorius, ſive reſponſorium pſalmi; quod uſitatius uſurpatur in Miſſarum ſolemniis poſt lectiones veteris Teſtamenti, ante lectionem Evangelii." Probat S. *Io.* CHRYSOSTOMI tempore perduraſſe antiquum pſalmi reſponſorii morem, ſubſequenti autem ævo detruncatum

tum eſſe in Oriente integrum pſalmum reſponſorium , relictis tantummodò
duobus verſiculis ex aliquo ferme pſalmo excerptis , quos προκείμενον litur-
giæ *græcæ* appellare ſolent. Quod vocabulum vetus latinus interpres li-
turgiæ S. Basilii , ad ſenſum oculos convertens, & quidem rectiſſime, iu-
dicio Thomasii , *reſponſum* tranſtulit. „ Minime vero (pergit) negotium *Loc. cit.*
„ alicui faceſſat , quod ante epiſtolas S. Pauli is cantus fiat apud *Græcos :*
„ nam id diſcriminis fuiſſe videtur *Græcos* inter & *Latinos*, quod illi reſpon-
„ ſorium pſalmum ante libros omnes novi Teſtamenti , ut aperte teſtantur
„ conſtitutiones vetuſtiſſimæ eccleſiæ , quæ apoſtolicæ vocantur *lib. II. c.* 57.
„ Hi vero ante ſolam evangelicam lectionem pſalmum reſponderint , ut ex
„ *Latinis* Patribus conſtat.“ Fallitur hic Thomasius , quod indiſcrimina-
„ tim *Latinos* putet ante ſolam evangelicam lectionem pſalmum reſpondiſ-
ſe. Poſt prophetiam pſalmum reſponſorium, qui Tractui ſeu Graduali ho-
dierno reſpondet , Mabillonius in veteri liturgia *Gallicana* decantatum fuiſ- *L. I. de liturg.*
ſe oſtendit Gregorii *Turon.* Hiſt. *Franc.* his relatis verbis : „ Interea iam *Gallic. c.* 5.
„ medio prandii peracto , iubet rex, ut diaconum noſtrum , qui ante diem *L. VIII. c.* 3.
„ ad Miſſas pſalmum reſponſorium dixerat , canere iuberem. Hoc finito dia-
„ conus ſilentium indicebat ad lectionem Epiſtolæ.“ Et hactenus conſtan-
ter in liturgia *Mozarabica* Tractus canitur poſt lectionem veteris Teſtamen-
ti , ante apoſtolum & evangelicam mox ſubiunctam , nullo medio cantu,
contrarium morem in quibuſdam eccleſiis *Hiſpaniæ* damnante Concilio
Toletano IV. „ In quibuſdam quoque (ait) *Hiſpaniarum* eccleſiis laudes *c.* 11.
„ poſt apoſtolum decantantur , priuſquam evangelium prædicetur , dum ca-
„ nones præcipiant poſt apoſtolum non laudes , ſed evangelium annuntia-
„ ri. Præſumtio eſt enim, ut anteponantur ea, quæ ſequi debeant. Nam
„ laudes evangelium ſequuntur propter gloriam Chriſti, quæ per idem evan-
„ gelium prædicatur. Circa omnes igitur ſacerdotes hic ordo deinceps re-
„ tineatur , excommunicationis pœnam ſuſcepturis, qui hunc ordinem per-
„ turbaverint.“ De hoc *Walafridus* Strabo „Reſponſoria (ait) & *Alle-*
„ *luia*, quæ ante evangelium cantantur, deinde adiuncta videntur, poſtquam
„ antiphonæ ad ingreſſum dici exſpirarunt , quæ & videntur prohibita ca-
„ nonibus *Hiſpanorum*, qui longo poſt tempore ſunt conſtituti. In illis
„ enim iubetur, ne aliquis hymnus inter lectionem apoſtolicam & evange-
„ lium in ordine Miſſæ ponatur.“ Ex quo intelligitur , id aliquos ten-
taſſe tunc temporis, ſed propter novitatem rei, ſtudium eorum nondum
fuiſſe a quibuſdam receptum: quod tamen poſtea, uſu *Romano* commen-
datum, ad omnes *Latinorum* pervenit eccleſias. Berno *Augienſis :* „Poſtea *De Miſſa. c.* 1.
„ (inquit) quum gradalia & *Alleluia* inter apoſtolicam & evangelicam le-
„ ctionem cœperunt frequentari, *Hiſpani* quaſi novitate rei perculſi, multum

 „ re-

„ reſtiterunt, dicentes:“ In quibusdam *Hiſpaniarum* eccleſiis &c. „Verumtamen ex auctoritate *Romanæ* eccleſiæ poſtea eſt conſtitutum, ut reſponſoria & *Alleluia* canantur ante ſanctum evangelium.“ Ordinem liturgiæ *Mozarabicæ* ſic explicat *Io.* Vasæus in chron. *Hiſpaniæ* ad an. 717. „*Dominus ſit ſemper vobiſcum.* Reſpondetur *Et cum ſpiritu tuo. Lectio libri Iſaiæ prophetæ.* Reſpondetur *Deo gratias.* Mox legitur prophetia. „ Qua lecta rurſum ſacerdos *Dominus ſit ſemper vobiſcum.* Reſpondetur „ *Et cum ſpiritu tuo.* Inde dicitur Tractus duorum vel trium verſuum. „ Quo finito ſacerdos inquit : *Silentium facite. Sequentia epiſtolæ Pauli apoſtoli &c.* Reſpondetur *Deo gratias.* Mox cantetur ſeu recitatur epiſtola. Poſtquam libro in alterum altaris cornu translato, continuo dicitur „ evangelium.“ An ritus *Ambroſianus* ex *Romano* fuerit expreſſus, incertum eſt. *Ambroſiani* hic dicunt ſuum *pſalmelum* reſpondentem graduali noſtro cum *Alleluia* e. g. in nativ. Domini *Gloria in excelſis Deo*, *& in terra pax, alleluia*, *alleluia.* Ritum cantandi *pſalmelum* ſeu *pſallendam* deſcribit Beroldus apud Muratorium a). Cum vero apud *Ambroſianos* duæ ſint lectiones, poſt ſecundam ſeu epiſtolam, ut apud nos ritu *Romano*, cantus habetur, qui reſpondet Graduali, ut apud Muratorium p. 906. in Miſſa defunctorum: „ *Ingreſſa:* requiem ſempiternam. Te decet. *Item lectio libri Machabæorum.* In diebus illis vir fortis: *Pſallenda.* De profundis. *Epiſtola.* Sicut portavimus. *Cantus:* Domine exaudi. *Evangelium:* Nemo poteſt venire.“ De cantu *Alleluia* paulo poſt dicemus. Radulphus *Tungrenſis* de S. Ambrosio refert: „ Gradualia & *Alleluia* Ambrosius in ſuo „ officio multa ordinavit. Et Gregorius ad Miſſam tam illa quam alia „ in *Romano* officio compoſuit.“ *Nota*, inquit Durandus lib. IV. c. 19. *quod* Gregorius, Ambrosius & Gelasius *compoſuerunt gradualia, tractus &* Alleluia, *& ad Miſſas cantare ſtatuerunt.* In antiquiſſimo antiphonario, quod inter monumenta liturgiæ *Alemannicæ* edemus, notatur graduale cum verſu. Thomasius obſervavit in antiphonariis miſſalibus S. Gregorii gradales reſponſorios notari, & in MS. codice: *Deinde ſequitur Apoſtolus. Item Gradalis ſive* Alleluia. Paſſim hoc inveni in fronte ſacramentariorum ex bibliotheca cubiculi deſcriptorum, ut paulo ante ex cod. Bibl. noſtræ retuli; habeturque in ſacramentario *Gregoriano*, quod Muratorius edidit: *lecta autem lectione ſicut* (leg. *ſequitur*) *reſponſorium*, *deinde* Alleluia. Apud

De canon. obſervant. Prop. 23.

Lit. Rom. T.II. p. 395.

a) T. IV. antiq. It. medii ævi p. 871. „ Finita lectione (inquit) puer magiſtri ſcholarum acceptis tabulis eburneis de altari vel ambone, poſitis per clavicularium ebdomadarium veſtitus camiſiolo aſcendit pulpitum, ut canat pſallendam. Et hoc ſemper, excepto in Quinquageſima, & in dominicis diebus Quadrageſimæ, in quibus lectores canunt, & in annunciatione Sanctæ Mariæ, quando duo ſubdiaconi & totidem notarii cantant, ſi archiepiſcopus adfuerit, ſi vero defuerit, duo notarii, & duo lectores cantant.“

Apud eundem, & Mabillonium in ord. I. *Romano:* „Poſtquam legerit, *Muſ. Ital.*
„ cantor cum cantatorio aſcendit, & dicit reſponſum. Si fuerit tempus, *T. II. p. 9.*
„ ut dicatur *Alleluia* bene, ſin autem, tractum: ſin minus, tantummodo
„ reſponſum.“ In II. ord. p. 45. explicatius cantus reſponſorius deſcribitur.
„Poſtquam legerit cantor, cum cantatorio ſine aliqua neceſſitate aſcen-
„ dit non ſuperius, ſed ſtat in eodem loco, ubi & lector, & ſolus inchoat
„ reſponſorium, & cuncti in choro reſpondent, & idem ſolus verſum re-
„ ſponſorii cantat. Si fuerit tempus ut dicatur *Alleluia* bene: ſin autem,
„ Tractus: ſin minus, tantummodo reſponſorium. Cantor, qui inchoat
„ *Alleluia*, ipſe ſolus cantat verſum de *Alleluia.* Ipſe iterum *Alleluia* di-
„ cit, ſtans in eodem gradu, id eſt inferiore.“ Innuit gradus ambonis,
in quo canebatur graduale, uti alias in medio choro præſcribitur in conſuetudinibus
can. Reg. S. Victoris: *Graduale &* Alleluia *cantent bini &
bini in medio choro.* Ubi forte gradus ambonis non fuerunt, unde graduale
nomen accepit, quod in gradibus, non ipſa ambonis ſummitate, cantatum
fuerit, uti præſcribitur ordine *Rom.* VI. apud Mabillonium: *Fi- Ibid. p. 72.*
nita vero lectione, illis, qui gradualem & Alleluia *cantaturi ſunt, iuxta
pulpitum in inferiori gradu ſtandum eſt.* Confer, quæ ſuperius p. 321,
& ſeq. de cantoribus diximus, ne ſine neceſſitate aſcendant; quæ hinc lucem
accipiunt. *Ioannes* Belethus hæc ſatis explicate ediſſerit, inſuper pro
more etiam myſtice. Notat c. 59. librum Graduarium ita a gradibus appellatum,
*eoquod diebus feſtis in gradibus aſcendi debeat, atque iſtinc cantari
in ambone.... Diebus autem profeſtis canitur in medio chori ante gradus
altaris* a). Quod finita lectione cantari conſueverit, ſingularem *re- a*
ſponſorii denominationem deſumit Almaricus apud Thomam *Waldenſem*: *De Miſſar.*
Eſt autem reſponſorium, quia recitando aliquem pſalmum auditores ſic le- ſacramental.
ctioni reſpondeant. Sed genuina eſt Amalarii explicatio, dictisque hacte- *c. 4. De eccl. off.*
nus reſpondens: „Lectionem, quæ legitur poſt ſeſſionem, ſequitur can- *L. III. c. 11.*
„ tus, qui vocatur reſponſorius. Reſponſorium, ut idem, qui ſupra (ni-
„ mirum Isidorus) *Itali* tradiderunt. Quos inde reſponſorios cantus vo-
„ cant, quod alio deſinente id alter reſpondeat.“ Atqui iſta fuit conſtans
decantandi gradualis ratio, repetito poſt unum aut ſingulos verſus graduali
ſeu reſponſorio: *Hoc facit*, inquit idem eodem loco Amalarius, *ille,
qui verſum cantat. In repetitione reſponſorii exaltat vocem fiducialiter iam*

non

a) De div. offic. c. 38. „Poſt epiſtolam vero cantatur reſponſorium cum ſuo verſu, ſive graduale ut vocant. Appellatum autem eſt Graduale, quod a minoribus in gradibus ante altare, vel a maioribus etiam diebus profeſtis cani ſoleat: in ſolemnitatibus vero in altioribus, hoc eſt, in pulpito etiam a pueris. Vel quia gradatim cantatur, vel quia de gradu ad gradum procedere debemus, hoc eſt de virtute in virtutem aſcendere. Dictum eſt idem *reſponſorium*, quod verſui reſpondeat, qui item a vertendo nominatus eſt &c.“

De ord. antiph. c. 18. *non timens verſum.* Et alibi: *Finito verſu ſuccentores vero ſecundo incipiunt reſponſorium a capite & uſque ad finem perducunt.* Vetuſtus ordo *Rom.* MS. S. Galli *De reſponſorio Graduali* aſſerit: *ab incipiente uſque ad finem cantatur, & verſus ſimiliter. Similiter in cottidianis diebus.* Alleluia *ſimili modo: in cottidianis vero diebus (ſi voluerit) tantum prima dicitur.* Hoc *T. IV. oper. p. XIII.* eſt, ut Thomasius annotat, quotidianis diebus *Alleluia* prima tantum vice poteſt a cantore dici, ſtatimque a choro repeti, prætermiſſa ſecunda repetitione poſt verſum. Plura etiam hanc in rem laudatus affert Thomasius exempla Gradualium cum pluribus, aut uno verſu. Atque hinc etiam verſum *L. IV. c.* 19. *n.* 7. reſponſorii dictum aſſerit Durandus: *Verſus reſponſorii ſic vocatur, quoniam de eo fit reverſio ad ipſum reſponſorium.* Et mox id explanatius di- *num.* 8. cit, quod modo ex Amalario retulimus: *Graduale plane incipitur, ne nimis verſus aſcendant... Verſus vero alte.... Finito tamen verſu vox fiducialiter exaltatur.* Antea vero, qua modulatione potius deceat graduale *num.* 4. cani, declarat; „Rectius ergo (inquit) faciunt, qui graduale non feſti„vis, & modulatis vocibus efferunt: ſed quaſi cantum gravem, aſperum „ſimpliciter potius & lamentabiliter canunt: tamen rectius reſponſorium, „per quod etiam prædicatio novi teſtamenti figuratur, altius lectione & „epiſtola, quæ ſignificat prædicationem veteris teſtamenti, canitur.“ Tempore paſchali tamen etiamnum omiſſo reſponſorio verſus tantum cum *Alleluia* canitur, alias vero cum reſponſorio, vel cum tractu, ut Durandus notavit. *Cæterum quandoque ſolum* Alleluia: *quandoque reſponſorium cum* Alleluia: *quandoque cum tractu.* In duobus codicillis oblongis *San-Emeran.* ſæc. X. ſeparatim reſponſorium *Graduale*, & verſus cum *Alleluia* cani conſueviſſe leguntur, pro ratione nimirum cantus reſponſorii, cum ſeorſim cantor ſtaret in gradibus ambonis, aut in medio chori, ubi ſuas tabulas, membranas, ſeu rotulos habebant. De *Alleluia* cum ſuis verſibus paulo poſt peculiariter dicemus. Superſunt hodieque reliquiæ quædam gradualis reſponſorii ſecundum uſum antiquum e. g. in feriis II. IV. & VI. quadrageſimæ *Domine non ſecundum peccata noſtra &c.* Et ſingularis feria quarta maioris hebdomadæ: *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* Quem verſum cum cantor præcinuiſſet, totus chorus repetebat. Proſequebatur cantor verſum: *Ne avertas faciem tuam a me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam*, & ita verſus ſequentes, choro poſt quemlibet verſum idem reſponſorium repetente *Domine exaudi.*

Hymnus trium puerorum.

XVIII. „Hymnum quoque trium puerorum (aiunt Patres Conc. *To*„*let.* IV. can. 13.) in quo univerſa cœli terræque creatura Deum collaudat, &

quem

„ quem eccleſia catholica per totum orbem diffuſa celebrat, quidam ſacer-„ dotes in Miſſa dominicorum dierum, & in ſolemnitatibus martyrum ca-„ nere negligunt. Proinde ſanctum Concilium inſtituit, ut per omnes „ *Hiſpaniæ* eccleſias, vel *Galliæ* in omnium Miſſarum ſolemnitate idem in „ publico decantetur: communionem amiſſuri, qui & antiquam huius hymni „ conſuetudinem, noſtramque definitionem exceſſerunt.“ Et quidem *in pulpito*, ut legunt *Walafridus* STRABO, & BERNO *Augienſis*, qui obſervant id, quod etiamnum obtinet, hoc canticum non eſſe in uſu, niſi quater in anno, nempe in ſabbatis quatuor temporum a). Ex ordine *Romano* XI. BENEDICTI canonici conſtat, qua ratione officium tunc fuerit celebratum: *Dum vero cantatur officium celeberrime a ſchola, & hymnus trium puerorum.* Etiam in miſſali *Mozarabico* rarius hoc canticum præſcribitur. *Et primo quidem* in dominica prima Quadrageſimæ poſt prophetiam hoc „ modo: „ Dicit prebyter *Dominus ſit ſemper vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpi-„ ritu tuo.* Deinde tractus, DANIEL propheta. *Tunc illi tres quaſi ex „ uno ore hymnum canebant, & benedicebant Dominum de fornace dicen-„ tes.* Poſtea incipit ſacerdos: *Benedictus es Domine DEUS patrum no-„ ſtrorum, & admirabilis & ſuperexaltus in ſæcula amen &c.*“ Differt hoc in aliquibus ab eo, quod *Romanus* ordo præſcribit in ſabbatis quatuor temporum. In officio paſchatis ad libitum ſacerdotis permittitur in eodem ordine: „ Si placuerit, dicat presbyter hymnum trium puerorum: *Bene-„ dictus es Domine.*“ In lectionario *Gallicano* poſt prophetiam in natali Domini notatur DANIHEL *cum benedictione:* & in Sabbato ſancto poſt lectionem duodecimam, quæ eſt de ſtatua NABUCHODONOSORIS, canticum trium puerorum *Benedicite*, quemadmodum poſt ſeptimam canticum MOSIS, poſt undecimam IONÆ, cuius loco in *Mozarabico* canticum HABACUC poſt lectionem ex eodem propheta aſſignatur, ut MABILLONIUS notavit. AMALARIUS cum officium Sabbati S. exponens, dixiſſet, hymnum trium puerorum *Benedicite* paſſionem Domini, ac triumphum ad memoriam nobis reducere, idque latius explicaſſet, tandem ſubiungit: „ Propter hoc Sacramentum, ut „ opinor, audivi cantari in vigiliis paſchæ in eccleſia *Turonenſi* poſt lectio-„ nes, *Benedicite.*“ In ſacramentario *Gallicano* apud laudatum MABILLONIUM: poſt Miſſam *Romenſem* cottidianam, ut prænotatur, habetur oratio *poſt benedictionem. DEUS qui tribus pueris:* quæ hodieque ſolet poſt hymnum trium puerorum cani, qui *benedictio* dici conſuevit, uti habetur apud V. THO-

[Margin: a — *De liturgia Gall. p.* 140. *Amalar. L. IV. de offic. div. c.* 17. — *T. II. Muſ. Ital. p.* 283.]

a) „ In eiusdem loci (inquit ille de rebus eccleſ. c. 22.) Concilio ſtatutum eſt, ut etiam hymnus trium puerorum ad Miſſam omni dominica in pulpito cantaretur. Quod *Romani* propter multiplicitatem officiorum non faciunt, niſi quatuor per annum diebus, quibus lectionum XII. numerus adimpletur.“

Thomasium in antiquis libris Miſſarum *Romanæ* eccleſiæ ſabbato in XII. lection. adventus: *Sequitur benedictio* poſt V. lectionem Danielis prophetæ: *Benedicite omnia opera Domini &c.* Et in aliis codd. apud eundem: *Incipiunt has benedictiones hoc modo:* Benedictus es in firmamento cœli, & laudabilis & glorioſus in ſæcula. „Quæ verba (inquit Thomasius) ad „finem potius præcedentis lectionis pertinent, ut ex antiquis lectionariis con„ſtat, niſi fortaſſis indicetur ab his verbis mutandam eſſe lectoris vocem „in cantici tonum.“ Ex aliis adhuc codicibus notat, eiusdem hymni cantum reſponſorium, prout hodieque canitur in ſabbatis quatuor temporum, ac olim *Gradualia* decantari conſueverunt, quod fere in deſuetudinem abiit, in hoc autem hymno a tribus, pro numero trium puerorum fieri ſolet. Reperi etiam per vices eum in officio Miſſæ in antiquis MSS. Qui frequentior hodie eſt hymnus trium puerorum diverſus ab eo, qui in ſabbatis quatuor temporum canitur, in officio canonico laudum diei dominicæ ac feſtivitatum, ad eum fere ritum, quo in Concilio *Toletano* IV. præſcribitur. Quod vero de eius iugi uſu Radulphus *Tungrenſis* dicit, ad privatam potius ſpectat devotionem: „Et ſemper (inquit) ſive proſperitatis ſive ad„verſitatis tempore hymnum trium puerorum pſalle: nullus mortalium huius „hymni virtutem explicare poteſt, in quo omnis creatura ad laudandum „creatorem invitatur.“ Adhuc vero notandæ ſunt rubricæ antiqui lectionarii Miſſæ apud Thomasium p. 50. quoad lectionem XII. in Sabbato S. cui hymnus hic intermiſcebatur poſt hæc verba: „*Aperientesque os ſuum* „*in medio ignis dixerunt.* Hic mutatur sonus in cantu. Et poſt hæc „verba: *Glorioſus ſuper omnem terram.* Hic incipit legere in sono „priore. Poſt verba: *Nec quidquam moleſtiæ intulit*: Hic canere in„cipit clerus cum organis. *Benedictus es &c.* Et respondent omnes „in choro *Amen. Benedicite Spiritus &c.* Post istam benedictionem „incipit legere in priore sono.“

p. 10.

De can. obſerv. prop. 9.

Tractus.

XIX. Quandoque ad graduale reſponſorium canitur *Tractus*, cantu continuo cantoris, non interrupto reſponſionibus aliorum intercinentium a). Aliquando tamen tractus cum cantu reſponſorio confunditur, uti apud Martenium b). Sic tractus vocatur in rituali *Corbeienſi* ad feriam ſextam Paraſceve

a

De ant. mon. rit. L. III. c. 12.

b

a) „Hoc differt (inquit Amalarius de Off. L. III. c. 12.) inter reſponſorium, cui chorus reſpondet, & Tractum, cui nemo, quod eſt inter duo ſacrificia, ſcilicet columbarum & turturum. Tractus verba congruentia ſui officii habent. Illa, quæ ſunt in Septuageſima, tribulationem ſonant, ut eſt illud *De profundis clamavi ad te Domine:* quæ in Sexageſima, opportunitatem fugæ quærunt, ut eſt illud: *Ut fugiant a facie arcus*, & ſic cætera deinceps conjicere poſſumus. *Laudate Dominum omnes &c.* lætitiam neophytorum & nuper ordinatorum ſignificat.“

b) „Feria quarta ſequenti cantabunt duo monachi Tractum ad magnam Miſſam: *Domine exaudi*, mox ut cantaverint primum verſum

ſœve conſuetum *Domine audivi*, licet reſponſorio modo decantaretur. „ Tres „ presbyteri dicent tractum *Domine audivi:* quem verſum repetet conventus „ in principio & in fine : & in aliis verſibus repetet in uno medietatem, in „ alio totum verſum.“ Et conſuetudines *Cluniacenſes*: „ Tractus *Domine* *L. I. c.* 13. „ *audivi* a cantoribus inchoatus, ita cantatur, ut poſt ſingulos verſus a pri- „ mo verſu repetatur nunc integro, nunc dimidio.“ Poteſt hic locum habere notio, quam de tractu DURANDUS innuit : „ Dicitur autem (inquit) tra- *L. IV. c.* 21. „ ctus a *trahendo*, quia tractim & cum aſperitate vocum & prolixitate ver- „ borum canitur.“ Convenit hoc tempori, quo cani ſolet in eccleſia *Romana*, ſecus ac in Miſſa *Mozarabica*, ubi communiter poſt prophetiam præſcribitur *tractus duorum vel trium verſuum.* In miſſali *Romano* plerumque conſtant tractus ex pluribus verſibus, atque integris etiam quandoque pſalmis, ut ſemper cantus variet; quod diſcrimen ponit DURANDUS inter verſus *ſequentiarum*, verſusque *tractuum* a). Ex ord. *Rom.* III. *n.* 9. diſcimus a ab alio cantore reſponſorium ab alio *alleluia*, vel tractum fuiſſe cantatum: „Can- *L. III. c.* 6. „ tor cum cantario aſcendit, & reſponſorium dicit : ac deinde per alium „ cantorem *alleluia*, ſi tempus fuerit, ſive tractus concinitur.“ In hoc enim maxime diſtinguuntur, quod *alleluia* & *tractus* ſeſe excludant, illud læto, hic triſti aſſignatus tempori, ſemel tantum cum *alleluia* iunctus in ſabbato ſancto. „ Quod autem (inquit DURANDUS) tractus maiorem inſinuet luctum „ quam graduale : per hoc innuitur, quod nunquam cum *alleluia* cantatur, „ niſi ob ſpecialem cauſam in ſabbato paſchæ.“ Tractus cantum gravem ac lugubrem tempori accommodatum omnium optime RUPERTUS *Tuitienſis* deſcribit b). b

XX. „ Epiſtolam, reſponſorium (inquit IOANNES *Abricenſis*) opportunis ALLELUIA. *Lib. de officiis eccleſiaſt. p.* 16. „ temporibus tractus vel *alleluia* ſequuntur. Hoc eſt (iuxta AMALARIUM) „ in- *De offic. div. lib. III. c.* 14.

conventus repetet eundem verſum & cantabunt : & poſt prædicti duo monachi cantabunt alium verſum ; & conventus repetet Tractum in medio ſcilicet, *Et clamor meus.* Et ſic uſque in finem dictus Tractus cantabitur. Et poſt prædicti duo monachi iterum incipient principium primi verſus de dicto Tractu, & conventus cantabit eundem verſum. “

a) „ Quod (inquit ib. n. 7.) verſus ſequentiarum bini & bini ſub eodem cantu dicuntur : quod contingit, quia ut plurimum bini & bini per rithmos ſub paribus ſyllabis componuntur : quod in verſibus Tractuum non reperitur : quia ex ſacra ſcriptura ut plurimum ſumuntur, ideoque in tantum nequeunt conbinari. “

b) „ Hoc autem (inquit lib. III. c. 6.) in Tractibus notandum eſt, quod omnes fere gravioribus compoſiti ſunt vocibus, nec unquam iis, qui authentici dicuntur modis, exaltari merentur : ſed cuncti plagalium inferioribus terminis contenti, fletum & triſtitiam in humilitate ſonorum denuntiant. Quod congrue ſatis obſervatum eſt. Triſtitiæ namque tempus exigit, ut *Alleluia*, quod lætantium carmen eſt, intermitteretur. Bene ergo Tractus, qui interim pro *Alleluia* cantatur, altitudinem atque excellentiam gaudii gravi concentu, & modeſtis declinat inceſſibus. “

„ inter *alleluia* & tractum, quod *alleluia* lætitiam ſive laudem Domino, tra-
De off. lib. I. c. 13. „ ctus vero aliquando tribulationem, aliquando lætitiam ſonat.“ S. Isidoro
idem eſt *laudes*, hoc eſt *alleluia* canere. Atque hoc intelligitur in Conc.
c. 12. *Tolet.* IV. dum prohibet *laudes* poſt apoſtolum decantari, priusquam evangelium prædicetur, dum canones præcipiunt, poſt apoſtolum non *laudes*, ſed evangelium annuntiari. Iam ante in eodem Concilio de tempore, quo
c. 10. omittendum eſſet *alleluia*, fuit cautum: „Item cognovimus quosdam *Hi*„*ſpaniæ* ſacerdotes, qui in quadrageſimæ diebus *alleluia* decantant, præter„quam in ultima hebdomada paſchæ, quod deinceps fieri interdicimus, „ſtatuentes, ut in omnibus prædictis quadrageſimæ diebus (quia tempus „non eſt gaudii, ſed mæroris) *alleluia* non decantetur.“ Laudatus Ama-
L. IV. c. 33. de off. larius retractat aliquid de *alleluia*, quod cantatur in Miſſa. „Nondum, „inquit, legeram, quod poſtea inveni in epiſtola S. Gregorii, quo tem„pore *Alleluia* in Miſſa primum cantatum eſſet in eccleſia *Romana*.“ Refert deinde epiſtolam S. Gregorii ad Ioannem epiſcopum *Syracuſanum*, ubi inter alia primum obiectum ipſe memorat: *Quia* Alleluia *dici ad Miſſas extra pentecoſtes tempore feciſtis.* Quod ille de *Hieroſolymorum* eccleſia ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi papæ tractum dicit tradi. Amalarius vero rem hoc modo poſtea explicat, quam uſque in hodiernum diem iuxta Graduale *Gregorianum* ſervamus in canendo *alle-*
a *luia*, etiam extra tempus paſchale a). Tribuit hoc idem Rupertus *Tui-*
De div. off. lib. II. c. 21. *tienſis* S. Gregorio M. quod *alleluia* extra pentecoſten ad Miſſas dici fecerit, quod antea tempore tantum paſchali fiebat, imo, ſi Sozomeno cre-
L. VIII. c. 15. hiſt. dimus, *Romæ* ſemel tantum primo die paſchalis feſtivitatis. Id adhuc auſus eſt ſæculo XI. *Michael* Cærularius obiicere, quod *alleluia* in Quadrageſima *Latini* non pſallerent, ſed ſemel in paſcha tantummodo. Dudum antea ſæculo nono ineunte in Concilio *Aquisgranenſi* ſtatutum fuit, ut *alleluia* in ſeptuageſima dimittatur. Honorius *Auguſtodunenſis*, agens de
Sacramentar. c. 19. T. II. anecd. Bezii. ſeptuageſima, diem deſignat, quo ſeptuageſima initium ſumpſerit, quove *alleluia* fuerit depoſitum: *Primus menſis*, inquit, *id eſt*, *Ianuarius in quo* alle-

a) „Docemur, quod aliquo tempore cantabatur Miſſa in *Romana* eccleſia abſque *Alleluia*. Si eo tempore cantabantur Tractus per omnes dominicos dies, & poſt *alleluia* aſſumtum in ſolis dominicis diebus de Septuageſima reſervarentur, neſcio. Habeo notum ex eo, quod *Alleluia* divulgatum ſit, cantatum eſſe apud S. Augustinum, & apud *Romanam* eccleſiam, atque *Cpolitanam* priſcis temporibus per dies pentecoſtes debere *alleluia* decantari ad recordandum de lætitia reſurrectionis Sanctorum. Reſtat adhuc quod pulſat intentionem ad requirendum, hoc eſt, ut ſicut per dominicos dies & feſtos cantatur *alleluia* ad Miſſam, ita debeat cantari per communes dies. Niſi forte imbui poſſimus ex præſenti ſcriptura S. Gregorii. Nam ex eo, ubi S. Gregorius dicit, alia, quæ dici ſolent in quotidianis Miſſis tacemus, tantummodo *Kyrie eleiſon* & *Chriſte eleiſon* dicimus, poſſumus intelligere, quod non *Alleluia* cantabatur apud illum per quotidianos dies in officio Miſſæ.“

alleluia *canitur . . . in ſecundo menſe decima luna* alleluia *deponitur.* Incertum eſt, quando tempus omittendi *alleluia* repeti cœperit a ſeptuageſima, non a quadrageſima, quomodo a S. GREGORIO fuit inſtitutum, cum antea ſolum tempore paſchali diceretur, quod integros quinquaginta dies complectebatur, non unum paſchæ diem, ut SOZOMENUS obiecit, craſſiori vero errore CÆRULARIUS, poſtquam iam ubique erat in occidente ſolemne, ut *alleluia* etiam extra tempus paſchale in Miſſa diceretur: quo tamen tempore magis frequentatur tum in reliquis divini officii partibus, cum etiam in aliis partibus Miſſæ præter reſponſorium Graduale, & quidem iam hoc medio ævo uſque ad ſabbatum poſt pentecoſten, de quo in ordine *Romano* XI. apud MABILLONIUM: „Sabbato quatuor temporum ad lectiones non flectuntur genua propter paſcha, ſed in loco Gradualium canitur *Alleluia* cum ſuis verſibus.“ *Alleluia* nempe in plerisque eccleſiis cum duplici verſiculo dicebatur, uti reperit MARTENIUS in vetuſto Miſſali eccleſiæ *Turonenſis* ante 600. annos exarato, in *Toloſano*, & quibusdam aliis. Schema eiusmodi cantus reſponſorii *alleluia* ex Miſſa paſchatis ob oculos ponit præfatione *in ant. libr. Miſſarum Rom. eccl.* obſervatque univerſim, ne quis, cum in antiquis codd. MSS. unicum *Alleluia* cum ſuo verſu animadverterit, putet, ſemel dumtaxat olim cantatum, eamque ob cauſam unicum tantum haberi *Alleluia;* cum idipſum iisdem muſicis notis & ſemel, & iterum, & tertio etiam caneretur, nec plane verſiculum adiunctum haberet, niſi repetendum eſſet: verſiculis eiusmodi nimirum ob hanc ſolam cauſam reſponſoriis, antiphonisque adiunctis, quo, intercalatione cantus facta, melius aptiusque fieri poſſent reſponſiones alternæ. Hinc generatim dici poſſe iuxta ritum veterem, arbitratur, ut, quotieſcunque verſum habeat *alleluia*, repeti illud debere, etiam in litania maiore, vel ſabbato ſancto: de quo producit vetus Ordinarium canonicorum Reg. S. LAUDI *Rotomagenſis* epiſcopi, ubi hæc expreſſe præſcribuntur: „*Alleluia* præcentor & qui cum eo chorum regunt, in pulpito ſolemniter imponant: & cantato verſu *Confitemini* iterum *alleluia* repetant.“ Ord. *Rom.* I. n. 26. „*Alleluia* ſimili modo (id eſt ab incipiente uſque in finem) cantatur, itemque ſuus verſus, in quotidianis vero diebus ſi voluerint tantum prima (vice) dicitur: id eſt ſemel a cantore dicitur, repetiturque a choro *alleluia* iterum atque iterum.“ Id quod ſimilis locutio oſtendit de reſponſorio gradali, *Hæc dies quam fecit Dominus:* qua utuntur ordd. *Rom.* cum præcipiunt, ut illud tantum dicatur in horis canonicis paſchalis hebdomadæ, in quibus etiam nunc dicimus ℟. *Hæc dies &c.* quod quia *prima* ſolum vice ſine repetitione dicimus, ideo verſiculum adiunctum omittimus, eoquod repetitione ceſſante etiam id ceſſet, quod ſolius repetitionis cauſa adhibetur,

T. II. Muſ. It. p. 148.

De ant. eccl. diſc. c. 25.

p. XXXII.

tur, verſiculus ſcilicet. Sic autem cantabatur pſalmus gradualis modo reſponſorio, cantore præcinente *alleluia*, chorus repetebat. Et dum cantor verſum pſalmi ſolus caneret, iterum chorus repetebat *alleluia* e. g. in Miſſa pentecoſtes, poſtquam cantor impoſuiſſet *Alleluia*, chorusque repetiiſſet, canebat cantor verſum: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem terræ*, chorus repetebat *alleluia*. Subdebat cantor alterum verſum: *Sit gloria Domini in ſæculum ſæculi, lætabitur Dominus in operibus ſuis.* Iterum chorus *alleluia*. Alias per annum reſponſorium *Alleluia* præcedebat, quod proprie Graduale dicitur. His illuſtrandis inſervit,
L. III. de eccleſ. off. c. 13. quod AMALARIUS de *alleluia* ſcribit: „*Alleluia*, quod cantatur per feſtos „dies in recordatione æternæ lætitiæ, tam lætitiam electorum, quam laudem „Domini ad memoriam reducit. In quo non oportet aliquid ſiniſtrum „ſonare, ſed totum dextrum, quale eſt in futura vita. Illi ſunt recte verſus, per quos revertimur ad *alleluia*, quæ lætitiam eccleſiæ & Domini „laudem ſine triſtitia retinent.“ *Alleluia* a ſolo ſonora voce cantatum
a diſcimus ex monacho *San-Gallenſi* lib. I. de geſtis CAROLI M. c. 21. a). Atque hoc ad cantum reſponſorium cum ſuis verſibus accommodatum eſt. „Cantatur reſponſorium (inquit REMIGIUS *Altiſiodorenſis* de celebrat. Miſſæ) „quod a capite repetatur, dictum eſt, quia uno inchoante reſpondent alii. „Cantatur & verſus dictus a vertendo: quia illo terminato a capite reſponſorium repetitur. Deinde cantatur *Alleluia*... Et hoc ante evangelicam „lectionem a cantore imponitur, ut laudetur ab omnibus &c.“ Atque
Vit. Card. Ximenii c. 27. ita etiam in officio *Mozarabico alleluia cum verſu* præſcribitur, cum laude ſeu *Alleluia*, quod iteratur, ut explicat ROBLESIUS, poſt evangelium; iuxta Concilium *Toletanum* IV. nimirum, ubi iubetur poſt lectionem apoſtoli immediate evangelica necti, & poſtea demum *alleluia* ſequi, ut etiam S. ISI-
L. I. de eccleſ. offic. c. 13. DORUS innuit: „Quod vero poſt conſummatam pſalmorum, ſive lectionum „prædicationem *alleluia* in fine cantatur, hoc in ſpem futuri facit eccleſia, „ſignificans poſt annuntiationem regni cœlorum, quæ in hac vita per utrumque teſtamentum mundo prædicatur actionem noſtram non eſſe futuram „niſi in laude DEI.“ Ritu *Ambroſiano* pſalmelus quidem, quem vocant, „poſt lectionem veteris teſtamenti, verſus vero cum *alleluia* poſt epiſtolam
b ponitur b). In officio *Maronitarum alleluia* toties ac in noſtro graduali, eo-

a) Apud CANIS. ed. BASN. T. II. P. III. p. 64. „Cum quidam invenis cognatus regis optime in quadam feſtivitate caneret *alleluia*, dixit imperator ad eundem epiſcopum: *Bene modo cantavit ille clericus noſter.* Qui iuxta ſtultitiam ſuam ioculariter illa verba ſuſcipiens & illum imperatoris cognatum neſciens, reſpondit: *Sic ſic perriparii* (DUCANGIUS legit Pelliparii) *poſſunt bubus agriculantibus vetrenere.*“

b) „Qua finita (ut habet BEROLDUS apud MURATORIUM antiq. Ital. medii ævi T. IV. p. 871.) notarius iuſſu primicerii ſui tollit tabulas de altari vel de ambone, indutus camiſio canit *Alleluia* in pulpito bis ante verſum. Et

eodemque modo repetitur poſt epiſtolam; aſſignaturque etiam in Miſſa *Æthiopica* inter alia cantica inter epiſtolam & evangelium. Communem vero eum eccleſiæ *græcæ* fuiſſe morem medio hoc ævo ex S. GERMANI *Cpolitani* rerum eccleſiaſticarum theoria patet, ubi variis modis ad rem præſentem explicat *alleluia*. Et in occidente paſſim eius lætum & protractum cantum declarat. STEPHANUS *Eduenſis*: „Unde (inquit) *alleluiatici* cantus modulatio ſubſequitur: quæ laudes fidelium DEO dicatas exprimit, & gratiarum actiones DEO devotas, quibus ſuſpirant ad æterna gaudia. Verbum eſt breve: ſed longo protrahitur pneumate. Nec mirum ſi vox humana deficit ad loquendum, ubi mens non ſufficit ad cogitandum." Succinit RUPERTUS *Tuitienſis*: „Canitur ergo *alleluia* poſt graduale, canticum lætitiæ poſt luctum pœnitentiæ: & ſummopere nitentes exprimere magnitudinem conſolationis, quæ repoſita eſt illis, qui nunc lugent, iubilamus magis quam canimus, unamque brevem digni ſermonis ſyllabam in plures neumas, vel neumarum diſtinctiones protrahimus, ut iucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc, ubi ſancti exultabunt in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis." Ipſum cantum gradualis ab *alleluia* diſtinguit, hunc iucundum, iſtum gravem. „Graduale (iam antea dixerat) ad pœnitentiæ reſpicit lamentum, cantus aſper & gravis adeo, ut illud excellentibus efferre vocibus nec uſus nec decus ſit." Hæreo an hic excellentes voces potius pueriles, quam viriles indigitet, de quibus DURANDUS: „In nonnullis eccleſiis *alleluia* cantatur a pueris: Graduale a magnis. (Dicit tamen paulo poſt): Alii ſunt perfecti viri, qui in aliis eccleſiis *Alleluia* vel tractus in pulpitis concinunt." De modo vero, quo *Alleluia* cantari conſueverat poſt Graduale, non ſolum ſententiam, ſed laudata etiam verba RUPERTI fere exprimit: „Canimus igitur *alleluia* poſt Graduale, canticum videlicet lætitiæ poſt luctum pœnitentiæ. Summopere nitentes exprimere magnitudinem conſolationis: quæ repoſita eſt lugentibus, iuxta illud: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*: iubilantes potius, quam canentes, unamque brevem digni ſermonis ſyllabam in plures pneumas protrahimus: ut iocundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc ubi ſemper erit vita ſine morte: & dies ſine nocte. Eſt etiam *alleluia* modicum in ſermone, & multum in pneuma: quia gaudium illud maius eſt, quam poſſit explicari ſermone. „Pneu-

De Sacram. alt. c. 12.

L. I. de offic. c. 35.

Ib. c. 34.

L. IV. c. 21.

Ib. n. 5. *&* 6.

magiſter ſcholarum incipit, & lectores deinde canunt *alleluia*, & verſum & *alleluia* ſimiliter. Poſt verſum vero idem notarius dicit *alleluia*. Tunc magiſter ſcholarum canit melodias cum pueris ſuis tacentibus lectoribus. Et notandum, quia notarius ſemper canit *alleluia* in dominicis diebus, excepto in natale Domini, & in epiphania, & in reſurrectione, & in pentecoſten, & in dedicatione maioris eccleſiæ, in quibus diaconi cantant, præcedentibus eos notariis, trahendo eos ſuper pulpitum, & tenendo ſurſum aram camiſii, ne iter diaconi impediat, excepto die carnelevalis, in qua pueri cantant."

„ Pneuma enim, ſeu iubilus, qui fit in fine, exprimit gaudium & amorem „ credentium." Et *Io.* BELETHUS in *Explicat. div Off.* c. 38. „Poſtea ſequitur „ *alleluia*... In huius fine neumatizamus, hoc eſt iubilamus, dum finem „ protrahimus, & ei velut caudam accinimus." Quod in fine, nimirum ſuper litteram A, pneuma exprimi ſolebat, etiam S. BONAVENTURA memorat: „Solemus (ait) longam notam poſt *alleluia* ſuper hanc litteram A „ prolixius decantare, quia gaudium Sanctorum in cœlis interminabile & „ ineffabile eſt." Non ſunt inanes eiusmodi myſticæ rationes, quæ mentem, ne in cantu eiusmodi ſtupidus hæreat, erigunt eo, quo fertur noſtra oratio. Nativa tamen ratio fuerit, ut cærimoniæ ante ſolemnem in ambone evangelii cantum expleri poſſent. Ad quod pertinet, quod in ord. V. *Rom.* p. 66. legitur: „Epiſcopus vero annuat magiſtro ſcholæ, quando a canto„ ribus gradale vel *alleluia* repetere debeat." *Græci* adhuc magis abundant, atque integras implent paginas uno *alleluia*, quod etiam canunt, ac ſolum quidem in hac liturgiæ parte variis diverſorum auctorum modulis. Vocant ἀλληλȣιάριον, uti etiam *Latini* librum, in quo *alleluia* continetur, atque etiam pulpitum, ubi *alleluia* cantari ſolet, *alleluia* nominant. a)

De expoſit. Miſſæ. c. 2.

a

Sequentiæ.

XXI. Ex dictis patet ratio, cur eiusmodi neumæ ſeu iubilationes, in ultima ſyllaba τȣ̃ *alleluia* longius protractæ, ſequentiæ ſint vocatæ. „Iu„ bilatio (ut ait AMALARIUS) quod cantores ſequentiam vocant." Et ordo *Romanus*: „Sequitur iubilatio, quam ſequentiam vocant." Clare hoc indicat HUGO Cardinalis: „ *Alleluia* repetitur cum neuma, & ſignificat laudem „ patriæ. Significatur autem per ſequentias idem ac per neuma. Unde in „ antiquis ſequentiis ſunt verba incognita, quia ignotus eſt nobis modus „ laudandi Deum in patria." De his etiam intelligendus eſt EKEHARDUS in vita NOTKERI: „Iubilus autem, id eſt neuma, quem quidam in organis „ iubilant, plauſum victorum lætantium commendat. Dicebatur hoc etiam „ *neumatizare alleluia.*" Sunt quidem his ſequentiis aliæ ſubſtitutæ, cantiones nimirum rhytmis in Dei & Sanctorum laudes compoſitæ, & appellantur *ſequentiæ* iuxta *Ioannem* ADELPHUM, qui eas commentariis ſuis illuſtratas dedit *Argentinæ* an. 1513. quoniam ſequuntur melodiam, quæ eſt in *Alleluia.* Atque hinc GUIBERTUS *Tornacenſis* dicit: *additur ſequentia & non protrahitur ſecundum* alleluia, *quia ſequentia eius loco dicitur.* Idem habet HUGO *Victorinus.* Et DURANDUS, *Quando autem*, inquit, *dicitur ſequentia, non dicitur pneuma poſt* alleluia. Quia nimirum ſequentia illius vice canitur. Singulare eſt, quod D. DEVERT refert de eccleſia S. STEPHANI *Metis* alternantibus in feſto S. STEPHANI canonicis, & religioſis ma-

Expoſ. Miſſ. c. 11.

Bolland. T. I. April. p. 587.

Lib. de off. ep. c. 23.

Durand. L. IV. c. 20. n. 6.

T. IV. p. 98.

a) Vid. P. CARPENTIER in ſupplemento Gloſſarii Cangiani h. v.

matronis S. Glossinæ: „Dominæ debent cantare litteram ſequentiæ, *Con-„gaudet angelorum*: Domini vero debent cantare notam iuxta litteram.“ Notat ibid. p. 97. modulationem ſequentiæ ſyllabatim expreſſæ, uti omnes ſunt notatæ in miſſali noſtro ſæc. XII. Recte etiam obſervat poſt expoſitorem Miſſæ, ſæc. XVI. olim melodiam ſequentiarum conformem fuiſſe melodiæ ipſius *Alleluia*. Colligitur hoc ex variis MSS. *San-Gallenſibus*, *Einſidlenſibus*, & *San-Blaſianis*, in quibus ex latere ſequentiarum in margine notæ muſicæ cum *alleluia* expreſſæ ponuntur. Neque ideo pneumata ſeu neumæ ceſſarunt, poſtquam ſequentiæ introductæ ſunt, cum potuerint mutuo ſibi ſubſtitui, una eademque melodia in ſequentiis, vel neuma ſeu iubilo, ut expoſuimus. Quæ notio videtur adhuc ad finem ſæculi decimi quinti locum habuiſſe, ut ex vita B. Columbæ *Reatinæ* apud Bollandum colligitur. „Die autem ſancto aſcenſionis Domini (ut ibi narrat Sebastia-„nus *Peruſinus* ord. Præd. vitæ auctor) audierat in Miſſa feſti ſequentiam, „quam dictis veſperis rogabat ſerio ſibi exponi, quam me exponentem in-„tuebatur intenta valde: ſed poſt paulum prorupit in iubilum, atque fe-„ſtiva quadam inſtantia mirabiliter rapta congaudebat.“ Iubilus hic fuiſſe videtur, quem veteres ſequentiam vocarunt, vocis nimirum ſine verbis modulationem. Neumas intelligo in ultima vocali A. *alleluia*, modulationem *quam ſine mente gero*, iuxta Ausonium ep. 11. Qua ratione iuxta laudatum De Vert finis Gradualis polongari conſuevit, ubi etiam non haberetur *alleluia*, ut diacono tempus ſuppeteret, ſe præparandi ad evangelium, ambonemque conſcendendi, unde etiam locus ſequentiis eſſe potuit. Certe in Miſſa defunctorum hodieque habetur ſequentia *Dies iræ*, licet in occidente *alleluia* nunquam in ea Miſſa, medio ſaltem ævo fuerit cantatum. *Petrus* tamen Cervellus in expoſitione Miſſæ, & Card. Bona ſequentiam in Miſſa *de requiem* locum aſſeverant non habere debere, quod nec *alleluia* canatur. Atque laudatus D. De Vert hunc uſum admodum recentem facit, præ aliis ſequentiis. Auctor illius ſequentiæ creditur Thomas *Celanus* ord. Min. ineunte ſæc. XIII. Paulo ante agentes de *Gloria in excelſis* breve apoſtolicum Coelestini III. laudavimus, quo indultum eſt monaſterio *S. Blaſii*, ut in feſtis Annunciationis, Purificationis B. M. V. & S. Blasii ſequentia caneretur poſt ſeptuageſimam: quod alias ſequentia cum *alleluia* pariter intermitteretur, cuius nempe vicem & melodiam habebat, etſi forte nomen aliunde ſit. *Mich.* Pretorius in ſuo *ſyntagmate muſico* dicit, ſequentias eſſe cantus, dictos a præfatione ſubſequentis lectionis *Sequentia S. evangelii ſecundum* Mathæum &c. Cuiusmodi ſequentiis ad auſcultationem ſubſequentis lectionis ex evangelio, quod præceden-

T. V. ad diem 20. Maii p. 352.

L. II. c. 115.

L. II. c. 6. rer. liturg.

T. I. p. 46.

ti contextui, unde abruptum eſt, adhæret, populum præparare & exſuſcitare voluerint.

Sequentiarum primus auctor.

XXII. Retulimus ex MS. regio locum ſuperius, in quo ADRIANUS II. perhibetur, melodias ante evangelium concinendas tradidiſſe, quas dicunt ſequentias, *quia ſequitur eas evangelium.* Rememoranda eſt notio, quam ſuperiore capite de tropis, & modo de *ſequentia* explicavimus pro σύρματι ſeu tractu plurium notarum in una ſyllaba ſeu vocali, cui deinceps verba ſunt adaptata. Lucem inde accipit locus ECKEHARDI in vita NOTKERI *Balbuli* c. 2. *n.* 13. de cantoribus, *Roma* in *Franciam* miſſis, petente CAROLO M. Quorum alter *Metas* pervenerit, alter febre correptus in monaſterio *S. Galli* ſubſtiterit: convaleſcensque cantum *Romanum* inſtaurarit, retinueritque; alter *Metis* immutarit æmulatione quadam. „Memoria dignum eſt (ſunt „verba ECKEHARDI) quantum hac æmulatione uterque locus profecerit, „& non ſolum in cantu, ſed & in cæteris doctrinis excreverit. Fecerat „quidem PETRUS ibi (*Metis*) iubilos ad ſequentias, quas *Metenſes* vocant; „ROMANUS vero econtra *Romane* & amœne de ſuo nobis iubilos modu„laverat: quos utique poſt ſanctus vir NOTKERUS quibus videmus verbis „ligabat, frigdoræ videlicet & occidentanæ, quas ſic nominabat cantibus (al. „quibus) animatus etiam ipſe de ſuo cogitavit." Iubilos, quos cantor ille, ROMANUS nomine *Romane & amœne modulaverat*, poſtea NOTKERUS *verbis ligabat.* Hæ nempe ſunt, de quibus agimus, ſequentiæ, quarumve is auctor paſſim creditur. Nec iuxta primam ſequentiæ mox explicatam notionem refragatur citatum MS. regium. Dum vero NICOLAUM I. eas in re divina recipi poſſe, aſſenſiſſe dicit laudatus *Ioannes* ADELPHUS (qui ſedit poſt medium ſæculi noni, cum NOTKERUS obierit an. 1012. ut *Bollandiſtæ* ad diem 6. *Aprilis* probant) iidem forte ſuſpicantur, NICOLAUM II. ibi reponendum, qui poſt annos circiter ducentos a primi obitu S. Sedem tenuit. Ipſe tamen NOTKERUS, in *præfatione ad collectionem ſequentiarum*, LUITWARDO epiſcopo *Vercellenſi* inſcriptam, alium ſequentiarum auctorem memorat: „Contigit (inquit) ut presbyter quidam de gimedia, nuper a *Nord*„*mannis* vaſtata, veniret ad nos, antiphonarium ſuum deferens ſecum, in „quo aliqui verſus ad ſequentias erant modulati." Ut nihil dicam de Miſſa ab ILLYRICO edita, de cuius ætate non conſtat, ubi Gradualis, *Alleluia*, & ſequentiæ fit mentio. Nihil etiam de antiquiſſimo ordine *Romano*, ut eſt a CASSANDRO & HITTORPIO editus, referam, ubi iam hæc occurrunt verba: *Sequitur iubilatio, quam ſequentiam vocant*: quæ verba in editione MABILLONII non extant: nec de ſequentia aliquid ecloga habet, ab AMALARIO in eum ordinem edita. Sed quod ſpectat ipſum ordinem *Roma-*

T. II. Muſ. It. p. 45. not. b.

manum ab HITTORPIO editum, recte ibi intelligi poteſt ſequentia, iubilatio, non cantiones rythmicæ, quæ ſunt *proſæ* etiam dictæ, eoquod metricis legibus ſint ſolutæ. „Proſæ (ut habetur in Ordinis *Cluniacenſis* P. II. „ apud P. HERRGOTT) vel quod alii ſequentias vocant, non cantantur, niſi „ in hac feſtivitate (Aſcenſionis) & in Epiphania, & in translatione S. BE- „ NEDICTI, & in natali S. MAURITII, & dedicatione eccleſiæ, quando in „ paſchali tempore celebratur, & in quinque præcipuis feſtivitatibus. Proſa „ *Rex omnipotens.*" Et in conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* S. WILHELMI apud eundem habetur: *Pro ſigno proſæ, quam quidam ſequentiam vocant, leva manum inclinatam &c.* Attendenda ſunt tempora, ex quibus certus habetur ſequentiarum rythmicarum uſus, a ſæculo nimirum decimo, quæ in ipſis libris miſſalibus proſæ potiſſimum vocantur, ubi aut ipſis feſtis ſolent annecti, aut ad calcem ſimul omnes non ſolum de feſtis, ſed etiam quandoque *de communi* reponi. A cantoribus cantari ſolitæ ſunt *Romæ* iuxta ordinem *Romanum* XI. auct. BENEDICTO canonico Beati PETRI ſæculo duodecimo, apud MABILLONIUM: „Tunc pontifex mandat acoly- „ thum, ut ſurgant cantores, & cantent ſequentiam modulatis vocibus, qui „ ſurgentes faciunt imperata." Ex cæremoniali URBANI VI. collegit MABILLONIUS eſſe hanc, quæ in hoc ordine *Rom.* indigitatur, ſequentiam, quæ incipit a voce *Lætabundus;* ne putes ſequentiam hic *modulatis vocibus* eſſe veterem iubilationem ſeu neumam. Idem obſerva in DURANDO: „Se- „ quentiam vero non illi ſoli (id eſt cantores) decantant, ſed chori com- „ muniter iubilant: quoniam iubilus æternus & ineffabilis angelis erit com- „ munis & hominibus." Iam antea determinavit, quid per ſequentiam velit: *Quando autem,* inquit, *dicitur ſequentia, non dicitur pneuma poſt alleluia.* Et RADULPHUS *Tungrenſis* prop. 23. „Abbas (inquit) NOTKERUS „ ſequentias aliquas pro neumis de *alleluia* compoſuiſſe dicitur, quas NI- „ COLAUS ad Miſſam cantari conceſſit. In antiquis libris *Romanis* aliquas „ vidi ſequentias, multi autem multas introduxerunt. Quilibet gaudet de „ ſuis novitatibus. Securius videtur in illis ſequi *Carthuſienſes* & *Ciſter-* „ *cienſes.* Iubili autem ſeu neumata Gradualium & de *alleluia* reſecandi „ non ſunt, niſi cum illorum loco ſequentiæ decantantur." S. ODILO abbas *Cluniacenſis* ſæc. XI. vix una, *Sancti Spiritus adſit nobis gratia,* ut reciperetur, apud ſuos obtinuit. Patet adhuc ævo DURANDI & RADULPHI, id eſt ſæculis XIII. & XIV. non conſtantem & perpetuum fuiſſe ſequentiarum uſum, unde etiam non in omnibus miſſalibus MSS. eorum temporum reperiuntur. Quoad ipſum vero cantum pauciores notas habent, quam Introitus e. g. Gradualia, & Offertoria, præſertim autem *Kyrie eleiſon. Sanctus. Agnus DEI.* Ubi frequentes neumæ occurrunt, quas tamen *iubilare* dicebant,

De vet. diſc. monaſt. p. 330.

p. 396.

Muſ. It. T. II. p. 129.

L. IV. c. 20.

Ib. n. 6.

bant, ut in mox laudato ordine *Romano* Benedicti canonici facere cantores iubentur, *Romæ* nimirum, ubi peculiaris ſemper fuit cantorum ſchola, quod præſtabant paſſim alibi, ut iam ex Durando notavimus, alternatim chori, atque univerſa congregatio, non ſoli cantores, qui in cantu exercitati erant, & ex reliquis ſelecti facilius etiam in difficillioribus cantibus conſonabant: *Sequentiam chori alternatim iubilant*, ut habetur in lib. *Gemma animæ.* Forte etiam ab univerſo populo ſunt nonnunquam decantatæ: quales fuerint, quæ lingua *Gallica* in antiquis miſſalibus habentur proſæ de S. Stephano, in quibusdam parochiis, uſque ad archiepiſcopatum D. Tellier, ſuperiori ſæculo cantatæ in eccleſia *Remenſi* teſte Martenio, qui ſe vidiſſe perhibet antiquos miſſales MSS. in quibus proſa, vitam S. Stephani *Gallice* conſcriptam continens, reperiebatur. Nota autem, ſequentias præcipuas pro illa ætate etiam cantari nonnunquam ſolitas, ac cum voluptate auditas extra ſacra, veluti in conventu epiſcoporum & abbatum ad cœnobium *S. Galli*, uti refertur *T. II. Conc. German.* p. 646. „Interea ſequentia ſummis conatibus, quam Ekkehardus *Palatinus* dictaverat, ipſo coram illis ſtante inchoatur, & iocunde cantatur.“ Quod antiquatæ ſint pleræque ſequentiæ in Miſſa, haud dubie in cauſa fuit inconcinnitas earum, præterquam quod parum in uſum *Romanum* ſeſe inſinuaverint, licet Schultingius multas Gelasio & Gregorio perperam tribuat. Qui etiam in eo cum aliis aberrat, quod quinque haud diſtinguens Notkeros, abbatem Notkerum præcipuum ſequentiarum auctorem faciat. Quæ deinceps varie a variis auctoribus ſine ſelectu auctæ admodum ſunt, ac multiplicatæ. Singularis vero eſt ratio, quam de earum compoſitione obſcura, & parum latina affert Schultingius: „Hæ autem „ſequentiæ certis in locis obſcuræ & parum latinæ factæ ſunt, ut concen„tus & tonus, atque adeo ſonus eſſet iucundior. Nam muſici & canto„res in omnibus linguis id præcipue obſervant. Quod de *Rabbinorum* „ſuorum hymnis quoque annotat Elias lib. IV.“ Eius rei non poſtrema cauſa etiam ea fuerit, quod notis ſeu neumis τȢ *alleluia* ſcrupuloſe fuerint commenſuratæ, ut iam innuimus, atque ex præfatione ſeu epiſtola dedicatoria ipſius Notkeri ad Luitwardum diſcimus, quam Mabillonius ex cod. *Cluniacenſi* in *actis Benedict.* & Pezius unacum ipſo libro ſequentiarum edidit ex cod. *S. Emerani*, nos autem cum nonnullis additamentis ex codicibus variis *S. Galli*, *Einſidlenſibus* & *S. Blaſii* hic adſcribimus a)

De antiquo ritu Miſſarum c. 10.

T. I. de ant. eccl. ritibus c. III. art. 2. *n.* 11.

Bibl. eccleſ. T. I. P. II. c. 6. & 7.

Sæc. V. p. 18.

T. I. anecd. p. 27.

a

cum

a) In cod. *S. Galli* ſæc. X. iſti præmittuntur verſus:
Optans miſceri Notkerus *in æthere plebi,*
Cuius dulciſonis vox nunquam ceſſat ab ymnis.
Gaudia dum licuit crucis hoc in carmine luſit
Quod Domino laudi, Galloſque ſtudebat honori.

Tum immediate ſequitur: *Summæ ſanctitatis merito ſummi ſacerdotii decore ſublimato Domino dilectiſſimo* Luitwardo, *incomparabilis viri* Eusebii Vercellenſis *epiſcopi digniſſimo ſuceeſſori abbatique cœnobii ſanctiſſimi* Colum-

N. 1

NATUS
ANTE
SECVLA
DEI FILIUS INVI
SIBILIS INTERMINVS
Per quem fit machina celi ac terre ·
Mariſ · & in hiſ degentium ·
Per quem dieſ & hore labant ·
Et ſe iterum reciprocant ·
Quem angeli in arce poli uoce
Conſona ſemper canunt ·
Hic corpuſ aſſumpſerat fragile ·
Sine labe originaliſ criminiſ de carne
Marie uirginiſ · quo primi parentiſ

N. 2.

IN GALLICANTU
EIA RECOLAMUS .
laudibuſ piiſ digna ·
huiuſ diei carmina in qua
nobis lux orit̃ gratiſſima ·

N. 3.

DE SCO BLASIO. BEATUS VIR MAIOR
O BLASI DILECTE
regi regum ſummo
Et cunctiſ angelorum
choriſ laudabiliſ
Te celi terra mare
laudent & ſidera
Sol luna & cuncta creata
Aquarum curſuſ & piſceſ
Te ſcſ dei filiuſ confortauit
& ornauit
Cum carnificeſ undiq;
lacerarent menbra tua

cum notis muſicis. Sequuntur ipſæ ſequentiæ, ut in aliis *San-Gallenſibus*, *Einſidlenſibus*, *San-Blaſianis* codicibus. Notæ ſecundum *alleluia* in margine tantum ſunt poſitæ in antiquioribus codicibus; deinceps ſimul etiam ſuper verba; ac tandem omiſſis notis in margine ſuper verba tantum ſyllabatim, ut iam notavimus. In cod. *Weingartenſi* ſæc. XI. circ. in margine *alleluia* abſque notis ſcribitur, ſuper verba vero litteræ loco notarum. E. g.

G a G F a c a c a e c c e d
Iohannes Ihu Xpo multum dilecte virgo &c.

Earum nos initia ex pulcherrimo codice *S. Gall.* auro ornatiſſimo cum ſchemate typis æneis damus, adiectis aliis ex codd. *S. Emeran.* ſæc. X. & *S. Blaſ.* ſæc. XI. vel XII. Præfigitur in laudato codice *San-Gallenſi* imago Deiparæ ſedentis cum puero IESU in gremio ad natalem Domini deſignandum, inde ſine alio titulo ſubduntur ipſæ ſequentiæ a). Pezius coniecerat ex carmine ipſius TAB. II.

BANI, *ac defenſori cellulæ diſcipuli eius meritiſſimi* GALLI, *nec non & archicapellano glorioſiſſimi imperatoris* CAROLI NOTKERUS *cucullariorum ſancti* GALLI *noviſſimus. Quum adhuc iuvenculus eſſem, & melodiæ longiſſimæ ſæpius memoriæ commendatæ inſtabile corculum aufugerent, cepi tacitus mecum volvere, quonam modo eas potuerim colligere. Interim vero contigit, ut presbyter quidam* de Gimedia *nuper a* Nordmannis *vaſtata veniret ad nos, antiphonarium ſuum deferens, in quo aliqui verſus ad ſequentias erant modulati, ſed iam tunc nimium vitiati. Quorum ut viſu delectatus, ita ſum guſtu amaricatus. Ad imitationem tamen eorumdem cepi ſcribere.* Laudes Deo concinat orbis univerſus. Qui gratis eſt redemtus. *Et infra:* Coluber ADÆ deceptor. *Quos cum magiſtro meo* YSONI *obtuliſſem, ille ſtudio meo congratulatus, imperitiæque compaſſus, quæ placuerunt, laudavit, quæ autem minus, emendare curavit, dicens: Singulæ motus cantilenæ ſingulas ſyllabas debent habere. Quod ego audiens, ea quidem quæ in* ia *veniebant ad liquidum correxi, quæ vero in* le, *vel* lu, *quaſi impoſſibilia vel attemptare* (*al.* attemperare) *neglexi, cum & illud poſtea uſu facillimum deprehenderim. Ut teſtes ſunt:* Dominus in Syna. *Et* Mater. *Hocque modo inſtructus, ſecunda mox vice dictavi:* Pſallat eccleſia mater illibata, *ille gaudio repletus rotulos eos congeſſit, & pueris cantandos aliis alios inſinuavit. Cumque mihi dixiſſet, ut in libellum compactos alicui primorum illos pro munere offerrem, ego pudore retractus, nunquam ad hoc cogi poteram. Nuper autem a fratre meo* OTHARIO *rogatus, ut aliquid in laude veſtra conſcribere curarem, & ego me ad hoc opus imparem non immerito iudicarem, vix tandem aliquando ægreque ad hoc animatus ſum, ut hunc minimum viliſſimumque codicellum veſtræ Celſitudini conſecrare præſumerem. Quem ſi in eo placitum veſtræ pietati compere, uti ipſi fratri meo apud Domnum imperatorem ſitis adminiculo, metrum, quod de vita S.* GALLI *elaborare pertinaciter inſiſto, quamvis illud fratri meo* SALOMONI *prius pollicitus fuerim, vobis examinandum, habendum, ipſique per vos explanandum dirigere feſtinabo.* Sequitur: *Laus tibi Chriſte &c.*

a) „*Natus ante ſæcula Dei Filius &c.* unde ſupra *Eia turma.* De S. STEPH. Concordia. *Hanc concordi famulatu.* Unde ſupra ὑποδιακονικα. Unde ſupra. *Iuſtus ut palma. Feſta Stephani &c.* Item ὑποδιακονικα. *Protomar. Domini.*

De S. IOHAN. apoſt. Iuſtus ut palma maior. *Laus tibi Chriſte.* Unde ſupra. *Te martyrum. Laus tibi Chriſte Patris tui &c.* Unde ſupra. *Mirabilis laus tibi Chriſte Patris &c.* Item unde ſupra. Virguncula clara. *Laus tibi Chriſte Patris optime nate. Qui hodie dant floſcula &c.* Item amena. *Blandis vocibus.*

In octava Domini. Cignea. *Gaude* MARIA *Virgo Dei Genitrix &c.*

In Theophania. Trinitas. *Feſta Chriſti omnis Chriſtianitatis &c.* unde ſupra ſymphonia. *Hunc diem celebret &c.* De una virgine filia martyris. *Virginis venerandæ de numero &c.*

T.V. p. 758. ſius NOTKERI, in duas partes fuiſſe diſtinctum opus ſequentiarum, quod nos in codice altero *S. Galli* eiusdem ſæc. X. deprehendimus, ubi ſecundæ parti, quæ a paſchate incipit, hi præmittuntur verſus:

Pars

Item ipſa. In oct. S. IOH. apoſt. *Cantemus Chriſto, Chriſto regi terræ, maris &c.*

De S. BLASIO: Beatus vir qui ſuffert. *O Blaſi dilecte regi ſummo.*

Sabbato ante LXX.*mam Noſtra turba regatur &c.* In cod. ſæc. XII. ſubiicitur: Puella turbata. *Cantemus cuncti melodum nunc alleluia,* & ſic poſt ſingulos verſus *alleluia* ſubditur. Dom. S. Paſchæ. *Laudes Salvatoris voce modulemus ſupplici &c.* Unde ſupra. Mat. *Pangamus creatoris, atque redemtoris gloriam. Qui bene &c.* Item ipſa (ſupra rec. m.) *laudes redemti Chriſto corde iubilemus devoto &c.* Fer. II. Dominus regnavit. *Is qui prius habitum &c.* Fer. III. Obtulerunt. *Chriſte Domine lætifica &c.* Fer. IV. Græca. *Agni paſchalis eſu &c.* Fer. V. Duo tres. *Grates ſalvatori ac regi Chriſto Deo ſolvant &c.* Fer. VI. Organa. *Laudes Deo concinat orbis ubique totus &c.* Sabbato paſchæ. Amena. *Carmen ſuo dilecto &c.* In oct. paſchæ. Virgo plorans. *Hæc eſt ſancta ſolemnitas &c.* Dom. poſt oct. paſchæ. Deus iudex iuſtus. *Iudicem nos inſpicientem &c.*

Dom. II. In te Domine ſperavi. *Laus tibi ſit o fidelis Deus &c.*

Dom. III. Qui timent. *En regnator cæleſtium, & terrenorum.*

De S. Crucis Invent. *Hæc eſt ſancta ſolemnitas ſolemnitatum.*

De Aſcenſione Domini. Captiva. *Summi triumphum regis proſequamur laude:* unde ſupra. *Dominus in Sina. Chriſtus hunc diem iocundum &c.*

Dom. poſt Aſcenſ. D. *O quam mira ſunt Deus tua portenta &c.*

Dom. Pentec. Occidentana. *Sancti Spiritus adſit nobis gratia &c.*

In octava Pentec. Planctus ſterilis. *Benedictio gratias Deo &c.*

De S. Io. Baptiſta. Iuſtus ut palma maior. *Sancti Baptiſtæ Chriſti præconis ſolemnia celebrantes &c.*

De SS. Apoſt. PETRO & PAULO. Concordia. *Petre ſumme Chriſti paſtor &c.*

De S. MARGARETHA. Amena. *Gaude ſemper ſerena.*

De S. BENEDICTO. Iuſtus germinavit. *Qui benedici cupitis huc feſtini currite &c.*

De S. EUSEBIO Conf. Iuſtus ut palma minor. *Rex regum Deus noſter colende &c.*

De S. AFRA. Fidicula. *Laudes Deo perenni auctori redemtionis &c.*

De S. LAURENTIO. Romana. *Laurenti David magni martyr, mileſque fortis &c.*

In Aſſumt. S. MARIÆ. Mater. *Congaudent angelorum choriglorioſæ Virgini &c.*

In Decollat. S. IOHANNIS. Captiva. *Summum preconem Chriſti collaudemus leti &c.*

In nativ. S. MARIÆ. Puella turbata. *Ecce ſolemnis diei canamus feſta.*

De S. MAURICIO. Metenſis. *Sancti belli celebremus triumphum.* Unde ſupra. *υποδιακονικα. Ibant pariter animis & ducibus &c.*

De S. MICHAELE. Græca. *Magnum te Michaelem habentes pignus.*

De S. GALLO. Iuſtus ut palma minor. *Dilecte Deo Galle perenne,* unde ſupra. *Dies ſanctificatus. Chriſte ſanctis unica ſpes, ſalus &c.*

In Dedicatione eccleſiæ. Lætatus ſum. *Pſallat eccleſia mater illibata &c.* Unde ſupra. Amena.

De omnibus Sanctis. Vox exultationis. *Omnes ſancti Seraphim, Cherubim &c.*

De S. MARTINO Conf. Beatus vir qui timet. *Sacerdotem Chriſti Martinum, cuncta per orbem canat eccleſia &c.*

De S. OTHMARO abb. Metenſis minor. *Laude dignum ſanctum canat* OTHMARUM *Suevia mater.* Unde ſupra. *Eia fratres cari feſtivitatem &c. ſancti Patris* OTHMARI *agamus &c.*

De S. COLUMBANO. Beatus vir qui ſuffert. *A ſolis occaſu uſque ad exortum &c.*

De S. ANDREA apoſt. Nimis honorati ſunt. *Deus in tua virtute ſanctus &c.*

De omnibus apoſtolis. Aurea. *Clare ſanctorum ſenatus apoſtolorum.*

De martyribus. Vox exultationis. *Agone triumphali militum regis ſummi.* Unde ſupra. Duo tres. *Tubam bellicoſam, quam Dei non verentes ſervi &c.*

Pars LUITUUARDE *prior finitur calle ſub arto*
Lætitiæque melos, ſanctique decens habitaclum.
Atque oculos regi meditari intendere cœli.
Hieruſalem donec merearis ſcandere celſum,
Qua deridebis quondam cædentia flagra.
Et cum rege tuo gaudebis hic crucifixo.
Poſterior pratis renitet, cum floribus aptis.

In *Einſidlenſi* hi tantum habentur verſus:

Pars LUITUUARDE *prior finitur calle ſub arto*
Poſterior pratis renitet cum floribus amplis a).

Specimen

De uno mart. Virgo plorans. *Quid tu Virgo mater ploras.*

De SS. Virginibus. *Scalam ad cælos ſubrectam tormentis unitam &c.* Eadem dominicis diebus. *Cantemus cuncti melodum &c.*

De uno confeſſore. Iuſtus ut palma minor. *Rex regum Ds noſter colende &c.*

De S. REMACLO Conf. Mater. *Laude celebri dignum mater eccleſia Sanctorum hodie beatum concinat lecta* REMACLVM.

In die S. Paſchæ ad veſperam. Romana. *Laudantes triumphantem Chriſtum pangamus hymnum &c.* Fer. III. *Ecce vocibus carmina comparibus &c.* Fer. IV. *Eia armoniis ſocii laudum reſonis &c.* Fer. V. *Laudum quis carmine unquam prævalet regum ſumme &c.* Sabbato. *Deus qui perenni reſidens poteſtatis ſolio &c.*"

a) „ Mox: Dominica Paſchæ. Frigdora. *Laudes Salvatori voce &c.* Fer. II. *Dnus regnavit dec. Is qui prius.* Fer. III. Obtulerunt. *Chriſte Dne lætifica.* Fer. IV. Græca. *Agni paſchalis eſu.* Fer. V. Duo tres. *Grates ſalvatori ac regi &c.* Fer. VI. Organa. Laudes Deo concinat &c. Sabbato. Paſcha. *Carmen ſuo dilecto &c.* In octava Paſchæ. Virgo plorans. *Hæc eſt ſancta ſolemnitas &c.* Dom. I. poſt oct. Paſchæ. Deus iudex iuſtus. *Iudicem nos inſpicientem &c.*

Dom. II. In te Dne ſperavi. *Laus tibi ſit o fidelis &c.*

Dom. III. Qui timent. *En regnator cæleſtium &c.* Dom. IV. Exultate DEO. *Læta mente canamus &c.* De S. Crucis invent. Virgo plorans. *Hæc eſt ſancta ſolemnitas ſolem.*

De aſcenſa Dñi. Captiva. *Summi triumphum regis &c.*

Die dom. poſt aſcenſ. Confitemini. *O quam mira &c.*

De die S. Pentec. Planctus ſterilis. *Benedicto gratias Deo &c.*

De S. *Io.* BAPTISTA. Iuſtus ut palma maior. *S.* BAPTISTÆ *Chriſti præconis &c.*

De SS. PETRO & PAULO apoſt. Concordia. PETRE *ſumme Chriſti paſtor &c.*

De S. EUSEBIO. Iuſtus ut palma minor. *Rex regum Deus noſter &c.*

De S. LAURENTIO. Romana. LAURENTI DAVID *magni &c.*

In Aſſumt. S. MARIÆ. Mater. *Congaudent angelorum chori.*

De nativ. S. MARIÆ. Adducentur. *Stirpe* MARIA *regia.*

De S. MICHAELE. Græca. *Magnum te* MICHAELEM *&c.* unde ſupra. Laudate Dominum. *Angelorum ordo ſacer.*

De S. GALLO. Iuſtus ut palma minor. *Dilecte Deo* GALLE *&c.*

In dedic. eccl. Lætatus ſum. *Pſallat eccleſia mater.* Unde ſupra. Adorabo. *Tu civium Deus conditor &c.*

De omnibus SS. Vox exultationis. *Omnes SS. Seraphim.*

In natali S. MARTINI. Beatus vir. *Sacerdotem Chriſti* MARTINUM.

De S. OTHMARO. Metenſis. *Laude dignum &c.* De S. COLUMBANO. Beatus vir. *A ſolis occaſu.*

Specimen ſequentiæ ex MS. *San-Blaſ.* 400. ann. cum notis, ut vocabantur, *quadriquartis* hic adiungendum duximus.

Sequentia bona de beata Virgine.



De S. Andrea. Nimis honor. *Ds in tua virtute.*

In nat. apoſt. Aurea. *Clare SS. ſenatus apoſtolorum.*

In nat. mart. Vox exultationis. *Agone triumphali &c.* unde ſupra. Duo tres. *Tubam bellicoſam &c.*

De uno martyre. Virgo plorans. *Quid tu virgo &c.* unde ſupra. Iuſtus ut palma. *Rex regum.* Reliqua quære in nat. S. Eusebii.

In nat. SS. Feminarum. Puella turbata. *Scalam ad cælos ſubrectam &c.*

In feſt. S. Bened. abb. Iuſtus germinabit. *Qui benedicti cupitis huc feſtini currite &c.*

In nat. S. Mauritii. Mater. *Omnis ſexus & ætas &c.*

De S. Trinitate. *Benedicta ſemper ſancta &c.* unde ſupra. *Promta mente Trinitati.*

In nat. S. Stephani. υποδιακονικα *Xpi Dñi militis &c.*

In nat. Innocentum. Iuſtus ut palma minor. *Salvete agni* unde ſupra. *Laus tibi Chriſte.* Item unde ſupra. *Te martyr. Laus tibi Chriſte &c.* Item unde &c.

In oct. Theoph. *Symphoniæ hunc diem celebret &c.*

In Purif. S. Mariæ. Roman. *Exultet omnis ætas.*

In Sabb. ante ſeptuag. *Cantemus cuncti &c.*

De reſurrect. Dñi. Mater. *Laudes Chriſto redemti &c.* unde ſupra. Mater. *Pangamus creatoris &c.*

De S. Gordiano & Epimacho, *Metenſis. Nos* Gordiani *&c.*

In Aſcenſ. Dni. *Dñus in Sina. Chriſtus hunc diem &c.*

In nativ. S. Mariæ. Puella turbata. *Ecce ſolemnis diei &c.*

De S. Mauritio. *Sancti belli celebremus triumphum.*

De S. Michaele. *Summi regis Archangeli.*

De S. Gallo. *Chriſte ſanctis &c.*

De S. Othmaro. Eia turma. *Eia fratres chari &c.*

De S. Leudegario. Metenſis maior. *Solemnitatem fratres chariſſimi.* Item. *Et ſicut liliorum candor.* In dedic. Baſil. arch. Michaelis. *Ad celebres rex &c.* “


præ ſen ta to pre cum ſa cri fi ci a.
Per te Deum ad i it re us ad quem per te
ve nit De us am borum tu me di a.
Nec ab hor re pec ca to res ſi ne
qui bus nunquam fores tan to dig na fi li o.
Si non eſ ſent re di mendi nul la ti bi
pa rien di redempto rem ra ti o. Sed nec Pa tris
ad con ſeſ ſum ha bu iſſes huc ac ceſſ um



Evangelii feſtiva deportatio, & cantus.

XXIII. Nota demum, præter eiusmodi ſequentias aliquando ante evangelium ſingulares verſus fuiſſe cantatos, quales apud CANISIUM habes HARTMANNI monachi S. GALLI T. II. P. III. p. 190.

Sacrata libri dogmata
Portantur evangelici &c.

Solemnis imprimis ſemper fuit in liturgia evangelii lectio, præſertim autem
a medio hoc ævo apud *Græcos*, teſte *Nicolao* CABASILA a). Εισοδικὸν officium apud eos dicitur, quando evangelia, vel dona ſacra ſolemni procedendi ritu a ſacer-

a) „Quam (inquit Liturg. expoſ. c. 15.) utpote ultimam poſtquam omnibus audientibus dixit, incipit tertiam pſalmodiam. Quæ dum canitur evangelium introducitur ſtipatum lampadibus, omnibus iis deducentibus, qui ſunt miniſtri altaris, diacono ipſum afferente, vel ſi non adſit, ſacerdote.“ Et poſtea de tertia antiphona agens; c. 19. „Quæ autem (inquit) ſequitur, videtur eſſe quidam occurſus tanquam Domino iam accedente, & ideo in ingreſſu evangelii & oſtenſione ponitur, & canitur, per quam Chriſtus ſignificatur. Expleta autem antiphona ac pſalmodia, ſtans ſacerdos ſuper altare in altum tollit evangelium & oſtendit Domini oſtenſionem (ulterius exponit, pergitque): quia autem eo, qui prædicitur, oſtenſo, & per ſe ipſum apparente verbis prophetarum nemo vult attendere, propterea oſtenſo evangelio, ceſſant prophetica. Canimus autem, ſiquid eſt novi teſtamenti. Vel enim ſanctiſſimam DEI matrem, vel alios Sanctos laudamus, vel ipſum Chriſtum canticis celebramus... deinde etiam ipſum ut Trinitatem Deum decantamus. (Et mox c. 20. de hymno): Poſtquam eſt oſtenſum evangelium, hunc hymnum canimus propemodum clamantes, quod is nobiſcum verſatus, nos ſtatuit cum angelis, & in illo choro poſuit.“

a ſacerdote ad altare deferuntur. Unde notante GOARO *Euchol.* duplex eis p. 124.
eſt ἔισοδος. Μικρὰ ſeu πρώτη libri nempe evangeliorum. Εἴσοδος μεγάλη ſeu ingreſſus maior, quando ſacra dona pompa magis ſolemni & auguſto apparatu altari inferuntur. Ad evangelii ingreſſum canitur hymnus τρισάγιος *ter ſanctus. Ad ſolemnem evangelii ad altare deportationem omnes reverentiam exhibent:* ad quam, ut notat GOAR. p. 108. excitandam λαμπρᾷ φωνῇ ſecundum myſtagogum δεῦτε προσκυνήσωμεν decantant; tertio prius antiphono cantato, de quo in liturgia S. CHRYSOSTOMI *T. XII. Opp. p.* 783. „ Hic chorus cantat tertium antiphonum, vel tertium & ſextum canticum „ matutinorum. Si vero ſit dominica, cantat beatitudines; & quod pro- „ prium eſt ſancti illius diei. Cum autem pervenit chorus ad *Gloria Pa-* „ *tri*, ſacerdos & diaconus ante menſam ter adorant. Deinde accipiens „ ſacerdos ſanctum evangelium dat diacono: atque ita egreſſi per portam „ aquilonaris partis, veniunt ad conſuetum locum, & ingreſſum minorem „ peragunt &c. Et ultimo modulo τȣ̃ τροπαρίȣ completo, ingreditur diaco- „ nus in medium: & ſtans ante ſacerdotem, tollit modice manus, & oſten- „ dens ſanctum evangelium, dicit alta voce: *Sapientia recta.* Tum reveren- „ tia exhibita, ipſe & ſacerdos pone ipſum, in ſanctum tribunal ingrediun- „ tur. Et diaconus quidem ſanctum evangelium in ſacra menſa deponit. „ Cantores vero dicunt conſuetos modulos τροπάρια, & eos qui ſunt ſancti „ illius diei, & cum pervenerint ad ultimum, diaconus verſus ſacerdotem „ caput inclinans, & ſtolam manu tenens dicit: *Benedic Domine tempus* „ *hymni ter ſancti &c.* Choro autem ter ſanctum hymnum canente, ſacerdos „ precatur ſecreto. *Orat. hymni ter ſancti &c.* His completis & choro pſal- „ lente *Gloria*, & *Nunc*, cantant & ipſi, ſacerdos nempe & diaconus ter „ ſanctum hymnum. " Quo de hymno plura vide infra, præter pauca, quæ iam diximus ſupra p. 110. Omnia hæc lectionem tam apoſtoli, quam evangelii præcedebant; apoſtolum inter & evangelium oratione ſola intercedente. *In evangelio autem puram ſupplicatione facimus hymnodiam*, ut idem loquitur. In Miſſa *Æthiopica*: „ Diaconus circuit eccleſiam clamando c. 22.
„ *Surgite audite evangelium ſanctum &c.* & facta incenſatione ſacerdos an- T. IV. Bibl. PP. Pariſ.
„ nuntiat evangelium ſic cantando: *Sanctum evangelium quod annunciavit* MAT- p. 117.
„ TÆUS *&c.* miniſtri accendunt lumina, & præparant alia neceſſaria, & di- „ cunt *Gloria Chriſto &c.* Sacerdos alta voce legit evangelium diei. " *Petrus* RODOTA lib. I. de ritu *Græco* in *Italia*, non paucas recenſet eccleſias, in quibus ſubinde tam epiſtola, quam evangelium græca & latina lingua ſolemniter fuerunt decantata, cum aliis etiam officii divini partibus: diu vero, in *Sicilia* & *Neapoli* imprimis, ritum *Græcum*, aut eius ſaltem veſtigia quædam conſervarunt complures eccleſiæ. Antiquiſſimum *Hiſpanicum* ritum

Apud Bolland. T. VI. Iun. p. 94. 95. Etherius ac Beatus haud abſimilem *Græcæ* diſciplinæ deſcribunt. „Cum „ evangelium a levita ſuper altare levatur, a levita primum dicitur: *Laus* „ *tibi*, & ab omnibus reſpondetur: *Laus tibi Domine IESU Chriſte, rex* „ *æternæ gloriæ.* Præcedente evangelium cereorum lumine, in ſigno gaudii „ & lætitiæ, eoquod tale nuncium diaconus, id eſt evangelium Domini no- „ ſtri IESU Chriſti, & clara voce habet populo intonare. Tunc ſilentium „ omnibus imperat & dicit: *Lectio ſancti evangelii ſecundum* Matthæum: „ aut quemlibet ex tribus. Reſpondetur ab omni populo: *Gloria tibi Do-* „ *mine.*" Convenit hactenus in Occidente ritus in ſolemni evangelii decantatione. Factum id ſemper, ubi potuit fieri in ambone, etiam adhuc hoc ævo in Occidente, aliquando ſaltem in feſtivitatibus, uti fieri hodieque vidi in monaſterio S. Dionysii prope *Pariſios*, teſtaturque Stephanus *E-* *De Sacr. Alt. c. 12.* *duenſis* ſæc. XII. ſcriptor. *Aliquando (ſicut in feſtivis diebus) pronuntiatur, quia iubetur aſcendere, qui evangelizat Sion.... Ideoque in alto & in pub-* „ *lico exclamanda eſt eorum victoria.*" Fuit hoc ævo ſolemnis imprimis in Nativitate Chriſti, & Epiphania genealogiæ ſecundum Matthæum & Lucam decantatio ad proximum uſque ſæculum: imprimis genealogiæ ſecundum Matthæum magna modulatione plerumque ante primam Miſſam ad finem *c. 34. L. III. c. 18. L. VI. c. 12.* matutini, quo loco aſſignant Micrologus, Rupertus, & Durandus. In antiquiſſimo autem miſſali MS. *San-Germanenſi* ſæc. X. poſt communio- *N. 168.* nem primæ Miſſæ *Initium S. evangelii ſecundum* Matthæum reperi annotatum, & poſtea: *laus*: *Te Deum laudamus*, cum antiquis notis muſicis: & deinceps Miſſa in ſummo mane. In alio recentiori MS. eiusdem bibliothecæ ante Miſſam habetur cum hac rubrica: *Tunc præcedat diaconus & ſolempni apparatu ad thurificandum altare procedat ad benedictionem & cantandum evangelium ſecundum* Matthæum. In ſacramentario *Gallicano* Mabillonii idem habetur poſt duas conſuetas miſſales lectiones propheticam, *T. I. P. II. Muſ. Ital. p. 290.* & apoſtolicam; ſed abbreviatum, uti in aliis nonnullis antiquis miſſalibus, addita evangelica lectione, *Cum eſſet deſponſata &c.* & ſequente alia, *Cum natus eſſet Dominus IESUS in Bethlehem &c.* De diſcrimine communi inter cantum ſcripturarum novi & veteris teſtamenti iam dixi ſuperius. Id tamen adhuc hic notandum, ad vocis ſuavitatem nonnunquam attentum *In actis SS. Ord. S. Bened. ſæc. V. p. 417.* eſſe, prout in vita S. Udalrici legitur, id in monaſterio *S. Galli* iuveni fratri tunc conſcripto obtigiſſe præter morem. „Id ipſum etiam ſibi pro re- „ verentia fui, ut nobis canonicus evangelium legeret, conceſſum. Nam fra- „ ter conſcriptus tum vocis pulcherrimæ gratiam habebat." Obtinuerat etiam diſcrimen hic, ut in epiſtola, minorem inter & maiorem modulationem, cuius ſpecimina damus ex MS. *San-Blaſ.* ann. 400. *Intravit IE-*

SUS

SUS in quoddam caſtellum de Aſſumt. B. M. V. Et : *Poſtquam conſummati ſunt dies &c.* de circumciſione Domini.




Et hu ic er at ſo ror no mi ne
Ma ri a. Que e ti am ſe dens ſe-
cus pe des Do mi ni. Au di ebat ver-
bum il li us. Mar tha
au tem ſa ta ge bat Cir ca fre quens
mi ni ſte ri um: Que ſte tit,
& a it: Domine non eſt ti-
bi cu re Quod ſo ror mea re-


li quit me ſo lam mi ni ſtra re ? Dic
er go il li ut me ad iu vet.
Et re ſpon dens di xit illi Dominus :
MAR THA, MAR THA, ſol li ci ta es, & tur ba ris
er ga plu ri ma. Por ro unum eſt
ne ceſ ſa ri um. MA RI A op ti mam
par tem e le git. Que non auf fer-
e tur ab e a.



Do mi nus vo bis cum. Et cum ſpiri tu
tu o. Se quenti a ſan cti e wange-
- - li j ſe cun dum Lucam.
Glo ri a ti bi Do mi ne. In il lo tem-
po re. Poſtquam conſumma ti ſunt di-
- - - es Oc - - to. Ut
cir cum ci dere tur pu - - er.
Vocatum eſt no - - -



Obſervavi nonnunquam in MSS. cantum evangelii in præcipuis feſtis modulatiorem ſuperpoſitis notis muſicis. In Concilio *Gradenſi* cavetur. „ Ne melo- *An.* 1297. *can.* 7.
„ diæ ſeu cantilenæ in epiſtolis, evangeliis, & præfationibus, dum cantantur,
„ intellectum audientium impediant, vel perturbent, & propter hoc in mentibus fidelium devotio minuatur, auctoritate Concilii duximus ſtatuendum, ut
„ epiſtolæ, & evangelia, & præfationes in Miſſis, exceptis *liber generationis*
„ & *Factum eſt autem*, & primis evangeliis diaconorum cum melodiis præter
„ epiſcopi licentiam nullatenus decantentur, transgreſſores autem per ſeptima-

„ nam ab officio, & beneficio ſint ſuſpenſi." Accini etiam ſolitum diacono ad cantandum evangelium, pueris ad graduale interim canendum, ſacerdoti ad intonandum ſymbolum poſt evangelium, ut in ſæpe laudato codice *San-Blaſiano* videre eſt.

Ante Ewangelium.



Poſt Ewangelium.



Symbolum. XXIV. De origine cantandi in ſacra liturgia ſymboli diximus libro primo, oſtendimusque, ex oriente primum cœpiſſe uſum illum; unde ſymbolum *Nicænum* ſeu *Cpolitanum* in occidente eſt *ſecundum formam orientalium eccleſiarum*, ut Patres Concilii *Toletani* III. atteſtantur, uſu recitandi ſymboli *Cpolitani* in ſacris præſcripto: ut, dicto canone, ſacerdos hoſtiam conſecratam ſuper calicem tenens ſymbolum præcinat, ſubſequente cleri popu-

Can. II.

populique concentu, de quo more recepto non ita multo poſt Isidorus iam mentionem facit his verbis: *Symbolum autem, quod tempore ſacrificii populo prædicatur, trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum collatione apud ſynodum Nicænam eſt editum.* Et in Miſſa *Mozarab.* præſcribitur: *Mox cantatur ſymbolum fidei, ita ut eſt in Concilio Nicæno.* At loco alio (ut modo ex Con. *Toletano* III. notavi) quam ritu *Romano*, poſt conſecrationem, & fractionem nimirum hoſtiæ a). In officio *Ambroſiano* abſolutis omnibus circa oblationem, peracta etiam incenſatione, „Poſt hæc (ut habet Beroldus apud Muratorium) archiepiſcopus vel presbyter dicit: *Credo in unum*, & chorus dicit uſque *Et homo factus eſt*, & ſtatim magiſter ſcholarum incipit cum pueris ſuis, & dicit uſque in finem inclinatis ſemper ſubdiaconibus &c. Deinde Miſſa peragatur ordine ſuo, magiſtro ſcholarum officium canente cum pueris ſuis uſque in finem.“ Commodam rationem reddit Mauricius *Senonenſis* ſeu Petrus *Venerabilis*, cur ritu *Romano* mox poſt evangelium canatur:

L. I. de eccl. off. c. 16.

T. IV. antiq. Ital. medii ævi. p. 873.

In Carm. de Miſſa.

Succinit ecce chorus fidei compendia noſtræ
Aſſenſum verbo ſe tribuiſſe docens.

Walafridus Strabo dicit, uſum decantandi ſymboli *Cpolitani* ex urbe *Cpoli* ad *Romanos* credi, perveniſſe. Berno *Augienſis*, præſens *Romæ* cum Henrico I. imperatore, affirmat, ante ea tempora ſymbolum *Romæ* non fuiſſe recitatum, impetrante imperatore a Benedicto P. ut deinceps ad publicam Miſſam decantaretur. Factum hoc eſt ineunte ſæculo undecimo, quando dudum ante in aliis occidentis eccleſiis ſymboli uſus viguit. At iam ineunte ſæculo nono ſub Leone III. in Concilio *Aquisgranenſi* cum legatis Caroli M. *Romæ* collatio habita eſt de ſymbolo fidei in ſecretario S. Petri apoſtoli, vel potius de additione *Filioque*, ubique iam fere recepto in Miſſa ſymbolo. Provocant ad licentiam ab ipſo pontifice acceptam: „Numquid (aiunt legati ad pontificem) non a te id ipſum ſymbolum eſt data in eccleſia cantandi licentia? Nunquid a nobis hic uſus ille cantandi proceſſit? &c. (Et papa reſpondit): Ego licentiam dedi cantandi, non autem cantando aliquid addendi &c.“ *Gallorum* ſententiam probavit Leo III. *non factum*, ut habet Mabillonius Præfat. P I. ſæc. IV. *Benedictini*, ratus nefas, quidquam citra eccleſiæ univerſæ definitionem in fidei ſymbolum admittere. „Licet

De reb. eccl. c. 22.

a) „In feſtis duplicibus (inquit Roblesius in vita *Card.* Ximenii c. 27.) annique dominicis ſacerdos loco antiphonæ ad confractionem panis, ait *Dominus ſit ſemper vobiſcum*: ſtatimque ſubdit, *Fidem quam corde credimus, ore autem dicamus:* Tunc Sacramentum præ manibus habens ſupra calicem ſacerdos, quem chorus hac in parte comitatur, recitat ſymbolum apoſtolorum *Credimus in unum Deum &c.* & quia multi ſimul ſymbolum recitant, ideo dicunt *credimus*, non *credo*, ſicut in officio *Romano* obſervatur.“

„ cet (inquit) docendo cantare, & cantando docere: ſed illicite in pro- „ hibitis, nec ſcribendo nec cantando licet inſerere.“ Quæ verba ipſe explicat Leo III. „Quod vero adſeritis, ideo vos ita cantare quoniam alios „ in iſtis partibus vobis priores audiſtis cantaſſe, quid ad nos? nos enim „ idipſum non cantamus, ſed legimus, & legendo docere, nec tamen le- „ gendo aut docendo addere quippiam eidem ſymbolo inſerendo præſumi- „ mus.“ Sic porro *miſſi* ibidem cum papa colloquuntur: „Quia vero, ut „ dicitis, & verum dicitis, bonum eſt cantare idipſum ſymbolum: numquid „ enim, ſi ſermo plenus recta fide e medio tollatur, idem ſermo ab omni- „ bus, ac ſi contra fidem ſit, condemnabitur? Quale ergo datis conſilium, „ ne idipſum ad aliquod tranſeat exitium? *Papa.* Si priusquam ita can- „ taretur, interrogatus eſſem, ne inſereretur (*Filioque*) utique reſpondiſſem. „ At nunc, quod tamen non affirmando, ſed vobiſcum pariter tractando „ dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur, utrumque poſſe fieri, „ ut paulatim in palatio, quia in noſtra ſancta eccleſia non cantatur, can- „ tandi conſuetudo eiusdem ſymboli intermittatur, ſicque fiat, ut quod id- „ ipſum non cantaretur, non quælibet imperantis auctoritas, ſed potius au- „ diendi id feciſſet novitas, ſi dimittatur a vobis, dimittetur ab omnibus &c.“ Favent ea quadantenus Bernoni, ſymbolum *Cpolitanum* non fuiſſe in uſu apud *Romanam* eccleſiam, ineunte ſaltem ſæculo nono. At idem dici non poteſt de integra intercapedine ab an. 809. quo habita fuit collatio laudata, ad an. 1014. quo Henricum a Benedicto contra morem impetraſſe refert ſymboli uſum. „Verum (inquit Mabillonius) longe ante id tempus ſym- „ bolum in Miſſa pontificali decantari mos erat, ut fidem facit libellus ſe- „ cundus de ordine *Romano.* Et ne quis interpolationem hoc in loco cau- „ ſetur, Amalarius in Ecloga ſuper hoc libello, eundem locum commen- „ tatur. Quin etiam in libellis V. & VI. de Miſſa epiſcopali ſecundum „ *Romanos*, qualis in uſu erat ante ſæculum nonum, ſymbolum poſt evan- „ gelium aſſignatur. Itaque per illud intervallum, quod a ſæculo nono „ ad undecimum effluxit, ſymboli recitationem in Miſſa intermiſſam a *Ro-* „ *manis* fuiſſe, dicendum eſt.“ Fatetur tamen idem Mabillonius in nota in laudatum ordinem II. Micrologum, qui hunc ordinem ſecutus eſt, nihil habere de ſymbolo, unde iſta intermiſſio facta fuiſſe deberet medio inter Amalarium, & Ivonem *Carnotenſem* Micrologi auctorem, tempore. Sic vero illic habetur: „Poſt lectum evangelium candelæ in loco ſuo ex- „ tinguuntur, & ab epiſcopo *Credo in unum Deum* cantatur.“ Quod eſt initium ſymboli *Cpolitani.* Et in ord. V. „Perlecto autem evangelio, di- „ cat epiſcopus *Pax tibi*: & elevat, *Credo in unum Deum.*“ Et paulo poſt: „ *Credo in unum DEUM* itaque decantato, dicatur ab epiſcopo *Dominus vobiſcum.*

Apud Lannoium de ſchol. c. 4.

Comment. in ord. Rom p. XIII. T. II. Muſ. It.

p. 46. n. e.

p. 66.

„ *vobiſcum. Oremus.*" Ad propoſitam vero ex Bernone difficultatem expediendam, forte rationem ſexti ordinis verba præbeant, ut cum antea ſymbolum ſolum diceretur in *Romana* eccleſia, quando ſermo non fieret ab epiſcopo, deinceps, ſermone non obſtante, caneretur. „Sin autem epiſcopus „ (legitur ibi) prædicare noluerit, alta voce incipiat canere, *Credo in unum* „ *DEUM;* & ita omnis chorus incipiens, *Patrem omnipotentem* ad finem „ uſque perducat." Certe in ordine XI. Benedicto canonico auctore ſæculi duodecimi ſub Innocentio II. non obſtante prædicatione pontificis, ſymbolum dicendum præſcribitur: „Deſcendentes portant evangelia obviam pon- „ tifici; & pontifex oſculatur ea, aſcendit in pulpitum, & prædicat evan- „ gelium. Ad finem vero facit confeſſionem, benedicit, & redit ad ſedem, „ & dicit, *Credo in unum DEUM.* Baſilicarii reſpondent & cantant. Pri- „ micerius cum ſchola cantant offerenda." Diſtinguuntur *baſilicarii* a ſchola cantorum, qui offertorium cantabant. *Baſilicarii* autem erant, qui in ſacra æde celebranti aſſiſtebant, atque pro integro choro accipi poſſunt, a) a quo omni in priore ordine cani ſymbolum iubetur. Innoc. III. de *myſter. Miſſæ* ſingulare *c.* 52. *lib. II.* habet: *A quibus & ubi ſymbolum ſit cantandum*, dicitque, *Romano* pontifice ſolemniter celebrante, ſymbolum fidei non cantores in choro, ſed ſubdiaconos ad altare decantare. Antea tamen mos fuit cani ab omni populo, ut Amalarius in Ecloga *n.* 17. innuit, rationemque congruam reddit titulo, de *Credo in unum DEUM*: „Poſt- „ quam Chriſtus locutus eſt populo ſuo, fas eſt, ut dulcius & intentius pro- „ fiteatur credulitatem ſuam. Sicque convenit populo poſt evangelium, quia „ Chriſti verba audivit intentionem credulitatis ſuæ præclaro ore proferre." Sub nomine *Credulitatis* etiam Herardus in capit. *ad Parochos* c. 16. ſymbolum ab omnibus decantandum indigitat: „De oratione & ſymbolo ut „ memoriter omnes teneant, & *Gloria Patri* ac *Sanctus*, atque creduli- „ tas, & *Kyrie eleiſon* a cunctis reverenter canatur. „ Stephanus *Eduenſis* idem a choro uſque ad finem proſequendum dicit, quod in nonnullis Conciliis ſtatutum eſt, optandumque, ut hodieque ſervaretur ubique: „Dehinc „ ſacerdos incipit ſymbolum fidei, adhibens teſtimonium verbis evangelii. „ Illud chorus uſque ad finem ſuccinit, oſtendens ſe permanere in unitate „ eiusdem fidei." Eſt ergo hæc publica fidei profeſſio conſonis efferenda vocibus ad finem uſque, non interrupta ſingulorum articulorum ſerie, ut tam qui cantant, quam qui audiunt, fidem ſuam declarent b): Quod pro more

p. 73. — *p.* 127. *&c.* — a — *De Sacr. alt. c.* 13. — b

a) Vid. du Cang. lex. h. v.

b) „ Evangelio lecto (inquit Durandus lib. IV. c. 25.) mox cantatur alta voce ſymbolum illud, ſcilicet *Credo in unum DEUM*, quia enim *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Rom.* X. ideo eccleſia, ut oſtendat, quod evangelii verbum ſeu prædicationem fide & corde recipit, mox fidei ſymbolum ore

more ſuo declarat Durandus, additque idcirco ſymbolum patenter dici, ad notandum, quod hodie fides catholica libere prædicatur & docetur. Tangimus hæc, quod quædam ad rem præſentem miſceantur, uti quæ poſtea affert de eo, quod, ſacerdote ſeu epiſcopo præcinente, chorus ſuccinat ad deſignandum, quod omne bonum a Chriſto procedit. „Ne autem (in-
ib. n. 3. „quit) muſicus ille cœleſtis dicat: *Cantavimus vobis, & non ſaltaſtis*, cho-
„rus angelicæ doctrinæ conſona voce reſpondet, & ſolemni tripudio fidem „catholicam profert dicens: *Patrem omnipotentem &c.*" Et Rupertus *Tuitienſis* de eodem ſymbolo die dominica vel aliqua condigna feſtivitate condecorata (in quo etiam eccleſia congruas ſequitur rationes, quas non inepte deſignat *Io.* Belethus cap. XI. div. offic. explic.) decantando, „Hoc
L. II. de off. div. c. 1. „igitur (inquit) concentu bene & conſone chorus catholicus doctrinæ re-
„ſpondet evangelicæ, & ne dicat ei puer electus, cœleſtis cantilenæ do-
„ctor, iucundus muſicus: *Cantavimus vobis & non ſaltaſtis*, cantando & „alacri mente ſaltando oſtendit, quam bene ſuavem eius modum retinue-
„rit." Indigitat ſuavem hilaremque decantandi ſymboli modum, qualis imprimis eſt in cantu *Gregoriano;* exceſſum vero carpit Radulphus *Tun-*
De can. obſerv. prop. 23. „*grenſis*: „In hoc (inquit) ſymbolo decantando religioni veſtræ non con-
„gruit modus ſæcularium per notas fractas. Sequimini ergo monachos *Car-*
„*thuſienſes*, a quorum conſortio non eſtis ſeiuncti, ut ſupra allegaba-
„tur." Nota demum, quando ſymbolum a catechumenis dicendum præſcribitur nonnunquam, ut in antiquiſſimo ordine inter monumenta *Liturg. Alem.* rubricam haberi: *Decantat ſymbolum excelſa voce.* Habeturque id tam græce quam latine: prout etiam in eccleſia *Neapolitana* decantari mos erat in die reſurrectionis Domini: ſex nempe primicerii ſeu ſex eccleſiarum *Græcarum*, & *cantare ſeu legere ſex lectiones græcas* in Sabbato S. ſolebant, & *Cimeliarchæ aſſiſtere ad cantandum in illa* Credo in unum DEUM *in idiomate Græco*, ut ex chronico ſæc. XIII. refert *Pet.* Rodota *de ritu*
L. I. c. 10. *Græco in Italia*, ſubditque ex conſtitut. archiep. Orsini an. 1337. „In „die paſchatis dicto evangelio Dominus archiepiſcopus incipit *Credo* in græco „ſermone, ſi placet; & ſupradictus archipresbyter S. Georgii ad Mercatum cum ſociis ſuis, & archipresbyter S. Mariæ *Rotundæ* decantant in „græco ſermone in conſpectu Domini archiepiſcopi: & alii cantores de „choro repetunt alternatim in latino, cantando etiam in alta voce." In monaſteriiorum O. S. Bened. antiquioribus liturgiis ſymbolum apoſtolorum, uti etiam doxologiam *Gloria in excelſis* lingua græca cum notis muſicis reperi, ut iam memini.

XXV.

decantat. Symbolum ergo poſt evangelium fidem poſt prædicationem oſtendit. . . . Dicitur autem alta voce, ut omnes illud dicant & addiſcant. Omnis enim Chriſtianus tenetur publice fidem catholicam confiteri, propter quod in fronte ſignatur."

XXV. Progredimur paulatim ad ſacratiorem liturgiæ partem, quæ olim Offertorium.
fidelium Miſſa erat, ipſamque auſpicatur ſacrificii oblationem. Mox lecto
evangelio in officio *Mozarabico*, cantatur *Alleluia cum verſu* iuxta *Io.* VA-
SÆUM in chr. *Hiſp.* ad an. 717. „Quod dum cantatur, ſacerdos offert
„ hoſtiam cum calice.. Quibus peractis ſacerdos ante medium altaris di-
„ cit alta voce, *Adiuvate me fratres in orationibus veſtris & orate pro me*
„ *ad DEUM.* Reſpondet chorus *Adiuvet te Pater, & Filius, & Spiri-*
„ *tus Sanctus.* Deinde cantatur ſacrificium, nempe antiphona cum duobus
„ vel tribus verſibus." Unde recte *ſacrificium* PISA dicit eſſe offertorium
Romanum. Et ISIDORUS, „Offertoria (inquit) quæ in ſacrificiorum ho- *L. I. de off.*
„ nore canuntur, eccleſiaſticus liber indicium eſt, veteres cantare ſolitos, *c. 15.*
„ quando victimæ mactabantur." Quod *Græci* ſolemni imprimis, ac reli-
gioſa pretioſorum donorum ad altare delatione faciunt cum ſacris canticis
ſtudioſe compoſitis, ut mentes ad id, quod inſtat, erigantur, colligantur-
que, quæ, ut iam notavi, vocatur μεγάλη εἴσοδος, *magnus introitus*, quod
præclare *Nicolaus* CABASILAS ediſſerit a): Fit hoc poſt ſolemnem glorifica- a
tionem a ſacerdote inclamatam, atque ſub gravi cantu chori fidelium, che-
rubicum hymnum modulantis (οἱ τὰ χερȣβὶμ μυστικῶς εἰκονίζοντες) ſacerdote
interim benedicente. „Sacerdos autem (aſſerit laudatus author) poſtquam *Id. c. 24.*
„ cum clamore DEUM glorificavit, venit ad dona, & cum ea in caput
„ valde honeſte & reverenter ſuſtulit, egreditur, & ſic ea ferens ducit ad
„ altare de induſtria circumducens in templo propter populum, quiete &
„ pedetentim. Ipſi autem canunt, & genua cum omni reverentia, & re-
„ ligione inflectunt rogantes, ut eorum ſit memor in donorum oblatione."
Non admodum antiquus apud *Græcos* eſt hic uſus, ſicut & antiphona ad
offertorium apud *Latinos* WALAFRIDO incertæ eſt originis: „Offerto-
„ rium (inquit) quod inter offerendum cantatur, quamvis a prioris po- *De reb. eccl.*
„ puli conſuetudine in uſum Chriſtianorum veniſſe dicatur: tamen quis ſpe- *c. 23.*
„ cialiter addiderit officiis noſtris, aperte non legimus, ſicut & de antiphona,
„ quæ ad communionem dicitur, poſſumus fateri: cum vere credamus, pri-
„ ſcis temporibus Patres ſanctos ſilentio obtuliſſe, vel communicaſſe, quod
„ etiam hactenus in ſabbato ſancto paſchæ obſervamus. Sed ſicut ſupra di-
ctum

a) „Quia autem (inquit lit. expoſ. c. 21.) cum convenientibus cogitationibus neceſſe eſt ſtare, & myſterii eſſe participes, & ſacrarum eius auditionum, & contemplationum, niſi eis fruſtra ſumus interfuturi, & tempus conſumturi, hoc autem non eſt facile: propterea opus eſt quidem ipſos a nobis ipſis excitari, & eſſe ſobrios: opus eſt autem admonitione, ut noſtram mentem ab oblivione aſſidue ſurreptam, & ad vanas curas attractam poſſimus recipere. Hoc etiam ſibi vult canticum, quod canitur, dum pretioſa dona ad altare afferuntur."

„ ctum eſt, diverſis modis, & partibus per tempora decus proceſſit eccleſiæ,
„ & uſque in finem augeri non deſinet.“ Eadem iisdem verbis expreſſit
Radulphus *Tungrenſis*, præterquam quod ſingulare aliquid, ut ſolet de
liturgia *Ambroſiana*, addat: de qua circa hæc medii ævi tempora Berol-
T. IV. antiq. medii ævi. p. 872. dus apud Muratorium hæc tantum habet ad rem præſentem: *Tum ma-
giſter ſcholarum canit offerendam cum pueris ſuis.* Diſtincta eſt autem ritu
Ambroſiano antiphona poſt evangelium ab offerenda, ſeu antiphona ad of-
ferendam. Laudatus Rad. *Tungrenſis* verſus offertoriorum S. Gregorio ad-
a ſcribit, quibus reſecatis offertorium eo moroſius percantetur a). De eo,
quod ſingulariter dixit Radulphus, quam primum agemus. Quod Wa-
lafridus, & ex eo Radulphus commemorant de prioris populi conſue-
tudine, ne quis exiſtimet chriſtianos deſignari, unde uterque rem hauſerit,
De off. eccl. L. I. c. 14. ut non abs re ſuſpicamur, declarabimus ex S. Isidoro *Hiſpalenſi.* „Of-
„ fertoria (inquit iſte) quæ in ſacrificiorum honore canuntur eccleſiaſticus
„ liber indicium eſt, veteres cantare ſolitos, quando victimæ immolaban-
Eccl. 50. „ tur.... *Tunc exclamaverunt filii* Aaron *in tubis ductilibus*, *& ſonue-
„ runt*, *& auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Domino.*
„ Non aliter & nunc in ſono tubæ, id eſt, vocis, prædicatione cantus
„ accendimur, ſimulque corde, & opere laudes Domini declamantes, iubi-
„ lamus in altum, in illo ſcilicet vero ſacrificio, cuius ſanguine ſalvatus eſt
„ mundus.“ Ubi exponit ritum ac officium *Mozarabicum*, quo ad ob-
lationem novo etiam oblato libro, qui vocatur *omnium offerentium*, dicto-
que *alleluia* offert ſacerdos hoſtiam, & poſt nonnullas orationes *protinus*
Vit. Card. Ximen. c. 27. *immediate*, ut ait *Eug.* Roblesius, *dicit ſacerdos verba ſacrificii*, *quæ et-
iam canuntur in choro*, *idque conferri poteſt cum oblatione officii latini.*
Ritus *Romanus* pedetentim procedit, „Symboloque finito, ſacerdos (ut ver-
De Sacr. alt. c. 12. „ bis utar Stephani *Eduenſis*) ſalutatione præmiſſa monet ad orandum: ut
„ ſtabiles ſint in fide, quam profeſſi ſunt in ſermone. Statim chorus de-
„ cantat offertorium, ac ſi dicat, quod confeſſus ſum ore, teneo corde, &
„ adimplebo opere &c.“ Rupertus *Tuitienſis* propius adhuc rem tangit
quoad ritum uſitatum a prima eccleſiæ ætate, continuatumque hoc medio
ævo:

a) „Offertorium autem (inquit Radulphus *Tungrenſis* De canon. obſervant. propoſit. XXIII.) quod inter offerendum cantatur, quamvis a prioris populi conſuetudine in uſum Chriſtianorum veniſſe dicatur, cum, quis ſpecialiter addiderit officiis noſtris, ut quædam chronica dicunt, aperte non legimus, ſicut & de antiphona, quæ ad complendum dicitur, poſſumus fateri, cum vere credamus, priſcis temporibus Patres ſanctos obtuliſſe in ſilentio, vel communicaſſe. Quod etiam hactenus in ſabbato ſancto paſchæ obſervavimus, ſed diverſis modis & partibus per tempora decus eccleſiæ proceſſit, & uſque in finem augeri non deſinet. Alii vero offertoria B. Gregorio adſcribunt. Verum eſt autem, quod multa recepta ſunt ab officio *Ambroſiano*, & B. Gregorio, qui plura alia ordinavit, & omnibus verſus quam plures annotavit, qui tam *Romæ*, quam in libris antiquis continentur. Quibus hodie reſecatis offertorium eo moroſius percantatur.“

ævo: „Offerenda (inquit) cantus eſt eccleſiæ, nomen hoc habens ab offerendo tractum, eoquod tunc canitur, quando omnipotenti creatori noſtro incorruptum laudis offerimus, vel præparamus ſacrificium." Convenit hoc cum praxi eccleſiæ huius etiamnum ætatis, & ex ordine *Romano* antiquiſſimo apud MABILLONIUM patet: „Deinde ſalutat epiſcopus populum dicens, *Dominus vobiſcum*: poſtea dicit: *Oremus*. Tunc canitur offertorium cum verſibus.... Deinde tranſit ſacerdos ad ſuſcipiendas oblationes. Interim cantores cantant Offertorium cum verſibus, & populus dat oblationes ſuas &c." *Rhabanus* MAURUS, „Per hoc (inquit) oblationes offeruntur a populo, & Offertorium cantatur a clero, quod ex hac ipſa cauſa vocabulum ſumpſit, quaſi offerentium canticum. Offertoriorum quippe, quæ in ſacrificiorum honore canuntur, eccleſiaſticus liber indicium eſt, dum dicit, veteres cantare ſolitos, quando victimæ immolabantur." Eousque autem cantus procedebat, donec expleta oblatione, omnibusque perfectis annueret celebrans. *Et pontifex*, ut habetur in eodem ordine: *mox inclinans ſe paulululm ad altare, reſpicit ſcholam, & annuit, ut ſileant.* Ex ordine VI. conſtat etiam annuente pontifice cantatum fuiſſe Offertorium a choro, etſi quandoque in monaſticis congregationibus a nonnullis ad id ſelectis factum fuerit, ut ex P. HERRGOTT palam eſt. In breviario tamen eccleſiaſtici ordinis antiquiſſimi oblationes offerri præſcribuntur *canentibus interim fratribus offertoria.* Dixi iam de more, ut cantor aquam offerat, de quo in ritu antiquo Miſſæ apud MENARDUM: *Cantor aquam linteo coopertam in feſtis diacono defert, quam diaconus vino miſceat. Dulci enim cantoris modulatione populus pia devotione, & divino amore accenditur &c.* Verſus, qui in ord. *Rom.* cit. memorantur, ſunt ad cantum antiphonum, quale a MARTENIO notatur Offertorium paſchale tribus conſtans verſibus. Et D. de MOLEON eundem uſum in itinere ſuo liturgico notavit ab ætate annorum quadringentorum, qualis in eccleſia *Lugdunenſi* habetur. Congruunt, quæ in decretis S. LANFRANCI c. 5. habentur: „In dominicis diebus, & huiusmodi feſtis, incepta offerenda accedat, qui chorum tenet, ad cantorem, faciatque illi ſignum incipiendi verſus offerendæ. Ad ipſum enim pertinet tunc incipere eos, etiamſi ſuccentor chorum teneat: cantor viſo ſigno inclinet ei, & hebdomadarius cantor ſimiliter ipſi. Incœpto unoquoque verſu, cantor ante, & retro faciat, & omnes infantes inclinent." *Ioſ.* CARI, ſeu THOMASIUS ſpecimen eiusmodi affert in præfatione in antiquos libros miſſales eccleſiæ *Romanæ*, habenturque paſſim in antiphonariis antiquiſſimis ab eo editis, præterquam in *Caſinenſi*, ubi ſemper deſiderantur verſus, uti etiam in antiquiſſimo noſtro Liturgiæ *alemannicæ* ſcripto a 1000. annis. Verſus iſti canebantur ad nu-

L. II. c. 2.

T. II. Muſ. Ital. p. 46.

L. I. de Inſtit. Cler. c. 33.

p. 47.

n. 9.

De ant. eccl. diſc. p. 64. 67.

De vet. eccl. diſc. c. 25. p. 202.

p. XXXV.

tum pontificis, ut mox, & ſuperius de Introitu notavimus, eo magis hic in Offertorio, quia ad multitudinem offerentium erat attendendum. *Dum* L. III. de off. eccl. c. 19. *enim*, ut inquit AMALARIUS, *ſacerdos ſuſcipit oblationes, cantores cantant.* In antiquiſſimo capit. ord. eccl. inter monumenta noſtra liturgica ita præſcribitur oblationis ritus. „Egrediuntur de ſacerdotibus, qui circumſtant „altare unus, aut duo, vel quanti neceſſe fuerint, cum diaconibus ingre„diuntur ſacrarium.... Antequam ingrediuntur in eccleſiam, dicunt anti„phonam alta voce prolixe, hoc eſt *Laudate Dominum de cœlis*, & reſpon„det ipſe clerus in eccleſia, & dum ipſi reſpondent, ipſi ingrediuntur ſa„cerdotes cum ipſis turribus, vel patena, ſeu & calice, & vadunt ante al„tare, ſubſiſtunt modicum, & iterum cantant antiphonam, & item clerus „reſpondet ipſa antiphona.... & iterum cantant tertio ipſam antiphonam, „& reſpondent ea clerici, & ipſi tertia vice." In duobus codicillis *San-Emeranenſibus* ſæculi X. ut ſupra de verſu & *alleluia* Gradualis notavi, ſeorſim etiam verſus pro Offertorio ſunt ſcripti cum notis muſicis duo ſemper, incipiendo a dominica prima Adventus per totum annum, etiam pro diebus IV. temp. feriis Quadrageſimæ, feſtis Sanctorum, & dominicis. In MS. quingentorum circiter annorum inſcripto: *Incipiunt verſus Offertoriorum*, eſtque mihi præ manibus, pro dominicis & feſtis per annum ſimiliter duo ponuntur verſus. Ipſius Offertorii initium tantum deſignatur. Omnia cum notis muſicis. SIGEBERTUS in chronico ad an. 772. notat, ADRIANUM P. in Offertoriis, & Offertoriorum verſibus, quod geminatum eſt, geminaſſe: quod explicatiore diſſertatione eget, ſi, quæ S. GREGORIUS M. in ordinando antiphonario præſtitit, conſiderentur. Conſtat quidem tempore DURANDI iſtam, plures verſus in Offertorio concinendi, fere ceſſaſſe conſuetudinem, non tamen abolito penitus oblationum, a fidelibus factarum, uſu, quin ea ipſa etiam L. IV. c. 27. ex ratione, ut liberius offerret populus. „Et attende (inquit) quod Of„fertorii verſus cum multa diligentia ab antiquis Patribus inventi, hodie „pleriſque locis omittuntur, tum brevitatis cauſa, ut tam miniſtri, quam „populus oblationibus, orationi, & ſacramento altaris liberius vacent &c." Inde autem graviorem cantum invaluiſſe ex iis colligitur, quæ ſequuntur apud DURANDUM, & ex citato paulo ante RADULPHO. „Clamorem ergo Ibid. n. 6. „(inquit ille) eius parturientis, vel ſalubrem Domini cruciatum imitatur offe„renda per ſuum gravem, & grandiſonum cantum, quæ pneumis diſtenta, „& verſibus fœcundata quantumvis longa iubilatione, quod ſignificat, non „ſatis exprimere valet." In Offertorio Dom. XXIII. poſt pentecoſten repetitio *De profundis clamavi ad te Domine* (veluti etiam in Offertorio Miſſæ pro defunctis) adhuc veſtigium quoddam eſt veteris cantus antiphoni, quo unus quidam verſiculus alternis choris ſolebat poſt ſingulos verſus pſalmi,

donec


donec abſolveretur oblatio, repeti a). Demum hic ſpeciminis loco damus a
ex MS. bibliothecæ *San-Blaſianæ ſuper Offertorium verſus cum biscantu.* Sequitur paulo in eodem codice *Poſt Offert. proſa cum biscantu.* Quod prorſus ſingulare eſt, nullibi a me animadverſum.

Verſus ſuper Offertorium cum Biscantu.




a) „E. g. Primus chorus, imponente cantore antiphonam, canebat: *Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales.* Quem repetebat ſecundus chorus. Poſtea chorus ſecundum tonum antiphonæ pſalmum canebat: *Domini eſt terra & plenitudo eius orbis terrarum & univerſi qui habitant in eo.* Secundus chorus repetebat antiphonam. *Tollite portas &c.* Proſequebatur pſalmum primus chorus. *Ipſe ſuper maria fundavit eum & ſuper flumina præparavit eum.* Et iterum alter chorus: *Tollite portas &c.* Quandoque tamen pars antiphonæ repetebatur, *Et introibit rex gloriæ* ab altero choro, dum alius priorem partem antiphonæ canebat: *Tollite portas principes veſtras & elevamini portæ æternales*, diviſa in duas partes antiphona.“


mus u ni cum
mus u ni cum
ſu um Pa tris Fi li um.
ſu um Pa tris Fi li um.
O
O
Sal va tor ho mi num au-
Sal va tor ho mi num au-



Proſa poſt Offertorium cum Biſcantu.




re is in vi a. Dans in pa tria vite
re is in vi a. Dans in pa tria vite
gau di a. Pro qui bus dul ci a tu præ co-
gau di a. Pro qui bus dul ci a tu præ co-
ni a. Lau des cum glo ri a ſuſcipe pia.
ni a. Laudes cum glo ri a ſuſcipe pia.
Virgo MA RI A a no bis.
Virgo MA RI A a no bis.

XXVI.

XXVI. Singulare eſt, quod apud MARTENIUM habetur de antiquis eccleſiæ ritibus ex MS. ordine ann. circ. 700. monaſterii S. GREGORII in valle *Gregoriana* diœceſis *Baſileenſis*. Abſolutis omnibus quæ ad Offertorium ſpectant, quando iam ſacerdos rogavit pro ſe orare: „Poſtea clerici „ cantent ipſos pſalmos, cum presbyter dicit: *Per omnia ſæcula ſæculorum.* „ *Exaudiat te Dominus &c. Ad te Domine levavi &c. Miſerere mei DEUS &c.* „ cum iſtis precibus. *Salvum fac ſervum tuum DEUS meus ſperantem in* „ *te. Vitam petiit a te &c. Tribuiſti &c. Oculi Domini ſuper iuſtos &* „ *aures eius &c.* " Verba autem illa, *cum presbyter dicit*, interpretor, *uſque dum presbyter dicit.* Illuſtratur hoc ex eo, quod legitur apud AMALARIUM, Offertorio abſoluto, „Revertitur ad populum ſacerdos, & pre- „ catur, ut orent pro illo, quatenus dignus ſit univerſæ plebis oblationem „ offerre Domino." Subditque: „audivi dicere, quod plebs eadem hora tres „ verſiculos cantet pro ſacerdote: *Mittat tibi Dominus auxilium de ſancto,* „ & duos ſequentes. Sequitur Secreta. *Secreta* ideo nominatur, quia ſecreto „ dicitur." STEPHANUS *Eduenſis: His autem compoſitis*, inquit, *ſilente choro, ſacerdos incipit orare in ſilentio.* Auctor *Gallicus* apologiæ D. DE VERT contendit ſecreto opponi cantui; quod tamen revellitur verbis ordinis antiquiſſimi *Romani* ad uſum monaſteriorum accommodati apud MARTENIUM: „Et incli- „ nans vultum ad terram dicat orationem & ſecrete nullo alio audiente, „ niſi tantum ut venerit ad hoc verbum: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, & „ dicant omnes *Amen.* ſtatim dicat: *Dominus vobiſcum.* Deinde dicit: *Sur-* „ *ſum corda*, deinde *Gratias agamus Domino DEO noſtro:* & ingrediatur in „ Præfationem, ita ut ab omnibus pene audiatur." Eadem iisdem verbis apud MURATORIUM habentur, & STEPHANUS *Eduenſis* de Sacramento altaris c. 22. „Sacerdos (inquit) rumpit ſilentium exclamans: *Per omnia ſæcula* „ *ſæculorum*, & rogat Dominum cum illis; & chorus orat eius Spiritui Do- „ minum uniri &c."

Præfatio. *In ampliori edit. Antverpienſi in f.* T. I. p. 599. L. III. de off. c. 19. & 20. De Sacr. alt. c. 11. T. V. Anecd. p. 105. T. II. lit. p. 396.

His actis populum ſublimi voce ſalutat
Presbyter, & ſurſum corda levare monet.
Inde Patri grates per Chriſtum ſemper agendas
Aſſerit, & prius hic dona ſacranda ſacrat.

Ut canit MAURICIUS *Senonenſis* ſeu PETRUS *Venerabilis* in carmine de Miſſa. Notanda ſunt etiam laudati AMALARII verba circa eandem rem, quæ nimirum idem diſcrimen indicant, & illius cauſam: „In ſequenti namque ora- „ tione clamat ad populum, ut quod ipſe iam habet, habeat & ille, hoc „ eſt, *ſurſum corda*: ac deinde, ut gratias agat DEO pro ſerenitate men- „ tis. Igitur hoc neceſſario extollitur voce. Quod omnibus licet ſimul

„ age-

„ agere, id eſt gratias referre DEO, hoc acclamatur: Quod ad ſolum ſa- „ cerdotem pertinet, id eſt, immolatio panis & vini ſecreto agitur.“ Dum ergo etiam cantus modulatio non fit, ipſa mutua communicatio gratiarum actionis vocis elevationem hic flagitat, quam *Græci* προσφώνησιν vocant. HONORIUS *Auguſtodunenſis* Sacrament. c. 86. „*Per omnia ſæcula*, alte „ ſacerdos dicit, ut per *Amen* confirmetur oratio.... hymnus autem dici- „ tur, quia refertus eſt gratiarum actione, & laudibus angelorum: Præfa- „ tio, quia præparat fratrum mentes ad ſanctorum angelorum concentum, „ qui aſſiſtunt conſecrationi corporis Chriſti, & ad ipſam reverentiam tantæ
L. III. de off. c. 4. „ conſecrationis; ideo excelſa voce cantatur.“ RUPERTUS *Tuitienſis*: „Le- „ vat iterum vocem ſuam ſacerdos dicendo: *Per omnia ſæcula ſæculorum.*“ Et AMALARIUS citato lib. III. c. 19. ait: „Excelſa voce (dicit) *Per omnia* „ *ſæcula ſæculorum.* Ideo excelſe noviſſimum profertur, ut audiatur a po- „ pulo, & populi reſponſione confirmetur oratio.“ In ſolemni tamen officio cantus etiam modulatus fuit adhibitus: quale diſcrimen in antiquo ſacramentario noſtro nongentorum circiter annorum obſervare licet, ubi in præcipuis tantum feſtivitatibus cum notis muſicis habetur præfatio e. g. in natalis Domini prima & tertia Miſſa: in ſecunda enim duæ quidem habentur præfationes una de nativitate Domini, altera de S. ANASTASIA, ſed ſine notis; ſicuti etiam in ſequentibus feſtis uſque ad *Theophaniam*, ubi iterum cum notis occurrit; nulla autem deinceps, licet plures propriæ habeantur, uſque ad diem reſurrectionis Domini & pentecoſtes, non vero aſcenſionis Domini aut aliis feſtis. De aſſumtione B. M. V. præfatio non quidem in ipſo contextu, ſed in fronte libri, antiqua tamen manu, cum notis muſicis poſita eſt. Ex quo colligitur diſcrimen factum inter cantum, & vocis elevationem, quæ ſemper adhibita eſt, cantus autem pro feſtivitatum ratione, aut officii ſolemnitate: quod non una ratione in antiquis monumentis notatur, aliquando *pro ſummis feſtis: ſolemniter* aut *feſtivaliter: mediocriter: plenaliter: ferialiter*, diſtinctis modulationibus. Supra de evangelio agentes in Concilio *Gradenſi* an. 1297. cautum legimus: „Ne melodiæ, ſeu can- „ tilenæ in epiſtolis, evangeliis, & præfationibus, dum cantantur, intelle- „ ctum audientium impediant, vel perturbent.“ Cantus hodiernus præfationis idem eſt, qui in antiquiſſimis monumentis reperitur, quo ipſa et-
L. IV. c. 33. iam provocant verba. Ad quod pertinet id, quod DURANDUS dicit: „In „ præfationibus enim omnibus conveniunt homines & angeli ad concinen- „ dum præconia regi: unde & alta, & delectabili voce cantatur, quia in „ eis angelorum præconia repræſentantur. Et cantantur coram altari, & „ a ſolo ſacerdote iuxta illud *apoc.* 14. *Et cantabant quaſi canticum novum* „ *ante ſedem, & nemo poterat dicere canticum &c.*“ Dicit ergo præ-

fationem

fationem ſolus ſacerdos, ſed non ſolum populi vota, verum etiam angelicos invitat choros, quorum ſequitur hymnus. Totus ordo ita in veteri ritu antiquo celebrandæ Miſſæ apud MENARDUM deſcribitur: „Verſus ad „populum orare moneat, converſusque ad altare ſecretam orationem di- „cat: qua completa, *Vere dignum &c.* devota mente, dulcique voce pro- „ferat, in cuius fine hymnum, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* a B. SIXTO in- „ſtitutum chorus reſpondeat.“ In ritu *Ambroſiano* etiam oratio, quam nos ſecretam vocamus, alte dicitur, ut obſervat RADULPHUS *Tungrenſis*, quem- *Prop.* 23. admodum ritu *Romano* aliæ orationes communia populi continentes vota: quam rationem in oratione ſecreta ſic attendi laudatus RADULPHUS aſſerit, ut ſaltem poſtrema verba: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, alte dicantur a). a Præfationum varios auctores recenſet idem RADULPHUS, quæ a PELAGIO I. ad novem, hodiedum uſu receptas, revocatæ ſint b). Refertur decretum il- b lud apud GRATIANUM c). Quod ſi etiam PELAGIO II. tribuatur, veluti eſt a- *De conſecr. diſt. I. c.* 71. pud GRATIANUM, longe poſtea uſque ad ſæculum XII. diverſas, & veluti c cuilibet feſto aptatas præfationes etiam in ritu *Romano* ad imitationem *Ambroſiani* deprehendere licet. GRIMOLDUS apud PAMELIUM in *Præfat. Sacr.* *T. II. Liturg.* ad finem eas ideo reiecit: „Ut ab his, quibus placent, cum charitate ſu- *p.* 389. „ſcipiantur, & canantur. Ab his vero, qui eas intelligunt, nec tamen „delectantur, nec non & ab his, qui eas volunt, nec tamen intelligunt, „poſcimus, ut nec aſſumantur, nec canantur.“ Earum etiam magnum numerum ipſe PAMELIUS pro ſingulis officiis de tempore, & Sanctis, quas pleras-

a) „Quando (inquit ib.) oratio dicitur, omnes aſtantes ſecundum antiquam SS. Patrum traditionem in ſignum confirmationis *Amen* ſubiungere debent, ut communem orationem, quam ſacerdos pro omnibus Domino obtulit, confirment. Unde & in ipſa ſecreta *Per omnia ſæcula ſæculorum* altius dicit, ut præmiſſa oratio per *Amen* confirmari poſſit.“ Et poſtea de præfatione: (T. XXVI. B. PP. p. 317.H.) „Poſt ſecretam orditur ſacerdos præfationem in canonem, in qua ſuperni cives merito commemorantur, quia ibi adeſſe creduntur: unde & angelicus hymnus ſubſequitur. *Surſum corda*, de IEREMIA: *Gratias agamus* de apoſtolo eſt ſumtum &c.“

b) „Præfationes, ut dicit *Gemma*, DIONYSIUS *Areopagita* putatur compoſuiſſe. AMBROSIUS librum Præfationum ordinavit, ex quo in *Lombardica* multæ præfationes allegantur. In qualibet autem Miſſa *Ambroſiani* officii propria decantatur præfatio. B. autem GELASIUS I. de quo ſupra propoſitione II. tractatus, & hymnos in morem B. AMBROSII compoſuit, & inter cætera præfationes, & orationes cauto, & limato ſermone fecit. In antiquiſſimis etiam noſtris miſſalibus multæ continentur. PELAGIUS autem primus, natione *Romanus*, qui cœpit an. DLVIII. novem præfationes in ſacro catalogo decrevit tantummodo recipiendas.“

c) „Invenimus has novem præfationes in ſacro catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retro vetuſtas in *Romana* eccleſia hactenus ſervavit: id eſt, unam in Albis paſchalibus, aliam in Aſcenſione Domini, tertiam de Pentecoſte, quartam de Natali Domini, quintam in Apparitione Domini, ſextam de Apoſtolis, ſeptimam de ſancta Trinitate, octavam de Cruce, nonam de ieiunio in Quadrageſima tantummodo dicendam. Has præfationes tenet, & cuſtodit ſancta *Romana* eccleſia, has tenendas vobis mandamus.“

pleraſque S. Gregorio antiquiores exiſtimat, ad finem *Tomi II.* reiecit.
Morem, qui hodieque obtinet, Hugo Card. in *Expoſitione Miſſæ* comme-
p. 318. morat, & Radulphus *Tungrenſis*, qui etiam Urbano II. circa finem ſæ-
culi undecimi *Romanam* ſedem tenenti, tribuit, antiquis novem præfationibus
decimam de B. Virgine addidiſſe in concilio *Placentiæ* celebrato an. 1095.
Idem tempora deſignat, quibus quæque præfatio dicenda ſit, qualiter ho-
dieque fit, etiam fere iuxta noviſſimum Clementis XIII. cum primum
Romanam ſedem occupare cœpit, decretum de præfatione *de SS. Trinitate*
ſingulis Dominicis, ubi propria non habetur, dicenda. „ De ſancta Tri-
„ nitate (inquit Radulphus) quoties de ea cantatur, & per ſuas Octavas. Et
„ dominicis diebus intra Trinitatem & Adventum, tam in Miſſa dominicali,
„ quam in feſto novem lectionum cantatur. Et hoc ſervant *Anglici*, *Ale-*
„ *manni*, & multæ nationes. Et Micrologus c. 60. dicit, hanc præfatio-
„ nem ex auctoritate *Romana* in diebus dominicis frequentandam, ſed fra-
„ tres ſequuntur brevitatem capellarem.“ In miſſali *Gothico* præfatio diſtin-
guitur ab *immolatione* Miſſæ: cum in eo officio præfationes quandoque et-
iam plures in una Miſſa ſoleant *collectionibus*, ſeu orationibus præmitti:
immolatio Miſſæ autem reſpondet noſtræ præfationi. Quas inter una ha-
p. 275. betur apud Mabillonium in Lit. *Gall. In diem paſſionis S.* Ioannis *Bapti-*
ſtæ martyris, ubi inter alia hæc leguntur: „ Sit ergo nobis, Domine, io-
„ cunda laudatio, ſit in honorem martyris recordatio cantici triumphalis.
„ Et cum his cœleſtibus ſuperniſque virtutibus fidelis populi ſymphonia
„ miſceatur: quæ a dextris tuis conſona voce ſub trina repetitione cantant
„ dicentes *Sanctus Sanctus Sanctus.*“ Habentur hic explicatius, quæ in o-
mnibus præfationibus eodem dicuntur ſenſu, ritu *Romano*. *Præfatio* hæc olim
etiam vocabatur *conteſtatio Miſſæ*, ſeu *conteſtata* in miſſali *Gallicano* apud eun-
dem Mabillonium, & alibi paſſim apud antiquos, vel *illatio* in Miſſa *Mo-*
zarabica. *Græci* ἐυχαριστίαν, vel δοξολογίαν, *gratiarum actionem*, ſeu *glorifi-*
cationem dicunt, quam unam eandemque ſemper habent, eodem modo
auſpicantur, finiuntque hymno *Sanctus &c.* præmiſſa etiam oratione, quæ
a *Secretis* noſtris reſpondet a). Nota etiam ex ord. *Rom.* IX. apud Mabil-

LONIUM

a) „ Poſtquam autem (inquit *Nicol.* Cabasilas c. 26. 27.) eos eiusmodi oratione dignatus eſt, & ſic animos erexit, cogitationes eorum a terra extollit, & dicit: *Surſum corda habeamus.* Quæ ſupra ſunt cogitemus, non quæ in terra. Illi autem conſentiunt, & dicunt ſe illic corda habere, ubi eſt theſaurus noſter, ubi eſt Chriſtus in dextra Patris ſedens. *Habemus ad Dominum.* Qui autem pulcherrime, & ſanctiſſime ſic affectus eſt, quid reſtat, niſi ut ad gratias agendas convertatur Deo, qui bona omnia ſuppeditat? Maxime primum ſacerdotem imitans, Deo & Patri gratias agentem, antequam daret Sacramentum Communionis. Ipſe etiam ante orationem myſterii, per quam Sancta conſecrat, hanc gratiarum actionem fundit ad Deum & Patrem Domini noſtri IESU Chriſti. *Gratias agamus Domino*, & cum omnes conſenſerint, & *Dignum & iuſtum eſt* dixerint, ipſe Deo offert gratiarum actionem: & poſtquam ipſum glorifi-

LONIUM p. 92. de Conſecratione epiſcopi: *Pontifex vero ponet manum ſuper caput eius, & dicit unam orationem in modum Collectæ: alteram eo modulamine, quo ſolet Conteſtata cantari.* Quod etiam alibi, e. g. in conſecratione aquæ baptiſmalis annotatur.

Sanctus &c.

XXVII. Nulla celebrior & frequentior apud *Græcos* eſt, quam decantatio hymnorum, quos vocant, angelicorum, ut iam obſervavi ad illationem evangelii, ſacrorumque ſymbolorum. Primum *τρισάγιον*, *ter ſanctum* nominant, quove, ut ſupra vidimus, atque ex MSS. variis palam eſt, ordiuntur ſacræ liturgiæ cantum. De quo CABASILAS a), atque etiam S. GERMANUS in *rerum eccl. Theoria* b). Τρισάγιος, *Sanctus Deus*, apud nos ſemel in Paraſceve, apud *Græcos* non ſolum in publicis ſacris, ſed etiam privatis eſt frequentiſſimus. Notatur in S. CHRYSOSTOMI liturgia: *Choro autem ter ſanctum hymnum canente.* Exprimitur in prioribus editionibus *Sanctus Deus, ſanctus fortis &c.* Ab hoc vero hymno diſtinguendus eſt, qui poſtea notatur p. 787. in Miſſa fidelium: *Poſt exclamationem dicit apud ſe orationem, & cantores quidem cantant cherubicum hymnum &c.* Οἱ τὰ χερουβὶμ μυστικῶς c). Et tertio loco p. 790. Τὸν ἐπινίκιον ὕμνον ᾄδοντα, βοῶντα, κεκραγότα, καὶ λέγοντα ὁ χόρος ἅγιος κ. τ. λ. „Cum Cherubim nempe & Sera-„phim: qui victoriæ hymnum canunt, clamant, vociferantur & dicunt *Sanctus*" ut apud nos græce etiam haud raro in codd. *Vindob. San-Dionyſianis, San-Gallenſ. San-Emeran. San-Blaſianis* inveni. Conſtanter autem latine canitur ritu etiam *Ambroſiano* & *Mozarabico* poſt præfationem. S. ISIDORUS *hymnationem* vocat, quam in ordine Miſſæ quintam recenſet: & poſt eum ÆTHE-

a *T. IV. Bibl. PP. Pariſ. p.* 675.

b *T. XII. Opp. p.* 783.

c

cavit, & cum angelis laudavit, & gratias pro bonis omnibus egit, quæ ab æterno in nos contulit, & poſtremo arcanis eius, & quæ omnem ſermonem & rationem excedit, Incarnationis meminit, deinde pretioſa dona conſecrat, & totum ſacrificium peragitur."

a) „Hic autem (inquit *c.* 20. *Expoſ. Miſſæ*) hymnus ab angelis quidem dictus eſt, acceptus eſt autem ex libro. pſalmorum, & ſanctorum prophetarum. Collectus eſt autem a Chriſti eccleſia, & Trinitati dedicatus, hoc enim *Sanctus*, quod ter canitur, eſt angelorum: illud vero *Deus*, & *fortis*, & *immortalis*, eſt beati DAVID, ubi dicit, *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Hæc autem ſuſcepiſſe & illis coniunxiſſe, & ſupplicationem adieciſſe, dico autem illud *Miſerere noſtri*, eſt eccleſiæ eorum, qui Trinitatem unum Deum & ſciunt, & prædicant: partim ut oſtendatur veteris teſtamenti cum novo convenientia: partim autem, ut angeli & homines fiant una eccleſia & chorus unus per Chriſti adventum, qui eſt ſupercœleſtis & terrenus. Proptera poſtquam eſt oſtenſum, & allatum evangelium, hunc hymnum canimus propemodum clamantes, quod is nobiscum verſatus, nos ſtatuit cum angelis, & in illo choro poſuit." Vid. du CANGIUS v. τρίσαγιον, & v. ὕμνος.

b) „Ter ille ſanctus hymnus ita quidem eſt (inquit) quemadmodum illic quidem angeli dixerunt, *Quam magnificata ſunt opera tua Domine*, & *Gloria in excelſis Deo*, hic vero ut Magi dona Chriſto offerentes, fidem, ſpem, & charitatem, quaſi aurum, thus & myrrham, incorporeorum canticum vociferantes fideliter & dicentes *Sanctus Deus, Deus inquam Pater &c.*"

c) Vid. GOAR. not. 108. 110. 125. in lit. S. CHRYSOST.

T. XXVII. Bibl. PP. p. 661. & 668.

p. 678.

a *L.III. c.* 22.


b *T.V. Anecd. p.* 105. *T.II. Lit. p.* 396. *Vet. diſcipl. mon. p.* 162.

Ætherius & Beatus. „Quinta deinde infertur inlatio in ſanctificatione „oblationis: in qua etiam ad Dei laudes terreſtrium creaturarum, virtu- „tumque cœleſtium angelorum univerſitas provocatur, & *Hoſanna in ex- „celſis* cantatur.“ Dum vero alibi in liturgia *Mozarabica* canitur, abſolvitur his verbis *Agios Agios Kyrie* ὁ θεὸς, quod eſt in veteri *Gallicana* liturgia apud Martenium & Mabillonium *Ajos*, ſæpius etiam notatum in Miſſa S. Germani. *Græcis* eſt peculiaris, quem modo notavimus, vocantque cherubicum ὁι χερȣβὶμ μυςικῶς ἐικονίζοντες, *qui cherubim myſtice repræſentamus &c.* Quem S. Germanus deſignat: „Poſt divinorum evangeliorum „lectionem preces & petitiones habitæ ad cherubicum uſque hymnum Chriſti, „& Dei noſtri doctrinam tribus annis indicant. (Et) Cherubicus hym- „nus dum canitur, hinc uſque ad finem ſacrificii omnes maiori ſtudio ad compa- „randam animi attentionem adhortatur, cura huius vitæ deorſum abiecta; utpote „qui magnum regem per communionis myſterium ſint recepturi.“ Hymnum hunc cherubicum confundi nonnunquam cum triumphali ex uſu primæ ecclefiæ ætatis videri poteſt apud *Richard.* Simonium ad *Gabrielem* Philad. p. 76. & *Simplicium* Verinum contra librum poſthumum *Hug.* Grotii p. 140. Triumphalis nempe eſt, qui hoc loco dicitur hymnus *Sanctus, Sanctus &c.* atque etiam angelicus vocatur: „Poſt cantatum autem angelicum „hymnum ſubdiaconi poſt altare ante epiſcopum vultu ſtant inclinato, do- „nec Corpus, & Sanguis Domini conſecretur, & audiant, *Nobis quoque „peccatoribus.*“ Similem locum paulo poſt ex ord. III. *R.* afferemus. Fuit hic ritus huius medii ævi, de quo Amalarius a). In ſacramentario *Gregoriano* ad ritum monaſticum accommodato apud Martenium & Muratorium idem præſcribitur b). Cantor cum ſuis excipitur in decretis S. Lanfranci c. 5. „Omnes qui in choro ſunt, inclinati quidem cantent *Sanctus*, „*Sanctus*, *Sanctus*, niſi verſus interponantur; erecti vero *Dominus DEUS* „*ſabaoth* & cætera. Cantor, & illi, qui cum eo ſunt, totum erecti ca- „nant.“ In ordine *Cluniacenſi* apud P. Herrgott ſimiliter excipitur armarius cum cantoribus: „Cum omnes alii, donec ex toto *Sanctus* finia- „tur,

a) „Poſt hymnum inchoatum *Sanctus Sanctus Sanctus* inclinant ſe, & qui retro ſtant, & qui in facie, venerando ſcilicet Maieſtatem divinam & Incarnationem Domini, quæ introductæ ſunt per cantum angelorum, & turbarum. Angelorum concentus dicendo *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus ſabaoth* Maieſtatem divinam introducit: turbarum vero Domini Incarnationem dicendo: *Benedictus qui venit in nomine Domini Oſanna in excelſis.*“

b) „Deinde quum venerit ut dicat: *Adorant dominationes*, omnes ſacerdotes vel levitæ inclinant vultum ad terram. Quum autem pervenerit ut dicat: *Supplici confeſſione dicentes*, *Sanctus*, inclinent ſe iterum diaconi & clerus cum omni populo. Proclamantibus vero cum magna reverentia & tremore *Sanctus*, incipit ſacerdos canonem diſſimili voce leniter. Ipſi vero presbyteri, diaconi vel ſubdiaconi ſemper permanent inclinati uſque in eo loco, ubi dicat: *Nobis quoque peccatoribus.*“

„ tur, ſicut ſemper mos eſt, ad omnes Miſſas inclinantur, ipſe atque illi, „ qui cum eo in transverſo ſunt chori, erecti cantant, ad collectas vero „ & *Pater noſter* inclinantur.“ Agitur hic de ſelectis cantoribus, qui hodieque in *Galliis* ſolent in medio choro conſiſtere, moderatores cantus, ut tamen chorus etiam concinat. Idque eſt, quod in ordine *Romano* auctore BENEDICTO canonico habetur: „Perfecta præfatione baſilicarii cantant, *San-* *T. II. Muſ.* „ *ctus Sanctus Sanctus &c.*“ In multo antiquiore ord. *R.* III. p. 58. id mu- *Ital. p.* 128. neris ſubdiaconis regionariis datur: „Subdiaconi regionarii finito offertorio „ vadunt retro altare, aſpicientes ad pontificem ſtantes erecti, uſque dum „ incipiant dicere hymnum angelicum, id eſt *Sanctus.*“ *Rhabanus* MAURUS *De ord. ſacrament. c.* 19. „Poſt hymnum angelicum, quem concordi „ voce totus clerus ſimul cantat, ſequitur oratio &c.“ Et DURANDUS: *L. IV. c.* 34. *Cum ergo ſacerdos finit laudem ſeu præfationem, totus chorus, qui repræſentat eccleſiam, ſimul canit dictum evangelicum hymnum, ut una & æqualis gloria & laus & honor decantetur Patri, Filio, & Spiritui Sancto.* Quod ex RHABANO colligitur, expleto hymno demum canonem inceptum, apertius in mox laudato ord. *R.* III. dicitur de eodem hymno *Sanctus: Quem dum expleverint, ſurgit pontifex ſolus, & intrat in canonem.* Interim autem in miſſali Gothico apud MURATORIUM præſcribitur *collectio poſt Sanctus*, pariter *T. II. Lit.* ac apud eundem in miſſali *Gallicano* veteri. Notantur quandoque in an- *p.* 518. tiquis monumentis liturgiæ *Romanæ* orationes dicendæ interim, dum cani- *p.* 699. tur *Sanctus.* Neque tamen de eiusmodi oratione intelligendus eſt HUGO Car- *Expoſ. Miſſ.* dinalis: „In fine autem præfationis orat ſacerdos, ut laus ſua ſocietur an- *c.* 17. „ gelorum laudibus, chorus autem cantat *Sanctus &c.*“ Alias vero paſſim iubetur ſacerdos cum choro ſuas coniungere voces. Sic in capitul. regum *Francorum:* „Ipſe ſacerdos cum ſanctis angelis & populus DEI communi *L. I. c.* 66. „ voce *Sanctus Sanctus Sanctus* decantet.“ Quod alibi in iisdem capitula- *L. VI. c.* 170. ribus inculcatur, eodem pertinet: „ *Te igitur* non inchoent ſacerdotes, niſi „ poſt hymnum angelicum finitum,“ id poſtea declaratur: „Ipſe ſacerdos „ cum ſanctis angelis, & populo DEI communi voce *Sanctus* &c. decan- „ tet.“ In capitulis HERARDI archiep. *Turon.* editis an. 858. ad parochos, *c.* 16. res haud minus plane explicatur: „Secreta presbyteri non inchoent ante- „ quam *Sanctus* finiatur: ſed cum populo *Sanctus* cantent. Poſtea ſacerdos illud ſaltem privatim dicere cœpit, quod videtur innuere RADULPHUS *Prop.* 23. *Tungrenſis:* „Hunc hymnum (ait) & ipſe ſacerdos dicere debet, ne ſua *p.* 318. „ prece ſe privet, qui & ſuas & aliorum voces angelicis laudibus admitti „ in præfatione deprecabatur.“ Verba hæc ex MICROLOGO mutuavit RADULPHUS. Iam notavi, *Sanctus* etiam cum tropis fuiſſe decantatum, quod in antiquo codice *San-Gallenſi* præſcribitur cum hac rubrica: *In ſummis feſti-*



MEMENTO etiam domine famulorum tuorum imperatoris nostri.
Ademon et famularum tuarum coniugis nostri. Cum omni
exercitu eorum. Et caelestem eis concede victoriam.
Et his qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis
pro tua tutela leos et pro ...



PER dominum nostrum Iesum xpistum filium tuum.
Qui tecum et cum spiritu sancto vivit
et regnat deus. Per omnia
se cu la
se cu lo rum.

præſcribitur poſt verba Chriſti, forte aliquis tunc cantus adhibebatur ſub conſecratione: veluti alicubi quidam hymni etiam in ritu *Romano* e. g. *O ſalutaris hoſtia*, ut hodieque paſſim, adhiberi ſub conſecratione, ac S. Hoſtiæ elevatione ſolebant. Ritu *Mozarabico* poſt conſecrationem ſymbolum cantatur. Nempe iuxta *Io.* VASÆUM in chr. *Hiſpan.* ad annum 717. „Sa-„ cerdos dicit alta voce *Dominus ſit ſemper vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpi-„ ritu tuo.* Sacerdos: *Fidem quam corde credimus, ore autem dicamus:* & „ elevat ſecundo Corpus Chriſti, ut videatur a populo. Mox cantatur ſym-„ bolum fidei, ita ut eſt in Concilio *Nicæno.*" Notat poſtea, *Fr.* LAZIARDUM in epitome univerſalis hiſtoriæ addere, „Quod, quando levatur Eu-„ chariſtia, diaconus cantat alta voce: *Videte in quem creditis.* Sed hoc in „ *Hiſpania* non ſervatur." Nota confractionem ante orationem dominicam fieri tam ritu *Mozarabico*, quam *Ambroſiano*, quo habetur ſingularis antiphona, *quæ ex eo,* ait RADULPHUS *Tungrenſis* prop. 23. *Confractio* dicitur.

XXIX. De cantu diptychorum nihil me unquam apud auctores legiſſe memineram, dum ecce in bibliotheca *Barberina* rotulus in manus venit, aliis ſimillimus, quos in bibliotheca *Vaticana*, *Caſanatenſi*, *Barberina* item vidi, ac etiam in noſtra bibliotheca ſervatur fragmentum rotuli, ex quo diaconus in ſabbato S. benedictionem cerei paſchalis canere ſolebat, iunctis invicem pluribus oblongis membranis, textu cum notis muſicis ſuperpoſitis variis picturis interſtincto; ita ut figuræ obverſæ canenti ſint: ut, dum ex eius manu rotulus defluit, rectæ oculis ſpectatorum obveniant: veluti etiam in eo, de quo agimus, *Barberino* rotulo ſupra conſpicitur Papa, epiſcopus, cætusque fidelium oblationem facientium, cuius rei ſignum indiciumque eſt fanon, quem ex collo ſeu humeris pendentem cernis perſonæ primæ conſpicuæ, quæ forte cantorem repræſentat. Superius enim capite ſecundo inter ornamenta cantorum fanonem indicavimus oblationis faciendæ cauſa. In altera eiusdem rotuli figura ad dextram imperator, ad ſiniſtram comes cum falcone in manibus, ſtante utrinque comitatu, ſedentes adumbrantur, quorum nempe fit mentio his verbis notis muſicis impoſitis ſcriptura *Longobardica*: *Memento etiam Domine famuli tui imperatoris noſtri. Nec non & famuli tui comitis noſtri cum omni exercitu eorum. Et cæleſtem eis concede victoriam. Et his qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis premia æterna largiaris. Per Dominum &c.* Hunc canonis locum proprium diptychis vivorum fuiſſe uſu *Romano* manifeſtum eſt ex MICROLOGI c. 13. „Sciendum eſt autem, quod *Romana* auctoritas nomina vivorum fide-„ lium internumerare permittit, ubi dicitur: *Memento Domine famulorum „ famularumque.*" LEO *Oſtienſis* eundem indigitat: *Cumque ad eum locum*

Cantus diptychorum.

TAB. III.

cano-

canonis perveniſſet, quo vivorum ſolent nomina recenſeri. Forte quis hæreat, quod de diptychis mortuorum quidem apud Fulcuinum de geſtis abbatum *Lobienſium* c. 7. legitur de conſuetudine, „Ut inter Miſſarum ſolemnia in ea ſpeciali commemoratione defunctorum, quæ ſupra diptycha „dicitur, & in conſecratione dominici Corporis ſolemniter agitur, cottidie in aurem presbyteri, recitante ſilenter ſubdiacono omnium ipſius ſedis nomina ſcripto viritim recitentur epiſcoporum." Conſtat tamen ex Conc. *Cpolitano* ſub Menna in Oriente, unde uſus hic in Occidentem manaſſe videtur, publice diptycha ex ambone fuiſſe perlecta. „Hoc ſynodus „dixit, diptycha amboni. Qui non loquitur, *Manichæus* eſt. Diptycha „amboni. Modo DEUM tibi: Iustine Auguſte, tu vincas. Curatorem non „habes, diptycha modo porta. Iustinus regnat. Diptycha modo porta &c."

T. V. Conc. Labb. p. 184.

Oratio dominica.

XXX. Oratio dominica ſemper ſolemni ritu ubique in liturgia fuit celebrata, ac quidem ſacratiori illius parte. „Dehinc iam (inquit *Rhabanus* Maurus) conſecratio Corporis & Sanguinis Domini fit, & deprecatio valida ad DEUM, inter quæ & dominica oratio decantatur. Fuerunt, qui in S. Gregorio hic reprehenderint, quod orationem dominicam mox poſt canonem ſuper hoſtiam inſtituerit recitari: cauſam autem eius rei ipſe S. Gregorius tradit: „Orationem dominicam (inquit) idcirco mox poſt „precem dicimus, quia mos apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo „orationem, oblationis hoſtiam conſecrarent. Et valde mihi inconveniens „viſum eſt, ut precem, quam ſcholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem „diceremus, & ipſam traditionem, quam redemptor noſter compoſuit, ſuper eius Corpus & Sanguinem non diceremus." Non eſt hic diſquirendi locus, quidnam circa orationem dominicam inſtituerit S. Gregorius, quando de ſolemni tantum ritu eam in ſacra liturgia palam proferendi, aut decantandi agimus, cuius varia variarum eccleſiarum eſt conſuetudo. Et quidem apud *Græcos* totus, ut iam notavi, populus eam ſolet proferre, ſecus ac in Occidente: antiquiſſimum ritum *Gallicanum* ſi excipias, de quo Gregorius *Turon.* hiſtoriam narrat fœminæ mutæ in baſilica cum reliquo populo ſtantis. „Factum eſt autem (inquit) cum dominica oratio diceretur, hæc aperto ore cœpit ſanctam orationem cum reliquis decantare." Poſtea in toto Occidente contrarius mos inolevit, quamvis adhuc ſæculo XI. Ivo *Carnotenſis* innuat ſacerdotem per verba: *Præceptis ſalutaribus moniti & divina inſtitutione formati audemus dicere*, populum ad ſecum dicendam orationem dominicam hortari. Attamen iam S. Gregorius diſcrimen hoc *græcam* inter & *latinam* eccleſiam notat, quod hic ſolus ſacerdos orationem

L. I. de Inſtit. Cler. c. 33.

L. VII. ep. 64.

L. II. de mirac. S. Martini c. 30.

nem dominicam dicat: idemque iam tempore S. Augustini in *Africa* obtinuiſſe ex ſermone quodam illius diſcimus. „Sacerdos (inquit Durandus) & non totus populus, prout *Græci* faciunt, elevata facie pronuntiat: *Oremus præceptis &c.* Non enim dicitur ſub ſilentio, ſed palam: „quia eſt de evangelio ad notandum, quod rex cœlorum in nova lege palam loquebatur, & ſine velamine prædicavit. Ob hoc ideo hæc dominica „oratio, & etiam *Credo in unum Deum* alta voce dicuntur: ut omnes „illam dicant, & addiſcant.“ Amalarius eandem eiusdem rei profert ex S. Cypriano rationem a). Quod Durandus attigit de ſymbolo ſimul & oratione dominica, in ritu *Mozarabico* ſingularem rationem habet. Ubi poſt ſymbolum & fractionem hoſtiæ in plures partes, præcipua chriſtiana myſteria deſignantes, ac *Memento* pro vivis, ſequitur oratio dominica ad hunc modum: ut *Io.* Vasæus notat in chr. *Hiſp.* ad an. 717. habeturque in edita lit. *Moz.* „Verbum Patris, quod caro factum eſt, ut habitares „in nobis, præſta nobis, ut qui te veniſſe credimus, ab omni peccatorum „contagione, quum præceptionis tuæ oraculis proclamaverimus, liberemur „in terris. *Pater noſter qui es in cœlis.* ℟. *Amen.*“ Et ſic ad ſingulas petitiones reſpondetur *amen*, præterquam ad illam: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Quia DEUS es* reſpondetur. Et poſt orationem dominicam dicit ſacerdos: *Liberati a malo &c.* in quo reliquæ etiam liturgiæ veteres conveniunt, licet verbis diſcrepent: veluti miſſale *Gothicum* apud Muratorium cum hac rubrica: „Ante orationem dominicam: *His precibus te Deus* „*Pater omnipotens deprecamur, quibus nos Dominus noſter IESUS Chri*„*ſtus filius tuus orare præcepit dicens: Pater noſter.* Poſt orationem domi„nicam: *Libera nos a malo omnipotens DEUS, & cuſtodi in bono &c.*“ Ritu *Ambroſiano* eodem tenore, poſtquam chorus ad orationem dominicam reſpondit *ſed libera nos a malo*, ſacerdos proſequitur cantum *libera nos quæſumus.* In Tr. de crucibus in *Te igitur* apud Hittorpium, Mabillonium &c. præſcribitur *Oratio* libera nos &c. *interveniente nullo ſono.* In ſacramentario tamen *Vaticano* ſæc. IX. vel X. orationem *libera* cum ſuperpoſitis ſparſim notis muſicis reperi, quæ non ultra nomen Andrea comparent, inflexione modica. In celebri codice *Vindobonenſi*, ſacramentario *Augienſi* ſæc. IX. de quo plura in liturgia *Alemannica*, tantillæ notæ mu-

L. IV. Ration. c. 47.


a

T. IV. Bibl. PP. Pariſ. p. 108.

T. II. Lit. p. 518.

a) „Dicendum, quare dominica oratio dicatur excelſa voce, cum ceteræ ſecreto dicantur. Dicit S. Cyprianus in ſermone de oratione dominica: ante omnia pacis doctor, atque unitatis magiſter ſingulatim noluit & privatim precem fieri. Non ut quis, cum precatur, pro ſe tantum precetur. Non dicimus: Pater meus, qui es in cœlis, nec panem meum da mihi hodie, nec dimitti ſibi unusquisque debitum poſtulat, aut ut in tentationem non inducatur, atque a malo liberetur, pro ſe ſolo rogat. Publica eſt nobis & communis oratio &c.“


muſicæ in *Libera nos &c.* apparent. Codex *Barberinus* ſæc. XIV. n. 1863. in ordine Miſſæ poſt præfationem communem, & *Pater noſter* cum notis
a muſ. uti infra habes a), eandem exhibet orationem: ubi immediate ſequuntur



tur præfationes in Nat. Domini, in Apparitione, in die Paſchæ &c. In veteri expoſit. Miſſæ apud CASSANDRUM in liturgicis p. 138. quæritur: „Poſt „ ſecretam, quare tria cantantur, id eſt, *Præceptis ſalutaribus;* & oratio „ dominica; & *Libera nos quæſumus Domine &c.*" In Sacramentario *Gallicano* apud MABILLONIUM variæ occurrunt præfationes ante orationem dominicam; e. g. poſt canonem *Romanum* uſque ad hæc verba: *Per omnia ſæcula ſæculorum.* „Divino magiſterio edocti, & divina inſtitutione audemus dicere: *Pater &c.*" Et quidem antiquo ritu *Romano* rumpitur ſilentium, uti in concluſione *ſecretæ* ante præfationem a). In antiquiſſimo miſ- a

T. II. Muſ. Ital. p. 281.

ſali



a) „Levat (inquit RUPERTUS *Tuitienſis* lib. II. c. 15.) ſacerdos vocem, dicendo: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, & dominicam orationem. Similiter chorus reſpondendo." Neque vero videatur HUGO Card. velle *Oremus* dici cœptum alta voce: (Expoſ. Miſſæ c. 30.) „Quod autem *Oremus* dicit alta voce, ſignificat &c." In ord. *Rom.* IV. & in vetuſto cod. *Tiliano* apud MENARDUM not. 88. in librum ſacramen. ita præſcribitur: „Tunc dicit in altum, *per omnia ſæcula ſæculorum.* Tunc reponit in altari (oblatas) & dicit in altum, *Oremus.* Deinde dicit, *præceptis ſalutaribus moniti*, & uſque, *ſed libera nos.* Tunc dicit Domnus papa, interveniente nullo ſono, hanc orationem, *Libera nos &c.*" In altero antiquo ritu celebrandæ Miſſæ ita præſcribitur: „Poſt quæ ſacerdos orationem dominicam alta voce proferat."

ſali S. Dionysii ſæculi IX. habetur oratio dominica notis antiquis ſuperpoſitis, initio facto ab his verbis: *Per omnia ſæcula ſæculorum:* pariterque in cod. *Petersh.* nongentorum circiter annorum, non autem in noſtro, qui eidem *Petershuſano* alias eſt ſimillimus. Rarius in antiquioribus miſſalibus orationem dominicam notis inſtructam reperi, quam præfationes. In recentioribus tamen quibusdam circa ſæc. XIV. ſicut ſupra de præfatione memini, inveni orationem dominicam cum triplici modulatione *feſtivaliter, plenaliter, ferialiter.*

Benedictio ſolemnis ad *Pax Domini &c.*

XXXI. In laudato codice MS. miſſali S. Dionysii prope *Pariſios* ſimiles notæ ſunt adiectæ ad *Per omnia ſæcula ſæculorum* ℟. *Amen. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum:* ut palam ſit tam benedictionem hanc, quam orationem dominicam eodem modo fuiſſe cantatam. In veteri ritu celebrandæ Miſſæ ita habetur: „Sacerdos, ut ſupra diximus, partito corpore „Domini *Pax Domini* alta voce proferat. Tunc rurſus (inquit Rupertus *Tuitienſis*) elevatio vocis bonum ſignificat nuncium dominicæ reſurrectionis, dicente ſacerdote: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.*" Qua vero auctoritate nitatur, quod refert de S. Gregorio Durandus, me quidem latet: „Quia (inquit) cum hac die (paſchæ) ibi (apud S. Mariam maiorem) celebraret: & *Pax Domini* pronuntiaret: Angelus Domini alta voce „reſpondit, *& cum ſpiritu tuo:* & propter hoc cum papa ibi hac die celebrans dicit, *Pax Domini*, in teſtimonium huius miraculi, nil ſibi reſpondetur." Ritus *Mozarabicus* proxime accedit ad *Romanum:* „Sacerdos, aut diaconus (inquit *Eug.* Roblesius) populum hortatur, ut humilitatem exhibeat in benedictione ſuſcipienda, his verbis: *Humiliate vos benedictioni.* Sacerdos vero eam impertit cum tribus ordinariis petitionibus, quarum cuilibet reſpondetur *Amen.* Benedictio autem, quæ tunc „datur, provenit ex decreto præfati Concilii *Toletani* IV. c. 17." Benedictio hæc convenit cum benedictionibus epiſcopalibus olim hic dari ſolitis, ut habentur in antiquis libris liturgicis ſecundum ſacramentarium *Gregorianum*, ad calcem inſeri ſolitæ, per feſta præcipua propriæ, maximeque ſolemnes habebantur. *Et quidem hoc loco,* inquit Durandus, *ſcilicet ante pacem ſolemnis epiſcopalis benedictio datur.* Ex ordine tamen *Romano* V. apud Mabillonium conſtat, peracta Miſſa pontificem benedictionem dediſſe: „Diebus vero ſolemnibus, id eſt præcipuam feſtivitatem habentibus, peracta „Miſſarum ſolemnitate, procedente pontifice, occurrat ei cantor cum ſchola, „& dicat: *Iube Domne benedicere*, reſpondeaturque a pontifice: *Benedicat nos Deus:* & tota ſchola alta dicat voce, *amen.* Simili etiam ratione „fiat, dum ingredi in ſecretarium debet." Radulphus *Tungrenſis* illud adhuc


De div. off. lib. II. c. 10.

Vita Ximenii Card. c. 27.

L. IV. c. 51.

T. II. Muſ. It. p. 69.

huc ſua ætate, id eſt, ſæculo XIV. ſingulare Apoſtolico eſſe dicit; hoc vero loco benedictionem S. Ambrosio tribuit haud dubie, quod ritu *Ambroſiano* tunc ſervaretur. „Benedictionem (inquit) epiſcopalem Martialis epiſcopus p. 23.
„ apoſtolorum diſcipulus ex magiſterio apoſtolorum tradidit, quas proba-
„ bile ſtudium ſervientium auxit, Ambrosius dicere cœpit. Isque mos ex
„ eo uſque invaluit; Apoſtolicus autem hanc tantum, quæ finita Miſſa di-
„ citur, dicit.“ In pontificali monaſterii *Murenſ.* recentioris quidem ætatis an. 1508. antiquo tamen uſu ac ſimplicitate, in feſto S. Iohannis ita habetur cum notis muſicis:



Ritus vero quoad has benedictiones feſtivales ad officium peragendas ita deſcribitur: „Primo diaconus converſus ad populum extollens vocem exhor-
„ tatur ſic imponendo: *Humiliate vos ad benedictionem. Deo gratias.* In ordine pontificali abbatis *Caſinenſis* ſæc. XIV. quem *Romæ* in bibl. *Barberina* vidi cod. 1866. cum notis muſicis, ritus huius ſolemnis benedictionis ſic præſcribitur: „Oratione dominica ſc. *Pater noſter* & *Per omnia*
„ *ſæc. ſæculorum*, ac reſponſione facta *amen* dictis, cantores chori debent
„ incipere alta voce ſine intervallo. *Princeps eccleſiæ paſtor ovilis tu nos*
„ *benedicere digneris.* Et diaconus cum croſſa debet ſe erigere ad popu-
„ lum dicendo: *Cum manſuetudine & caritate humiliate vos ad benedictio-*
„ *nem.* Et cantores chori ſive totus chorus debent reſpondere: *Humili*
„ *voce laudantes atque benedicentes Gloria in Altiſſimis. Deo gratias.* Dñus
„ abbas debet ſe erigere verſus populum & ordinare ſic, & dare benedi-
„ ctionem dicendo benedictiones, quæ ſequuntur. Incipiunt benedictiones
„ pontificales. In natale Dñi *Benignitas &c.* Item alia. *Benedicat vobis &c.*
„ *Quod ipſe præſtare &c. Et benedictio* † *DEI omnipotentis Patris & Filii* †
„ *& Spiritus* † *Sancti deſcendat ſuper vos & maneat ſemper. Amen. Et*
„ *pax eius ſit ſemper vobiſcum.* ℟. chorus. *Et cum ſpiritu tuo.* Poſtea *Agnus.*“

Sequuntur autem benedictiones epiſcopales per annum, de quibus plura in liturgia *Alemannica.*

AGNUS DEI. XXXII. Inſtitutionem cantus *Agnus DEI* SERGIO I. qui labente ſæculo VII. *Romanam* eccleſiam rexit, tribuunt magno conſenſu non ſolum, qui medio hoc ævo de rebus liturgicis ſcripſerunt AMALARIUS, *Walafridus* STRABO, BERNO *Augienſis,* quod ſub nomine ALCUINI habetur de officiis divinis opus, HONORIUS *Auguſtodunenſis*, MICROLOGUS, RUPERTUS *Tuitienſis,* DURANDUS, RADULPHUS *Tungrenſis;* verum etiam chronographi SIGEBERTUS & alii, ſecuti auctoritatem libri pontificalis, ubi ſic legitur: „Hic ſtatuit, ut tempore confractionis dominici corporis, *Agnus DEI qui* „*tollis peccata mundi miſerere nobis* a clero & populo decantetur.“ *Rhabanus* MAURUS cum oſculo pacis ante communionem cantari ſolitum innuit: „Poſtquam enim ad communicandum, & ad percipiendum corpus „perventum fuerit, pacis oſculum ſibi invicem tradunt, cantantes: *Agnus* „*DEI qui tollis peccata mundi, miſerere nobis*, ut pacifici Sacramentum „percipientes in filiorum DEI numero (remiſſis delictis omnibus) mereantur copulari.“ REMIGIUS *Altiſiodorenſis* de celebratione Miſſæ ad hunc locum, *Inter hæc omnia*, inquit, *cantatur ab omnibus*, & *cantando oratur dicentibus* Agnus DEI &c. In tr. mox laudato *de crucibus in* Te igitur &c. habes: Agnus Dei *modulando dicitur a clero.* In expoſ. canonis inter monumenta noſtra liturgica *cantatur ab omnibus* Agnus DEI &c. Notat MABILLONIUS commentario in ordinem *Romanum* in rubricis ſacramentarii *Gregoriani* ad Miſſas conſuetas aſſignari *Agnus DEI.* „Sed for- „taſſe (inquit) a ſolis cantoribus, uti in libellis noſtris antiquioribus tum „cani mos erat, quod a clero & populo decantari SERGIUS præceperit, „ut dum præparatur ad diſpenſandum corpus dominicum, rogent accepturi, „quatenus ille, qui pro eis oblatus eſt innocens, faciat eos ſalubriter pi- „gnora ſalutis æternæ percipere, ut WALAFRIDUS ſcribit.“ In veteri ritu celebrandæ Miſſæ apud MENARDUM ita præſcribitur: „Chorus vero pſallat, „*Agnus DEI*, quod SERGIUS papa tempore confractionis Corporis Domini „cantare præcepit.“ AMALARIUS dum hoc decretum citat, iisdem omnino verbis rationem reddit, cur a populo hoc tempore decantetur: „Depre- „catio (ait) eſt pro populo, qui ſumturus eſt corpus Domini, ut mi- „ſericordia innocentis agni peccata ſubitanea & irruentia auferantur &c.“ Eandem rationem alii etiam reddunt, quæ SERGIUM forte permovere potuit, ut, quod prius a cantoribus tantum fiebat, a populo etiam caneretur. In antiquiſſimis Sacramentariis duobus 1000. circiter annorum *San-Gallenſi*, & *Rhenaugienſi* (quod cum altero *San-Gallenſi* collatum edemus in-

De inſtit. cler. lib. I. c. 33.

L. III. de off. c. 33. de oſ.

inter monumenta liturg. *Alem.*) ac *Gelaſiano*, quocum priora conveniunt propius, deſideratur *Agnus DEI*, quod tamen promiſcue in *Gregorianis*, atque ordinibus *Romanis* antiquiſſimis notatur, & quidem conſtanter, ubi ſcholæ cantorum fit mentio, ab eadem cantandum a). Idem affirmat co- a
dex Ratoldi apud Menardum: „Et annuente epiſcopo dicat cantor: *Agnus* *T. II. Muſ.*
„*DEI, qui tollit peccata mundi.*“ Quod vero hactenus ſervatur in ſabbato *It. p.* 50. 59.
S. in ord. *Rom.* I. antiquiſſimo præſcribitur: *Non cantant Offertoria*, *nec* Agnus DEI, *nec communionem.* Apud laudatum tamen Muratorium & Martenium, ac in antiquiſſimo bibliothecæ noſtræ *Breviario eccleſiæ ordinis Rominſe* congregationibus monaſticis accommodato, cum in Miſſa or- *T. V. anecd.*
dinaria præſcribitur „Diaconi vero iuxta altare, tenente ſubdiacono ante *p.* 105.
„ipſos patenam, confrangant ipſas oblationes, canentibus interim fratribus „*Agnus DEI.* Deinde communicent ſacerdotes, & levitæ in ordine ſuo,“ poſtea aſſignatur: *Agnus DEI* ad communionem cantandum in vigilia paſchæ, quemadmodum in ordine *Einſidlenſi* Sabbati S. ſæc. IX. his verbis: „Et *Agnus DEI* cantat ſchola cantorum, & reſpondent IIII. accoliti ſtan„tes ad rugas, tenentes ſciphos & gimellares, quæ poſtea tenent ad con„firmandum populum.“ In breviario illo ord. eccl. dicitur: „Ad com- *Ibid. p.* 107.
„munionem cantetur *Agnus DEI*, & complebuntur omnia Miſſarum ſo„lemnia ordine, ſicut reliquis diebus dominicis.“ Honorius *Auguſtodunenſis* hoc communiter faciendum a Sergio inſtitutum refert: „Sergius papa *Sacram. c.* 88.
„inſtituit, ut interim, quam communicetur, *Agnus DEI* cantetur: ut qui „tulit mundi offenſa, tollat nunc noſtra.“ Niſi forte legendum *antequam* pro *interim quam.* Durandus tamen, qui ad conſuetum locum refert *Agnus DEI*, etiam dum Corpus & Sanguis Domini ſumitur, illud cantari dicit, Sergiique decretum ſic refert: „Conſtituit *Agnus DEI* inter com- *L. IV. c.* 52.
„munionem ter a clero & populo decantari.“ Ex quo id notandum, quod *Agnus DEI Romæ* adhuc ſuo tempore a ſchola cantorum cantari conſueverit: „Porro (inquit) ſecundum antiquam conſuetudinem ſcholæ canto- *L. c.*
„rum in eccleſia *Romana*, quam adhuc ipſa ſchola obſervat, nullatenus „variatur: ſed tribus vicibus uniformiter dicitur *Chriſte miſerere nobis.*“ Quæ, uti plurima alia ex Innocentio III. *de myſter. Miſſæ lib. V. c.* 4. de-

a) Sic in ordine I. (qui extat in veterrimis codicibus *Caſinenſi*, *San-Gallenſi*, *Einſidlenſi*, & *Colbertino*, in lucem primo editus *Coloniæ* per *Georgium* Cassandrum an. 1507. ibidemque poſt annos ſeptem recuſus per *Melchiorem* Hittorpium, apud quos tamen amplius quam media pars, huius libelli deeſt, quam ſupplevit ex codice inſignis abbatiæ Sancti Galli Mabillonius & Muratorius, a num. 21. nempe) ita habetur n. 19. apud Mabill. & Muratorium (T. II. Muſ. It. p. 14. lit. *R.* p. 885.) „Reſpicit in ſcholam, & annuit eis, ut dicant: *Agnus DEI*, & vadit ad populum cum cæteris.“ Idem in ordine II. III. & V. habetur, cuius ultimi verba hæc ſunt: „Et ſic populum communicent, cantante ſchola *Agnus DEI*, & communionem.“


deſcripſit, omiſit tamen, quod Innocentius dicit, in pluribus idem obſervari eccleſiis. Agit ibi de eo, quod tertio loco dicitur, *dona nobis pacem*: aut in Miſſis pro defunctis *dona eius requiem &c.* Et paulo poſt ſubdit: *Eccleſia etiam Lateranenſis nunquam dicit:* dona nobis pacem, *ſicut nec ſchola cantorum.* Nec dubium eſt, verba hæc addita eſſe propter pacem, quæ interim dabatur. Quod innuunt antiquiores conſuetudines *Cluniacenſes* apud Dacherium, ubi etiam a ſolo armario, & ſuffraganeis *Agnus DEI* cantatum videtur: „Non accedit ad pacem, neque ſui ſuffraganei, „ ſed interim dum pax datur, cantat *Agnus DEI* cum verſibus ad hoc con- „ gruentibus.“ Et apud Bernardum *Cluniac.* „*Agnus DEI* cum verſibus „ canitur propter moram fratrum accipientium pacem.“ In laudatis mox conſuetudinibus *Cluniac.* c. 15. ad *Agnus DEI* tropi adiiciuntur. Et apud Rupertum *Tuitienſem* habetur hoc additamentum: *Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Qui ſedes ad dextram DEI Patris, miſerere nobis.* Ita in codice *Weingartenſi* etiam inveni. In MS. bibliothecæ noſtræ *San-Blaſianæ* ann. 400. ſæpe laudato ſunt etiam *ſuper Agnus DEI verſus cum biscantu.* Ex illis ſpecimen damus.

T. I. in fol. p. 691.

De tranſlat. S. P. N. Ben. P. II. c. 29.

De div. off. c. 17.

Verſus ſuper Agnus Dei *cum Biscantu.*





In *San-Gallenſibus* autem variis modulis ſecundum feſtorum varietatem conſpicitur, cum hac tamen rubrica: „ In ſummis feſtivitatibus verſus ſuper „ *Agnus Dei.* " Haud raro pro feſtorum ratione melodia in monumentis liturgicis aſſignatur, e. g. in MS. Ord. operis DEI *Rhenaug.* ſæc. XII. „ *Agnus* „ *Dei* in minori, vel maiori melodia." In alio eiusdem ætatis: „ De me„ lodia *Agnus Dei* in mediis feſtivitatibus: *Agnus Dei* in tertia vice maiori „ melodia cantatur." Nuſpiam ex allatis monumentis coniici poteſt, ipſum etiam ſacerdotem, ne dicam decantaſſe, ſed nec privatim ſaltem recitaſſe *Agnus Dei.* In Ord. *Rom.* IV. Miſſæ Pontif. quem ex vetuſtiſſimo licet codice deſcriptum poſteriorem duobus prioribus cenſet Mabillonius, hoc eſt ſingulare: „ Dum confringit, *Agnus Dei* dicit, & expleta confractione,

 „ quan-

„ quando communicat &c.“ Uſus hic ex privata Miſſa in ſolemne officium videtur perveniſſe, ſicut præſcribitur in conſtitutionibus S. Wilhelmi: „ *Agnus Dei* per ſemetipſum tunc percantat:“ nimirum in privata Miſſa.

Communio. XXXIII. Idem dicendum quoad antiphonam, quæ *Communio* dicitur, expleta confractione interea, dum communio fiebat, cantatam poſt *Agnus Dei.* Utrumque in MS. *Argentinenſi* ſæc. X. vel XI. notatur a). Canebatur olim, ut iam notavimus, cantu antiphono cum pſalmo plerumque, unde antiphona ad Introitum deſumta erat. Hinc & in antiphonario S. Gregorii in feſto S. Luciæ ad Comm. „ *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis:* „ notatur pſalm. ut ſupra. Nimirum: *Eructavit cor meum.*“ Qua de re videri poteſt Micrologus, & ordines *Romani.* „ Nam mox (ut habetur in ordine I. apud Mabillonium & Muratorium) ut pontifex cœperit in ſenatorio communicare, ſtatim ſchola incipit antiphonam ad communionem per vicem cum ſubdiaconibus, & pſallunt, uſque dum communicato omni populo annuat pontifex, ut dicant *Gloria*, & tunc repetito „ verſu quieſcunt.“ Notat Mabillonius patere hinc, antiphonam, quæ hodie communio dicitur, olim pſalmo decantando præmiſſam fuiſſe. Quod Micrologus diſſerte habet cap. 18. in Graduali *Vindobon.* ſæc. X. quod olim eccleſiæ *Spirenſis* fuit, de communione in Cœna Domini: „ Et ſchola „ dicat *Agnus Dei* abſque oſculo: & communionem *Dominus IHESUS* „ cum pſalmo & *Gloria.*“ Pſalmum *Lætatus ſum* Nicolaus III. cum aliquot verſiculis, & Collecta de pace cantari ante communionem præcepit ad impetrandam pacem inter principes chriſtianos, quod etiam Ioannes XXII. ſuo tempore conſtituit. Idem ritus perſeverabat tempore Urbani VI. ut ex cærimoniali *Petri* Amelii, & Mabillonii commentario in ordinem *Romanum* n. 13. conſtat. Ob communionem populi eo die diutius mos antiquus ſervari potuit. Paſſim apud D. de Moleon in *itinere liturgico*, & Martenium *de veteri eccleſiæ diſciplina*, invitatoriæ, aut commonitoriæ ad communionem populi notantur antiphonæ: e. g. p. 94. in eccleſia *Lugdunenſi: Venite populi &c.* uti etiam cum notis muſicis in cod. *San-Gallenſi*, *San-Emeranenſi &c.* reperi, item „ verſus ad Euchariſtiam *Laudes omnipotens &c.* In eccleſia *Rothomagenſi* canebatur: *Hoc Corpus, quod pro vobis*

T. II. Muſ. Ital. p. 15. Murat. T. II. Lit. p. 986.

a) „ Communicantibus etiam primum canitur canticum *Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis: & dona nobis pacem.* Ut fideles quique corporis & ſanguinis Domini communicantes, quem percipiunt ore, hauriant modulatione, ut ſcilicet, quem guſtant quodammodo verſum in corporalem cibum, recolant eſſe crucifixum, mortuum ac ſepultum, & eum exorent tollere ſua peccata, quem ad hoc veniſſe omnis confitetur eccleſia. Canitur etiam illi adiunctum aliud carmen, quod communio vocatur, ut quamdiu populus fidelis ſuſcipit cœleſtem benedictionem, dulciſſima modulatione mens eius trahatur in ſublimem contemplationem.“

vobis tradetur &c. Apud *Ioſ.* Cari, ſeu Thomasium p. 100. in paſchate *Venite populi &c. antiphona ad communicandum* inſcribitur. Apud Marte- De ant. eccl. diſcipl. cap. XIX. n. 23.
nium conſuetudo eccl. *Rothomag.* ex antiquo miſſali deſcribitur: „ Ut ante „ communionem cum ſuavi vocis modulatione ſacerdos tenens Corpus Domini „ cantet: *Hoc eſt Corpus, quod pro vobis tradetur*, chorus hoc idem repe- „ tat, & interim ſacerdos Corpus Domini ſumat: quo ſumto cantet elevan- „ do modicum calicem, illud quod ſequitur: *Hic calix novi teſtamenti eſt* „ *in meo ſanguine dicit Dominus*, chorus idem illud repetat producendo „ ad finem, & ſacerdos interim ſumat ſanguinem.“ In antiquiſſimo antiphonario *Benchorenſi*, a Muratorio tom. IV. Anecd. habes hymnum quando communicarent ſacerdotes: *Sancti venite, Chriſti Corpus ſumite.*“ Et apud Canisium in Theſ. monument. verſus habentur Ratperti ad Eu- T. II. P. III. ed. Baſnag.
chariſtiam ſumendam:

Laudes omnipotens ferimus tibi, dona colentes
Corporis immenſi, Sanguinis atque tui.
Tangimus ecce tuam, rector ſanctiſſime, menſam
Tu licet indignis propitiare tuis.
Laudes omnipotens &c.

Occurrunt hæ repetitiones ſatis frequentes poſt ſingula diſticha. Deinceps vero ceſſante frequenti communione populi ſub ſolemni liturgia Miſſæ antiphona ſola relicta eſt, omiſſo pſalmo olim, donec communio eſſet abſoluta, protracto, ut ex laudato ordine *Romano* deinceps patet: n. 21.
„ Adſtat autem ſubdiaconus regionarius ante faciem pontificis, ut annuat „ ei: Ille vero contemplans populum, ſi iam communicati ſint, & an- „ nuit ei. Et ille vadit ad humerum, aſpicit ad primum ſcholæ, fa- „ ciens crucem in fronte ſua annuit ei dicere *Gloria*: & ille reſalutato di- „ cit *Gloria, ſicut erat*, & verſum. Finita autem antiphona ſurgit pontifex „ cum archidiacono, & veniens ante altare dat orationem ad *Complendum* „ directus ad Orientem. (Et): Poſt hæc canentibus interim antiphonam „ ad communionem communicantibus iis omnibus dat orationem ſacerdos:“ ut habetur apud Martenium, & in cod. *Tiliano* apud Menardum not. 88. T. V. Anecd. p. 105.
in lib. Sacram. & alibi a): Oratio hæc etiamnum Poſtcommunio dicitur, quo a

nomine

a) „ Quando vero Domnus apoſtolicus deſcendit de altari, incipit communicare populus, & dicitur antiphona ad communionem. Expleta communione & antiphona, tunc ſurgit Domnus papa, & veniens ad altare ſalutat altius dicens, *Dominus vobiſcum: & cum ſpiritu tuo.* Deinde orationem dicit &c.“ In cod. Ratoldi apud eundem ſic habetur: „ Interim cantor incipiat annuente epiſcopo comm. *Paſcha noſtrum.* Pſalm. *Domine probaſti me*, cum *Gloria &c.*“ In ordine *Romano* III. n. 18. „ Cum cœperit pontifex clerum ſive populum communicare, ſchola incipit antiphonam ad communionem pſallere: ac deinde nutu pontificis, *Gloria Patri. ſicut erat in principio & nunc & ſemper*, ſubdiacono faciente crucem in fronte; ut ex hoc

nomine, teſte Durando, a pluribus ipſa antiphona vocabatur. Ita in ord. cod. *Tiliani* apud Martenium: „De mane orantes cantant Poſtcommunionem
L. IV. c. 66. „ cantores &c. Antiphona (inquit Durandus) quæ Poſtcommunio a pluri-„ bus nuncupatur, ideo ſic appellata eſt: quoniam poſt communicationem, „ ſive in ſignum, quod communicatio expleta eſt, concinitur. " In veteri expoſitione Miſſæ per dialogum apud Cassandrum in liturgicis p. 138. Int. *Cantus poſt communionem quare celebratur?* ℟. *Ut oſtendatur vere gratias agere populus, & laudes Deo, corpore Chriſti & ſanguine ſuſcepto.* Cantu nimirum *Agnus Dei* ter repetito protractoque, ut communionem ſacerdotis, ceſſante communione populi, includeret, atque antiphona communionem ipſam ſubſequeretur. Atque hinc etiam pſalmus, ſeu ipſe modus canendi antiphonus poſthabitus fuit: qui tempore Durandi in quibusdam eccleſiis ſolum perduraſſe videtur, ſaltem adhuc tempore Innocentii III. ex quo hæc Durandus, uti alia ſat multa, iisdem deſcribit verbis: „ Quod vero (in-
Ibid. „ quit) reciprocando in quibusdam eccleſiis cantatur, inſinuat, quod diſci-„ puli reſurrectionis gaudium ſibi mutuo nuntiabant . . . canitur etiam ab o-„ mnibus, ut notetur communitas gaudii &c. " Paſſim pro more ex notione antiphonæ ſeu cantus reciproci auctores medii ævi ad ſenſum anago-
De offic. div. L. III. c. 33. gicum aſſurgunt: „ Antiphona ſequens (ut ait Amalarius) id eſt, vox reci-„ proca iura fraternitatis cuſtodit: ut unusquisque alterius utilitati ſtudeat, „ & curet provocare ad gaudia reſurrectionis." Et Honorius *Auguſtodu-*
Sacrament. c. 88. *nenſis* diu poſtea ſæc. XIII. *Antiphona* (inquit) *ſequens eſt Communio, eſt vox reciproca &c.* Veteris moris veſtigium in Communione pro defunctis ſer-
T. I. c. 15. vatur. Iuxta antiquiores Conſtitut. *Cluniac.* apud Dacherium, Communio poſt verſum iteratur, e. g. imponente antiphonam *In ſplendoribus Sanctorum,* primus chorus proſequebatur, *ex utero ante luciferum genui te*, quam repetebat alter chorus. Poſtea primus chorus iuxta tonum autiphonæ congruentem, pſalmum, *Dixit Dominus Domino meo ſede a dextris meis* intonabat, proſequebaturque, ſingulis verſibus ab altero choro interpoſita antiphona, donec pontifex ſigno crucis cantorem moneret ad incipiendum *Gloria Patri*, poſt quod primus chorus verſum repetitionis canebat, & ſecundus chorus ultimo antiphonam *In ſplendoribus Sanctorum* repetebat. Mo-
p. XXXVII. dum hunc canendi videſis apud Thomasium in præfatione ad antiquos libros miſſales *Romanos*, per verſus, eundem ac ad Introitum, ex eodem
Propoſit. XXIII. etiam pſalmo unacum *Gloria Patri*, ut ex ordinibus *Romanis* vidimus, & adhuc ſæculo XI. Micrologus notat, ex eoque Radulphus *Tungrenſis,* qui

ſigno intelligat prior ſcholæ, quando poſt communionem debeat gloriam ſanctæ Trinitati dicere paratus etiam verſum repetitionis ſubiungere. Finita antiphona, quæ repetitur ad repetitionis verſum,. pontifex ad altare dat orationem ad complendum. "

qui hactenus dicta colligens, etiam ritum *Ambroſianum* commemorat. „ O-„ mnes (inquit) debent communicare, & interim cantatur antiph. quæ de „ communione nomen mutuavit, cui & pſalmus ſubiungendus ſecundum „ MICROL. c. 18. cum *Gloria Patri*, ſi neceſſe fuerit. Et hæc antiphona „ ſemper habet eundem pſalmum cum Introitu, ſed non habet proprium, „ ex quo ſumta videatur. *Romæ* in antiquis libris huiusmodi verſus anno-„ tantur.“ In *Ambroſiano* appellatur *tranſitorium* antiphona poſt communionem cantanda a). Ritu *Mozarabico* plures etiam occurrunt verſus cum *Gloria Patri &c. alleluia* poſt ſingulos verſus ter repetito. Teſte *Io.* VASÆO in chron. *Hiſpan.* ad an. 717. „ Cantatur a choro: *Guſtate & videte, quam* „ *ſuavis eſt Dominus &c.* abſoluta communione cantatur antiphona: *Refecti* „ *Chriſti corpore &c.* “ ROBLESIUS priorem cantum reſponſum, alterum antiphonam vocat b). Pſalmus ac antiphona *Guſtate & videte* eadem eſt, quam ſupra inter communionem antiquiſſimis temporibus ſuavi melodia decantari ex S. CYRILLO notavimus in eccleſia *Græca* (ubi canticum inter ſacram Communionem cantari ſolitum κοινωνικὸν vocatur, ut apud nos Communio) & adhuc apud *Nicolaum* CABASILAM c) notatur, qui vergente medio ævo ſcripſit. Demum hic commemorandum, quod in chronico *Alexandrino* notatur, expleta Communione cantari ſolitum troparium ab ineunte fere ſæc. VII. „ Sub SERGIO patriarcha *Cpolitano* inſtitutum eſt pſalle-„ re, poſtquam a cunctis ſancta myſteria percepta ſunt, cum per clericos „ in

a b c *Expoſ. liturg. c. 53.*

a) Vid. T. XXV. Bibl. PP. p. 669.

b) „Abſoluta benedictione (inquit in Vit. XIMENII c. 27.) ſacerdos ait, *Dominus ſit ſemper vobiſcum:* ſubitoque canitur in choro reſponſum, quod vocatur *ad accedentes:* in eo vero monentur fideles, qui ſunt communicaturi, ut accuratiſſime perpendant, quem cibum ſuſcepturi ſint. Id autem fit his verbis, *Guſtate & videte, quam ſuavis eſt Dominus alleluia, alleluia, alleluia:* quæ quidem verba decerpta ſunt ex pſalmo *Benedicam Dominum in omni tempore.* Notandum vero eſt, quod loco reſponſi vocati *ad accedentes*, quod quidem nihil aliud eſt, quam exhortatio ad communionem, in ſacris, quæ pro defunctis & quadrageſimæ tempore celebrantur, dicitur illud, cuius initium eſt, *Qui venit ad me, non eſuriet &c.* Reſponſo prolato ſacerdos infit, *Panem cœleſtem de menſa Domini accipiam &c.* Poſtea canitur aut recitatur antiph. *Refecti Chriſti corpore & ſanguine te laudamus Domine, alleluia, alleluia, alleluia:* in cuius locum quadrageſimæ tempore & in Miſſis, quæ pro defunctis celebrantur, ſubſtituitur iſta: *Repletum eſt gaudio os noſtrum & lingua noſtra exultatione:* quæ quidem verba præſeferunt quandam gratiarum actionem ob ſuſceptum dominicum corpus.“

c) „ Et cum hæc ſæpe clamaverint (nimirum: *Sit nomen Domini benedictum*, & quæ ſequuntur) pſalmum poſtea legunt plenum glorificatione & gratiarum actione. Quis eſt autem pſalmus? *Benedicam Dominum in omni tempore.* Pane autem diſtributo, & pſalmo peracto precatur ſacerdos populo ultimam precationem.“ Et antea: c. 39. „ *Benedictus qui venit in nomine Domini* cum aliis. (Et poſtea: c. 41.) Propterea in DEI gratiarum actionem & glorificationem & ipſe ſacerdos definit, & qui eum circumſtant fideles. Et ille quidem *Benedictus DEUS*, inquit, *nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum.* Populus autem canit prooemium cantici acceptum ex dictis propheticis: *Impleatur os noſtrum laude Domine, ut celebremus gloriam tuam.* Non ſumus (inquit) ſufficientes Domine, ne hymnum quidem & laudem tibi offerre &c.“

„ in ſacrarium referenda ſunt veneranda flabella, diſci, calices, aliaque ſa-
„ cra vaſa, poſtquam e menſulis & diſtributionis reliquiæ, & omnia in ſacram
„ menſam ſunt repoſita, atque ultimus Communionis verſus cantatus fuit.“ Dicitur autem hoc troparium, ſeu modulus: *Impleatur os noſtrum laude, Domine, ut celebremus gloriam tuam, quia nos participes facere ſanctorum tuorum myſteriorum dignatus es. Serva nos in tua ſanctificatione toto die meditantes iuſtitiam tuam. Alleluia.* In Miſſa etiam præſanctificatorum quadrageſimali, canitur apud *Græcos* γεύσασθε, καὶ ἴδετε, ὅτι χρίστος ὁ κύριος. ἀλληλούια. *Guſtate &c.* Alias vero frequentatur Communio in liturgia ſancti Chrysostomi: Αἰνεῖτε τὸν κύριον ἐκ τῶν οὐρανῶν ἀλληλούια· *Laudate Dominum de cœlis. Alleluia*; prolixis modulis.

Populi dimiſſio ſolemnis. c. 53. XXXIV. Sequitur dimiſſio populi, ſeu apolyſis apud *Græcos. Hic autem*, inquit *Nic.* Cabasilas, *univerſum completur ſacrificium, & divinæ Euchariſtiæ myſterium finem accipit* poſt ultimam ſaltem orationem, ſeu gratiarum actionem (pariter ac apud nos ante *proceſſionem*) dicente diacono: *In pace procedamus:* reſpondet chorus: *In nomine Domini.* Talis etiam
T. II. p. 306. ritu *Ambroſiano* habetur populi dimiſſio apud Pamelium. Apud *Græcos* ſacerdos benedicit populum, & diſtributis eulogiis facit apolyſin, cuius varias formulas pro varietate feſtivitatum exhibet euchologium p. 922. Communis eſt hæc: *Gloria tibi Chriſte Deus noſter, ſpes noſtra, gloria tibi.* Se-
n. 21. cundum ordinem *Romanum* vetuſtiſſimum apud Muratorium & Mabillonium ſic habetur: „Finita vero oratione, cui præceperit archidiaconus de
„ diaconibus, aſpicit ad pontificem, ut ei annuat, & dicit ad populum:
„ *Ite miſſa eſt.* Reſpondent *Deo gratias.* Tunc ſeptem cereoſtata præce-
„ dunt pontificem, & ſubdiaconus regionarius cum thuribulo ad ſecreta-
„ rium. Deſcendente autem illo in presbyterium, epiſcopi primum dicant
„ *Iube Domne benedicere.* Reſp. *Benedicat nos Dominus.* Reſp. *Amen.* Poſt
p. 60. epiſcopos presbyteri &c.“ Idem habetur in ordine III. apud Mabillonium. Unde patet, benedictionem datam fuiſſe primum in regreſſu ad ſecretarium,
p. 134. ſeu ad palatium iuxta ordinem *Rom.* Benedicti canonici longe recentiorem:
„ Finita Miſſa acolythus debet tollere papyrum, & intingere in oleo candelæ,
„ & diligenter extergere, & portare ad palatium ante pontificem dicens,
„ *Iube Domne benedicere.* Pontifex benedicit. Ille vero dicit: *Hodie fuit*
„ *ſtatio ad ſanctam* Sabinam, *quæ ſalutat te.*“ In antiquiſſimo ordine *Romano* monaſticis congregationibus accommodato, nulla benedictionis fit men-
T. V. Anecd. Martenii p. 105. *&c.* tio: „Dicat diaconus *Ite miſſa eſt.* Reſpondentibus omnibus: *Deo gratias:*
„ & completum eſt. Poſt hæc revertitur ſacerdos ad ſacrarium &c.“ In an-
T. I. in fol. p. 691. tiquioribus conſuetudinibus *Cluniacenſibus* apud Dacherium armario præci-

cipitur: „ Sacerdoti quoque intimat, quo tono incipiat *Gloria in excelſis* „ *Deo*, & ſi opus fuerit diacono *Ite miſſa eſt.* “ Forte hic ad diſcrimen attendit officii, quando *Ite miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino* cantandum ſit; quod hoc ſaltem vergente tempore pro ſolemnitatis ratione fuit factum a). Triplicem, ut hodieque fit, finiendæ Miſſæ modum DURANDUS [a] deſignat: „Primo per *Ite miſſa eſt*; & hoc in ſolemnitatibus, quoties can- *L. IV. c.56.* „ tatur *Te Deum laudamus*, & *Gloria in excelſis Deo &c.* ſecundo modo „ terminatur per *Benedicamus Domino*; videlicet in profeſtis diebus, & ge- „ neraliter, quando præmiſſa cantica lætitiæ non dicuntur &c. Tertio fi- „ nitur Miſſa per *Requieſcant in pace*, & tunc reſpondetur *amen*, id eſt, „ fiat. Optatur enim requies.“ In Miſſa *Mozarabica* alia ſolemnitatum habetur ratio loco horum verborum *Ite miſſa eſt*, quæ proferuntur in officio *Romano*, dicitur enim, quando duplicia feſta ſolemniora contingunt: *Solemnia completa ſunt in nomine Domini noſtri IESU Chriſti votum noſtrum ſit acceptum cum pace.* In feſtis autem minus ſolemnibus dicitur: *Miſſa acta eſt in nomine Domini noſtri IESU Chriſti, proficiamus cum pace*, reſpondeaturque *Deo gratias.* Uſitati etiam fuerunt medio ævo varii tropi pro feſtorum varietate, prout ſingulariter in cod. *San-Gallenſi* reperi: „ In de- „ dicatione & in aliis ſummis feſtis ſuper *Ite miſſa eſt.* In nativ. Dñi, & in „ Paſcha. In Pentecoſte. In maioribus feſtis. In minoribus ſolemnitati- „ bus, item aliter: *Ite* pax vobis vitæ *miſſa eſt. Deo*, qui eſt Alpha & O- „ mega, *gratias.*“ In MS. *San-Emeran.* ſæc. X.

Ite

Sit rex cœleſtis veſtris propitius armis. Amen.

℣. *Omnibus atque horis vos muniat ex inimicis. Amen.*

℣. *Salvos vosque regat ſua quouſque potentia regnat. Amen.*

Ite *Deo*

Nunc illi dignas ſimul omnes pangite laudes. miſſa eſt.

Deo ſalus ſemper laus & gloria cuncta per ſæcula. Amen.

CA-

a) „ Ultimam (inquit RUPERTUS *Tuitienſis* De div. offic. lib. II.) particulam diaconus adiicit, id eſt, *Benedicamus Domino*, & hoc dicto populum excitat ad agendas DEO gratias pro acceptis beneficiis. . . . Si autem ſolemnitas aliqua ſit, in illud tempus reſpiciens, quo noſtræ ſalutis miſſio celebrata eſt, & diaconus dalmatica indutus perfectionem deſignat futuræ beatitudinis, tunc dicit: *Ite miſſa eſt.* Hæc enim populi ſolemnis dimiſſio eſt reverenda modulantis enuntiatione nitens rei dignitatem exprimere, & quaſi extrema manu abeuntis populi cordibus memoriam eius ſtabilire. “

CAPUT V.

Cantus & Muſica ſacra medio ævo in adminiſtratione Sacramentorum, ritusque varius, præſertim in horis canonicis decantandis.

I.

Cantus in adminiſtratione Sacramentorum in Occidente.

Iis abſolutis, quæ ad ſacratiorem liturgiæ partem ſpectant, quatenus cantus modulationem admittit, nunc ad alia pergimus eiuscemodi cultus divini officia. Exordium de ſolemni adminiſtratione Sacramentorum facimus, imprimis quæ in ipſa ſolemni liturgia miſſæ fiunt ſacræ ordinationes. De his Ordo *Rom.* IX. de gradibus eccleſiæ *Romanæ* apud MABILLONIUM ſic incipit: „Primum in qualicunque ſchola reperti fuerint „ pueri bene pſallentes, tolluntur inde, & nu„ triuntur in ſchola cantorum, & poſtea fiunt „ cubicularii. Inde vero aſſumti, quando & ubi libitum fuerit uſque ad „ ſubdiaconatus officium ordinantur. Diaconi vero, atque presbyteri nun„ quam niſi in publica ordinatione, Sabbato nempe IV. Temp. quando „ egreditur pontifex ad *S. Petrum*, & univerſæ regiones cum eo letaniam „ canendo &c. " Sequitur ritus conſecrationis epiſc. „ Schola cantorum in„ cipit Introitum; poſtea dicit pontifex *Gloria in excelſis Deo.* Sequitur oratio, „ & exeuntes ab altare unus presbyter & alter diaconus induunt eum veſtimen„ ta pontificalia... clero interim canente reſponſorium *Immola Deo.* Tractum „ *Qui ſeminat*, evangelium *Miſit illos binos &c.* Poſt lectum brevem electionis „ reſpondetur ab ſchola *Chriſte audi nos:* & canunt letaniam. Et tunc acce„ dit propius ad altare ſubnixo capite. Pontifex vero ponet manum ſuper „ caput eius, & dicit unam orationem in modum Collectæ, alteram eo mo„ dulamine, quo ſolet Conteſtata cantari." Sequitur conſecratio pontificis *Rom.* quæ orditur „ ſchola canente Introitum: *Elegit te Dominus.* Poſt *Glo„ ria in excelſis.*" Data pace „ ſchola cantorum canit ei laudem, & patroni „ regionum ſimiliter." Nimirum ut poſtea ter in hunc modum cani præſcribitur: „Domnus LEO papa, quem ſanctus PETRUS elegit, in ſua ſede „ multis annis ſedere. " Quem vero locum forſan intelligendum adnotat

MABIL-

Mabillonius de Leone III. cuius tempore ſcriptus eſt ille liber. De ſacris ordinationibus alia vide apud Morinum, & Martenium, ſicut & de aliorum Sacramentorum ſolemnibus ritibus cum frequenti cantu. Ne quidem cantus deſiderabatur in ipſa reconciliatione pœnitentium, ac extrema etiam unctione hoc medio ævo ſolemniter imprimis a ſeptem, ubi fieri potuit, ſacerdotibus adminiſtrari ſolita *cum antiphona & orationibus*, ut legitur in ſacramentario S. Eligii, aliisque ordinibus a Menardo, & Martenio editis, antiphonis cum pſalmis frequenter notatis, quod in ſua inſtitutione cantum indicat. Patet hoc ex antiquis MSS. huiuscemodi liturgicis, appoſitis haud raro notis muſicis. Apud Morinum in appendice de pœnitentia videre eſt tum ſolemnes Miſſas, cum officium canonicum in reconciliatione pœnitentium cum variis etiam antiphonis, præſertim ex cod. *Toloſano* p. 60. e. g. „ Antiph. *Domine ſi iratus fueris &c.* Hac finita totidem „ cantores retro altare cantant quaſi voce redemptoris illis reſpondentes hanc „ antiphonam. Antiph. *Sicut paſtor portat ovem perditam &c.* Et poſt hæc cla- „ mat diaconus: *Redite reconciliandi ad ſinum matris veſtræ &c.* Et poſt hæc „ ingrediuntur eccleſiam, & proſtrati in terram orant diutius, cantantibus „ choris excelſe offerendam: *Laudate Dominum, quia benignus eſt*, cum „ verſibus ſuis. Quibus expletis incipit chorus pro ipſis hoc officium: *Deus* „ *in adiutorium meum intende*, cum *Gloria*, & *Laus tibi Domine.* Anti- „ phona in Invitatorio, *Adoremus Dominum &c.* " Quoad conſecrationem fontis baptiſmalis, eo pertinent ſolemnes litaniæ ſeptenæ, quinæ &c. de quibus paulo poſt. Paſſim in ſacramentario *Gregoriano* legitur hæc rubrica: „ Conſecratio fontis canitur ſicut præfatio uſque *Et Spiritus S.* Et non „ incipit a *Vere dignum.* Deinde dicitur decantando: *Deus qui inviſibili.*" Reperi etiam cum notis muſicis exorciſmos ante baptiſmum, ac ſymbolum, quod paſſim decantandum præſcribitur. Illud etiam græce & latine cum notis muſicis inveni. Benedictionem illam nuptiarum ante Communionem in Miſſa fieri ſolitam *Qui poteſtate virtutis tuæ &c.* cum notis muſicis eo modulamine, quo ſolet præfatio cantari, adhuc invenire eſt in Sacerdotali *Romano Venetiis* 1585. impreſſo.

II. *Græcos* quod ſpectat, cantum illi non ſolum in liturgia ſacra ſacrificii Miſſæ, verum etiam in aliis officii publici, cultusque divini partibus hoc medio ævo frequentarunt amplius etiam, quam ipſi *Latini*, e. g. in adminiſtratione Sacramentorum, ac quidem ſacrarum Ordinationum inter Miſſarum ſolemnia: factaque eſt Ordinatio epiſcopi „ Poſt *Triſagion* cum pſal- „ tæ de ambone deſcenderint. (Presbyteri) Poſtquam allata ſunt ſancta do- „ na, & in ſacra menſa repoſita, & completus eſt S. hymnus myſticus che- „ ru- (Et Oriente in variis ſacris publice & private.)

„ rubicus. (Diaconi) Poſtquam facta eſt ſancta oblatio, & portæ apertæ „ ſunt, antequam dicat diaconus: *Omnium Sanctorum &c.*“ ut apud Morinum videre eſt in variis ordinibus, atque Simeonis archiepiſcopi *Theſſalon.* lib. de Sacramento Ordinis apud eundem P. II. de Sacr. Ordinat. In Bibl. *T. IV. Bibl. PP. Pariſ. p. 74. &c.* PP. extat ſolemnis ordo baptiſmi cum frequenti cantu, ſub nomine Severi patriarchæ, ipſius etiam extremæ unctionis, ſive in eccleſia, ſive domi adminiſtraretur: ut habet titulus Euchologii: *Officium de ſancto oleo, quod canitur a ſacerdotibus ſeptem in eccleſia vel domo quod euchælæum dicitur. Officium de ſancto oleo, quod pro dormientibus ſive defunctis canitur a ſeptem ſacerdotibus: Item in ſacris Ordinationibus.* Perpetuo etiam pſalmorum, tropariorum, odarumque, ſeu ſacrorum hymnorum cantu eorum divini officii acoluthia multo magis eſt variegata, quam apud nos, ut ex eorum Typico, Hirmologio, & aliis eiusmodi libris ad hunc cenſum pertinentibus, de quibus poſtea dicemus, elucefcit; etſi ex Typici hiſtoria, quam Simeon *Theſſalonicenſis* dialogo contra hæreſes proſecutus eſt, conſtet, quandoque in monaſteriis ſine cantu abſolvi. Cuius verba apponimus, ex quibus huius rei cauſa ſimul colligi poteſt a). Licet enim omnia in *Græcorum* officio ad cantum diſpoſita ſint ſecundum ἤχους, ſeu tonos & troparia, quibus eorum divini officii acoluthia componitur; ſed in tanta melodorum copia, qui plura ſemper addiderunt, officium mirum in modum auctum eſt, ut cantui tempus non ſuppetat: ut de typico colligitur ex laudato Simeone *Theſſalonicenſi*, & de Triodio, quod eodem ſpectat, laudatus imprimis *Diſſ. II. p. 113.* aſſerit Allatius b). Et quemadmodum iam olim, ut ſuperius diximus, a

prima

a) „ Illi (inquit apud Allatium Diſſ. I. de lib. eccleſ. *Græcorum* p. 8.) & canones ſubiunximus, ne quis circa bona murmurator, & ordinis ignarus, quinimo piger ac ſegnis nonnullis adinventis prætextibus illius deſtructionem machinetur, non ſolitos inquiens, & qui ab omnibus canuntur canones audiri. Nunc enim & hi additi ſunt. At his, qui attentius animum applicant, alacrioresque ſunt, ordinatior & ſuavior eo, qui in monaſteriis & aliis fere omnibus eccleſiis fit, qui ex *Hieroſolymitano* typico monaſterii ſancti Sabæ ordo præſcribitur, accedit quod ſcilicet ab uno eoque ſolo perfici poteſt. Quando & a monachis diſpoſitum eſt, & abſque cantu ſæpiſſime in monaſteriis abſolvatur. “

b) „ Illud (inquit) animadvertendum eſt, libri huius plures & varios fuiſſe auctores, qui pro tempore alia atque alia addendo, librum neque parvum per ſe, neque exiguum, maiorem etiam uſque ad faſtidium fecere adeo, ut, ſi modus non adhibeatur, & temeritas addentium non tantum in iſto libro, ſed in aliis etiam comprimatur, erit cum nox & dies pro illis ſolum recitandis, tantum abeſt ut cani poſſint, quæ vix modo ſufficiunt, ſatis non erunt. Quare ſacerdotes, qui noſtro hoc ævo lectione tam prolixa defatigati, ſæpe ſæpius ab officiis recitandis abſtinent, vel pro libito omittentes, quaſi per ſaltus, quæ ſibi videntur, tantum recitant, plauſibiliori nomine impotentiam cauſati penitus omittent omnia. Eoque præcipue, quod apud eos ad hunc diem non convenit, quæ quisque quolibet die recitare teneatur. Auctores libri quo propius aberant a Chriſto, & divina progenie, melius, quæ erant veritatis, cernentes, optime & ſine ulla offenſione divinas ſanctorum laudes & fidei dogmata decantarunt: ſequiores affectibus propriis diſtracti, ſæpe etiam odio in *Romanam* eccleſiam, multa, quæ a veritate aberrant, intruſerunt. “

prima eccleſiæ ætate uſuvenit, ut ſacris cantilenis, tum publice in eccleſia, cum privatim decantandis, errores, perverſo etiam propagandi conatu, inſererentur, id hoc & ſequentibus temporibus apud *Græcos* maxime accidit, apud quos magnum canendi, canticaque componendi fuit ſtudium tum ad publicum eccleſiæ, cum etiam privatum ac domeſticum uſum, uti vel probare poſſent *Conſtantini* Moschiani & Girasini monachi poemata diverſa eccleſiaſtica cum notis muſicis: ſtichologia, & cantica, & pſalmodiæ variæ eccleſiaſticæ variorum cum tropariis, hymnis exapoſtilariis &c. Agathonis, Anthemii monachi, & Argyropuli poemata eccleſiaſtica cum notis muſicis recentioribus *Græcorum*: cuiusmodi volumen eſt in bibliotheca *Ieſuitarum Lovanii* charactere recentiori, quod citat Fabricius. Alia, quæ ad rem maxime ſunt, ſuppeditabunt argumenta, quæ poſtea de *Græcorum* melodis perſtringemus. *T. III. Bibl. Græc. p.* 269.

III. In Occidentem redeuntibus ordiendum eſt ab officio *Ambroſiano*, origine ſua ad orientalem expreſſo, quando, teſte S. Augustino, hymni & pſalmi, ut canerentur ſecundum morem orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum, & ex illo in hodiernum diem eſt retentum, ſemperque obtinuit deinceps peculiaris ordo non ſolum Miſſæ, ſed etiam reliquorum officiorum, poſtquam magis ab ipſa liturgia Miſſæ dividi, & per ſingulas horas canonicas ordinari cœpit, ad quas hymni & pſalmi potiſſimum pertinuerunt, prout a S. Ambrosio ſecundum morem Orientalium partim alternus cantus eſt inſtitutus, hymnique imprimis, compoſiti in officio diurno nocturnoque, deinceps in omni eccleſia occidentali ſunt conſecrati, ut tamen peculiaris etiam ordo *Ambroſianus Mediolani* manſerit. „Ambrosius *Mediolanenſis* epiſcopus (inquit *Walafridus* Strabo) „ tam Miſſæ, quam cæterorum diſpoſitionem officiorum ſuæ eccleſiæ, & „ aliis Liguribus ordinavit, quæ & uſque hodie in *Mediolanenſi* tenentur ec-„ cleſia.“ Atque hoc omne Paulus & Gebehardus, religioſi viri, ſanctæ eccleſiæ *Ratisbonenſis*, miſſis ad presbyterum Martinum theſaurorum ſancti Ambrosii cuſtodem epiſtolis, flagitarunt, quas edidit Mabillonius: „ Ut ordo Ambrosii dulciſſimi, Sancti Spiritus organi, quem diſcipulus e-„ ius doctor eximius Augustinus traduxit in *Africam*, nobis transferatur in „ *Germaniam*, ad excitandam & dilatandam boni odoris fragrantiam “ ut epiſtola ſecunda ſcribunt. Et cum tertia epiſtola poſtulaſſent ſacramentarium, ſeu librum miſſalium orationum, ac fines ſaltem & principia lectionum evangelicarum apoſtolicarum, & propheticarum, antiphonarium item cum notulis, epiſtola quarta petunt „ duplicem (ut aiunt) *Ambroſianæ* au-„ ctoritatis antiphonarium, diurnum videlicet ac nocturnum . . . exceptis

Ritus Ambroſianus eccleſiæ Mediolanenſis pro horis canonicis.

S. Aug. L. IX. Confeſſ. c. 7.

De rebus eccl. c. 22.

T. I. Ital. P. II. p. 95. *& ſeqq.*

pag. 96.

p. 97.

p. 98.

„ orationibus, quas iam miſiſti, & hymnis, quorum non minor copia nobis eſt, „ quam tibi.“ Notum eſt, quanta ſub nomine S. Ambrosii uſque hodie pervaſerint copia hymnorum, maximam partem tanto doctore indignorum: quod tamen minus ſtudioſæ ſuppoſitioni, quam communi nomini, a S. Benedicto iam uſurpato, adſcribendum videtur: ut adeo promiſcue hymni *Ambroſiani* dicerentur, qui in omnibus officii divini partibus magis, quam in ipſa eccleſia *Mediolanenſi* adhibebantur; ſaltem non minorem copiam *Ratisbonenſes* ſe fatentur habuiſſe, ſæculo nimirum undecimo ineunte, ſub Conrado *Salico*, quo refert Mabillonius illas epiſtolas. De pſalmis nihil occurrit in iſtis epiſtolis, ſeu pſalterio, cuius etiam ſingularem diſtributionem S. Ambrosio tribuit Radulphus *Tungrenſis* a). In ea perſuaſione, uti plerique tunc temporis, erat Radulphus *Tungrenſis*, S. Hieronymum ordinem pſalmodiæ *Romanæ* nocturnis diurnisque horis ordinaſſe, quod æque incertum, quam quod S. Ambrosius digurias illas digeſſerit pro nocturno officio, qui hymnos & pſalmos quidem, ut canerentur nocturnis vigiliis, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtituit. Quoniam vero illi dies, quibus deinceps *Mediolanenſis* eccleſia loco pſalmorum quibusdam canticis eſt uſa, Sabbato nimirum & Dominica, olim in ea eccleſia pariter ac in *græca* fuerunt feſtivi, crediderim, ſi vigiliæ nocturnæ cum populi concurſu fuerunt celebratæ, easdem non per Sabbata & Dominicas, ſed ſtatis diebus ſolemnioribus fuiſſe tranſactas, forte ſolummodo tribus illis aut quatuor feſtis Domini, quibus ordinariæ illæ diguriæ pſalmorum, teſte Radulpho non decurrerunt, ſicut in aliis feſtis quibuscunque: quæ etiam maiores duæ priores diguriæ unacum hymnis vix durarunt vigilias, more etiam canendi antiphono veteribus uſitato, ut poſt ſingulos verſiculos antiphona repeteretur, qui medio ævo obtinuit, habuitque officium tam nocturnum, quam diurnum antiphonarium (quamvis Radulphus ad horas diurnas dicat non habere antiphonas officium *Ambroſianum*) ut ex laudata epiſtola IV. *Ratisbonenſium* conſtat, *cum notulis*, quas rariores eſſe oportuit in pſalmis, qui, ut

a) „ Sciendum (inquit De canon. obſerv. prop. 10.) quod pſalterium duas habet partes, primam uſque: *Dixit Dominus*, pro officio nocturnali: ſecundam ab inde pro officio diei. Primam partem Ambrosius diviſit in decem nocturnos, nullo pſalmo prætermiſſo, quos vulgus ſui loci digurias appellat. In prima diguria ſunt ſedecim pſalmi, in ſecunda quatuordecim, in ſeptem ſequentibus decem & decem: in ultima octo pſalmi conſiſtunt. Iſtæ decem diguriæ in officio *Ambroſiano* frequentantur per totum annum de quindena ad quindenam: ſcilicet una hebdomada, feria ſecunda, tertia, quarta, quinta & ſexta quinque primæ: & altera hebdomada eisdem feriis aliæ quinque. Sabbato autem & dominica *Ambroſianum* habet certa cantica. Et dictæ diguriæ dicuntur etiam in feſtis quibuscumque, exceptis tribus vel quatuor feſtis Domini, & excepta hebdomada ante nativitatem Domini, & ante paſcha, & poſt paſcha. Secundam vero partem pſalterii pro horis diurnis prima, tertia, ſexta, nona, veſperis, & completorio *Ambroſianum* habet diviſam, ſicut habetur in officio *Romano*. Unde credendum eſt, quod Hieronymus in illa parte Ambrosium ſit ſecutus. “

ut iam ſuperius oſtendi, in medio verſiculorum in omni tono *plane* pſallebantur, in fine tantum per tonos variegati modico flexu.

IV. *Mozarabicus* ritus in reliquis etiam divini officii canonici partibus, ut in Miſſa, ſingularis eſt, breviarium ad horas canonicas, ſicuti miſſale proprium habens. Decretum fuit in Conc. *Tolet.* X. „Ut nullus cuiuscunque dignitatis eccleſiaſticæ deinceps percipiat gradum, qui non totum pſalterium, vel canticorum uſualium & hymnorum, ſeu baptizandi perfecte „ noverit ſupplementum.“ Diximus aliqua c. 1. huius libri de mutatione facta ſub ALPHONSO VI. rege. Totius vero divini officii ordo, quæcumque tunc tulerit fata, ſi ROBLESIO fides, firmatus fuit ab ipſo GREGORIO VII. ſicut prius a IOANNE VIII. circa an. 872. & poſtea ab ALEXANDRO II. an. 1097. quandoquidem miſſus ab eo fuit ad *Hiſpanos* eadem de cauſa Cardinalis HUGO *Candidus*, ut refert *Ambroſius* MORALES, qui id hauſiſſe dicitur, & transtuliſſe e libro quodam Conciliorum regii monaſterii D. LAURENTII *Eſcurialis*; ut laudatus narrat ROBLESIUS, notatque inter alia, quibus ab officio *latino* diſcrepat *Mozarabicum*, ſeu *Iſidorianum*, vel *Gothicum*, ut vocat, quorum uſus generalis eſt in omnibus tum maioribus, tum minoribus horis, ſicuti ſunt initia, in quibus ſemper habetur, *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon. Pater noſter*, & *Ave Maria* ſecreto. Et protinus: *In nomine Domini noſtri IESU Chriſti lumen cum pace:* reſpondetur autem *Deo gratias:* quod quidem convenit cum eo, quod dicitur, *Deus in adiutorium meum intende* in *latino* vel *Gregoriano* officio. In fine vero precum ſemper apponitur: *In nomine Domini noſtri IESU Chriſti perficiamus in pace.* Reſponſum autem eſt: *Deo gratias:* quod congruit cum his *latini* officii verbis *Benedicamus Domino.* Illic etiam dicitur: *Per omnia ſæcula ſæculorum*: Et *Dominus ſit ſemper vobiſcum*: Et *Gloria & honor Patri & Filio*: ubicunque in *Romano* officio ſeſe fert occaſio dicendi *Gloria Patri & Filio &c.* Hac de re duo ſunt Concilii *Toletani* IV. canones, prior: „In fine pſalmorum non ſicut a quibusdam huc„ uſque *Gloria Patri*, ſed *Gloria & honor Patri* dicatur, DAVID propheta „ dicente: *Afferte Domino gloriam & honorem*: & IOANNES Evangeliſta: „ *audivi vocem cœleſtis exercitus dicentem: Honor & gloria DEO noſtro ſedenti in throno*: ac per hoc hæc duo ſic oportet in terris dici, ſicut „ in cœlis reſonant. Univerſis igitur eccleſiaſticis hanc obſervantiam damus, quam quisquis præterierit, communionis iacturam habebit. (Et „ alter) Sunt quidam, qui in fine reſponſoriorum *Gloria* non dicunt: „ propter quod interdum inconvenienter conſonat. Sed hæc eſt diſcretio, „ ut in lætis ſequatur *Gloria*, in triſtioribus repetatur principium.“ Servatur

Mozarabicus in Hiſpania.

Vita Ximenii Card. c. 27.

c. 24.

C. 15. & 16.

vatur idem hoc in reſponſoriis ordinis *Romani* poſt lectiones. Miſcentur etiam præter hymnos, laudes, ſoni, & antiphonæ in hoc officio. Laudes vero cum orationibus reperiuntur tantum in precibus veſpertinis, matutinis, & laudibus. Horis abſolutis adiicitur *Pater noſter* alta voce, ſingulisque poſtulatis additur *amen*, niſi cum profertur hæc petitio: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: reſpondetur enim huic: *Quia DEUS es*: & ultimæ, qua dicitur, *ſed libera nos a malo*, mox eodem tenore ſequitur: *liberati a malo*, in veſpertinis precibus, & laudibus ac in Miſſa: in cæteris autem precibus eius loco dicitur: *A malo nos libera*, *& in tuo timore*, *& opere bono nos confirma.* His peractis, qui ſacrum peragit, vel diaconus, iubet iis, qui adſunt, ut humilitatem exhibeant, his verbis: *Humiliate vos benedictioni. Dominus ſit ſemper vobiſcum*; confeſtim vero ſacerdos benedictionem impertit, atque pronuntiat tres petitiones continenter, quarum cuilibet reſpondetur *Amen.* Eo modo etiam preces omnes abſolvuntur exceptis matutinis, quæ uno ſpiritu cum laudibus dicuntur, imo commiſcentur, & pro una eademque re cenſentur. Diſcernitur vero *aurora* precum ſpecies, qua ſuperatur officium *Romanum Mozarabico*: illæ autem preces dicuntur ante primam iuxta laudatum Roblesium, & in aliis etiam feriis: adeoque paucæ ſunt, cum ſinguli dies ſanctis quibusdam addicantur, ut, excepta vigilia nativitatis dominicæ, & regum, dieque cinerum, raro per annum iis *Mozarabes* utantur. Hæ vero preces habent cum antiphona quatuor pſalmos, laudem unam, hymnum unum, verſumque unum, finiuntur autem cum oratione dominica abſque capitulo, & cum precibus quibusdam. Diſtribuuntur officia in dominicas, & in ferias, & feſta: horum autem poſtremorum quædam nomen ſuſcipiunt ſolemnitatis ſex trabearum vel pluvialium: eaque ſunt quaſi duplicia: alia vocantur quatuor pluvialium, ſuntque velut ſemiduplicia: alia duorum pluvialium novem lectionum, ſuntque quaſi ſimplicia. Hæc fere laudatus Roblesius in vita Ximenii Cardinalis, qui antiquatum hoc officium revocavit in eccleſia *Toletana.* Quare etſi non pauca recentioris videantur ætatis, hic tamen recenſenda eſſe duxi, utpote cum antiquiore ritu commixta.

Curſus Gallicanus.

V. Libro I. variorum Conciliorum retulimus canones, quibus una eademque ratio divini officii decernitur ſervanda, prout in *Metropolitana* eccleſia celebratur. Quam in rem nunc rememoranda eſt *Toletani* IV. conſtitutio Concilii, in quo & reliqua recapitulantur mox canone ſecundo poſt expoſitam fidem catholicam: „Placuit, ut omnes ſacerdotes, qui catholicæ fidei unitate complectimur, nihil ultra diverſum, aut diſſonum

„ in

„ in eccleſiaſticis Sacramentis agamus.... Unus ergo ordo orandi atque „ pſallendi a nobis per omnem *Hiſpaniam* & *Galliam* conſervetur: unus „ modus in Miſſarum ſolemnitatibus, unus in veſpertinis, matutinisque offi- a „ ciis: nec diverſa ſit ultra in nobis eccleſiaſtica conſuetudo, quia una fide „ continemur & regno. Hoc enim & antiqui canones decreverunt, ut una- „ quæque provincia & pſallendi & miniſtrandi parem conſuetudinem ha- „ beat.“ Decretum hoc conditum eſt non ſolum pro *Hiſpaniis*, ſed etiam pro *Gallia Narbonenſi*, quæ tunc *Viſigothorum* regno continebatur, ut iam obſervatum eſt a MABILLONIO diſquiſitione de curſu *Gallicano* §. V. non ſolum in unaquaque provincia, ſed etiam in tota *Gallia* communem quemdam ritum viguiſſe, ſi non in omnibus, ſaltem in plerisque uniformem, qui communi appellatione curſus *Gallicanus* eſt dictus, ut in actis S. WALARICI abbatis: „Curſum vero tam monaſterialem, quam & *Galli-* „ *canum* magno ſtudio indeſinenter obſervabat.“ Idem de S. SERENICO *Sæc. I. act. O. S. B.* apud eundem legitur, nempe „quod abſque peculiari ſupplicatione *Roma-* „ *num* ſeu *Gallicanum*, nec non & ſanctorum BENEDICTI & COLUMBANI „ curſum horis ſingulis Domino decantabat.“ Qua ratione commutatus ſit cum ordine, cantuque *Romano* ſub PIPINO primum, cui PAULUS P. *antiphonale* & *reſponſale* ex urbe direxit; ac eius filio CAROLO M. qui cantum *Romanum per nocturnale ac gradale officium* obſervandum præſcripſit, ut tamen deinceps pſalterium *Gallicanum* omnes fere eccleſias occidentis uſque ad hodiernum diem occuparit in pſallendo, iam capite primo huius libri expoſuimus, quædam paulo poſt memoraturi, quas etiam, ſuſcepto iam ordine *Romano*, tulerit mutationes. Aliqua ſubinde ex curſu *Gallicano* ſaltem monaſteriali notabimus ſuis locis: de altero enim ipſe diligentiſſimus MABILLONIUS fatetur, pauca ſe a fine ſæc. V. uſque ad ſæculum nonum inveniſſe, nempe a tempore GUNDOBALDI, *Burgundiæ* regis.

VI. Officia divina in eccleſia *Romana* quotidiana fuiſſe a prima uſque *Romanus divini officii ordo.* ætate, colligimus ex regula S. BENEDICTI, qui in privatis ſeu feriatis diebus ad matutinos, id eſt, ad laudes, aſſignat canticum unumquodque die ſuo ex prophetis, *ſicut pſallit eccleſia Romana*. At, ut ſuo loco vidimus, pauca nobis de ea ætate conſtant, nihilque aſſeri poteſt cum aliquo fundamento, quod de S. HIERONYMO iam notavimus, dicitque poſt alios *Polydorus* VIRGILIUS, eum rogatu DAMASI digeſſiſſe pſalterium, quod vo- *L. VI. de invent. rerum. c. 2.* cant, id eſt, *pſalmorum librum in ſeptem partes, ut quilibet dies certum pſalmorum numerum haberet, qui caneretur: quod ita diſtinctum nunc ex ipſius* DAMASI *decreto in omnibus templis legitur*. Hæc ille, quo ex fonte

erroris,

erroris, indicavimus ſuo loco; at non ita omni caret probabilitate, quod prius dixerat: „Poſtea, quod ſatis conſtat, Pelagius ſecundus decre- „vit, ut ipſæ ſeptem canonicæ horæ quotidie a ſacerdotibus recitarentur.“ Forte uſus eſt Pelagius opera S. Gregorii, qui Pelagii ſucceſſor librum reſponſalem æque, ac ſacramentarium digeſſiſſe fertur: quod inter alios aperte dicit *Walafridus* Strabo. „Ordinem autem (inquit) cantilenæ diur- „nis & nocturnis horis dicendæ B. Gregorius plenaria creditur ordina- „tione diſtribuiſſe, ſicut & ſupra de Sacramentorum diximus libro: cum „multi ante, ſive poſt eum orationes, antiphonas, vel reſponſoria com- „poſuerint.“ Citatque ibi pontifices præter Hormisdam, Leonem II. Benedictum, & Sergium. „Qui (ait) pſalmodia & cantilenæ ſcientia „floruiſſe dicuntur. De Gregorio autem III. velut inauditum quiddam „& novum refertur, quod omnes pſalmos memoriter tenuerit: ubi in- „telligi datur, paucos priorum ita pſalterium didiciſſe. Solebant enim pſal- „mos æque ut cæteras ſcripturas partim etiam lectitando ſuis officiis inſe- „rere.“ Pertinet hoc ad peculiarem diſciplinam pſalmodiæ, quæ forte *Romæ* apud pleroſque clericos titulares obtinuit, dum adhuc, teſte Mabillonio primis novem eccleſiæ ſæculis rara in urbe, & forte nulla præterquam in baſilica *Vaticana* clericorum collegia erant. In titulis, ut ſuperius oſtendit, unus aut duo tresve presbyteri cum pari fere numero ſacrorum miniſtrorum rem divinam agebant. In patriarchalibus adhibebantur manſionarii, ſeu cuſtodes eccleſiarum, ad eas ornandas, emundandas, atque præſtanda neceſſaria: cætera, quæ divini cultus erant, aliarum baſilicarum titulares, a pontifice deſignati, obire ſolebant. Baſilicæ Petri ſæculo nono miniſtri, id eſt clerici, iam addicti erant: quos Amalarius ſe interrogaſſe, dicit in præfatione altera ad libros de eccleſiaſticis officiis, quot orationes ſoliti eſſent celebrare ante epiſtolam Miſſæ per dies feſtos? Hæc Mabillonius, qui nos ad eundem remittit Amalarii antiphonarium, ut intelligatur, quodnam fuerit ante ſæculum nonum *Romanæ* eccleſiæ officium, nocturnum & diurnum. De eo vero, quod prius dixerat, etiam *Gallicanarum* eccleſiarum exempla in medium profert, ut ſtatis temporibus ad matricem, cathedralemque eccleſiam convenirent titulares, & forenſes presbyteri ad celebranda divina officia, uti *Romæ* ad indictas ſtationes a). Multa Mabillonius in citato commentar. in ord. *Rom.* congerit de

De reb. eccl. c. 25.

Comment. in ord. Rom. §. IV.

Antiphonar. p. XXX.

a) „Præterea certis diebus feſtis clerus *Romanus* conveniebat cum pontifice in illas baſilicas, ubi ſtationes indictæ erant, ibique ſacra faciebant, imo aliquando vigilias nocturnas pro feſtorum celebritate agebant. Quin etiam in pervigilio paſchæ eccleſiæ ſuburbanæ in illis conventibus ſe ſiſtebant: Cuius rei argumento eſt appendix noſtra ad primum libellum de ordine *Romano* pag. 34. & 35. In cæteris feſtis & dominicis diebus veſperas in ſuis titulis celebrabant presbyteri titulares cum acolytis regionum, ut in eadem appendice legitur de hebdo-

de officio divino, *Romæ* per monachos perſolvi hoc medio ævo ſolito e. g. de GREGORIO II. „Hic monaſteria, quæ ſecus baſilicam ſancti PAULI erant „ad ſolitudinem deducta, innovavit, atque ordinatis ſervis DEI monachis „congregationem poſt longum tempus conſtituit, ut ibidem die noctuque „DEO redderent laudes.“ Et GREGORIUM III. ANASTASIUS ait, in eccleſia S. CHRYSOGONI conſtituiſſe abbatem & monachorum congregationem, ad perſolvendas DEO laudes in eodem titulo diurnis atque nocturnis temporibus, ordinatam ſecundum inſtar officiorum eccleſiæ beati PETRI apoſtoli: additque prædictum abbatem cum ſua congregatione fuiſſe ſegregatum, ſeu exemptum a iure poteſtatis presbyteri prædicti tituli. Præiviſſe *Lateranenſi* baſilicæ exemplum eccleſiæ *Vaticanæ*, colligitur ex eiusdem auctoris verbis ſubſequentibus: ubi idem pontifex renovaſſe memoratur monaſterium Sanctorum IOANNIS *Evangeliſtæ*, IOANNIS *Baptiſtæ*, & PANCRATII ſecus eccleſiam *Salvatoris* antiquitus inſtitutum, quod ab omni ordine monachico exſtiterat nimia incuria deſtitutum: in quo congregationem monachorum & abbatem conſtituit ad perſolvenda quotidie ſacra officia laudis divinæ in baſilica *Salvatoris*, quæ *Conſtantiniana* nuncupatur, iuxta *Lateranum* diurnis, nocturnisque temporibus ordinata iuxta inſtar eccleſiæ PETRI apoſtoli. Probe notanda ſunt ANASTASII verba: *Inſtar officiorum eccleſiæ beati* PETRI *apoſtoli.* Quo forte pertinet *breviarium eccleſiaſtici ordinis*, a MARTENIO *T. V. Anecd.* ex MS. *Murbac.* 1000. circ. ann. ac deinceps ex *Vaticano*, parum recentiore, *p.* 103. a MURATORIO quoque editum. Nos idem ex perinde antiquis *San-Gallenſi*, & *San-Blaſiano*, ad alia iam monaſteria traductum, inter monumenta liturg. *Aleman.* vita comite edemus a). Nec prætereunda eſt hic *breviarii* nomenclatura, cuius aliam recentiorem originem RADULPHUS *Tungrenſis* facit, a breviato

mada paſchali p. 38. (Et paulo poſt) Quod diximus de more urbis, ut epiſcopi cardinales & presbyteri titulorum cunctis hebdomadis ad parochiales eccleſias venirent ad ſacra celebranda, non caruit exemplo in eccleſiis *Gallicanis.* Id enim in *Virdunenſi* uſuvenit ſæculo ſeptimo, uti ex PAULI epiſcopi actis diſcimus, qui ordinavit, ut forenſes presbyteri per certas vices ad cathedralem eccleſiam accederent, officia divina perſoluturi. Sed præclarum eſt inprimis exemplum eccleſiæ *Antiſiodorenſis*, in qua ex inſtitutione TETRICI antiſtitis, qui ineunte ſæculo octavo devixit, abbates, archipresbyteri, imo & rectores eccleſiarum ruralium per ſuas quique vices divinum perſolvebant officium, ea lege, ut ex dominico cellario ab eccleſiæ œconomo ſtipendium ſufficiens acciperent.“ Hæc ipſa verba refert ex actis eiusdem eccleſiæ epiſcoporum, in quibus, qua quique ſingulorum menſium hebdomada deſervire debeant, diſerte explicatur. Quæ pro menſe *Septembri* deſunt apud LABBÆUM, ſupplenda ſunt ex ſæculi quarti *Benedictini* parte II. p. 573.

a) „Qualiter in cœnobiis fideliter Domino ſervientes tam iuxta auctoritatem catholicæ atque apoſtolicæ *Romanæ* eccleſiæ, quam & iuxta diſpoſitionem regulæ Sancti BENEDICTI, Miſſarum ſolemniis vel natali Sanctorum, ſive officiis divinis anni circuli die noctuque, auxiliante Domino, debeant celebrare, ſicut in ſancta, ac *Romana* eccleſia a ſapientibus, ac venerabilibus Patribus traditum fuit. (In fine p. 110.) Explicit breviarium eccleſiæ ordinis *Rominſæ.*“

viato nempe officio canonico in *Lateranenſi* capella pontificia, quod fratres minores Ord. S. Francisci ceu *Romanum* adoptarint a).

Variis mutationibus & additionibus expoſitus.

VII. Extat Leidardi ad Carolum M. epiſtola, quam adducit Launoyus de ſchol. *Pariſ.* p. 38. c. 7. de ordine pſallendi in eccleſia *Lugdunenſi*, a ſe reſtaurato, *ut ſecundum ritum ſacri Palatini omni ex parte agi videatur, quidquid ad divinum perſolvendum officium ordo expoſcit.* Agobardus eius ſucceſſor *de correctione antiphonarii*, a ſe ſuſcepta, ita loquitur: „ Antiphonarium correximus, amputatis, quæ vel ſuperflua, vel levia, vel „ mendacia, aut blaſphema videbantur. Idem egit eius adverſarius Amalarius *Metenſis* diaconus *de ordine antiphonarii*, teſtaturque utriusque opus, ac *Walafridus* Strabo, ut iam notavit *Laz.* Bocquilot in tract. hiſtor. de liturgia ſacra lib. I. c. 10. Argumentum hoc eſt inſignis libri de canonum obſervantia, a Radulpho conſcripti, ut deſciſcentes ab antiquo ordine pſalmodiæ, ad tramitem revocet, *ut canonicam vitam profeſſi in canonicis officiis canones ſervent &c.* ut mox primam propoſitionem inſcribit, auſpicaturque opus dedicatum: *Religioſis Patribus Dominis Priori de Windesheim & ſuis comprioribus, fratribusque ordinis S.* Augustini *diœceſis Traiectenſis.* Præter alios etiam S. Norberti aſſeclas inceſſit, inſtitutum regularium eiusmodi canonicorum ſequentes b). Agit potiſſimum de

a) „ Quoad divinum (inquit De canon. obſerv. prop. XXII.) officium, hodie omnium credulitas & opinio divulgatur, quod nullæ eccleſiæ ſervent in illo ordinem ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ, niſi fratres minores, nec in aliquorum, niſi in ipſorum breviariis & libris contineatur, ex eo, quia beatus Franciscus in regula præcipit, ut clerici faciant divinum officium ſecundum dictum ordinem, ubi breviaria habere poſſunt. Huius autem rei *Romæ* contrariam didici veritatem. Nam olim, quando *Romani* pontifices apud *Lateranum* reſidebant, in eorum capella ſervabatur *Romanum* officium non ita complete, ſicut in aliis urbis eccleſiis collegiatis. Imo clerici capellares ſive de mandato papæ, ſive ex ſe, officium *Romanum* ſemper breviabant, & ſæpe alterabant, prout Domino papæ & cardinalibus congruebat obſervandum. Et huius officii ordinarium vidi *Romæ* a tempore Innocentii III. recollectum. Et iſtud officium breviatum ſecuti ſunt fratres minores. Inde eſt, quod breviaria eorum, & libros officii intitulant ſecundum conſuetudinem *Romanæ* curiæ, non autem curaverunt mores aliarum eccleſiarum urbis *Romæ* recipere & obſervare. Et ſic dictum officium capellare debet dici ordo ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ, fecerunt, quod regula iubet: ſin autem. Aliæ autem nationes orbis *Romani* libros & officia ſua habent e directo ab ipſis eccleſiis *Romanis*, & non a capella papæ, ſicut ex libris & tractatibus Amalarii, Walafridi, Micrologi, & cæterorum de officio divino ſcribentium colligitur evidenter. “

b) „ Gelasius (inquit prop. VII.) papa II. in quadam epiſtola ad fratres regulares canonicos præcipit, ut officiorum celebrationes apud eos iuxta omnem catholicæ eccleſiæ conſuetudinem celebrentur. Cum Norbertus novam quandam religionem canonicorum ſub regula B. Augustini inſtituiſſet, Galterus *Magalonenſis* eccleſiæ, quæ ordinis veſtri exiſtit, epiſcopus in quadam epiſtola ad fratres regulares *Calmoſiacenſes* ſcripta ſic dicit: ſit Dominus Norbertus religioſus & ſanctus &c. Porro canonici officii mutationem, quam neſcio per quas antiphonarum & pſalmorum varietates triſaria temporum permutatione prædicat eſſe ſequendam, ſacris canonibus, & ipſi B. Augustino obviare teſtamur. Si enim canonici vocamur, & canonicam vitam profeſſi ſumus, canones a *Romana* eccleſia matre noſtra amplecti præ omnibus, & præcipue in eccleſiæ officio imitari debemus. “

de pſalmis, eorumque per ſingulos dies & feſtivitates diſtributione, & numero, qui pervertebatur, præſertim ne integrum curreret pſalterium, provocatque ad inſtitutionem S. Benedicti per hebdomadæ curſum pſalterium præſcribentis: ad monaſteria canonicorum in *Italia*, & in partibus ſuperioribus Occidentis: ſæculares eccleſias per *Alemanniam*: religioſos plures, ut Dominos de domo *Teutonicorum*, varioſque ordines ſub regula præſertim S. Benedicti. Unde colligitur, tempore Radulphi, hoc eſt ſæc. XIV. aliter ac deinceps acceptum eſſe, quod in regula c. 18. S. Benedictus *hoc præcipue* commonet, „Ut ſi cui forte hæc diſtributio pſalmorum diſplicuerit, ordinet, ſi melius aliter iudicaverit, dum omnimodis id attendatur, „ut omni hebdomada pſalterium ex integro numero centum quinquaginta „pſalmorum pſallatur, & dominico die ſemper a capite repetatur ad vigilias.“ Mutationi occaſionem dabat multiplicatio feſtorum, ſeu potius feſtivitatum Sanctorum, in quibus pſalmos, antiphonas, & lectiones ad diem pertinentes dici vult S. Benedictus. Sed occurrebant facile antiqui, paucis maioribus feſtivitatibus ſervatis, alia ſub ritu ſimplici ſeu *humilitate feriali*, ut Radulphus approbat, agebant feſta Sanctorum. Contra apud alios actitatum ægre fert Radulphus. „*Carmelitæ* quoque (pergit) ſatis „probe ſervant. Et præterea ſecundum diſtributionem beati Benedicti „idem ſervant *Carthuſienſes*, *Ciſtercienſes*, & cæteræ religiones monachales. Imo obediendo dicto ſacro canoni, & ſervando beati Benedicti „regulam, in pſalterio hebdomadatim perſolvendo, inter canonicos & monachos differentia aliqua non exiſtit. Nam ubi monachus dicit nocturnum ſecundum ſuam diviſionem, canonicus in ſimili die nocturnum dicere tenetur ſecundum *Romanam* diviſionem. Et cum monachi a ſua „regula adhuc non declinaverint, tamen canonici quamplures in diverſis „nationibus a dicto canone diverſimode declinarunt. Ob feſtorum ſc. concurſum, quibus aut debitus non ſervabatur pſalmorum numerus, aut proprii de feſtis pſalmi curſum pſalterii ſiſtebant. Invaluerat tunc trifaria temporum permutatio, *proprium* nimirum *de tempore*, *Sanctis*, & *commune de Sanctis*, qua partitione accidit, ut promiſcue in feſtis, de communi pſallendo, pſalterii curſus interrumperetur. Vult autem, ut canonici regulares monachos potius ſequantur, quam canonicos ſæculares, qui eum ritum habebant, ab illiſque, ut antea vidimus, fratres minores: in quos paſſim invehitur, iiſque hanc mutationem tribuit. „Etſi (inquit paulo poſt) canonici ſæculares, quibus durus eſt hic ſermo, abierunt retro, & cum dicto „canone amplius nolunt ambulare, nunquid & vos vultis abire? Certiſſime „vos, qui inter religioſos & eccleſiaſticos viros in canonica degitis vita, „debetis cum monachis, qui non declinaverunt, remanere. Nam dicit

Prop. X.

„ Nicolaus P. quod religioſi canonici a ſanctorum monachorum conſortio
„ non ſunt ſeiuncti. “ Ordinem hic in S. Benedicti regula præſcriptum
deſignat, quem in pſalterii ſaltem curſu canonicis commendat. Eundem ad
antiquum *Romanum* ordinem propius accedentem, adeoque conſtanter retentum, & ab eccleſia probatum quod aliqui immutare conarentur, *Wala-*
a *fridus* Strabo indignatur a): Videtur quidem dudum ante, concilium
Toletanum XI. in *Hiſpania* aliquid contrarium ordinaſſe, ut refertur apud
P. I. diſt. Gratianum: „Abbatibus ſane indultis officiis, quæ iuxta voluntatem ſui
XII. c. 13. „ epiſcopi regulariter illis implenda ſunt, cætera officia publica, id eſt ve-
„ ſperas, matutinum, ſive Miſſam aliter, quam in principali eccleſia cele-
„ brare non liceat.“ Non conſtat, quousque hæc pertinuerint, an ultra,
Supplem. in lib. IV. de div. off. apud P. Herrgott. quam Amalarius iam tempore S. Gregorii immutationem hic factam eſſe tradit, cuius iuſſu factum ſit, ut monachi varietates officiorum per annum communiter cum *Romana* eccleſia obſervarent: nempe ut *alleluia* in ſeptuageſima cum clericis dimitterent: in paſſione, 15. dies ante paſcha in reſponſoriis *Gloria Patri* non dicerent, & triduo ante paſcha novem tantum pſalmos, & novem lectiones ſicut clerici recitarent. Fuiſſe tamen & alia monaſteria, ubi ordo divinorum officiorum ſecundum Sancti Benedicti regulam conſervaretur, tradit idem auctor. Refert hæc P. Herrgott, ſtudioſe in mutationem officii divini ſecundum regulam S. Benedicti inquirens, in præfatione operis *de antiqua monaſtica diſciplina.* Sed quoniam de prima illa mutatione, iuſſu Gregorii facta, nihil certi comperit, ſatius eſſe du-
§. 2. xit, illam *Caſſinenſis* cœnobii vaſtationi tribuere, colligitque ex epiſtola Pauli
b diaconi b). Ut primum hæc pſalmorum immutatio facta fuit, dum ſingulis feſtis proprii ſunt addicti, ſaltem in quadrageſima alicubi repetitum fuit
§. 4. *p. XLVIII.* alterum officium cum Miſſa, ut idem obſervavit P. Herrgott: „ Præ-
„ terea

a) „ Eſt enim ille ordo (inquit de reb. eccleſ. c. 25.) officiorum laudabilis, quem beatus Pater Benedictus monachis conſtituit obſervandum, ſcilicet, ut qui propoſito a cæteris diſcernuntur, etiam continuæ ſervitutis penſo, aliquid amplius cæteris perſolvere ſtudeant. Quam diſpoſitionem ideo a paſtoribus eccleſiarum non interdici putamus, quia & vicina eſt auctoritati *Romanæ:* Et quia beatus Gregorius vitam egregie Patris Benedicti deſcribens, regulam ab eo conſcriptam, in qua idem officiorum ordo habetur collaudans ſua auctoritate, ſtatutis eius favere videtur. Sunt tamen, qui neſcio qua præſumtione, non ea velint conſtitutione uti, volentes pigritiam vel protervitatem ſuam illo excuſare permiſſu, quo ſanctiſſimus vir per humilitatis ſuæ magnitudinem videtur concedere, ut ſi cui diſplicuerit diſtributio eius, quam fecit, pſalmorum, ordinet, ſi aliter melius iudicaverit: quaſi quiddam melius poſſint ſuoque ordini congruentius invenire, quam ille, qui ſpiritu omnium Sanctorum dicitur plenus fuiſſe. “

b) „ De pſalmorum (ſunt Pauli diaconi verba) canendorum per ſingulos ſeptimanæ dies diviſione, ſi cui melius viſum fuerit, quam ipſe beatus Pater inſtituit, ab ipſo habet licentiam, ut melius æſtimaverit, canere. Nec debent cogi monachi (*Galliæ* & *Germaniæ*, de quibus ſermo fuit . . .) qui nunc *Romano* more pſallunt iuxta inſtitutionem ſacræ huius regulæ pſalmos dividere: ſed poſſunt, ſi vobis ita videtur, ſolito more canentes arctioris vitæ normam ſuſcipere.“

„ terea (inquit) feſtis diebus in quadrageſima occurrentibus poſt Miſſam matutinalem, quæ de feria erat, omnem pſalmodiam propter officium feſti „ ex integro repetebant.“ Agit ibi de mutationibus & additamentis, in divino officio factis a decimo Chriſti ſæculo. IOANNES in vita S. ODDONIS *Cluniacenſis* ingentem ſane numerum extra ordinem quotidiani curſus deſignat a). Cum diſciplina *Cluniacenſi* paſſim in monaſteriis eiusmodi additiones curſui ordinario acceſſere. De quibus etiam in dialogo inter *Cluniacenſem* & *Ciſtercienſem* monachum apud MARTENIUM mentio fit, hæcque deſignat *Cluniacenſis preces, ſuffragia, pſalmos, & illam longam noſtram letaniam, & curſum S.* MARIÆ, *operando manibus extra oratorium decantare.* Carpit vero *Ciſtercienſis*: „Quidquid (inquit) contra rationem & „ SS. Patrum ſtatuta præſumitur, religioſa devotio vel devota religio nequaquam recte dicitur. Itaque longa totius corporis proſtratio contra decretum SS. Patrum præſumta, & matutinales laudes veſtræ cum celebritate „ Primæ in horis incompetentibus contra ordinationem regulæ celebratæ, „ erunt minus fructuoſæ ipſis hymnis earundem horarum.“ Videtur per hymnos ipſam deſignare hymnodiam ſeu cantum, cuius ſolemnitas, ut ante de *Græcis* diximus, prolixitate officii facile impeditur, aut ſaltem labor manuum ſiſtitur, ut ibidem ſæpe *Ciſtercienſis* monachus repetit. Vel quod ANSELMUS *Havelbergenſis* apud PEZIUM de ordine Can. Regul. etiam in canonicis regulis notat, operis, lectionis, & orationis privata poſthabentur exercitia; æquumque de hac re iudicium fert b). PETRUS *Bleſenſis* ep. 86. aliud ex ea re vitium notavit in *Cluniacenſibus* c): Accidit, ut varia ob

[Margin: a — *T. V. anecd. p.* 1601. — *T. II. P. II. anecd. c.* 20. — b — c]

a) „ Etenim (inquit) in cotidianis diebus inter diei noctisque curſus centum triginta octo canebant pſalmos, ex quibus quatuordecim nos dimiſimus propter puſillorum animos, exceptas peculiares orationes, quas noſtri hactenus frequentant fratres: qui videlicet modum pſalterii videntur excedere. Similiter duabus miſſis identidem letaniis. Per ſingulas vero horas canonicas bis flectebant genua. In octavis quas diximus ſeptuaginta quinque tantum canebant pſalmos inter prædictos curſus & ſemel flectebant genua & bis reficiebantur.“

b) „ Multiplicitatem quoque (inquit) familiarium pſalmorum ſicut non requiro, ita nec linguis loqui in huiusmodi prohibeo, maxime hoc approbans, ut id ſtudii pſallentes & orantes habeant, quatenus, quod ore profertur, mente verſetur, & ne operis ac lectionis exercitium, vel ſecretæ orationis turtureum ſacrificium per orationis &pſalmodiæ in communi protelationem excludatur, cum hæc oporteat fieri, & iſta non omitti.“

c) „ Quid quæſo dulcedinis aut devotionis invenies apud eos, quibus verſa eſt in nauſeam numeroſa atque confuſa iteratio & farſura pſalmorum. PAULUS dicit, *pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Si pſallentibus non adſit devotio, licet eundem pſalmum millies repetant, non eſt hic pſalmus iucunda decoraque laudatio. Doctrina SALOMONIS eſt: *Fili, ne iteres verbum in ore tuo.* Cumque alibi dicat, *Omnis labor hominis in ore ipſius*, vereor, ne hoc eis nimis periculoſe aptetur, *labor labiorum ipſorum operiet eos.*“ Piiſſimus auctor retractat ep. 97. quæ acrius illic ſcripſerat: „ Propter hoc (inquit) adverſus magiſtrum ALEXANDRUM in epiſtola quadam nuper excandui, & verba, quæ ipſum ſpecialiter contingebant, paſſus ſum in quorundam offenſam licentius, quam oportuit, evagari. Fateor, quod pſalmodiæ prolixitas, ſi ex devotione procedit, ſaluberrima eſt: ſi acediam habet ſociam, occupatio tamen

ob faſtidium longioris pſalmodiæ truncarentur, ut narratur in chron. *Andrenſis* monaſt. apud DACHERIUM, qua ratione obviam ire malo ſtuduerit PETRUS abbas a). de huiusmodi truncationibus intelligo, quod mox dicit *ſui temporis*, id eſt ſæc. XIII. *Abbates & monachos negligenter mutaſſe opus DEI, & pro ſua deſidia abbreviaſſe.* Nihilominus eodem ſæc. XIII. HUMBERTUS ord. Prædic. Magiſter generalis in præfat. tr. de erudit. religioſ. protenſam, & totum fere diem occupantem, pſalmodiam exagitat.

T. II. fol. 809. a

Laus perpetua.

VIII. Peculiariter hic memorandum eſt *Acœmetarum* genus ſingulare monachorum *non dormientium* in Oriente, hoc vero medio ævo longe lateque propagatum etiam in Occidente: ſodalitate monachorum eam ob rem in tres cœtus diviſa, ut de Orientalibus NICEPHORUS teſtis eſt, idemque paſſim de Occidente produnt eccleſiaſtica monumenta, ac plurium monaſteriorum inſtituta, ut apud MABILLONIUM præfatione II. in ſæculum quartum *Benedictinum* videre licet, qui contra *Carolum* COINTIUM in *Agaunenſi* monaſterio, aliisque ad eam normam inſtitutis (veluti *Cabillonenſi* S. MARCELLI, *Dionyſiano* prope *Pariſios*) id obtinuiſſe inſtitutum probat. Contendebat COINTIUS, quando ab ACHIVO III. *Agaunenſium* abbate in veteri hiſtoria eius monaſterii *Agaunenſes* dicuntur, diu noctuque angelico more divinis laudibus inſtitiſſe, non ſignificari *perennem laudem*, uti vocari ſolebat apud *Latinos* hoc inſtitutum: quodque S. GREGORIUS *Turonenſis*, de pſalmodia huius monaſterii agens, vocat *pſallentium aſſiduum*, non ideo dici, quod iuge fuerit, ſed quod ſtatutis temporibus celebratum ſit, eum ad modum, quo CASSIANUS orationum aſſiduitatem vocat quotidianam celebrationem Tertiæ, Sextæ, & Nonæ. At luculenter ex uſu aliorum monaſteriorum ad inſtar *Agaunenſium* inſtitutorum, contrarium patet: veluti de *Laudunenſi* monaſterio in codice *Compendienſi* legit MENARDUS, S. SALABERGAM in eo trecentas adunaſſe famulas Chriſti, chorisque diſpoſitis per turmas ad inſtar *Agaunenſium* monachorum canendi normam diſpoſuiſſe, refertque MABILLONIUS, ac edidit ipſa acta, quorum epitomen in codice *Compendienſi* legit MENARDUS, quæ ſic habent: „ Infra exigui temporis ſpatium coacer-„ vatæ in eodem loco ſunt, vel monaſterio adunatæ plus minusve trecentæ „ fa-

L. XV. hiſt. eccl. c. 23.

n. 204.

L. III. hiſtor. c. 5.

honeſta eſt: & ſi vagos excurſus mentis omnino non reprimit, per eam ſaltem homo ſtudiis honeſtioribus aſſueſcit. “

a) „ Ut faſtidium de medio tolleretur, & mens uniuscuiusque in horis canonicis devotius accenderetur, auctoritate Domni PETRI abbatis multiplex pſalmodia ſyncopata potius quam eatenus in uſu habita fuit intermiſſa: ſolam quoque litaniam cantari fecit, & illam, quæ maiorem Miſſam præceſſit, extra Quadrageſimam intermitti præcepit. In Sanctorum ſuffragiis antiphonas, quas breviores ſciebat, iuſſit decantari, audiens longiores a dicentibus eas turpiter ſyncopari.“

„ famulæ Chriſti, illisque diſpoſitis per turmas ad inſtar *Agaunenſium* monachorum, *Habendi*que normam diſpoſuit: die ac nocte præcepit pſallendo canonem omnipotenti DEO perſonare.“ Cointius loco *Agaunenſium* contra fidem omnium manuſcriptorum, a Mabillonio viſorum, immerito reponendum putaverat *Luxovienſium* monaſterium, ubi id inſtituti viguiſſe iam tempore S. Columbani Cointius affirmat, Mabillonius vero longe poſtea ſuſceptum probat: non obſtante teſtimonio S. Bernardi in vita S. Malachiæ S. Columbanum apud *Luxovium factum eſſe in gentem magnam, & quidem tam magnam, ut ſuccedentibus ſibi viciſſim choris continuarentur ſolemnia divinorum; ita ut ne momentum quidem diei ac noctis vacaret a laudibus.* Idem inſtitutum in monaſterio *Habendenſi* & *Laudunenſi* S. Salabergæ obtinuiſſe concedit Cointius, negat vero de *Agaunenſi*, *Cabillonenſi* S. Marcelli, & *Dionyſiano* prope *Pariſios*. Quando vero die noctuque laudes divinæ cani dicuntur, an per diſtinctos choros, ac turmas id factum, dignoſcendum eſt, anque *laus perennis* fuerit? De monaſterio S. Dionysii ex pluribus chartis apud *Dubletum* Mabillonius probat, ac inter alios teſtem profert Anonymum quemdam, *De geſtis Dagoberti c.* 35. Dagobertum in eodem cœnobio monachos inſtituiſſe, qui turmatim ad inſtar monaſterii *Agaunenſium*, ſive S. Martini *Turonis* pſallerent, conſuetudine hac iuſſu Clodovei, & Pipini a poſteris etiam continuata. Eundem ritum Gontranum in monaſterio S. Marcelli *Cabilonenſis* in prima ſua fundatione inſtituiſſe Martenius in Itinere ſuo litterario atteſtatur. *P. I. p.* 225. Quod in aliis non paucis monaſteriis inſtitutum fuerit in *Galliis Divionenſi* S. Benigni, *Pariſienſi* S. Germani, S. Medardi, & beatæ Mariæ puellarum apud *Sueſſionas*, atque *Corbeienſi* S. Petri, porro commemorat Mabillonius. Quod alii de *Germaniæ* noſtræ *Augienſi*, *S. Galli*, *S. Blaſii* monaſteriis afferunt, non adeo compertum eſt. De *Centulenſi* monaſterio imprimis ad noſtrum inſtitutum eſt in actis *Benedictinis* relata Angilberti *Centulenſis* abbatis conſtitutio: *qui ad iugem pſalmodiam trecentos monachos inſtituit cum centenis pueris, qui fratribus in tres turmas diviſis, ſibique alternatim ſuccedentibus in auxilium canendi & pſallendi intereſſent* a). Et a

ita

a) Ita ut chorus S. Salvatoris iuxta chron. *Centulenſe* lib. II. c. 9. apud Dacherium, *centenos monachos cum quatuor & triginta pueris* haberet; chorus S. Richarii *centenos monachos ac triginta tres pueros iugiter* haberet: chorus pſallens ante ſanctam paſſionem *centenos monachos, triginta tribus adiunctis pueris, ſimiliter* haberet. *Ea autem ratione ipſi chori tres in divinis laudibus*, ut ſequitur, *perſonabunt, ut omnes horas canonicas in commune ſimul omnes decantent, quibus decenter expletis, uniuscuiusque chori pars tertia eccleſiam exeat, & corporeis neceſſitatibus vel aliis utilitatibus ad tempus inſerviat. Certo temporis ſpacio interveniente ad divinæ laudis munia celebranda denuo redeuntes. In unoquoque etiam choro id iugiter obſervetur, ut ſacerdotum ac levitarum, reliquorumque ſacrarum ordinum æqualis numerus teneatur: cantorum nihilominus & lectorum æquali menſura diviſio ordinetur, qualiter chorus invicem non gravetur.*

ita iuxta Orientalium morem plerumque fiebat. Notandum tamen, quod in regula S. Columbani c. 7. habetur de vigiliis nocturnis: *ut totius pſalterii inter duas ſupra dictas noctes numerum cantent XII. choris &c.* In quæ verba Menardus in concordia regularum c. 23. quædam pro præſenti argumento annotat: „ In monaſterio S. Columbani erat laus perpetua, id „ eſt perpetuo die & nocte in oratorio Dei laudes canebantur a diverſis mo- „ nachorum choris ſibi ſuccedentibus. Notandum tamen eſt hos duodecim „ choros in diverſis oratoriis officium divinum celebrare ſolitos. Nam tam „ prolixum officium non potuiſſet perſolvi integro die a duodecim choris ſi- „ bi in eodem oratorio ſuccedentibus: puto igitur plura olim fuiſſe orato- „ ria in monaſterio *S. Columbani*, in quibus tres vel quatuor ex his duode- „ cim choris ſibi in Dei laudibus celebrandis ſuccederent. Quodſi ergo duo „ ſupponantur oratoria, adhuc numerus ternarum turmarum in duas noctes „ facta diſtributione manet.“ Sed obſervavit Mabillonius, duodecim choros, ſeu choras pro antiphonis promiſcue apud *S. Columbanum* ſumi, quas pariter choras vocat Donatus epiſcopus *Veſontinenſis* in Reg. c. 75. atque etiam viginti quinque deſignat, quemadmodum S. Columbanus alibi. Ut adeo pro argumento laudis perennis *Luxovii* a S. Columbano inſtitutæ ſumi non poſſit a). Singulare eſt, quod de S. Amato refertur in eius actis de Parthenone *Habendenſi*, cuius condendi Romarico auctor fuit: „ ibique o- „ pitulante Domino multis virginibus pſallentium per ſeptem turmas, in una- „ quaque turma duodenis pſallentibus diu noctuque iugiter inſtituit. “ Singulariter etiam eſt, quod de *Pragenſi* eccleſia metropolitana *Bohemiæ* narrat Radulphus *Tungrenſis*: „ Agitur iugis (inquit) & continua laus Dei diu „ noctuque per pſalmodiam, horis videlicet & temporibus, quibus alia di- „ vina non celebrantur. Et felicis memoriæ Carolus IV. eccleſiaſticus im- „ perator, ad huiusmodi continuam laudem agendam, aliud quam pſalte- „ rium congruentius non invenit.“ Cœptum hoc ergo fuit in illa eccleſia metropolitana, quo tempore fere in monaſteriis ceſſavit, alio paululum ritu, ut videtur extra tempora ordinaria horarum canonicarum publicique divini officii per iugem pſalmorum cantilationem. *Hugo* Menardus ex *Hieron.* Emsero in vita S. Bennonis *Miſnenſis* epiſcopi refert, in illa etiam cathedrali eccleſia laudem perennem obtinuiſſe. Atque eccleſia hæc non ſolum *Germaniæ*, ſed etiam urbis *Romæ* baſilicis præfertur, ſola ex omnibus cœleſtem illum angelorum concentum æmulata, ubi ſine intermiſſione divina reſonant carmina. Sur. XVI. *Iunii.*

L. VIII. Annal. n. 13.

Prop. 8.

c. 23. concordiæ regularum

IX. Mo-

a) Vid. Mabill. n. 16.

IX. Monere nihil eſt opus, medio hoc ævo horas ſtatas officii divini, ſeu canonicas publice ſemper in eccleſiis, ſeu oratoriis celebratas fuiſſe: cum apud monachos in Oriente, ut ex Cassiano intelleximus, olim, præter nocturnas & veſpertinas ſynaxes, privatim fuerint tranſactæ in cellis. Singulari vero cura hoc ævo in regulis paſſim editis diſtributa eſt pſalmodia, & ſollicite ſervata, ut etiam minima titubatio mulcta non careat in regula S. Columbani apud Holstenium a). Monachi ad eccleſiarum regimen undique ex monaſteriis acciti, ibidem quoque iſtum divini officii ordinem inſtituerunt. Apud vetuſtum auctorem in chronologia *Lirinenſi* legit Mabillonius de Agricolo, ex eodem cœnobio rapto ad *Avenionenſis* eccleſiæ cathedram: „Voluit etiam horas canonicas & divina officia deinceps in „eadem eccleſia, eodem modo, quo ſolerent in monaſteriis, alternis vi„delicet cantibus recitari. Nondum enim in illis partibus invaluerat ille „mos, quem aliquot ante annos Damasus pontifex maximus invexerat.“ Paulo ante dixi, quæ fuerit in *Romana* præſertim eccleſia divini officii ratio: quam etiam viciſſim monachi, præſertim quoad canendi peritiam, inde haurire feſtinabant, veluti de *Anglia* docet Beda, miſſo illic ſub Agathone archicantore Ioanne: „Quatenus in monaſterio ſuo curſum canendi an„nuum, ſicut ad *Sanctum Petrum Romæ* agebatur, edoceret. Egitque Ab„ba-Iohannes, ut iuſſionem acceperat pontificis, & ordinem videlicet, ri„tumque canendi ac legendi viva voce præfati monaſterii cantores edocen„do, & ea, quæ totius anni circulus in celebratione dierum feſtorum po„ſcebat.“ Additque, veniſſe e monaſteriis cæteris *Angliæ* omnibus, ut *Romanum archicantorem audirent.* Poterat hoc in monaſticis congregationibus ſemper commode tranſigi, quod in aliis eccleſiis non æque, deficiente clericorum copia, licebat, etſi id canones faciendum dudum præcepiſſent: cuiusmodi exemplum affert Mabillonius paulo ante laudatus, & Martenius eccleſiæ *Virdunenſis* ſæc. VII. ex vita S. Pauli, illius eccleſiæ epiſcopi, qui ex monaſterio clericos convocarat in eum finem, ut ſtatutis horis divinum concelebraretur officium, quod antea minus digne fiebat: „Erat au„tem ita temporibus illis ipſa eccleſia rebus deſtituta, ut nemo clericorum „eſſet,

Horarum canonicarum publica & privata decantatio.

a *P. II. p.175.*

L. IV. hiſt. c. 18.

De ant. eccl. diſc. c. 2.

a) *Si decantans pſalmum titubaverit: ſi ſuperfluo ſit durus: ſi contumacius reſponderit, ſuppoſitione:* quæ eſt extraordinarii ieiunii indictio. *In pſallendi autem officio*, præſcribitur in regula S. Isidori p.208. *iſta erit diſcretio: dato enim legitimis temporibus ſigno ad horas canonicas feſtinabunt fratres, cum properatione omnes ad chorum concurrant: nullique ante expletum officium licebit egredi, præter eum, quem neceſſitas naturæ compulerit.* Et regula Magiſtri p. 388. „In excrcendo maxime divino officio præ omnibus ſanctæ debet militiæ ordo conſtitui; vel quibus vicibus trames rectæ obſervationis occurrat, ut vetuſtatis mos eſt, & Patrum inſtituta ſanxerunt, id eſt Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera, & Completorio, ut compleatur prophetica ordinatio dicens Domino: *Septies in die laudem dixi tibi.*“

„ eſſet, qui aſſidue, ut ſic præcipit eccleſiaſticus ordo, Miſſarum ſolemnia,
„ vel pſalmorum inibi compleret curſum; ſed præ inopia vix, & cum ma-
„ gno labore per ſingulos dies adveniebat aliquis forenſis presbyter; &
„ citiſſime, ſatisque indecenter horarum ſimul & Miſſæ complens officia,
„ mercede accepta, revertebatur ad propria. Similiter ſecundus, & tertius,
„ cæterique, donec idem ordo confuſus a noviſſimo rediret ad proprium.“
Videtur MARTENIO, eadem extitiſſe conditio eccleſiæ *Antiſiodorenſis* ad uſque
ſæculum VIII. quo S. TETRICUS primo anno ordinationis ſuæ habito conci-
lio conſtituit, qualiter abbates, vel archipresbyteri in eccleſia S. STEPHANI di-
vinum perſolverent officium, uti refert ex hiſtoria epiſcoporum *Antiſiodo-
renſium*, integram ſubnectens inſtitutionem, diſtributionemque. WALA
poſtea ſequenti ſæculo nono eiusdem eccleſiæ epiſcopus ſedulo hoc curæ
c. 39. habuit, uti eadem habet hiſtoria: *Nocturno non modo ipſe minime defuit of-
ficio, ſed & abſentes nominatim requirebat fratres, pueroſque.* Eſt apud V.
L.I.hiſt.c.27. BEDAM reſponſum S. GREGORII P. S. AUGUSTINO eam in rem datum: „De cle-
„ ricorum ſtipendio cogitandum eſt, & ſub eccleſiaſtica regula ſunt tenendi;
„ ut bonis moribus vivant, & canendis pſalmis invigilent.“ Idem ſtudium
L. III. c. 5. laudat poſtea in AIDANO ſanctiſſimo epiſcopo. GOZELINUS auctor ſæc. XI.
Sæc. I. Act. O. in Vita S. AUGUSTINI *Angliæ* apoſtoli de eccleſia S. MARTINI agens, *quæ*,
S. B. p. 512. inquit, *hactenus manet aſſiduis miniſtris officioſa.* Et mox: *In hoc itaque
oratorio* AUGUSTINUS *in ſuo choro quotidiana Domini miniſteria celebrabat,
& in pſalmis, hymnis, precibus, atque in voce tubæ, quibus caſtra diaboli*
L. VI. de ge- *interirent, noctes & dies laudes Domini attollebat.* LUITPRANDUS, teſte PAULO
ſtis Longo- Diac. primus omnium regum, ſacerdotes & clericos ordinavit, ut ſibi quo-
bardorum. c. 17. tidie divina officia decantarent. Sunt in eam rem conciliorum decreta, ac
a epiſcoporum pro eccleſiis etiam parochialibus ſtatuta a). *Anglo-Saxones* a
cantu

a) Sic Concilium *Emeritenſe* poſt medium ſæculum ſeptimum presbyteris indixit: *Ut de eccleſiæ ſuæ familia clericos ſibi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant, ut officium ſanctum digne peragant, & ad ſervitium ſuum aptos eos habeant.* Concilium *Cechitenſe* in *Anglia* an. 787. c. 7. vult: *ut omnes eccleſiæ publicæ canonicis horis curſum ſuum cum reverentia habeant.* Et EADGERUS ibidem c. 45. ſæc. X. conſtituit: *ut quis ſtatis temporibus campanas pulſet, & ut omnis tunc ſacerdos cantum ſuum horarium in eccleſia pſallat.* In capitulis AHITONIS *Baſileenſis* epiſcopi c. 24. presbyteris præcipitur, *ut horas canonicas tam nocturnas quam diurnas nullatenus prætermittant.* In *Reginone* iiſque capitibus (lib. I. c. 208.) in quæ inquirere debebant epiſcopi, eorumque miniſtri in parochiis viſitandis, inter alia erat: *Si clericum habeat presbyter, qui cum eo pſalmos cantet. Si nocturnis horis ad matutinas laudes perſolvendas omni nocte ſurgat. Si Primam, Tertiam, Sextam, Nonam certo tempore ſigno eccleſiæ denuntiet, & curſum debitum cantet.* In hom. quarta LEONIS IV. ad presbyteros præcipitur: *Omni nocte ad nocturnas horas ſurgite: curſum veſtrum horis certis decantate.* In capitulis GUILLEBERTI epiſc. apud BALUZIUM T. II. capitul. p. 1377. ſtatuitur: *Ut dominicas, & feſtivitates præcipuas excolere per gradalem ſuum & nocturnalem canticum non ignoret.* In ſermone ſynodali, qui S. UDALRICO *Auguſtano* tribuitur, id requiritur: *Cantum nocturnalem atque diurnum noverit.*

cantu nomen horis canonicis indidiſſe, docent canones Aelfrici ad Wlfinum epiſcopum in libro de priſcis *Anglorum* legibus, ſermone *Anglo-Saxonico* antiquo conſcriptis, & a *Guilielmo* Lombardo latine redditis: „Ad „presbyteros ſpectat, & miniſtros Dei omnes, ut eccleſiam ſuam ſancto co- „lant obſequio, ſeptem in ea horarios cantus pſallant, ut a ſynodo conſti- „tutum eſt, videlicet Uthſang, id eſt, *cantus antelucanus.* Primſang, „id eſt, *cantus matutinus.* Undernſang, id eſt, *cantus tertianus*, vel „ad horam diei tertiam. Middägſang, id eſt, *cantus meridianus.* „Nonſang, id eſt, *cantus nonalis*, vel ad horam diei nonam. Eſen- „ſang, id eſt, *cantus veſpertinus.* Niht (ſang), id eſt, *cantus noctur-* „*nus*, qui eſt ſeptimus.“ Scripturam iſtam mendoſam integram exhibet *Franc.* Iunius in *Gloſſar. Goth.* his verbis: „Septem . . . erant cantus ho- „rarii (ſeofon tidſangaſ) quos eccleſia vetus, iuxta ſynodi conſtitu- „tionem, quotidie tenebatur obſervare; videlicet Uhtſang, *cantus ante-* „*lucanus.* Primſang, *cantus matutinus.* Undernſang, *cantus tertia-* „*nus.* Middägſang, *cantus meridianus.* Nónſang, *cantus nonalis.* „Aefenſang, *cantus veſpertinus.* Nihtſang, *cantus nocturnus.*“ De S. Villibrordo, & comitibus *Angliæ* apoſtolis S. Beda memorat: *Qui cum cogniti eſſent a barbaris, quod alterius eſſent religionis: nam hymnis & pſalmis ſemper & orationibus vacabant &c.* Poſſunt hæc etiam de pſalmodia extra eccleſiam intelligi. Quale idem de *Benedicto* Biscopo, licet ægrotante, habet exemplum: *Non facile ad explendum ſolitum pſalmodiæ curſum linguam vocemque poterat levare: per ſingulas diurnæ ſive nocturnæ orationis horas aliquos ad ſe fratrum vocabat, quibus pſalmos conſuetos duobus in choris reſonantibus, & ipſe cum eis, quatenus poterat, pſallebat.* Quod idem de Gervino etiam *Centulenſi* abbate memoriæ proditum memorat Mabillonius. Non videtur defuiſſe hic vocis contentio ac cantus; qualem etiam Gregorius *Lingonenſis* S. Germanum commemorat, licet ſolum, impendiſſe, *qui tanquam multarum vocum per trium horarum & fere amplius ſpacium audiebatur.* Apud P. Herrgott in ordine *Cluniacenſi* Bernardi occurrit circa privatam etiam recitationem non ſolum *cantandi*, ſed etiam *exultandi* vox: ſed voces eiuscemodi non adeo ſemper præciſum habebant ſignificatum a). Auctor ſæc. IX. cuius librum de benedictione Dei Stevartius edidit, habeturque apud Canisium, carpit nonnullos ſacerdotes & epiſcopos, qui *ſurgentes, dum ſe veſtibus induunt, diurna peragunt officia: putantes ſibi ſufficere poſſe, ſi ſaltem quoquo modo illa decantent:* *igna-*

Pag. 131. *edit. Cantabrig.* 1644. *in f.*

Edit. Amſtel. p. 366. *v. Undornimat.*

L. V. c. 11.

De curſu Gall. n. 72.

De vitis PP. c. 7.

p. 274.

a) „Nullus in maiori eccleſia cantare debet aliquam horam, vel etiam commemorationem Sanctorum, niſi forte ſolus ſecum præter D. abbatem, niſi cum conventu (exceptis illis, qui propter Miſſam ſuam ad regularem horam non occurrere poſſunt) hac ſola cauſa, finita Miſſa, ibidem ante altare quiete exultabunt horam.“

ignari, quia horæ ſunt in ſancta eccleſia conſtitutæ; quibus per diem & noctem divinæ ſervitutis officia perſolvantur. . . Quas ſi negligimus, ſanctorum Patrum inſtitutis contraimus: quibus contraire periculoſum eſt. Neque enim poſſunt communionem ſanctam eccleſiæ habere, qui eius inſtituta, etſi non verbis, opere vero impugnare nituntur: dum, quod permaximum eſt in ſancta eccleſia, ſi cum caritate & pietatis ſtudio peragatur, id eſt, laudis divinæ pſalmodia modulata, & Miſſarum ſolemnia, nec temporibus congruis, nec religioſis celebrant affectibus. In vita B. NOTKERI *Balbuli* ſic legitur: „Habet illa Sancti GALLI baſilica capellas, in quarum una angulari foribus „proximo NOTKERUS pſallere erat ſolitus. Accidit autem, ut quadam die „ad Nonæ ſynaxim non veniret, nec eam per ſe caneret." Ita EKKEHARDUS, qui idem S. UDALRICUM tum iuvenem tale monitum a S. WIBORADA accepiſſe narrat: „Si, ut facillime fit, aliquo carnis igne incenſus fueris, „loco, in quo fueris, mutato, *DEUS in adiutorium meum intende, Domine* „*ad adiuvandum me feſtina,* mox cantabis." Eundem ſenſum accipit, quod *Petrus* DAMIANI ad ALEXANDRUM II. ſcribit: *tria ſuparum millia unum pœnitentiæ annum explere cum modulatione pſalmorum.* Nota demum locum apud auctorem vitæ ALCUINI: *Iuvenis pſalmorum modulationem ſecretam non tantum, quantum aliam lectionem amaverat.*

Act. O. S. B. ſæc. V. p. 15.

Nocturnæ vigiliæ.

X. Nocturnarum vigiliarum celebritas ad normam & imitationem primævarum *vigiliarum* ſemper in monaſteriis perennavit, plerumque noctium longitudini commenſurata. Regula S. COLUMBANI multis hic involvitur tricis ob codicum depravationem. Qua de re MENARDUS in obſervationibus, COINTIUS in annal. eccl. *Francorum* ad an. 590. n. 43. & ſequentibus, ad eundemque annum MABILLONIUS in annal. BENED. n. 13. videri poſſunt. Ad noſtrum quod pertinet inſtitutum, id palam eſt, pro noctium vel brevitate, vel longitudine antiphonas cum pſalmis vel diminutas fuiſſe, vel auctas, perinde ac in regulis aliis huius ævi a). Refert S. COLUMBANUS c. 7. apud HOLSTE-

a) „Non enim (ut habetur in S. COLUMBANI regula c. 7. apud HOLSTENIUM) uniformis eſſe debet pro reciproca temporum alternatione: longior enim per longas noctes, breviorque per breves eſſe convenit. Inde & apud ſeniores noſtros ab octavo Kalendas *Iulii* cum noctis augmento ſenſim incipit creſcere curſus a duodecim choris (apud MENARDUM vox *duodecim* abeſt) breviſſimi modi, in nocte ſabbati ſive dominicæ, uſque ad initium hyemis, id eſt, Kalendas *Novembris*, in quibus viginti quinque canunt antiphonas pſalmorum eiusdem numeri: qui ſemper tres loco duobus ſuccedunt pſaltis: ita ut totius pſalterii inter duas ſupradictas noctes numerum cantent duodecim choris, cæteras temperantes tota hieme noctes; qua finita per ver ſenſim per ſingulas hebdomadas terni ſemper decedunt pſalmi, ut duodecim in ſingulis noctibus tantum antiphonæ remaneant, id eſt, quotidiani hiemalis triginta ſex pſalmi curſus: viginti quatuor autem per totum ver, & æſtatem, & uſque ad autumnale æquinoctium, id eſt, octavo Calendas *Octobris*, in quo ſimilitudo ſynaxeos eſt, ſicut in vernali æquinoctio, id eſt, octavo Calendas *Aprilis*, dum per reciprocas vices paulatim creſcit, & decreſcit &c."

STENIUM alium aliorum uſum, poſtquam varietatem in numero pſalmorum & antiphonarum pro ratione temporum paucis vindicaſſet a). In regula quadam apud HOLSTENIUM huius medii ævi duodenarius cantandi pſalmos figitur numerus, quemadmodum hactenus in ordine S. BENEDICTI ſervatur: in hoc etiam a regula S. BENEDICTI receſſit regula Magiſtri, quod potius in pſalmorum impoſitionibus aut antiphonis diſcrimen poſuerit in hyeme & æſtate nocturni officii, quam in lectionibus, quas congruentius BENEDICTUS voluit ob noctium brevitatem abbreviari b). Occurrit, ut paſſim in his regulis, *Rogus DEI*, eſtque litania *Kyrie eleiſon:* impoſitiones autem ſunt antiphonarum, vel reſponſoriorum, aut pſalmorum veluti intonationes. In regula S. DONATI c. 75. *Choræ* ad conſimilem ordinem vigiliarum notantur c). Ita ut numerus pſalmorum in æſtate & hyeme per diverſas choras diſtributus fuerit ſecundum plures aut pauciores impoſitiones antiphonarum, & reſponſoriorum, quaſi diviſiones nocturnorum, ut nunc dicimus. Combinationes vero pſalmorum non fert regula *Magiſtri*, niſi

a *P. II. p. 291.*

b *Ibid. p. 387.*

c

a) „Et ideo (inquit) licet longitudo ſtandi aut cantandi ſit varia, unius tamen perfectionis erit æqualitas orandi in corde, ac mentis cum DEO iugis intentio. Sunt autem quidam catholici, quibus idem eſt canonicus duodenarius pſalmorum numerus ſive per breves ſive per longas noctes; ſed per quaternas in nocte vices hunc canonem reddunt ad initium noctis, ad mediumque eius, pullorum quoque cantus, ac matutinum. “

b) „Ergo pſalmi nocturni tempore hiemis, hoc eſt, ab æquinoctio hyemali uſque ad æquinoctium vernale: id eſt ab VIII. Kal. *Octobris*, uſque ad VIII. Kal. *Aprilis*, ſed melius uſque ubi fuerit paſcha, quia noctes maiores ſunt, dici debent antiphonæ XIII. Currente ſemper pſalterio, & reſponſoria tria: ut fiant XVI. impoſitiones, ſecundum numerum prophetarum extra lectiones verſum & *Rogus DEI;* ut iam iſtæ ſedecim impoſitiones in nocturnis quam octo matutinorum impoſitiones ſimiliter XXIV. viginti quatuor vicibus ſecundum XXIV. ſeniorum imitationem genua noſtra in nocte DEO flectantur cum laudibus. Nam in noctibus maioribus ideo plus pſalli debet, ut ſicut nobis DEUS ad repauſationem prolixum ſpacium iunxit in nocte, & nos ei peragendas gratias iungamus in laudem. Tempore vero æſtatis hoc eſt a paſcha uſque VIII. Kal. *Octobris* octo dicantur antiphonæ, currente, ut ſupra diximus, ſemper pſalterio, & tria reſponſoria extra lectiones & verſum & *Rogus DEI*: ut tam iſtæ duodecim impoſitiones viginti vices cogat parvæ noctis ratio DEO genua incurvare. “

c) „Ab octavo Kal. *Octobris* creſcit curſus uſque ad ſummum eius viginti quinque choris: quas tota hieme, quæ a Calendis *Novembris* incipit, & finit in Kalendis *Februarii*, cantandas in nocturnis vigiliis per noctem ſabbati & dominicæ patres noſtri ſanxerunt. Duodecim vero choræ in hieme omni nocte cantandæ ſunt, uſque ad octavo Kalendas *Aprilis:* & poſt hiemem quindecim choræ in ſacris martyrum vigiliis. Et ſicut creſcit, ita etiam decreſcit quinque choris: quæ in primo ſabbato quinque choræ agendæ ſunt, ut ſint viginti: per alium autem ſabbatum una hora augenda eſt uſque ad Calendas *Novembris*, uſque totus curſus compleatur: id eſt viginti quinque choræ pſalmorum: qui per tres menſes hiemis numerus complendus eſt duabus ſupradictis noctibus, & poſt hos decreſcit in ſabbatum. Primo ſabbato quinque choræ & ſingula per alterna ſabbata... Duodecim namque choræ tempore æſtatis in ſanctarum noctium curſu, id eſt ſabbati & dominicæ, cantandæ ſunt. Octo vero ſemper reliquis noctibus de æquinoctio in æquinoctium cantandæ ſunt, id eſt per ſex menſes. De æquinoctio veris in æquinoctium autumni viginti quatuor. pſalmi canendi ſunt. “

niſi cogente neceſſitate: quam an ordinariam ſtatuerit in æſtate, non ſa-
tis declarat, Impoſitionum quidem numerum, non æque pſalmorum deter-
minando: *niſi ut non minoretur*, quando tot ſemper impoſitiones nomi-
nantur, quot antiphonæ ac reſponſoria: alia ratione ac pſalmos imponi di-
cimus a cantoribus, ac paraphoniſtis, qui *Gloria Patri*, ac etiam oratione
iuxta eandem regulam interſtinguebantur, niſi quandoque combinari, ſeu
a potius conternari neceſſe eſſet a). Quamnam vero intelligat neceſſitatem
p. 386. *conternandi*, ſeu tres pſalmos ſub una *Gloria* (addita etiam oratione more
veterum *Ægyptiorum*) connectendi, non ſatis deſignat. Cauſa certe non
ſolum noctium brevitas eſt, cum ſubdat: „Nam ſi aliqua gravior neceſſi-
„ tas quavis hora pſallentes perurgeat, dicendorum omnium pſalmorum ſin-
„ gula capita cum una *Gloria* compleant, & ſic exeant oratorio: ut qua-
„ vis neceſſitate tamen opus DEI non videatur prætermitti.“ Videtur hinc
colligi poſſe, eundem ſemper pſalmorum numerum fuiſſe, eundemque pſal-
terii curſum, quidquid reliqua variarint, non tam in aliis divini officii ho-
ris, quæ ordinarie conſtanter eundem ſervarunt ordinem, quam in no-
cturnis vigiliis eo, quod iam notavi, diſcrimine ſecundum regulam S. Be-
nedicti, & Magiſtri, quod hic antiphonarum numerum, c. 44. in hieme
præciſe duodenarium, in æſtate ſenarium deſignet; cum S. Benedictus,
ſervato reliquo ordine, lectiones tantum abbreviandas in æſtate ſtatuerit. Id
quod etiam alibi, quam apud monaſticas congregationes, in eccleſiis cathe-
dralibus uſuveniſſe patet: quemadmodum in vetuſtiſſimo ordine *Camera-
cenſis* & *Atrebatenſis* eccleſiæ a *Petro* Pithæo vulgato in appendice ad co-
dicem canonum eccleſiæ *Romanæ*, præſcribitur de nocturnis vigiliis: „Cum
„ omni vero honeſtate tractim lectiones legantur, & reſponſoria decanten-
„ tur. Nona autem lectio ſit evangelica ex homiliis Patrum. Homilia ipſius
„ evangelii a diacono vel presbytero, aut epiſcopo tota legatur, niſi forte
C. III. tit. 7. „ aurora interveniens hoc diſtulerit.“ In lib. diurno *Rom.* pont. iſta le-
p. 67. gitur ſponſionis formula ab epiſcopo facienda ſummo pontifici, dum epi-
ſcopatum ſuſcipit: „Omni tempore per ſingulos dies, a primo gallo uſ-
„ que

a) „Ergo æſtatis tempore, ſicut ſupra deſignavimus, quia maiores ſunt noctes, novem dicantur antiphonæ, & tria reſponſoria, ut fiant duodecim impoſitiones ſecundum nomina XII. apoſtolorum. Qui nocturni, ut ſupra diximus, in ipſo æſtatis tempore a pullorum cantu inchoati & finiti, mox eis matutini ſubiungantur propter brevitatem noctium. Sed hoc ſemper tam in hieme quam in æſtate, tam in die quam nocte, ſeu in vigiliis, cum pſallitur, caveatur, ne pſalmi aliquando combinentur, quod non licet; ſed ſingulos debere definiri cum *Gloria*: ut nec orationes inter ipſos agendæ perdantur, nec glorias eorum laudi DEI videamur ſubducere, um compendioſa negligentia cogimur in ſe pſalmos inſerere; quia omni pſalmo, cui initium propheta impoſuit, conſtituit & finem. Quod ſi aliqua neceſſitas omnes pſallentes perurgeat, non combinent, ſed conternent: tamen cum gloriis ſuis ſubſequantur: & ut citius compleant, & pſalmorum numerus non minoretur.“

„ que mane cum omni ordine clericorum meorum, vigilias in eccleſia ce-
„ lebrare; ita ut minoris quidem noctis, id eſt, a paſcha uſque ad æqui-
„ noctium, vigeſima quarta die menſis *Septembris*, tres lectiones, & tres
„ antiphonæ, atque tres reſponſorii dicantur: ab hoc vero æquinoctio uſque
„ ad illud vernale æquinoctium, & uſque ad paſcha quatuor lectiones cum
„ reſponſoriis & antiphonis ſuis dicantur; dominico autem in omni tem-
„ pore novem lectiones cum antiphonis & reſponſoriis ſuis perſolvere DEO
„ profitemur a). Circa pſalmorum numerum, qui in ſingulis nocturnis ſe- a
narius a S. Benedicto eſt ordinatus, eundem antiquum fuiſſe *Romanæ* ec-
cleſiæ morem, inde uſque a S. Hieronymo repetit Radulphus *Tungrenſis*. *Propoſ.* 10.
Et quidem ut in dominica octodecim, in feſtivitatibus novem, reliquis vero
diebus duodecim canantur pſalmi, exceptis hebdomadis paſchæ, & pente-
coſtes, „Sed in dicto (inquit) pſalmorum numero, & in pſalmis ad vi-
„ gilias noctis decantandis in communibus ſacris quotidianis hodie multi,
„ maxime ſæculares, regulam ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ, & ſanctorum Patrum
„ conſtitutiones ſervare contemnunt. Legitur vero apud Gratian. de con-
„ ſecrat. diſt. 5." Provocat ad Gregorii VII. canonem in ſacra ſynodo
generali editum b). Honorius *Auguſtodunenſis* præciſe duodecim pſalmos b
deſignat poſt invitatorium. *Poſtea*, inquit, *tuba cantoris dat ſignum per* *Sacrament.*
antiphonam invitatorii, ut excitentur chriſtiani circumquaque, & concurrant c. 47.
ad ſcholam doctorum & paſtorum eccleſiæ. Deinde canuntur duodecim pſal-
mi &c. Invitatorium autem ſemper habet modulationem, inquit Amala-
rius, additque: *Nec te moveat, quod invitatorium æſtivis diebus hebdo-* *In append.*
madalibus ſine modulatione antiphonæ ſolet dici. Modulationem antiphonæ *L. IV. de off.*
indirecto opponit paulo ante: *Tertius autem pſalmus ſine modulatione an-* *div. apud Mabill. annal.*
tiphonæ indirecto dicitur. Bernardus *Caſſin.* comment. in regul. S. Bened. *p.* 95.
c. 9. in illud, *aut certe decantandus: Supple*, inquit, *indirectum, & ſine*
antiphona, ſicut tertius pſalmus, quod in æſtate faciunt in partibus Gallicanis.
In-

a) Vid. T. II. oper. V. Thomas. p. LXII. Notitia diſtributionis pſalmorum, & canticorum ad opus DEI in canonico horarum noctis, & diei curſu iuxta antiquiorem pſallendi morem eccleſiæ *Romanæ* ex antiquis monumentis excerpta.

b) „Eſt autem (inquit) talis tenoris: In die reſurrectionis uſque ad ſabbatum *in albis*, & in die pentecoſtes uſque ad ſabbatum eiusdem hebdomadæ tres pſalmi tantum ad noctem, tresque lectiones. Omnibus aliis diebus per totum annum, ſi feſtivitas eſt, novem pſalmos, & novem lectiones dicimus. Aliis autem diebus duodecim pſalmos, & tres lectiones recitamus. In diebus dominicis octodecim pſalmos, excepto die paſchæ & pentecoſtes, & novem lectiones celebramus. Illi autem, qui quotidianis diebus tres pſalmos, & tres lectiones tantum videntur legere, non ex regula ſanctorum Patrum, ſed ex faſtidio & negligentia comprobantur facere. *Romani* autem diverſo modo agere cœperunt, maxime a tempore, quo *Teutonicis* conceſſum eſt regnum *Romanæ* eccleſiæ. Nos autem & ordinem *Romanum* inveſtigantes, & antiquum morem noſtræ eccleſiæ, ſtatuimus fieri, ſicut ſupra notavimus, antiquos Patres imitantes."

Invitatorium autem potius reſponſorio modo canitur. Vocatur invitatorium
ideo etiam alicubi *reſponſorium exhortationis*, *verſus* vero *apertionis* in re-
gula Magiſtri ab abbate dici præſcriptus eſt verſus *Domine labia mea ape-
ries, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Invitatorium autem præſcribi-
tur paſſim in antiquis ritualibus apud MARTENIUM magna ſolemnitate de-
cantandum in præcipuis ſaltem feſtivitatibus, veluti in *Narbonenſi* ordinario.
*Ut ſex cantent tres primos verſus ſubmiſſa voce, & alios tres alii ſex alta
voce.* Ita etiam DURANDUS quadam viciſſitudine, & elatione vocis finem
hymni *Te DEUM laudamus* cani dicit ſub campanarum ſono : „Noctur-
L. V. c. 3. „nis (inquit) finitis, campanæ pulſantur, & *Te DEUM laudamus* alta voce
„cantatur, ad notandum, quod manifeſte & mirifice eccleſia tempore gra-
„tiæ laudat DEUM &c. Quod vero finis eiusdem cantici ibi *Per ſingu-
„los dies &c.*° & alii verſus ſequentes altius canuntur &c.“ Ex *Hirſaugienſi-*
Vet. diſc. p. 443. *bus* conſtitutionibus conſtat, *Te DEUM laudamus* quotidie *alternatione mo-
dulantium*, ut hodieque paſſim fit, fuiſſe cantatum. RADULPHUS *Tungrenſis*
Prop. 16. diſtinguit etiam *tonum ferialem* Invitatorii. Quoad officium vero noctur-
num *Ambroſianum* ſui ævi pauca dicit, niſi quæ iam de diſtributione no-
cturnorum, ſeu *diguriarum* antea retulimus. In officio *Mozarabico* bre-
ves etiam ſunt vigiliæ nocturnæ; conſtant enim paucis antiphonis pſalmo,
& reſponſo uno, ut in dominicis, excepta pentecoſte, hoc eſt quinqua-
ginta diebus inter paſcha & pentecoſten, loco primæ antiphonæ ſit hymnus
æterne rerum conditor. Poſt orationem dicuntur tres pſalmi, ſinguli cum
ſuis antiphonis, hisque tres antiphonæ ſuccedunt, cum reſponſo & ora-
tione, ut dictum eſt. *Græci* ſtatis feſtis meſonyctium celebrant. Adeun-
dus eſt PHILOTHEI patriarchæ *ordo inſtituendi diaconum* : videlicet, quo-
modo miniſtrat diaconus cum ſacerdote in magno veſpertino & diluculo.
Ubi poſt officium veſpertinum ordo etiam explicatur meſonyctii, ſeu vigi-
a liarum T. IV. Bibl. PP. *Pariſ.* p. 530 a). Alia vide infra de veſperis cum
vigiliis apud *Græcos* coniunctis.

XI. *Græ-*

a) Et apud GOARIUM p. 2. „Sacerdos autem toto templo ſuffumigato ad veſtibulum etiam progreditur. . . & rurſus ſpecioſas portas ingreſſus ſuavi & modula voce exclamat *Benedic Domine.* Iterataque ſacrarum imaginum ſuffumigatione penetrat ſanctas fores, & ſanctam menſam incenſans voce ſonora dicit : *Gloria ſunctæ, & conſubſtantiali &c.* Et dicto *Amen* ſuperior vel præſcriptus monachus procemicum pſalmum decantat. Sacerdos autem clauſis ſanctis foribus in ſancto tribunali ſtat. Cum vero cœperint cantare : *Aperientè te manum tuam &c.* egreditur cum eanonum præcentore, & ſimul reverentiam exhibent in medio, atque ita in ſuum locum abſcedit ſacerdos. Canonum vero præcentor in medio templi ſtans verſiculos recitat. Cantato vero : *Omnia in ſapientia feciſti*, diſcedit ſacerdos, & nudo capite ſtans ante ſacras fores lucernarii orationes legit. Quo peracto etiam magnam collectam dicit. Diaconus autem circa tertium pſalterii antiphonum induitur. Si vero non eſt verſiculorum recitatio, induitur, dum procemiacus pſalmus perſolvitur, & magnam collectam pronunciat. Hæc quidem iſto pacto fiunt, ſi vigilia peragitur ; eadem vero deficiente nihil huiusmodi obſerva-

XI. *Græci* ordinarium habent officium, quem ὄρθρον, ſeu *matutinum* vocant. Ubi poſt *Praxapoſtoli* lectionem, bene precante ſacerdote, auſpicantur *Hexapſalmum*, ſeu continuationem ſex pſalmorum: & poſt duodecim orationes magnamque collectam, exclamationemque *Deus Dominus*, ſequuntur καθίσματα, ſeu cantica, quæ ſedendo perſolvuntur, *ut cantoribus aliquid levaminis concedatur*, teſte RAYÆO, continuatore BOLLANDI. Sequuntur alii pſalmi etiam graduales cum antiphonis, canones tres item cum hirmis, ſeu canendi modulis, quales aſſignantur ſingulis odis, cum ſuis etiam tonis authentis & plagalibus, ut adeo in cantuum varietate multo hic vincantur occidentales ab orientalibus. In laudato ordine ſacri miniſterii idem officium diluculi, ſeu matutinum etiam explicatur, quod nos matutinas laudes vocamus. Apud *Græcos* ἆινοι *laudes* memorantur in eodem officio τȣ̃ ὄρθρȣ, *matutini*. Ita nempe, explicante GOARIO p. 54. dicuntur pſalmi *Davidici* 148. 149. 150. propter repetitam in iis vocem αἰνεῖτε: & in eccleſiaſticis eorum libris paſſim occurrunt. *Ad Laudes*, ut habet typicum εἰς τȣ̃ς αἴνȣς, *omni ſpiritu recitamus verſus quatuor*, *& pſallimus verſus ſimilares tono ſecundo:* ubi vox ἐυφημιῶν, *concentum* notat. Eodem tono ſequitur doxologia minor, ac maior, nimirum *Gloria in excelſis* cum appendicibus, & fit dimiſſio. Celebratur autem minori ſolemnitate, quod cum matutino coniungatur, quemadmodum in *Ambroſiano*, aut *Mozarabico* officio matutinæ laudes cum vigiliis nocturnis: ubi etiam commiſcentur, ac pro una eademque re habentur, incipiuntque a cantico veteris aut novi teſtamenti, *Magnificat* in feſtis B. V. *Benedictus* autem in ſolo feſto S. IOANNIS *Baptiſtæ*. Abſoluto cantico, recitataque antiphona, & dicto *Dominus ſit ſemper vobiſcum*, dicitur alia antiphona ante pſalmum, *Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum:* ad hæc dicitur *ſonus*, & alia antiphona ante pſalmum *Laudate Dominum de cœlis:* quo decantato, ſequitur prophetia quædam, quam excipiunt hymnus, ſupplicatio, capitulum, *Pater noſter*, *laus*, & *benedictio*, ſicque finis Laudibus imponitur. Succedit his *laus* quædam, & oratio loco ſuffragiorum, ut in veſpertinis precibus, & Completorio; idque tantum fieri ſolet in feſtis duorum pluvialium, aut novem lectionum, quæ ſimplicium appellationem ſortiuntur. Hæc ROBLESIUS in vita XIMENII Card. c. 25. Ritus *Romanus* in Laudibus magis conſpirat cum antiqua etiam monaſtica diſciplina in Oriente, ut libro primo ex CASSIANO intel-

Matutinæ laudes.

T. II. Iunii p. XLII.

tur... Verum ſtans ille (ſacerdos) detecto capite e ſacrarum forium regione ſtola ornatus exclamat: *Benedictus Deus noſter &c.* Et ſuperior vel ita iuſſus monachus pſalmum procœmiacum recitat currenti voce, & ſine cantu: & ſacerdos lucernarii orationes perſolvit. "

intelleximus, & in Occidente in S. Benedicti; & aliis regulis ſub matutini nomine præſcribitur, veluti in regula Magiſtri: „Pſalmi namque „matutini dici debent omni tempore ſex, reſponſorium unum, verſum, „lectionem apoſtoli, & evangelii, quæ ſemper abbas dicit, *& rogus Dei.* Canticum *Benedictus*, ſicut in veſperis *Magnificat*, a S. Benedicto præſcriptum eſt, cum antiphona dicendum, veluti etiam quinque pſalmi, ut habeatur idem numerus antiphonarum ſenarius, qualis in regula Magiſtri præſcribitur: „Matutini pſalmi cum antiphonis ſemper pſallantur: id eſt quatuor „dici debent ſine *alleluia*, poſt hos quatuor, duo cum *alleluia;* in dominica vero cum *alleluia* uſque in Epiphaniam: ut fiant extra verſum & lectiones „octo impoſitiones cum evangelio: ſed matutini extra quinquageſimum pſalmum & Laudes de canticis fiant. Dominica vero, vel aliis feſtis diebus, „vel ſi aliquis fuerit natalis Sanctorum, benedictiones dici oportet: a quibus dictis per dominicas genua non flectantur uſque ad nocturnos, & omnes antiphonæ vel reſponſoria in ipſo die a benedictionibus dictis cum „*alleluia* dicantur, uſque ad ſecundæ feriæ futuros nocturnos." Qui ex ſuperioribus recollegerit, *laudes* dici pſalmos tres ultimos, *Laudate Dominum de cœlis &c.* Benedictiones autem hymnum trium puerorum *Benedicite*, intelliget, hæc ſatis cum ritu moderno convenire. Quodſi per *impoſitionem*, cantus, qui per cantorem fit, a choro modulandi ingreſſum, intelligas, octonas habebis in ſex antiphonis, reſponſorio, & evangelio, impoſitiones, per evangelium intellecto evangelico cantico, quod ſemper ſingulari aliqua ſolemnitate ſicuti in veſperis, ita etiam in Laudibus fuit decantatum: Laudes etiam, quod vel ipſa vox ſonat, præ nocturno officio celebriores fuerunt habitæ in cantu. In vetuſtiſſimo ordine *Cameracenſis* & *Atrebatenſis* eccleſiæ, quem *Petrus* Pithoeus edidit, id habetur, præſcribiturque iuxta ritum *Romanæ* eccleſiæ: „Matutinale officium tractim decantandum eſt: altius tamen ipſi pſalmi, quam nocturnales. Sic enim fit in *Romana* eccleſia." Radulphus *Tungrenſis* Veſperas, Laudes, ac Vigilias noctis ceu tres principales horas, pro more inolito, celebrat a).

(c. 35. — c. 39. — *Prop. X.* a)

Horæ minores. *Ibid.*

XII. Idem Radulphus mox horas, quas vocant minores, attingens: „Quinque (inquit) horæ minores ſervari debent ſub una pſalmorum antipho-„na.

a) „Sciendum (inquit) quod tres horæ principales ſcilicet vigiliæ noctis, & Laudes, & Veſperæ magis ſolemniter ſunt decantandæ: quinque vero parvæ horæ humiliter ſunt faciendæ. Inde eſt, quod ſecundum ordinem *Romanum* in pſalmis in dictis horis, quoties laus ſanctæ Trinitatis *Gloria Patri* cantatur, ſemper ſequi debet antiphona. Antiphonæ enim pertinent ad pſalmos decantandos. Et ita beatus Gregorius ad ſingulos pſalmos dictarum horarum antiphonas ordinavit. Sed aliqui aliquando in Laudibus, aliquando in Veſperis hunc decorem pervertunt, de quo poſterius dicemus. "

„ na. Imo in *Ambroſiano* officio non habent antiphonas. Et BENEDICTUS „ in minoribus congregationibus concedit, in illis pſalmos dici directanee „ ſine antiphona. Et debent antiphonæ imponi ante inchoationem pſalmo- „ rum. Et hoc obſervetur, etiamſi quis privatim dicat horas, ut ſervant „ *Romani*, & *Ambroſiani*.“ Notat hoc, quod cum impoſitio antiphonæ ſit norma toni in pſalmo imponendo, videri poſſet ſupervacaneum in privato officio pſalmis præponere initium antiphonæ, niſi id conformitas ſuaderet, ut officium divinum privatim iuxta publicam formam inſtitueretur. Alienum hoc eſt ab uſu *Gallicano* avito, quod tamen ad nos nihil attinet, qui de publice decantandis horis canonicis nunc agimus: quo maxime pertinent quoad horas minores, quæ idem poſtea dicit RADULPHUS *Tungrenſis* a). *Prop. XIII. & XIV.* Et propoſitione ſequenti poſtquam egiſſet de reſponſorio brevi, quod *Ambroſianum* officium habet ad ſingulas horas (ſecus ac ordo *Benedictinus*) de eadem iterum re quoad ſingulas minores horas, „ Dictæ quoque (inquit) „ quinque parvæ horæ deberent obſervari ſub humilitate, & Vigiliæ, Lau- „ des, Miſſa, & Veſperæ magis eleganter. Unde magis ſolemne eſt, ut hy- „ mni parvarum horarum in eorum nota facili non mutentur. Et in *Am-* „ *broſiano* officio quaſi omnes hymni facilem habent notam.“ Quoad pſalmos vero *Ambroſianum* cum *Romano* convenire dicit, etiam quoad numerum, qui ternus ubique ſicut in antiquis regulis monaſticis præſcribitur huius ævi medii (uti etiam primæ ætatis, ut vidimus) veluti in regula S. COLUMBANI, & S. ISIDORI b). Nihil illic de Prima, forte iuxta primævam inſtitutionem Orientis, a qua quoad horas minores in hoc abitum eſt, quod non recitentur privatim, ſed publice conventus fiat. In alia eius temporis cuiusdam regula apud HOLSTENIUM diurni pariter ac nocturni præſtituuntur tres conventus *P. II. cod. Reg. p. 291.*

a) „ Ad Primam autem (inquit) Tertiam, Sextam, & Nonam hymni conſueti more *Romano* non mutantur, & in minori congregatione ſub facili tono ſervari debent. Nam hoc generaliter conſtituendum eſt, ut quinque parvæ horæ ſub humilitate ſerventur, & tres maiores feſtivius celebrentur. Ad quod accedit auctoritas beati BENEDICTI, qui in minore congregatione pſalmos in parvis horis directance dici permittit. Aliquorum autem congregatio paucis temporibus illos horarum hymnos cantat ſub tono feſtivitatis, ultimo verſu variato. Et aliquorum uſus ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam tempore natalis Domini habet hymnum *Agnoſcat*, qui in hymnariis *Romanis* reperitur. Sed qui quotidie in feſtivitatibus hymnos conſuetos omittunt, & ad easdem horas dividunt hymnum feſtivitatis, nec auctoritatem habent, nec exemplum, ſed nimium abutuntur. Ideo illos ſequi non debetis; ſed in humili congregatione veſtra, humillima decantate.“

b) „ Sed (docet regula S. COLUMBANI *c. 7.*) quia orationum canonicarum noſcendus eſt modus, in quo omnes ſimul orantes horis conveniant ſtatutis, quibusque abſolutis unusquisque in cubiculo ſuo orare debet, per diurnas terni pſalmi horas pro operum interpoſitione ſtatuti ſunt a ſenioribus noſtris cum verſiculorum augmento intervenientium.“ Et regula S. ISIDORI *c. 7.* „ In Tertia, Sexta, Nona tres pſalmi dicendi ſunt, reſponſorium unum, lectiones ex veteri novoque teſtamento duæ: deinde Laudes, hymnus, atque oratio.“

a c. 35. b p. 391. ventus præter Primam a). Regula Magiſtri pleniter rem declarat de modo pſalmorum, eorumque numero in die b). Notandum eſt ſequens in eodem argumento apud Holstenium cap. 40. „Prima, Tertia, Sexta, Nona cum pſallitur, ſed tertius pſalmus, absque ab Epiphania cum *alleluia* „ſemper imponatur, currente ſemper pſalterio.“ Niſi textus ſub mendo cubet, ſenſus eſſe videtur, cum horæ iſtæ minores pſalluntur, neque directanee tantum dicuntur, tertium pſalmum cum *alleluia* ſemper imponi, niſi poſt Epiphaniam, quando nimirum a Septuageſima *alleluia* deponitur, alias etiamnum in horis minoribus ſaltem in dominicis & tempore paſchali *alleluia* pro antiphona habetur. De qua re Radulphus differentiam quandam

Prop. XV. notat ſæculo decimo quarto, quam hodie nuspiam reperio. „De reſponſoriis (inquit) & verſibus ad Tertiam, Sextam & Nonam omnes uſus concordant. Sed in antiphonis dominicalibus ad Primam, Tertiam, Sextam „& Nonam, ubi in *Romano* laus Dei agitur per tria *alleluia*, aliæ nationes „illam agunt per antiphonam ſanctæ Trinitatis.“ *Græci* in horis minoribus, quas easdem ac nos habent, frequentant *alleluia* etiam in Quadrageſima, & quidem ter poſt pſalmos, & *Gloria* inter μεσώρια, ſeu *medias* quasdam *horas*, quas partim in eccleſia concinunt, partim privatim. Nonæ ve-

T. II. Iunii apud Bolland. ro ſubiungunt *typica*, quæ recitantur tantum ſine cantu. Primam vero Laudibus iungunt cum Matutinis computantes. *Mozarabes* econtra inter Laudes & Primam peculiarem horam habent *auroram*, ut iam dixi. Primam vero antiphona auſpicantur, & ſalutatione: *Dominus ſit ſemper vobisbum:* ſtatimque dicuntur ſeptem pſalmi, ac iteratur antiphona, quam ſequitur reſponſum unum cum prophetia, unaque epiſtola & laude, quam comitatur hymnus cum ſuo verſu, moxque dicitur *Te Deum laudamus*, *Gloria*, & *Credo*. Id autem obſervatur, quod diebus dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, quotiesque in Sacro *Gloria* non dicitur, non recitatur in Prima *Te Deum laudamus*, aut *Gloria*. Tertia ac reliquæ horæ pariter ab antiphona incipientes quatuor habent pſalmos, ſolumque differunt, quod alii pſalmi, hymni &c. in ſingulis horis habeantur. Hæc fere Roblesius in Vita Ximenii Card. c. 25.

Veſperæ & Completorium. XIII. Quoad officium veſpertinum antiquus habetur canon Concilii *Emeritenſis* an. 666. in *Hiſpania*, ubi deinceps officium *Mozarab.* viguit. „Sicut „in

a) „Tribus conventibus diei, totidemque noctis tempore in eccleſia conveniendum: tres pſalmi in unoquoque conventu diei canendi ſunt; duodecim vero in nocturnis conventibus cantabuntur, præter illam Miſſam, quæ celebratur ortu ſolis.“

b) „Pſalmi namque per horas ſupra ſcriptas diei, id eſt, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam terni diei debent, currente ſemper pſalterio, ſingula reſponſoria, lectionem apoſtoli, lectionem evangelii, quam ſemper abbas dicat, aut ſi abſens fuerit, præpoſiti vicibus dicent, poſt ipſam *rogus Dei*.“

„ in fide ſancta (aiunt Patres) noſtra eſt unanimitas, ita pro ſancto DEI c. 2
„ officio debet eſſe intentio ſumma. Oportet ergo, ut ſicut in aliis ec-
„ cleſiis veſpertino tempore poſt lumen oblatum prius dicitur veſpertinum,
„ quam ſonum in diebus feſtis, ita & a nobis cuſtodiatur.“ In hoc canone adumbratur officium lucernarium cum veſpertino & *ſono* in diebus feſtis, inter ſe diſtinguendum ſicut totum a ſuis partibus (ſecus ac nonnullis eſt viſum) uti produnt ipſa breviarii *Mozarabici* verba a). Forte dictus eſt *ſonus*, quia ſonora voce decantatus, ſubiungit *Garſias* Loisa not. in can. *Emerit.* Idem putat *laudes* idem eſſe in regula S. Isidori, quod hic *ſonus:* quando agit de officio veſpertino: „In veſpertinis officiis (inquit) primo lucernarium,
„ deinde pſalmi duo reſponſorius unus & laudes, hymnus atque oratio di-
„ cenda eſt. Poſt veſpertinum autem congregatis fratribus oportet vel ali-
„ quid meditari, vel de aliquibus divinæ lectionis quæſtionibus diſputare,
„ conferendo pie & ſalubriter, tantumque meditando diſputandoque immo-
„ rari, quoadusque Completorii tempus poſſit occurrere.“ De Completorio nihil amplius addit: ubi in officio *Mozarabico* iterato ſæpius *alleluia*, inſertisque hymnis occurrunt plures pſalmi, quam in aliis officii divini partibus. Unde etiam colligit Mabillonius officium *Mozarabicum* S. Isidoro non adeo aſſerte tribui, cum nec in horarum numero conveniat, ut ex dictis conſtare poteſt, neque etiam in pſalmorum uſu, qui exiguus uſus eſt in officio *Mozarabico*, antiphonis magnam partem conſtante, ac *laude, ſono;* atque in officio veſpertino cantici *Magnificat* ſolum in feſtis B. V. dici ſoliti locum obtinet *laus.* At nec Fructuosi regula in plerisque convenit cum officio *Mozarabico*, vel etiam regula S. Isidori: *Primam*, & *duodecimam* aſſignat ille, quas hic prætermittit, & *duodecimam* quidem a veſpera diſtinguit, dum hoc modo ab eo recenſentur horæ canonicæ: *Tertia, Sexta, Nona, duodecima videlicet, atque veſpera.* Regula *Magiſtri*, eundem, qui nunc habetur, horarum canonicarum ordinem præſcribens, etiam *duodecimam* nominat. „Prima (inquit) ſic dici debet, quomodo *duo-* c. 34.
„ *decima*, quæ dicitur veſpera. Nam Prima ſic dici debet pungentibus iam
„ ra-

Margin notes: a) T. VI. Conc. Labb. p. 519. — Cap. 6. Reg.

a) „ Dies ſive ſit feſtivalis, ſive privata, ſemper horæ incipiunt a veſpertinis ante diem: & principium fit per invocationem IESU Chriſti oratione dominica præcedente ſubmiſſa voce dicendo: *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter.* Et alta voce: *In nomine Domini noſtri IESU Chriſti lumen cum pace*, hoc eſt lumen oblatum. Reſpondetur a circumſtantibus: *Deo gratias.* Et presbyter dicit: *Dominus ſit ſemper vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Et ordo Veſperorum ſive ſit feſtum, ſive non, ſequitur per hunc modum. Primo dicitur pſalmus, ſive Veſpertinum, quod idem eſt: quo finito presbyter dicit, *Dominus ſit ſemper vobiſcum.* Reſpondetur, *& cum ſpiritu tuo.* Statim dicitur ſonus, ſi ſit feſtum: eoquod dies ferialis caret ſono; niſi tempore reſurrectionis propter ſolemnitatem dicitur. Hæc regula ſonus eſt: *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro.* Verſ. *Præoccupemus faciem Dei in confeſſione, & in pſalmis iubilemus Deo.*“

„radiis ſolis, & veſpera adhuc radiis declinantibus eius. Quia quomodo „ inchoatur dies in initio in opere DEI, in tali debet expleri & fine: ut „ compleatur ſcriptura dicens: *A ſolis ortu &c.* In æſtivo vero tempore „ adhuc altius ſtante ſole lucernaria inchoentur propter breves noctes.“ Lucernaria nihil aliud eſt quam veſpera, ut prius in recenſione ſeptem horarum canonicarum nominarat immediate completorium iungens, uti mox de pſalmodia utriusque modum præſcribit c. 36. „Pſalmi lucernariæ in hieme „ dici debent ſex, currente ſemper pſalterio, reſponſorium unum, verſum, „ lectionem apoſtoli & evangelii, quæ ſemper abbas dicat, poſt hæc & „ *Rogus DEI*, ut tam iſtæ cum reſponſorio & evangelico novem impoſitiones pſallentium ſine verſu & lectione, quam illæ quaternæ horarum ipſius „ diei impoſitiones, id eſt per ipſas horas; hoc eſt Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, ternarum antiphonarum & reſponſoriis ſingulis, quæ omnes „ veniunt ſedecim abſque verſus & lectiones explendo, toties pſallere viginti „ quatuor vicibus &c.“ Hinc firmatur id, quod iam non ſemel notavi, *impoſitiones* pertinere ad modulationem cantus, ut ex ſequenti capite pa-
c. 41. tet regulæ Magiſtri: „Pſalmi lucernariæ cum antiphonis pſalli debent; in „ quibus duo ultimi cum *alleluia* currente ſemper pſalterio, ſingula reſponſoria, verſus, lectio apoſtoli, & evangelii, quod ſemper abbas dicat ſine „ *alleluia.* Nam omnes antiphonæ ipſo die benedictionibus dictis cum *alleluia* pſallantur.“ Colligitur hic ſolemnior lucernariæ ſeu veſperarum celebratio, quam reliquarum minorum horarum, quod ſemper fuit factum: uti etiam Benedicti *Anianenſis* iuſſu in monaſteriis veſperæ cum antiphonis, & vigiliæ cum antiphonis & reſponſoriis *pleniſſime atque ſuaviſſime* canebantur. Sic tradunt capitula monachorum ad *Augiam* directa apud P. Herrgott, congruitque regulæ S. Benedicti, a qua nonnihil hic abit regula *Magiſtri* in omnibus horis æqualem modulationem præſcribens etiam in Completorio, quod S. Benedictus ſemper directanee dici voluit ſine antiphonis. Regula vero Magiſtri: „Pſalmi Completorii omni tempore cum „ antiphonis pſallantur: quia totæ ſeptem vices in die, in quibus laudes DEO „ dicit, nos debere cum propheta dicere, æquali modulatione canuntur, „ propter ſeptiformem Spiritum, qui non eſt in aliqua parte diſcretus.“ Apud *Græcos* τὴν ἀπὸ δείπνων ἀκολεθίαν ex uſu dixeris Completorium, officium, quod poſt ſumptam cœnam decantatur: ac duplex eſt primum μέγα dictum, quod per totam Quadrageſimam pſallitur; & præſertim XII. pſalmi canuntur. Alterum μίκρον dicitur, & per reliquum anni tempus celebratur. Utrumque extat in *Græcorum* horologio. Maxima vero apud eosdem ſolemnitate veſperæ maiores celebrari ſolent poſt minores, quæ ante ſolis occaſum circa horam

horam decimam iuxta typicum dicuntur a). Et poſt Collectam, precesque lucernarias quæ propriæ apud *Græcos* λυχνικὸν, ſeu lucernarium vocantur, pars prima τοῦ ἑσπερινοῦ totius veſpertini officii ſolis precibus (cum tempus inſtat lucernæ accendendæ) conſtans, ſequitur cathiſma, ſeu pars vigeſima pſalterii cum antiphonis, quibus ſingulis collecta ſubiicitur, reſpondente choro ante ingreſſum ſacerdotis, ad quem oratio Introitus dicitur. „Notum ſit, diaconum indui debere (ut habet Goar p. 3.) ſub tertium pſalterii antiphonum (dummodo ſit pſalmorum *Davidicorum* per verſus recitatio) ſin vero, dum cantatur prooemiacus.“ Et poſtea p. 4. „Cantato „*lumen iucundum* dicit diaconus. *Attendamus*, & ſacerdos, *Pax omnibus.* „Et iterum diaconus, *ſapientia, attendamus* b), & canitur propoſitum diei „diſtichum: & poſt lectiones diaconus prolixam facit orationem frequenti po„puli reſponſione. Et ſacerdos elatiore voce ſuccinit *Quia bonus &c.* Et „poſt exclamationem (ut habet Goar.) proceſſionis verſus canuntur: καὶ μετὰ τὴν ἐκφώνησιν ψάλλονται τὰ ϛιχηρὰ τῆς λιτῆς. (Et): Fratres autem ca„nentes diaconus incenſat de more: & verſibus terminatis: *Salva Domine &c.* „Et cantatur *Domine miſerere* quadrageſies.“ Poſt ſecretam orationem, *Tunc pſallimus*, ut habet typicum, *Idiomela illius ſancti, qui eo die colitur, facientes proceſſionem* λιτανεύοντες *in Narthece.* Quod fit ad frequentes variosque tonos eccleſiaſticos. „Hiſce abſolutis (proſequitur typicum c) „incipimus ſtichera verſiculi, & pſallentes templum ingredimur. Accinen„tes etiam verſiculos tali die occurrentes.“ Quæ ſunt Idiomela cum variis itidem tonis, ſeu ἤχοις, veluti etiam dimiſſorium poſt *Nunc dimittis*, Triſagion &c. quæ canuntur finitis verſibus e verſiculis *Davidicis* compoſitis. Et poſt *Pater noſter*, ut habetur apud Philotheum patriarcham in ordine inſtituendi diaconum, videlicet quomodo miniſtrat diaconus cum ſacerdote in magno veſpertino &c. exclamat ſacerdos d): *Quoniam tuum eſt*

T. IV. Bibl. PP. Pariſ. p. 529. &c.

regnum

a) „Inchoante presbytero *Benedictus Deus*, & præſide eccleſiæ poſt *Venite adoremus* pſalmum prooemiacum *Benedic anima mea &c.* tranquilla & ſubmiſſa voce. Et eodem modo dicitur pſalmus: *Domine clamavi &c.* tono dominicali. Recitantur verſiculi tres. Et pſalluntur proſomii ſeu ſimilares, inter quos pſalmus, *Dominus regnavit*, poſtea Mariale, *Nunc dimittis*, Triſagium, Dimiſſorium, & ſit ἀπόλησις, ſeu *dimiſſio*. Poſt ſolis occaſum, dato iterum ſigno, accenſis lucernis, factaque ſolemni incenſatione, incipit præſes *Venite adoremus &c.* bis elata voce cum cantu dicendo. Et poſtea voce adhuc clariore & tono obliquo 4. pſal. *Benedic anima mea.*“

b) Μετὰ τὸ τέλος τοῦ Φῶς ἵλαρον λέγει ὁ διάκονος· πρόσχωμεν, καὶ ὁ ἱερεὺς. εἰρήνη πᾶσι. Καὶ πάλιν ὁ διάκονος· Σοφία, πρόσχωμεν· καὶ ψάλλεται το προκείμενον τῆς ἡμέρας.

c) Ψαλλομένων τῶν ἀπὸ ϛίχου ϛιχηρῶν. Goar. p. 4.

d) Καὶ, ψάλλεται τὸ ἀπολύτικον τῆς ἡμέρας. Εἰ μὲν ἐϛὶ κυριακὴ, τὸ Θεοτόκε παρθένε ἐκ τρίτου, εἰ δὲ ἁγίου μνήμη μεγάλου τὸ τροπάριον τοῦ ἁγίου ἐκ δευτέρου, καὶ τὸ Θεοτόκε παρθένε ἅπαξ. Ψαλλομένου οὖν τοῦ τελευταίου μεγαλοφώνως, καὶ ἀργῶς κ.τ.λ. Goar. pag. 4.

regnum. Et cantatur dimiſſorium diei. Quodſi eſt dominicus dies, cantatur illud *Deipara Virgo.* Si vero magni alicuius ſancti recordatio, troparium ſancti ſecundo iteratur, & *Deipara virgo* ſemel. Quodſi feſtum dominicale eſt, aut DEI matris, ter dicitur. At poſtquam ultimum dimiſſorium cantatum eſt elata voce, & tamen lente, diaconus benedictione a ſacerdote ſuper incenſo petita in gyrum ac in modum crucis panem incendit &c. Et poſtquam abſolutum eſt troparium cum horario, quinque panes oſtendens dicit: *Dominum oremus &c.* & poſtquam cantatum eſt & dictum a fratribus *Benedicam Dominum*: ingreditur ſacerdos unacum diacono ſanctum ſuggeſtum. At fratres pſalmum dicunt uſque ad: *non minuentur omni bono.* Verum ſacerdos intra ſanctum ſuggeſtum exclamat *Benedictio Domini ſuper vos &c.* Quodſi non ſunt vigiliæ, poſt abſolutionem ex ſerie verſuum ſecreto ingreditur ſanctum ſuggeſtum. Et poſt *triſagion* exclamat: *Quoniam tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria*, & cantatur dimiſſorium. Verum diaconus extra ſtans poſt troparium exclamat, *Benedic*, & ſacerdos intus: *Qui eſt benedictus Dominus DEUS noſter nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum*, & cantant illud: *Confirma Domine reges*, & ſacerdos dicit voce lenta, *Sanctiſſima Deipara ſalva nos*, & fratres cantant venerationem: & rurſus ſacerdos lente: *Gloria tibi Deus ſpes noſtra tibi gloria*: & dicunt fratres *Gloria & nunc, Domine benedic*: Et ſacerdos aperiens ſanctas portas.... hanc dimiſſionem dicit: *Chriſte vere DEUS noſter &c.* Ex his patet, celeberrimam hanc eſſe in officio *græco* horam, quæ apud nos pariter ſolemni ritu celebratur, præſertim dum a vigiliis frequentia fidelium abeſſe cœpit: atque ideo forte imprimis priores veſperæ celebrantur præcipua cantus ac ritus ſolemnitate, quod ſuo tempore AMALARIUS haud probavit a). Imprimis notabile eſt, quod dicit de antiphonis & pſalmis propriis ſecundum feſta, vel communibus ferialibus. Qua de re iterum audiendus eſt RADULPHUS prop. X. id *Alemannis* laudi tribuens, quod *ubi poſſunt, ſe tenent ad*

De ord. Antiph. c. 16. a

a) Quando (inquit) iuvenis fui, vidi cantores præcedentem veſpertinalem ſynaxim ante diem alicuius ſolemnitatis celebriore cantu & glorioſiore celebrare, quam ſequentem veſperam diei feſtivitatis: in tantum, ut aliquoties in præcedente veſpera celebraretur cantus de feſtivitatibus Sanctorum, & in ſequente de feriis communibus. Habuimus tamen ſcriptum in antiphonariis de die nativitatis Domini, & natalitiis apoſtolorum PETRI & PAULI, atque ANDREÆ antiphonas aptas & congruas memoratis diebus in veſpere ſequente ea die, quando Miſſa de natalitiis eorum celebratur, & ibi cecinimus eas, ſicut adhuc facimus. Ego imbutus priſca conſuetudine cœpi cogitare, quare non eſſent memoratæ antiphonæ de natalitiis Sanctorum in præcedentibus Veſperis conſtitutæ, in quibus audiebam per cæteras feſtivitates Sanctorum glorioſiorem ſonum, & videbam maiorem conventum populorum, atque celebrius officium luminum, quam in ſequentibus. Inveni, Deo miſerante, rationabilius inventum eſſe cultum ſolemnitatum veſpertinalium apud ſcriptores antiquos, qui antiphonas ſcripſerunt, quam apud cantores modernos."

ad feriales pſalmos a). At ſecus hoc nunc fieri apud nos comperimus. Vetus vero obſervantia integra eſt in ritu eccleſiaſtico, quo veſperæ laudibus aſſimilantur, quemadmodum aliæ aliis minoribus horis, exceptis vigiliis, ut obſervat RADULPHUS: „Vigiliæ autem ſunt canonicæ horæ per ſe, non „habentes cum aliis parilitatem: ſed laudes & veſperæ inter ſe, item Prima & Completorium inter ſe: & Tertia, Sexta, & Nona inter ſe habent parilitatem, & ſimilem officiandi ordinem atque modum. De parilitate Tertiæ, Sextæ, & Nonæ ſatis evidens eſt: de aliarum parilitate videamus. Quod autem laudes & veſperæ ſimili modo debeant officiari, habemus duo iura poſita in decretis 12. diſt. c. ult. Et de conſecratione diſt. 5. cap. *Convenit.*" Primam poſtea Completorio æquiparat, ubi præterea carpit, ordinem in multis perverti, varia in variis horis præter avitum ordinem *Romanum* addendo, ſubtrahendo, & transponendo b). *Prop. XLV.*

XIV. Pauca hæc ex monumentis medii huius ævi de ſingulis horis canonicis ad meum collegi inſtitutum de cantu ac muſica eccleſiaſtica: multa tamen adhuc alia occurrunt, ſuis plerumque titulis digeſta, apud auctores illius temporis, qui de officiis divinis articulatim ſcripſerunt. „Quatenus (inquit ex illis AMALARIUS in proœmio libri quarti de eccleſiaſticis officiis) conſiderato ordine compoſitionis, & numero pſalmorum, & lectionum ac reſponſoriorum convenienti quibusque temporibus dulcius atque compunctius DEO aſſiſtatur in eccleſia, & rogetur atque recordetur tam pro ſe, qui rogat, quam pro illis, quibus neceſſaria eſt deprecatio:

Iugis uſus in horis canonicis pſalmorum & canticorum S. ſcripturæ.

a) „Pſalmi quoque veſpertini quotidie ad pſalterii complementum continuari debent: ſalvo quod de nativitate Domini, de apoſtolis, de ſancto STEPHANO in antiphonario pſalmi cum antiphonis propriis habentur. Et quando dominicales in hebdomada paſchæ & pentecoſtes, & in die aſcenſionis perſolvuntur. In feſtivitatibus quoque ad ſecundas veſperas Fratrum minorum uſus ponit pſalmos dominicales, ultimo ſecundum feſtivitatem mutato; *Galli* vero in maioribus feſtivitatibus per pſalmos *Laudate* ſolemnizant; ſed *Alemanni* ubi poſſunt ſe tenent ad feriales."

b) „Addendo, ut qui laudibus verſiculum ſacerdotalem præponunt, & ad veſperas in certis cantibus reſponſorium cantant, quorum utrumque *Romani* nunquam faciunt. Sed utriusque generalis conſuetudo contraria prævaluit, cuius rationem ponunt Rationalia divinorum. Subtrahendo, ut qui in laudibus aliquando nullum habent hymnum, ſeu aliquando decurtatum. Et iſti manifeſte offendunt dictum Concilium. *Romanum*, *Benedictinum*, & *Ambroſianum* officium, quodlibet ſemper habet hymnum. Transponendo, ut qui alio ordine dicunt hymnum in uno, quam in altero. Additio tolerari poteſt, ſubtractio autem & transpoſitio videntur vitioſæ. Completorium vero & Prima fere ſimilem habent officiationem &c. Et quia ſicut cæteræ horæ parvæ ſolam debent habere antiphonam: ideo excellentiori uſu pſalmi Completorii directanei ſunt cum *Alleluia*, & ad canticum antiphona collocatur &c. Et ſciendum, quod *Ambroſiano*, *Benedictino*, & *Romano* more Completorium per totum annum eſt uniforme, nec aliqua mutantur, niſi propter tempus aliqua ſubtrahantur &c."

„ tio: & recordetur illorum, quorum nobis eſt utilis recordatio.“ Pertinet huc *interpretatio pſalterii artis cantilenæ, vel ſpecierum ſingularium, vel nominum, quæ commemorantur in pſalmis.* De qua Tom. II. oper. Ven. Thomas. p. XLIV. Pſalmodiæ nomen inde ab antiquiſſimis temporibus manſit. *Pſalmodiæ*, monet S. Gregor. *& lacrimis horas vitæ frequentius impende.* Frequens ea eſt in omnibus monumentis eccleſiaſticis a potiori denominatio. Maximam partem ſacræ modulationis pſalmi complent, primusque, medius, & noviſſimus eſt David, ut hactenus ubique gentium ſervatur (quam diverſi cæterum ſint ritus) *Mozarabicum* ſi quadantenus excipias: quod mirum videatur, quandoquidem a Concilio *Bracarenſi* I. dudum eſt cautum: „Ut ultra pſalmos vel canonicarum ſcripturarum novi & veteris teſtamenti nihil poetice compoſitum in eccleſia pſallatur, ſicut & ſancti præcipiunt canones.“ Poſtea quidem PP. Conc. IV. *Toletani* hoc decretum moderantes alios etiam admittendos hymnos exiſtimarunt. Priorem rigorem hoc medio ævo *Lugdunenſis* eccleſia tenere contendit: „Sicut in diebus ad Miſſas nonniſi divina generaliter eloquia decantantur: ita & in noctibus ad ſacras vigilias exhibendas ea procul dubio lex debeat obſervari,“ ut Agobardus de pſalmodia divina loquitur, totusque in eo eſt libro de correctione antiphonarii, demum ita concludens: „Quatinus in ſacris officiis peragendis... una a nobis atque eadem cuſtodiatur forma orationum, forma lectionum, & forma eccleſiaſticarum modulationum.“ Extendit hæc etiam ad ipſa reſponſoria, aut antiphonas, *quæ ſolent aliqui compoſito ſono pro libitu, non ex canonica ſcriptura aſſumta canere*, quæ ſunt eius verba ex regula SS. Pauli & Stephani. Aliud tunc cenſuit *Metenſis* eccleſia, aliæque tum Occidentis, cum Orientis maxime eccleſiæ, quæ humano ingenio nimium etiam indulſerunt, ſervando nihilominus in pſalmis cum canticis canonicis veteris & novi teſtamenti ordinem, qualem S. Germanus in theoria rerum eccleſiaſticarum deſignat: „Sciendum autem eſt (inquit) initio omnis officii matutini & veſpertini primum veteris teſtamenti cantari pſalmos, deinde novæ gratiæ cantica, veteri nimirum præcedente, cuius legiſlator hic natus extremis diebus oracula fudit, ut omnes intelligant, unum & eundem DEUM ac Dominum eſſe, qui has & illas leges ſancivit Chriſtus.“ Pſalmis *Davidicis* eccleſia etiam ubique gentium iunxit ſemper alia veteris & novi teſtamenti cantica. Tomo ultimo *Polyglottorum Anglicorum* exhibetur diviſio pſalmorum Davidis in diurnos & nocturnos, unacum canticis quatuordecim, ultimum ὕμνος ἑώθινος, in quo multa occurrunt, quæ ad verbum in hymno *Te Deum laudamus* continentur a). Præcipuus tamen ſemper fuit pſalmorum uſus. Saluber-

L. X. reg. ep. ultima. — c. 12. — *T. IV. Bibl. PP. Pariſ. p.* 673.

a) Vid. Lambec. lib. III. Bibl. *Vindobon.* p. 379. ubi agit de canticis pſalterio *Vindob.* ſubnexis.

luberrimus hanc in rem eſt Conc. *Nicæni* II. canon iunctis tum occidentalis cum orientalis eccleſiæ votis: „Quoniam pſallentes Deo ſpondemus *in iuſtifi-„ cationibus tuis meditabor, non obliviſcar ſermones tuos:* omnes quidem chri-„ ſtianos ſalutare eſt hoc ſervare, eos autem præcipue, qui ſacerdotalem digni-„ tatem obtinent. Quamobrem decernimus quemlibet, qui ad epiſcopalem „ gradum eſt provehendus, pſalterium omnino noſſe, ut ex eo omnem „ quoque ſuum clericum ita inſtitui moneat." Ita dudum antea S. Gregorius M. „Sed nec Ioannem presbyterum pſalmorum neſcium præ-„ ſumſimus ordinare, quia hæc eum res minus ſui profectus habere ſtudium „ demonſtrabat." Concilium *Toletanum* VIII. non ſolum in epiſcopis, ſed in omni dignitate eccleſiaſtica requirit id, quod adhuc clarius ad propoſitum eſt: „Nullus cuiuſcunque dignitatis eccleſiaſticæ deinceps percipiat gra-„ dum, qui non totum pſalterium vel canticorum uſualium & hymnorum „ perfecte noverit ſupplementum." Concilium *Aquisgranenſe* in viſitandis diœceſibus inter alia indagari vult: „Ut epiſcopi diligenter diſcutiant per „ ſuas parochias presbyterorum fidem, baptiſma catholicum, & Miſſarum „ celebrationes, ut fidem rectam teneant, & baptiſma catholicum obſervent, „ & Miſſarum preces bene intelligant, & ut pſalmi digne ſecundum diviſio-„ nes verſuum modulentur." Qui canon in capitulari I. Caroli M. totidem verbis habetur c. XXVIII. apud Baluzium, & in Conc. *Germ.* In ſerm. ſynodali, qui S. Udalrico *Auguſtano* tribuitur, præſcribitur: *Pſalmorum verba, & diſtinctiones regulariter ex corde cum canticis conſuetudinariis pronunciare ſciat.* In capitulis Quilleberti epiſc. apud Baluz. primum eſt: *Ut unusquisque recte ſuos pſalmos decantare poſſit.* Hoc ſtudium præcipuum Riculphus *Sueſſionenſis* ſæculo nono parochis ſuis inculcavit: „Habete quæſo ſtudium in pſalmos cantando, in divinos libros le-„ gendo, in canonicas horas cuſtodiendo, id eſt Primam, Tertiam, Sex-„ tam, Miſſarum quoque celebratione, Nonam, Veſperas, & Completo-„ rium, atque matutinale officium decantando: & invitate parochianos ve-„ ſtros, ut ſi ad alios curſus venire non ſufficiunt, ſaltem Miſſas audire „ frequentius ſtudeant, & dominicis, atque aliis diebus feſtis veſperas, ma-„ tutinas, & Miſſas frequentare non prætermittant. (Et) Monemus, ut „ unusquisque veſtrum pſalmos, & ſermonem fidei catholicæ cuius initium: „ *Quicumque vult ſalvus eſſe*, & canonem Miſſæ, ac cantum, vel compu-„ tum memoriter & veraciter ac correcte tenere ſtudeat." PP. Conc. *Coyacenſis* in diœceſi *Ovetenſi* an. 1050. decernunt, „Ut archidiaconi ta-„ les clericos conſtitutis quatuor temporibus ad ordines ducant, qui per-„ fecte totum pſalterium, hymnos, & cantica, epiſtolas, evangelia, &

L. IV. ep. 45.

Can. 8.

c. 70.

T. I. p. 416.

T. II. Capitul. p. 1377.

 „ ora-

„ orationes ſciant.“ Pſalterium autem, præcipua divini officii pars, primum ſupponitur in ſtatutis regularibus ſynodi *Franciæ* an. 803. *Ut ſcholaſtici, poſtquam pſalmi, cantica & hymni memoriæ commendata fuerint &c.* Noſtris etiam temporibus non raro apud monachos obligatio eſt memoriter tenendi pſalterium, *In quo*, ut ait Radulphus *Tungrenſis*, *principaliter officium conſiſtit.* Agens is de continuando pſalterio, hoc præſertim inculcat: *quod ſicut ſunt pauci dies dominici & multæ feriæ, ita paucæ debeant eſſe feſtivitates, & multæ feriæ, ſeu dies ſanctorum trium lectionum.* Hildemarus in comment. in reg. S. Ben. c. 18. ſic habet: *Totum pſalterium in officio Romano non canitur, & tamen præcipit regula per unamquamque ſeptimanam totum omnino eſſe canendum cum canticis ſuis.* Inter labores Alcuini in receſſu ſuo *Turonis* etiam ponitur, eum pſalterium *Davidicum* per hebdomadæ dies diſpoſuiſſe. Perſæpe vero apud monaſticas congregationes aut integri pſalterii, aut partis alicuius etiam extra ſtatas horas canonicas pſalmos decantandi eſt uſus, licet non ita ſolemnis: de quo Gerardus in vita S. Udalrici *Auguſtani* narrat c. 4. „Prima vero „ expleta, fratribus ſolito more crucem portantibus ipſe remanens in ec„ cleſia, codiculum breviatum ex pſalmis cum aliis orationibus interim de„ cantavit, uſque dum fratres cum cruce redirent, & Miſſam ſacrificationis „ celebrare cœpiſſent.“ In cod. *Vatic.* n. 1981. habetur index libr. Bibl. S. Vincentii circa XI. ſæc. ſcriptus, in quo *flores pſalmorum*, & *alius orationalis* enumerantur: uti refertur in præf. ad P. I. T. I. de liturg. & pſalm. *Hiſp.* Thomasii, qui *flores pſalmorum* Prudentii epiſc. *Tricaſſini* edidit. Hæc autem ad nos non pertinent, cum de publico pſalmorum cantu agamus in horis præſertim canonicis; alias enim etſi iugis fuerit pſalmorum uſus, plerumque ſine cantu fuit.

Prop. 17.

Pſalmodia ad laborem, & refectionem.

XV. In Petri diaconi diſciplina *Caſinenſi* apud P. Herrgott p. 3. præceptum extat: „Quando eccleſiam intraverint, vel de eccleſia exierint, „ ſive ad comedendum, vel bibendum venerint, pſalmos decantent. . . . „ Cum decanus percutit cymbalum ad veſcendum, pſalmos decantent.“ Singulari religione medio ævo panis euchariſticus parabatur. *Diaconi cum ſubdiaconis*, teſte Humberto in libro contra *Græcorum* calumnias, *ſeu ipſi ſacerdotes ſacris amicti veſtibus cum melodia pſalmorum azyma conſperſum & in ferro paratum ex ſecretario proferebant.* Omnia articulatim proſequitur Bernardus in ord. *Cluniac. de hoſtiis faciendis.* Patet vero ex capite 75. de opere manuum, quando communem panem in piſtrino faciebant fratres, id cum cantu pſalmorum fieri ſolitum: *Apparent ſe, qui habent*

P. I. c. 53.

bent manus idoneas vel brachia ad panem faciendum, alii cantent pſalmos. Et mox laudatus PETRUS *Caſinenſis* apud P. HERRGOTT p. 3. *Quando farinam conſpergunt aqua, vel panem faciunt, pſalmos decantent.* Antiquiſſimum morem libro primo indicamus, inter pſalmorum cantum manibus laborandi. De quo in S. STURMII *Fuldenſibus* conſuetudinibus apud P. HERRGOTT. „Poſt lectionem autem capituli exeundum eſt ad opus, quod præcipitur a priore, cum ſumma cautela in pſalmorum modulatione, vel „ſpiritualium rerum conlocutionibus.“ Pſalmodiam articulatim deſcribit BERNARDUS loc. cit. de opere manuum apud P. HERRGOTT. Hæreo iterum, an, quod de fratribus ad refectorium in S. STURMII *Fuldenſis* abb. conſuetudinibus legitur nonnunquam, ad peculiarem ſtatis tantum diebus pertineat ritum, veluti dominica Palm. *Completa Miſſa vadunt cum pſallentio in refectorio.* Et paulo poſt de ſabbato S. *Poſt Miſſam, peracta veſpera vadunt cum pſallentio in refectorio.* Et mox Domin. Reſurr. *Finita omnia & completa, procedunt in refectorium cum pſallentio.* Et peculiariter iterum fer. III. hebd. paſch. *Peracta autem Miſſarum ſolemnia, incipientes antiphonam eunt in refectorio.* Ad rem eſt diſtinctio in regula Magiſtri, qualiter pſalli debeat in refectorio: „Pſalmi refectionum tam poſita, „quam levata menſa non ſunt de ſeptem canonicarum vice horarum, ſed „peculiariter DEO de benedicenda, aut comedenda eſca per gratiarum „actionem præbentur; ſine antiphona directanei dicantur; ſed in diebus feſtis cum antiphona vel *alleluia.*“ Ne hic præterierim, quod in chronico abbatiæ S. TRUDONIS lib. VIII. apud DACHERIUM legitur in præcipuis feſtis eius monaſterii SS. TRUDONIS & EUCHARII conveniſſe ingenti numero ſacerdotes & clericos, unde ſtrepitus in menſa: „Ut vix audiri poſſet vox licet altiſona legentis in eminentiori loco... Indeque ſurgentes cantando altis vocibus, quod ad feſtum pertineret, fratres *Miſerere* „*mei DEUS* cantantes ad eccleſiam procederent.“ Apud *Græcos* etiam habetur officium ſingulare ἀπόδιπνον.

De vet. diſc. monaſt. p. 7.

Ibid. p. 5.

p. 6.

c. 43.

T. II. ſpicil. in fol. 689.

XVI. Pſalmorum cantui iunguntur antiphonæ & reſponſoria, quod eſt cum antiphonis vel reſponſoriis pleniſſime atque ſuaviſſime canere, ut habetur in capitulis monachorum *ad Augiam* directis apud BALUZIUM in append. capitular. Antiphonæ uſu antiquiſſimo ex ipſis pſalmis, cum quibus canebantur, ſolebant excerpi. Unde videntur vocari pſalmorum capitula apud GENADIUM, ubi MUSEUM, ſeu MASEUM laudat, qui hortatu VENERII epiſcopi excerpſit ex ſanctis ſcripturis lectiones totius anni, feſtivis diebus aptas, re-


Uſus antiphonarum in horis canonicis.

T. II. capitul. p. 1382.

De vir. ill. c. 79.

reſponſoria etiam & pſalmorum capitula temporibus & lectionibus congruentia. In hiſtoria epiſcoporum *Antiſiodorenſium* c. 59. apud Martenium de antiqua eccleſiæ diſciplina c. 4. Guilielmus epiſcopus ad pſalmos antiphonas addidiſſe dicitur, quod eſt ad normam S. Benedicti, monachis *Ægypti* nullas ad pſalmos adhibentibus antiphonas. Idem T. I. Anecd. præfationem muſicæ diſciplinæ Aureliani monachi inſeruit, ubi religioſus presbyter *Antiſiodorenſis* laudatur p. 124. „ qui inter cætera religionis augmenta „ hoc ſibi adſciverat, ut baſilicæ ſigno pulſante, illico adſurgeret, extemploque eccleſiam præpararet. Dum his & huiusmodi floreret artibus, quadam nocte cum a propria egrederetur domo, quæ parieti hærebat baſilicæ „ in honorem S. Albani martyris, angelorum audivit chorum conſona voce *alleluia* cum pſalmo CXLVIII. uſque ad finem pſalterii, qui attonitis „ auribus ad oſtium ipſius oratorii auſcultans didicit eum. Erat autem *alleluia*, quod mos eſt cum ſuperiore canere pſalmo diebus tantum dominicis, quæ in primo verſu ſemel, in ſecundo bis, in tertio tribus reciprocatur vicibus, & in quarto iterum a capite repetitur, ut autem arbitror in „ honorem ſanctæ & individuæ competenter canitur Trinitatis." Idem reperi ad calcem *diſciplinæ muſicæ* Aureliani in MS. bibl. *Laurent. Florent.* & in MS. *Vaticano* Anonymi de muſica. Notat ibi Martenius hunc ritum poſtea proprium fuiſſe dominicæ Septuageſimæ: congruitque cum antiphonarum primævo uſu, qui hac ætate frequentabatur *pſaltes cum pluribus antiphonis*, ut in Regula S. Columbani vocatur, *in nocturnali officio quotidianarum noctium:* veluti caput tertium de ordine antiphonarii inſcribit Amalarius, ubi ſic loquitur: „ Nos fratres cantemus in nocturnali officio „ totidem pſalmos, quot horæ ſunt in nocte æquinoctionali: & ex ſtatu „ temporis diſcamus debitores nos eſſe pro peccatis eorum intercedere, quorum oblationibus ſuſtentamur. Et ex ſenis antiphonis, quas viciſſim chori „ per ſingulos verſus repetunt, admonemur &c." Quæ verba clare produnt, antiphonas tunc poſt ſingulos cuiusque pſalmi verſus repetitas fuiſſe, quod Thomasius in præfatione ad antiphonale, a ſe editum, miratur, ante ſe neminem obſervaſſe. Exemplum adducit ex MS. antiphonario Miſſæ ad uſum cantorum miſſo, ſervatoque in bibliotheca angelica apud S. Auguſtinum in urbe, in officio Sabbati ſancti, ubi verſibus cantici *Magnificat* ſingulæ interſeruntur antiphonæ hoc modo: Antiphona *Veſpere autem Sabbati &c.* Pſalm. *Magnificat &c.* antiphona: *Et ecce terræ motus &c.* Pſalm. *Et exultavit &c.* Et ſic poſt ſingulos verſus aliæ iterum occurrunt antiphonæ, ut iam retulimus. Hic vero aliud autographum exemplum ob oculos

culos ponimus ex Reſponſali *Vaticano* ſæc. X. circ. Num. 7017. in Nativitate Domini in evangelio, id eſt canticum evangelii, cum diverſis antiphonis ad ſingulos verſus, ac tonis etiam diverſis. Idem habetur in Epiphan. ad *Magnificat.* In Paſchate item ad *Benedictus.*



Videre licet apud MARTENIUM alterius generis exemplum ex IOANNE *De ant. eccl.* monacho in vita S. ODONIS, *Turonenſes* in feſtivitate S. MARTINI, *diſc. c.* 4. nocturnum volentes officium ad lucem uſque protendere, unamquamque *L. I. n.* 10. antiphonam per ſingulos pſalmorum verſus repetere. „ Quia eiusdem officii antiphonæ, ut omnibus patet, breves ſunt, & eius temporis longiores noctes, volentes officium ad lucem uſque protendere, unamquamque „ antiphonam per ſingulos pſalmorum verſus repetendo canebant. “ Hinc THOMASIUS Præfat. in Reſponſ. & Antiphon. pag. XXXIV. germanam elicit rationem, quamobrem contractiores ſint antiphonæ, quæ cum pſalmis vel canticis canuntur in eccleſiaſticis curſibus, quam quæ in Miſſa canuntur ad Introitum, Offertorium, & Communionem: nimirum, quia illæ quam frequentiſſimæ repetebantur poſt ſingulos pſalmorum omnium verſus; hæ vero poſt ſingulos quidem, ſed paucos tantum vel proprios, vel pſalmi verſus alternabant. Aliud genus eſt, de quo MARTENIUS: „ Qui antiquos (ait) noſtros ritus monaſticos percurrerit, is facile deprehendet, non

„ raro

„ raro in præcipuarum feſtivitatum matutinis laudibus, & veſperis antipho-„ nas ter repetitas fuiſſe, in fine cantici *Benedictus* in Laudibus, & cantici „ *Magnificat* in Veſperis; ſemel ante *Gloria Patri*, ſecundo ante *Sicut erat*, „ tertio, integro verſiculo abſoluto.“ Qui ritus in *Turonenſi* olim eccleſia ex vulgari uſu obtinuit; idque vocabant antiphonas *triumphare*, id eſt, ter fari. Exempla eiusmodi diverſa referemus ſequenti libro III. ex ordine MS. operis DEI, qui in hoc noſtro monaſterio *D. Blaſii* ſæculis XIV. XV. & XVI. fuit in uſu. Neſcio, an huc pertineant Conſtitutionum *Cluniac.* ver-

T. I. Spicil. p. 633. ba apud DACHERIUM: „ Canticum evangelii poſt antiphonam, quamvis ter „ recantetur, tamen adhuc & ipſius antiphonæ melodia cantatur cum *alle-„ luia.*“ Apud P. HERRGOTT, de antiq. monaſt. diſcipl. in feſto S. *Petri* GUIDONIS diſciplina *Farfenſis* ad veſperas ita habet: „ Tres vel quatuor fra-„ tres ante altare reſonent hymnum: *Felix per omnes*, & tantummodo in „ hac ſynaxi cantent. Duo ſacerdotes induantur cappis ad deferendum in-„ cenſum. Antiphona, *Tu es Petrus*, & poſtmodum hæc triumphaliter ex-„ ſplicabitur.“ Nemo non videt, agi de antiphona ad *Magnificat.* Simili-

p. 66. ter poſtea de feſto Aſſumtionis B. M. V. antiphona: *Sancta Maria exora ſem-*

p. 82. *per*, & triumphaliter canatur. At de primis veſperis S. ANDREÆ id expreſſe excipitur: *antiphona non triumphaliter.* Vox tamen *triumphare*, etiam dum pluries, aut ad ſingulos verſus fit repetitio, paſſim apud D. de MOLEON notatur in Itinere liturgico, ut ſuo loco videbimus, nondum penitus antiquatum eſſe hunc uſum, quamvis rariſſimus ſit. Et iam ſæculo XIV. a RADULPHO *Tungrenſi* ceu ſingulare in antiquis antiphonariis *Romanis* notantur antiphonæ in dominicis ſuper *Benedicite* multiplicatæ, ſi huc interpretanda ſunt illius verba Prop. XXII. illis, quæ Prop. XV. habet, ſimilia. „ Ad Laudes dominicales ſuper *Benedicite* in antiphonario *Romano* „ multæ habentur antiphonæ, quæ in hieme ſecundum ordinem dicuntur, „ in æſtate autem ſola, ſcilicet: *Tres pueri &c.*“ Econtra vero in ordine *Rom.* BENEDICTI canonici, GUIDONI *de Caſtello*, qui poſtea fuit COELESTINUS II. P. inſcripto, ſub titulo *Liber politicus*, paſſim occurrit, ut ſub una

p. 449. antiphona pſalmi in veſperis dicantur: „ Sabbato in vigilia Adventus Domi-„ ni ad veſperas incipit antiphona: *In illa die ſtillabunt montes.* Sub iſta an-

T. IV. Bibl. PP. Pariſ. p. 673. „ tiphona omnes pſalmi huius veſperi cantantur.“ Et poſtea: „ Sabbato „ Septuageſimæ ad veſperum tacetur *alleluia*, & dicitur *Laus tibi Domine.* „ Sub una antiphona, *Voca operarios*, omnes pſalmi cantantur.“ Idem dum ad veſperas feriales primæ hebdomadæ Adventus eſt præſcriptum, addi-

L. IV. c. 2. tur, poſt pſalmos alias easque plures antiphonas eſſe cantatas: „ Ad veſpe-„ rum omnes pſalmi feriales cantentur ſub una antiphona: *In illa die ſtilla-„ bunt montes*, & ad finem cantentur iſtæ antiphonæ, ut videtur ad *Magni-*

ficat:

„ *ficat*: *Miſſus eſt Gabriel angelus* , *Ave Maria gratia plena*, *Dominus te-*
„ *cum* , cum oratione: *Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero* , & anti-
„ phona: *Ecce Dominus veniet &c.*“ Ad Laudes vero ad ſingulos pſalmos
expreſſe præſcribuntur antiphonæ in dominica Septuageſimæ: *Ad matu-*
tinas Laudes omnes antiphonæ per ordinem cantentur. Demum obſervan-
dus eſt hic modus *denunciandi antiphonas*, quem hodieque in *Gallia* & *Ita-*
lia animadverti, eſtque in *Petri* Amelii libro de Cæremoniis S. R. E. apud
Mabillonium Tit. VI. ordo antiphonarum annuntiandarum a). In anti- a
quiſſimo codice *Veronenſi* orationum ritus *Gothico-Hiſpani* cum operibus p. 449.
V. Thomasii, a *Ioſ.* Blanchinio edito, paſſim etiam antiphonæ notantur, ora-
tionibus congruentes, uti de Adventu D. dicitur: *Incipiunt orationes de*
Adventu Domini, *quæ per ſingulos Matutinos iuxta antifonas congruentes*
uſque ad Nativitatem Domini ſunt dicendæ. Rem optime declaravit Ven.
Cardinalis præfatione in pſalterium cum canticis &c. ex Conc. *Agathenſ.*
c. 30. ubi præſcribitur: ut *poſt antiphonas*, *collectiones per ordinem ab epi-*
ſcopis vel presbyteris dicantur. „Id quod (inquit) nunquam intelliges, niſi
„ ritum pſallendi *Galliarum* antiquum pernoveris, quem in præſenti (aliqui-
„ bus tamen immutatis) repræſentat breviarium *Mozarabum*, *Hiſpaniarum*
„ ſcilicet ritus antiqui, conſimilis omnino priſco illi *Gallicano* veteri. Eo
„ in breviario antiphonæ habentur cum acceſſione plurium verſuum, poſt
„ quos repetantur: quæ ut plurimum ex pſalmis, aut ex prophetis ſunt de-
„ ſumtæ. Hiſce antiphonis ſingulis orationes ſubiunguntur ex eodem ipſo
„ pſalmo decerptæ, unde antiphona proxime cantata excerpta fuerat.“ Uſus
etiam eſt antiphonorum in eccleſia *Græca* ante pſalmos, ſeu potius ante ver-
ſiculos pſalmorum feſto aptos, ut notat Goarus b). Antiphonorum hirmus, b
ſeu

a) „ Subdiaconus papæ ſtando capite inclinato ſubmiſſa voce incipit *Rex pacificus:* & poſtea flectit genua ante eum, & iterum papa reincipit antiphonam: qua dicta ſedet, ſtatim chorus reincipit &c. (Et paulo poſt): Nota quod ſubdiaconus cum uno acolythorum denunciat antiphonam papæ & cardinalibus. Capitulum dicit ſubdiaconus: hymnum incipit aliquis de ſenioribus adiutoribus vel acolythis: & ſtatim papa eundem hymnum reincipit. Deponitur ſemper mitra quando cantat. Subdiaconus vero incipit antiphonam ad *Magnificat* : & ſtatim papa eam reincipit. Poſtquam cantores incipiunt *Magnificat &c.* “

b) „ Ἀντίφωνα (inquit p. 123.) ſtrictiore ſignificatu ſumitur pro officio eccleſiaſtico, ex variis verſibus diverſorum pſalmorum, qui magis ſolemnitatem exprimunt, collecto. Et hæc antiphona pro magna anni parte in diebus dominicis recitantur. Dividuntur in primum & ſecundum antiphonum. In primo poſt ſingulos verſus recitatur: *Precibus Deiparæ ſalva nos.* In ſecundo pro ſolemnitatum diverſitate verſui adnectitur formula ſolemnitatem exprimens. Poſtmodum tertia ſtatio excipit, quæ & tertium antiphonum vocatur verſiculi pſalmorum cum tropario proprio ſolemnitatis: cuius vicem, cum typica dicuntur, *Beatitudines* occupant, in quarum poſtremis Tertiæ, Sextæque odæ, troparia ſive Paracletices recitantur.“ Adi ipſum auctorem l. c.

ſeu melodia tonum pſalmodiæ determinat, unde S. GERMANUS in Theoria
T. IV. Bibl. PP. Pariſ. p. 673. rerum eccleſiaſticarum allegorizat: „Antiphonæ ſunt prophetarum prædi-„dictiones, prænuntiantes adventum Filii Dei.“ Miram vero hinc DURAN-
L. IV. c. 2. DUS antiphonæ etymologiam exſculpit: „Recte igitur (inquit) ſecundum e-„ius tonum melodia pſalmi informatur, quia dilectio opera noſtra infor-„mat: & ſecundum hoc dicitur ab ἀντὶ, quod eſt *contra*, & φῶνος, quod „eſt *ſonus*: quia pſalmus ſecundum melodiam eius intonatur.“ Ut vero in antiphonis concinendis, ſuiſque pſalmis vel verſibus chorus choro reſpondebat alternis, ita in earum impoſitione antiphonarum ordo ſervabatur alternus, ut una quidem antiphona ab uno cantore unius chori inchoaretur, alia ab alio alterius chori, ſicque deinceps ſemper alterne iuxta AMALA-
L. IV. c. 7. de Off. RIUM: *Hanc viciſſitudinem charitatis ſignificant cantores, qui alternatim ex utraque parte antiphonas levant.* Id eſt, *incipiunt*, ut recte THOMASIUS explicat. Ordinem vero imponendarum, proſequendarumque deinceps explicat eundem, qui modo ſervatur, ut inchoetur ab uno unius chori, & finiatur a pluribus utriusque chori, ab utroque nimirum choro, quomodo paulo poſt antiphonam poſt pſalmos communiter ab omnibus cantari dicit. Nec id omnino eſſe hodie obſoletum, quod poſtea de neumis in fine anti-
N. 32. phonarum dicit, ſuo loco videbimus: „Rurſus (inquit) in quibusdam eccleſiis „in fine antiphonæ fit neuma, ſeu iubilus, quia *beatus populus, qui ſcit iu-„bilationem.* Eſt autem neuma, ſeu iubilus ineffabile gaudium, ſeu mentis „exultatio. Ideoque in diebus ieiuniorum & afflictionum non debent fieri, „ſicut nec in luctu citharizari, & fit neuma in unica & finali littera antipho-„næ.“ Producto nimirum cantu ſine voce, ſeu ut DURANDUS dicit *verbis omiſſis iubilando cum neuma.* Addit tamen: *In magnis feſtivitatibus non tam maiores, quam etiam minores exultent: inde eſt, quod in quibusdam eccleſiis, in quibus neuma non dicitur, vox non ſignificativa in vocem ſignificativam convertitur: quia loco iubili & neumæ tropi & ſequentiæ decantantur, ad quas laudes minores & maiores paſſim admittuntur, & ideo communiter ab omnibus decantantur.* Obſcurum eſt, an hæc ad antiphonas officii canonici pertineant, in quibus tamen, ac etiam reſponſoriis, præſertim tempore paſchali frequenter fieri neumas alibi idem teſtatur, locosque citat ipſe varios ſui Rationalis, ubi de illis agit: „In quibus antiphonis dicatur „neuma ſeu iubilus, & quare hoc potius fit in tempore paſchali, dicetur ſub „tit. *de Laudibus matutinis.* Iubilus autem diverſa ſignificat: & in diverſis „locis in eodem reſponſorio ſæpe fit, dicetur in VI. parte ſub natali. Item „de neuma, quæ fit per *alleluia*, in IV. parte ſub *alleluia* dictum eſt.“

XVII.

XVII. „Dicuntur autem antiphonæ (idem ait Durandus) reſpectu ad „ pſalmodiam , cui reſpondent : Sicut & reſponſoria reſpectu ad hiſtoriam.“ Idem eſt , ac ſi dixiſſet *ad lectiones* , partem pro toto ponens, quas ſolent ſequi reſponſoria in omni officio : cuius rei hanc non inutilem reddit myſticam rationem Amalarius : „ Sæpe inculcatum eſt, reſponſorios ſequi lectio- „ nes propter diſciplinam eccleſiaſticam , quæ non vult auditores legis tan- „ tum habere in ſua ſchola , ſed factores.“ Et Honorius *Auguſtod.* c. 47. Sacram. *Cantor*, inquit, *ſurgit ad reſponſorium* , *ut excitet mentes*, *quæ audierunt doctrinam in lectione*, *ſurgant ad actiones bonas in operatione.* Cantorem ſtantem reſponſorium præcinuiſſe, etiam Amalarius teſtatur de Ord. antiph. c. 1. *Surgit cantor a ſede* , *& exaltat vocem in reſponſorio.* Agit idem de diverſis generibus reſponſoriorum : *de reſponſoriis*, *quæ prætitulantur de auctoritate ex perſona ſynagogæ credentis* , quod pertinet ad materiam : Et poſtea *de reſponſoriis pſalmorum cum alleluia* , *ex perſona filiæ*, quæ ſolebant cani tempore paſchali , in feſtis Domini , & Sanctorum. *De reſponſoriis* enim *pſalmorum* generatim ; ſicuti etiam *quæ prætitulantur regum*, *de* Salomone *&c.* poſtea agit ordine, quæ ita vocabantur iuxta contextum officiorum , ut ipſe vocat ordinem canonicum , quo eiusmodi ſacræ ſcripturæ legebantur , eisque aptabantur reſponſoria. Diſtribui autem ſemper ſolebat ſcriptura per annum de tempore & Sanctis cum paſſionibus Martyrum , ac vitis Sanctorum , aliisque lectionibus. Antiquiſſimos ordines edemus inter monumenta Liturgiæ *Alemannicæ.* Illuſtre huius rei documentum in novo tractatu diplomatico habetur ex Cod. Reg. 3836. *Cantatur autem omnis ſcriptura ſancti canonis ab initio anni uſque in finem. Et ſic ordo eſt canonis decantandi in eccleſia ſancti* Petri *&c. Similiter tractatus*, *prout ordo poſcit*, *paſſionis Martyrum* , *& vitæ Patrum catholicorum leguntur.* Diximus iam, diverſum reſponſoriorum decantandorum ordinem tunc fuiſſe, quæ nimirum integra a cantore primum cantabantur uſque ad verſum : deinde a choro repetita , alia ratione in *Romana* , quam *Gallicana* eccleſia, ut iam Amalarii ſuperius adduximus locum. „Hinc (ait in prologo de ordine antiphon.) notandum eſt, neceſſarium nobis eſſe, ut alteros verſus habeat „ noſter antiphonarius, quam *Romanus*, quoniam altero ordine cantamus „ reſponſorios noſtros , quam *Romani.* Illi a capite incipiunt reſponſorium „ finito verſu : nos verſum finitum informamus in reſponſorium per latera „ eius , ac ſic facimus de duobus unum corpus. Ideo neceſſe eſt , ut hos „ verſus quæramus , quorum ſenſus cum mediis reſponſoriorum conveniat, „ ut fiat unus ſenſus ex verbis reſponſorii , & verbis verſus.“ *Romani* ergo tunc poſt verſum integrum repetebant reſponſorium ; *Galli* vero in repetitione illius verſum parti coniungebant , cui ſenſus magis congruebat, uti

Reſponſoriorum item. *Ibid. n.* 26.

De ord. antiphon. c. 4.

c. 53.

c. 54.

T. III. p. 358.

uti nunc in officio *Romano:* ita, ut quando plures ſunt verſus, in plures etiam partes dividatur reſponſorium: veluti in primo reſponſorio Dominicæ primæ Adventus cum pluribus verſiculis, & repetitionibus cani ſolito. De
p. 120. hoc & ſequentibus reſponſoriis præſcribitur in ordine *Rom.* Benedicti Canonici: *Hæc tria reſponſoria ita debent cantari in congregationibus. Prior & ſecundus cantant reſponſorium primum ante altare cum omnibus verſibus & repetendis uſque in finem. Tertius & quartus ſecundum reſponſorium ſicut prius: quintus & ſextus tertium reſponſorium.* Singularis locus ante altare deſignatur cantando reſponſorio, cui in Miſſa erant ambonis gradus deſtinati. Quod dum etiam in ſolemni reſponſorio natalis Domini *Metis* fieret, Agobardus redarguit: *Conſiderentur etiam verba*, inquit in libro de Correctione antiphonarii, *quod quaſi de myſterio nativitatis Chriſti compoſitum contra morem nocturni officii ab eminentiori loco pompatice concrepabat.* Singulare hoc erat reſponſorium, uti mox memoratum ex ordine *Romano*, cum pluribus verſiculis & *Gloria Patri*, quod etiamnum in natali & reſurrectione dominica ſolemne eſt. Ordinarie autem *Gloria* ad-
a iungitur poſt ultimum reſponſorium iuxta S. Benedictum. Id Amalarius a) *Romanæ* eccleſiæ adſcribit inſtitutum, cum priſcis temporibus non cantaretur *Gloria* poſt verſum, ſed repeteretur reſponſorium, ut ait cap. I. additque a modernis apoſtolicis additum fuiſſe hymnum *Gloria Patri &c.* poſt verſum. Quam in rem iam ſuperius attuli canonem concilii *Toletani* IV. ubi redarguuntur, qui *Gloria Patri* in fine reſponſoriorum non adiungunt. Quod oſtendit antiquum illius uſum, qui hucuſque etiam in reſponſoriis
b brevibus perſeverat b). Ex conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* S. Wilhelmi
Apud P. Herrgott p. 446. conſtat, utrumque tam longum, quam breve reſponſorium modo ab uno hebdomadario cantore, modo a duobus aut pluribus fuiſſe cantatum: *Similiter quoque primum quodque reſponſorium tam breve quam longum, quod ad matutinum ſive ad veſperas eſt cantandum, ipſe cantat, nec tunc ipſe ſubtrahit ſe, cum duo id vel plures cantabunt.* Qua de re Isidorus de eccl. Off. c. 8. *Ante autem*, inquit, *id ſolus quisque agebat, nunc unus interdum, interdum duo vel tres communiter canunt, choro in plurimis reſpondente.* Id etiamnum obſervatur, ut pro ratione ſolemnitatis unus aut plures uſ-

que

a) „Ab initio (inquit) tertio cantabantur reſponſoria a cantoribus, quem ordinem monſtrant reſponſoria de paſſione: non enim ab initio cum reſponſoriis cantabatur *Gloria.*“

b) „Poſt *Gloria Patri* (inquit Radulphus *Tungrenſis* prop. 12.) repetitio debet eſſe brevior, quam poſt verſum, ut etiam ſervant *Romani* & *Carthuſienſes.* Sunt etiam in officio divino brevia reſponſoria, quæ in officio *Romano* ad parvas horas, ut ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium dicuntur, & de pſalmis ſumuntur, excepta prima. Verſiculi vero parvi, qui in *Ambroſiano* & in antiquis libris capitula nominantur, ſimiliter de pſalterio ſumi debent, *Benedictinum* vero officium in parvis horis verſiculos habet, & ad *laudes*, & *veſperas*, & unicam lectionem æſtivalem, reſponſorium breve.“

que quatuor reſponſorium canant. In variis exemplis modulationis reſponſoriorum brevium, quæ ex antiquis libris affert LE BEUF, plerumque clericus nominatur, qui choro præeat reſponſorium; at variæ ſimul perieileſes occurrunt in fine, ubi vox in tertiam prope finalem ad ſpeciem quandam veteris diaphoniæ deſcendit, unde palam eſt, duos ſaltem fuiſſe, qui canerent, nimirum pro ratione feſtorum, ad quorum etiam ſolemnitatem erant perieileſes. Eodem pertinebant neumata, ut ſupra capite III. §. 4. peculiariter notavimus.

Tr. ſur le chant. p. 139. &c.

p. 96. &c.

XVIII. Hymnorum in omnibus divini officii partibus frequens eſt uſus tam in occidentali, quam orientali eccleſia. *Græcorum* hymni ex odis componuntur ſeu novem, ſeu quatuor, ſeu tribus, ſeu quandoque etiam duobus tantum, & ex ea numeri varietate diverſum quoque nomen ſortiuntur: canon enim dicitur hymnus, qui novem, tetraodium qui quatuor, triodium qui tribus, diodium qui duabus odis conſtat. Singulis hirmus præfigitur, veluti regula cantus, & præterea in hymni fronte certus tonus notatur. Odæ ex pluribus coaleſcunt tropariis, quorum poſtrema plerumque Trinitatis & Deiparæ laudes continent, indeque *Triadica*, & theotocia nuncupantur. Primæ *trop ariorum* litteræ in unum coniunctæ Acroſtichiden haud raro effingunt. Quæ omnia explicata videre potes in diatriba II. Card. QUIRINI de hymnis quadrageſimalibus *Græcorum* & eorum auctoribus, quorum ingens eſt apud *Græcos* numerus, univerſimque copia maior quam apud occidentales, ubi aliquando in *Hiſpania* reiici ſunt viſi. In Conc. nimirum *Bracar.* I. c. 22. ſtatutum fuerat, ut extra pſalmos vel canonicas ſcripturas *nihil poetice compoſitum pſallatur in eccleſia.* A Concilio *Toletano* IV. a) iterum ſunt auctorati præſcriptique, atque ubique in horis canonicis decantari hoc medio ævo ſoliti, S. AMBROSII præſertim nomine & exemplo, unde etiam *Ambroſiani*, ut iam dixi, vocantur ſive eidem ex vero aut falſo adſcribantur, quales iam ſuo tempore exploſit *Walafridus* STRABO, de eorum in officiis divinis uſu agens, iuxta præſcriptum præſertim

Hymni.

a

De rebus eccl. c. 25.

a) In Conc. *Tolet.* IV. c. 13. ſic circa an. 633. ſtatuitur: „Quia nonnulli hymni humano ſtudio in laudem DEI atque apoſtolorum & martyrum triumphos compoſiti eſſe noſcuntur ſicut hi, quos beatiſſimi Doctores HILARIUS atque AMBROSIUS ediderunt, quos tamen quidam ſpecialiter reprobant, pro eo, quod de ſcripturis ſanctorum canonum vel apoſtolica traditione non exiſtunt.... Sicut igitur orationes, ita hymnos in laudem DEI compoſitos nullus veſtrum ulterius improbet, ſed pari modo *Gallia Hiſpania*que celebret, excommunicatione plectendi, qui hymnos reiicere fuerint auſi.“ S. ISIDORUS, qui huic Concilio præfederat (lib. I. c. 6. de offic. eccleſ.) de hymnis S. HILARII & AMBROSII agens „Inde (inquit) hymni ex eius nomine *Ambroſiani* vocantur, quia eius tempore primum in eccleſia *Mediolanenſi* celebrari cœperunt, cuius celebritatis devotio poſthac per totius Occidentis eccleſias obſervatur. Carmina autem quæcunque in laudem DEI dicuntur, hymni vocantur.“

a præſertim regulæ S. Benedicti a). Hincmarus in libro de trina Deitate peculiarem ſelectum hymnorum *Benedictinis* ex regula præſcriptum exiſtimavit b). Hymnorum in horis canonicis ſuo tempore conſuetorum copioſam recenſionem init Radulphus *Tungrenſis*, quales & adhuc plures alii reperiantur *Romæ* in hymnariis antiquis, & in officio *Ambroſiano*: neceſſarios autem hymnos & authenticos admitti vult, & ſecurius de communi cantari, quam ut locales & apocryphi admittantur. Tum vero de vario eorum uſu in horis canonicis loquitur, ad *Romanum* uſum ſervandum paſſim cohortans c): recenſet deinde eosdem, qui nunc in uſu ſunt in officio dominicali & feriali per hebdomadam hymnos, ſubditque: „Omnes iſti „hymni feriales *Romano* uſu unicam & facilem habent notam. De noſtris autem *Alemannis* aliqui omittunt nocturnales, ut *Colonienſes*: aliqui „omiſſis laudum hymnis nocturnales ponunt ad laudes, ut *Leodienſes*: alii „omnes feriales omittunt, & dominicales æſtivales in feriis repetunt, ut „*Prædicatores*. Securius eſt ſequi morem *Romanum*.“ Id quod nunc fit in

b

Propoſ. 13.

c

a) „In officiis quoque (ait) quæ ſanctus Benedictus abbas omni ſanctitate præcipuus ordinavit, hymni dicuntur per horas canonicas, quos *Ambroſianos* ipſe nominans, vel illos vult intelligi, quos confecit Ambrosius, vel alios ad imitationem *Ambroſianorum* compoſitos. Sciendum tamen multos putari ab Ambrosio factos, qui nequaquam ab illo ſunt editi. Incredibile enim videtur, illum tales aliquos feciſſe, quales multi inveniuntur, id eſt, qui nullam ſenſus conſequentiam habentes, inſolitam Ambrosio in ipſis dictionibus ruſticitatem demonſtrant.“

b) „Si (inquit) ita, ut ſcriptum habetur in beati Benedicti regula, quam iureiurando ſe obſervaturos profeſſi ſunt, obedientes, dependentes eidem ſanctiſſimo Patri imo Sancto Spiritui, qui per eum locutus eſt, relictis non neceſſariis ſuperſtitioſorum compoſitionibus, Sancti Ambrosii, ſicut ipſe Sanctus Benedictus præcepit, vel nominatiſſimorum atque orthodoxorum hymnis, de quibus ſufficienter habent in diurnis ac nocturnis laudibus, uſi fuerint, in quibus & catholica fides redolet, & piæ ſunt preces, & mirabilis eſt compoſitio, ne pro talibus, ſicut ex hymni, cuius initium eſt *Sanctorum meritis inclyta gaudia*, cuiusque compoſitorem hactenus invenire nequivimus, finalitate, ubi cantatur vel potius blaſphematur *Te trina Deitas*, aut ſcienter aut neſcienter ſcandalum in eccleſia moveant.“

c) „De hymnis autem metricis valde curandum eſt, ne cantentur aliqui, niſi approbati & editi, ut ſupradictum eſt. Reprobi autem ut plurimum noſci poſſunt, vel quia non ſunt generales, vel quia metrum habent corruptum. Ad Primam autem, Tertiam, Sextam, & Nonam hymni conſueti more *Romano* non mutantur, & in minori congregatione ſub facili tono ſervari debent.... Aliquorum autem congregatio paucis temporibus illos horarum hymnos cantat ſub tono feſtivitatis ultimo verſu variato.... Qui in Completorio hymnum poſt capitulum dicunt, agunt contra auctoritatem *Romanam*, & ordinem beati Benedicti, in quorum officiis ſtatim poſt pſalmos locatur, ſicut in aliis quatuor parvis horis hymnus dicitur ante pſalmos. Et in *Ambroſiano* officio ad matutinas ſemper dicuntur duo hymni, in principio, & in fine. Et ſimiliter in *Romano* & *Benedictino* officio, ad nocturnos dicitur unus hymnus, & ad laudes alter: & hoc ſervant omnes religioſi & *Italici*, *Gallici* & *Anglici*; *Alemanni* autem in hoc degenerant, ad nocturnos nullum dicunt, & ad laudes raro. Ex quibus videtis, quos ſequi debeatis.“ Ubi de hymno *DEUS Creator* ſermo incidit: „Qui eſt (inquit) *Ambroſianus* veſpertinus quotidianus, cuius meminit Augustinus lib. VII. confeſſionum, quando per ſomnum a luctu anxio, in dolore mortis matris recepto, fuit curatus. Et hunc hymnum fratres minores & alios plures male omittunt, quia authenticus eſt, & multum pulcher.“

in pleriſque, quos recenſet magno numero, hymnis de feſtivitatibus Do-
mini & Sanctorum, ac de communi; ſed cantus ſucceſſu temporis multum
a primæva ſimplicitate degeneravit pro ratione imprimis feſtivitatum. Qua
de re inſigne habetur documentum de hymnorum apud *Cluniacenſes* cantu,
apud Ulricum de antiquis *Cluniacenſium* conſuetudinibus: „Quamquam *L. II. c. 25.*
„(inquit) illorum hymnorum melodia, qui cantantur in paſcha, ita ſit
„plana, & indirectum, & in ipſo ſacroſanctæ dominicæ reſurrectionis non
„magis ſolemnis, quam ſi iidem hymni ad aliquem, ut ita dicam, priva-
„tum diem pertinerent: quod nobis relictum a ſimplicitate ſeniorum no-
„ſtrorum adhuc ita tenetur.“ Quod ipſi haud probatur, unde ſubdit:
„Et ſiqua perſona eſſet idonea, quæ id Domino abbati ſuggereret, &
„ſuaderet, fortaſſis emendari iuberet.“ Cernimus in antiqua hymnorum
melodia nobis relicta, & iam ſuo tempore in officio feriali notavit Ra-
dulphus, hymnos feriales *Romano* uſu unicam & facilem habere notam.
Quod intelligendum eſt, ut ſingulis notis ſua reſpondeat ſyllaba, ſine neu-
marum interſtinctione, plurium ſcilicet notarum in unicæ ſyllabæ tractu,
ut in aliis hymnis fit; atque diſcrimen hoc adhuc hodie obſervatur, & gra-
datim procedit in officio feriali dominicalique, in Adventu etiam & Qua-
drageſima, feſtivitatibus exceptis tam Domini, quam Sanctorum, ſecun-
dum eorum non gradus ſolum, verum etiam hymnorum argumenta ſtu-
dioſa ac pulchra compoſitione ad ſenſum etiam exprimendum movendum-
que affectum feſto aptum. Quod ex ingenti ſtudio mediæ huius ætatis in
cantu *Gregoriano* nobis relictum eſt.

XIX. Sunt & alii hymni nullo metro aut rythmo compoſiti non mi- Te Deum
nus crebri aut celebres in divino officio: „Eſt autem (inquit ſæpe lau- laudamus.
„datus Radulphus *Tungrenſis*) hymnus laus DEI cum cantico: ut eſt Gloria Patri.
„hymnus *Gloria Patri*, qui in fine pſalmorum dicitur: & hymnus *Gloria* *Prop. XIII.*
„*in excelſis*, quem angeli Chriſto nato cecinerunt: & hymnus *Te Deum*
„*laudamus*, ab Ambrosio & Augustino compoſitus.“ *Græci* δοξολογίαν
μεγάλην ϗ μικρὰν *glorificationem magnam & parvam* vocant hymn. *Gloria*
in excelſis, & *Gloria Patri* utrumque in officio canonico frequentatum.
Quædam etiam partes hymni *Te Deum laudamus* in cantico matutino ex
cod. *Alexandrino* ultimo tomo *Polyglottorum anglic.* habentur. De quo
nunc non diſputamus, quis auctor ſit; de eius vero uſu poſtea iterum re-
curret mentio, ac paulo ante de vigiliis nocturnis, & ſuperius occaſione
hymni *Gloria in excelſis* diximus, quem ſequi ſolet, ita ut etiam ritu *Ro-
mano* in dominicis Adventus & Quadrageſimæ, quando non dicitur *Gloria
in excelſis*, nec hymnus *Te Deum laudamus* dici conſueverit. Qua de re

monachis

monachis S. Benedicti in quodam *Galliæ* Concilio litem motam ex *Rod.*
L. III. c. 3. Glabro intelligimus, quod contra uſum *Romanum* dominicis Adventus & Quadrageſimæ hymnum *Te Deum laudamus* cantarent. Qui dum præſcriptum regulæ S. Benedicti a S. Gregorio approbatæ prætenderent, in ea conſuetudine ſunt relicti. Quam etiam obſervare licet in antiquiſſimo ordine *Romano*, monaſticis congregationibus accommodato, apud Martenium & Muratorium, ubi ita habetur: „Omni tempore diebus dominicis legitur lectio ſancti evangelii ſecundum tempus, quod fuerit. Sequitur hymnum *Te Deum laudamus*, & verſum cum *Kyrie eleiſon.* Et finiuntur „vigiliæ.“ Pertinet hoc ad celebritatem diei dominicæ, de qua ſingularem propoſitionem habet Radulphus: „Dominici dies feſtive, feriales vero „humiliter debent inofficiari. Et hoc excellentius obſervatur in officio „*Ambroſiano:* in quo die dominico nullius ſancti etiam Virginis glorioſæ „feſtivitas agitur, ſed occurrens in illo transfertur. *Romanus* autem uſus „cæteris uſibus poſt *Ambroſianum* melius ſe habet, in quo omnia feſta novem lectionum cedunt dominicis, niſi ſint B. Mariæ, S. Crucis, Ioannis „*Baptiſtæ*, apoſtolorum, & proprium cantum habentium. Quando autem „propria hiſtoria in alia dominica locum habere non poteſt, omnis feſtivitas differtur.“ Loquitur de dominicis, ubi pro temporum ratione ſingulares biblicæ lectiones habentur, aut myſteriorum commemoratio. Quam in rem ſingulare aliquid deinceps commemorat, quod dicit obſervatum fuiſſe generali conſuetudine ſæcularium & monachorum, quando nova hiſtoria eſt inchoanda ad veſperas ſabbatinas ex iucunditate reſponſorium fuiſſe cantatum. Quod noſtro uſu haud fit; ſicut nec quod poſtea dicit, ipſe vero addit, uſum *Romanum* tantum ita ferre: „*Romani* in ultimis reſponſoriis „ſimilem modum ſervant, ut quoties *Te Deum* dicitur, ultimum omittatur, & *Gloria Patri* ad penultimum obſervetur. Sed dictum modum non „ſequuntur aliæ nationes.“ Idem antea circa hoc ſingularem antiquum uſum *Romanum* notarat: „Item *Gloria Patri* reſponſoriorum *Romæ* in libris antiquis reperitur integre cantatum ad notam toni, ſicut facimus poſt „introitum. Et quia poſteris non placuit totum decantari, ideo deciſe „cantatur in quolibet octo tonorum uſque *Sicut erat.* Et ita cantant *Carthuſienſes*, *Colonienſes*, *Leodienſes* & plures ſolemnes eccleſiæ. Poſt *Gloria Patri* repetitio debet eſſe brevior quam poſt verſum, ut etiam ſervant *Romani* & *Carthuſienſes.*“ In pſalmis vero *Gloria Patri* ſequitur tonum pſalmi, cui, exceptis horis minoribus, *Romano* ordine ſemper antiphona ſubiuncta erat. Quod non convenit cum eo, quod ſupra retulimus, ſæpe in veſperis etiam *Romæ* omnes ſub una antiphona pſalmos fuiſſe dictos, niſi forte tunc poſt ſingulos pſalmos *Gloria Patri* omiſſum fuerit:

Marginal notes: *T. V. anecd.* — *T. II. lit. p.* 399. — *Prop. XV.* — *Prop. XII.*

„*Ro-*

„ *Romano* enim ordine (inquit Radulphus) qui mente tenendus eſt in vigiliis noctis, in laudibus, & in veſperis, quælibet laus ſanctæ Trinitatis „ poſt pſalmos decantatos ſuam antiphonam habere debet ſubſequentem. Et „ hic decor officii divini, ut in dictis horis fiat, & in aliis parvis unica antiphona decantatur.“ Aliunde conſtat, olim *Romanos* doxologiam *Gloria Patri* poſt pſalmos aut eorum inciſiones non ita frequentaſſe: „Hunc „ itaque hymnum (inquit *Walafridus* Strabo) nonnulli omnibus pene pſalmis & interdum inciſionibus pſalmorum coaptant: reſponſoriis vero paucioribus, ut illi qui ſtatuta Patris Benedicti in horis ſequuntur canonicis. *Romani* eum in pſalmis rarius, in reſponſoriis crebrius iterant.“ Nota demum ex regula S. Fructuosi: „Sane in omnibus horarum ſingularum „ orationibus nocturno ac diurno tempore ad omnem pſalmorum finem „ *Gloriam* cantantes DEO proſternentur in terram.“ Eadem genuflexio ad orationem poſt ſingulos pſalmos a S. Columbano & S. Isidoro regulæ c. 7. præſcribitur.

Prop. XV.

De reb. eccleſ. c. 25.

XX. Sic vero ad verſus revocari poteſt hæc doxologia tam in cantu reſponſorio, quam antiphono pſalmorum, alternantibus choris per verſus, quæ *græcis* στιχολογία dicitur. Quo etiam nomine veniunt ſingulares aliqui verſus in *Horologio*, & aliis libris liturgicis *Græcorum* annotari ſoliti, qui apud Goar. in euchol. p. 52. ἡ συνήθης στιχολογία vocantur. Alibi is diſcrimen notat στίχους inter & στιχηρά. στίχος inquit p. 26. n. 41. & p. 174. n. 16. & στίχοι *omiſſis aliis ſignificationibus verſus ſunt e pſalmis Davidicis vel ſacra ſcriptura excerpti;* στιχηρὰ *vero verſus paulo longiores ab hymnographo eccleſiaſtico conſcripti.* στιχηρὰ *nunc* ἀπὸ στίχου *ſunt conglobati aliquot verſiculi unius totius formam referentes, & ut a Davidicis verbis, quæ* στιχολογεῖσθαι *dicuntur, eruti* ἀπὸ στίχου *quoque nomen acceperunt.* Huius diſcriminis annotandi gratia στίχον verſiculum στιχηρὸν verſum ubique interpretatur. Occurrunt in officiis *Græcis* στιχηρὰ ἰδιόμελα, στιχηρὰ προσόμοια, quæ vel peculiarem habent melodiam, vel aliis ſimilem. Huc etiam pertinet προκείμενον δίστιχον prævium diſtichum, ſeu verſiculi duo e pſalmis *Davidicis* excerpti, vel ſcripturæ confeſtim poſt ipſos legendæ, vel rei alterius ſpecialis decantandæ materiam & ſummam complectentes. Qui proprii ſunt illius diei, προκείμενα τῆς ἡμέρας dicuntur, ut notat Goarus. Apud *Latinos* varia ſunt *verſuum* genera in officio eccleſiaſtico. Præire ſolet in officio canonico: *Deus in adiutorium meum intende &c.* Maxime frequentandum S. Columbanus præſcribit hunc verſum in nocturno officio locum orationis tenentem poſt ſingulos pſalmos tacite decantando, ut habet in pœnitentiali c. 20. „In communi autem omnes fratres omnibus noctibus

στίχοι, στιχηρὰ verſus.

p. 25. n. 37.

„ tempore orationum in fine omnium pſalmorum genua in oratione, ſi non
„ infirmitas corporis obſuerit, flectere æquo animo debent ſub ſilentio di-
„ centes *Deus in adiutorium meum intende*, *Domine ad adiuvandum me fe-*
„ *ſtina.* Quem verſiculum poſtquam ter in oratione tacite decantaverint, æ-
„ qualiter a flexione orationis ſurgant.“ Uſum conſtanter apud nos ſerva-
a tum declarat laudatus Walafridus a). Regula Magiſtri haud abſimilem no-
c. 44. tat *verſum apertionis* in nocturnis ab abbate dicendum, & in Completo-
c. 37. riis *verſum cluſorem* b). Alius in eadem regula occurrit *verſus taciturni-*
b *tatis*, ob id, quod penſum diurnum ante cubitum claudat, ſic haud
c. 58. dubie dictus. Uſum hic varium verſiculorum eiusmodi notat Hono-
Sacrament. rius *Auguſtodunenſis* : „De hinc (inquit) ſequitur verſus, per quem ver-
c. 47. „ titur intentio ad alias: ſcilicet de pſalmodia ad lectionem, vel ad hymnum
„ evangelium id eſt *Magnificat*, vel *Benedictus;* ſive ad orationem domi-
„ nicam, cuius prologus eſt *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon:* ſeu ad oratio-
c „ nem, quam ſolus ſacerdos dicit.“ Eadem proſequitur Amalarius c).
L. IV. de off. Addit aliquid de verſu *Benedicamus Domino*, quem *benedictionem* vocat, ad-
c. 45. iunctamque reſponſionem *Gratiarum actionem.* „Hoc enim (inquit) ſonant
„ verba *Benedicamus Domino.* Et: *Deo gratias.*“ Regula Magiſtri notat
ſic *verſum cluſorem* in Completorio; in clauſula nimirum officii canonici.
Poſſet hoc nomine venire idem ℣. *Benedicamus Domino* in fine omnium ho-
rarum conſuetus, & quidem cum longioribus neumis pro feſtivitatum ra-
tione. Cuiusmodi hic ſpecimina damus etiam cum biscantu ex MS. bib-
lioth. noſtræ ann. 400. Subnectimus cantum orationis dominicæ ex eodem
codice, quam S. Bened. in matutinis laudibus & veſperis *omnibus audien-*
tibus inſtituit dicendum. Et quia in eodem codice mox cum melodia ſa-
luta-

a) „Qui (inquit) in capite omnium (præter Miſſas) officiorum, quæ horis canonicis adhibentur, dici ſolet, id eſt *Deus in adiutorium meum intende*, & reliqua, Patres antiqui ſuis collationibus inveniuntur ſtatuiſſe omnibus non tantum officiis, ſed etiam operibus præmittendum, ut invocatio divinæ opitulationis initio cuiuslibet actionis aſſumta faciliorem faciat, & poſtulandi conſtantiam & obtinendi virtutem. In agendis autem mortuorum & circa paſſionis dominicæ ſolemnitatem inchoationes & expletiones officiorum non ut in cæteris fiunt: triſtitiæ videlicet ſignificandæ cauſa, niſi aliquo graviori decreto.“

b) De verſibus *ad repetendum*, *declinatoriis*, *verſoriis* egimus c. 4. ubi de cantu antiphono, & reſponſorio veteri, quo pertinebant.

c) „Verſus (inquit) hoc habet ſingulare, ut excitet corda cantantium ad requirendum faciem Domini in oratione. Idcirco ſæpiſſime ante orationem præcedit. Verſus, qui dicitur in nocturnali officio ante orationem, qui præcedit lectionem intenta vult facere corda præſentium ad lectionem. . . . Ante hymnos *Magnificat*, & *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, præcedit verſus, quoniam ſic debemus eſſe vigilantes & intenti ad verba hymnorum memoratorum, ut in oratione. In cæteris curſibus ante noviſſimam orationem præcedit. Oratio & benedictio ſemper in fine ſunt, antequam disiungantur fratres ſinguli ad propria.“


lutatio angelica annectitur, eam hic ponimus, licet recentioris ſit uſus, in horis canonicis initio & quidem ſubmiſſa voce dici ſolitam.

Per Biſcantum.





Do mi no o
Do mi no o
o o o
o o o
o
o
Pater noſter qui es in cæ lis ſan cti fi ce tur nomen tuum
ad veni at regnum tuum fiat volun tas tu a
ſicut in cæ lo & in ter ra panem noſtrum cottidianum


dona nobis ho di e & di mit te no bis de bi ta noſtra
ſicut & nos dimittimus de bi to ri bus no ſtris. Et
ne nos in du cas in ten ta ti o nem ſed li be ra
nos a ma lo. A men a men a men a men
a men a men a men a men amen a men a men
a men a men amen a men a men.
Ave Ma ri a gra ti a ple na Do mi nus te cum be ne-
di cta tu in mu li e ri bus & be ne di ctus fru ctus
ventris tu i amen.

His vero ſingulis (quibus concinna conſtat officii quotidiani nocturni diurnique varietas) ſua propria ac conveniens eſt nota ſeu cantus modulatio præſtituta, unde mirus decor divini officii exurgit, hocque potiſſimum medio ævo omnia rite compoſita & ordinata ad nos uſque perſeverarunt.

CAPUT VI.

De cantu & muſica ſtatis per annum diebus ac ſolemnitatibus, aliisque tum ordinariis cum extraordinariis divini officii partibus.

I.

De ſolemni officio in Adventu & Nativitate Domini.

Ut aliqua de præcipuis per anni circulum ſecundum tempora & feſta occurrentibus in divino officio horarum canonicarum viciſſitudinibus dicamus, initium ducendum eſt ab eo temporis momento, quo Incarnationis dominicæ ſolemnia celebrantur, ſumpto initio ab officio Adventus Domini, unde ſolent exordiri libri omnes antiphonarii ſeu reſponſales, qui hoc medio ævo ad officium non minus horarum canonicarum, quam Miſſæ ſunt ordinati. Et nunquam magis, quam mox principio de *Adventu Domini* ſolemni proprioque cantu abundant a). Singulare eſt quod ex ordinario *Turonenſi* Martenius affert, ex cuius præſcripto *Cantor ad formam ſine baculo* ſedere iubetur in Adventu. Dum iuxta Amalarium lib. IV. de off. c. 30. *officia cantorum & presbyterorum, quæ celebrantur in ſacramentario, habent initium in quarta hebomada ante nativitatem Domini.* Ad Miſſam ante Introitum, ut alibi obſervavimus, canebatur tropus Gregorius *præſul &c.* Quod quo ritu perſolveretur paſſim præſcribitur

a *De ant. eccl. diſcipl. c. X. n. 14.*

a) „Decet enim (ut ait Durandus lib. VI. c. 11.) ante nativitatem Domini cantus & omnes antiphonas & fere omnia reſponſoria revocari, quia ſicut per plures & frequentiores nuntios magis ac magis movetur animus ſubditi ad ſollicitudinem ſuſcipiendi prælatum, ſic & renovatione cantus magis & magis movemur ad curam noſtræ præparationis in ſuſceptione Domini, & ut per quotidianam renovationem cantus excitemur frequentius ad turpes & terrenas cogitationes purgandas, ut ſic dignum habitaculum, & ornatum venturo regi regum piis cogitationibus præparemus.“

tur a). Huc etiam pertinet alter ille tropus, quem ex antiquiſſimo *Ve-* a
ronenſi codice cum antiquis notis muſicis fronti huius operis impoſuimus
Sanctiſſimus namque &c. Alium Amalarius, quando *de ordine antipho-* *Cap. 8.*
narii agit, huius temporis officium diſponens, *prologum* memorat in fronte li-
bri antiphonarii, quem variis etiam antiphonis Adventus præponi ſolitum
aſſerit. „Idem (inquit) prologus, qui ſtat in capite tertii voluminis, quod *Loc. cit.*
„ vocatur apud *Romanos* antiphonarius præponitur primis antiphonis, id eſt:
„ *In illa die ſtillabunt montes dulcedinem.* Et: *Iocundare* atque cæteris ſequen-
„ tibus in noſtro antiphonario.“ Quod *noſtrum antiphonarium* nominat,
Metenſe vel *Corbeienſe* eſt intelligendum: quod *Corbeiæ* repertum quoad
officium Adventus partim cum *Romano*, partim cum *Metenſi* conveniſſe te-
ſtatur. „Currit (inquit) idem ordo antiphonarum in noſtro antiphonario, *Loc. cit.*
„ qui continetur in *Romano* uſque ad antiphonam *Angelus Domini nuncia-*
„ *vit* Mariæ. Dein ordo, quem accepimus de *Metenſi* antiphonario.
„ In iſto officio antiphonas mutavi de urbis *Metenſis* antiphonario in no-
„ ſtrum antiphonarium de quarta feria. Invenimus in memorato antipho-
„ nario in quarta feria antiphonam *Veniet fortior me &c.* (Et poſtea): *c. 9.*
„ Antiphonæ vadunt per ordinem iuxta *Romanum* antiphonarium uſquequo:
„ *Benedicta tu inter mulieres.* Dein ſequitur ordo *Metenſis* antiphonarii.
„ Ubicunque potui, inſerui antiphonas, quæ præconium habent declaratione
„ & conſolatione *Hieruſalem*, id eſt, primatu, qui deſiderat Adventum
„ Domini.“ Idque agit eo in opere, ut diſcrimina obſervet, notetque,
quem ſit ſecutus ordinem: quem modum ac decorem in ſelectu reſponſo-
riorum obſervarit per ſingulas hebdomadas b): Nota etiam ex Ioanne *Abrinc.* b
„ Prima dominica Adventus Domini ſabbato in veſperis reſponſorium *Ecce* *Ibid.*
„ *dies veniunt* dicetur, quod altero præcedente ſabbato in pronuntiatione *De eccl. off. p. 32.*
„ Ad-

a) Ordinarium eccleſiæ *Trecenſis:* „De præcepto ſuccentoris, aut illorum, qui pro tunc habent regere chorum, duo vicarii aſcendunt pulpitum, alias *Iube*, ut canteut antiphonam Gregorius *præſul;* qua finita, dum chorarii incipiunt Introitum Miſſæ &c.“ Ordinarium eccleſiæ *Turonenſis:* „Accenſis cereis, duo canonici in cappis nigris incipiunt ante altare alta voce antiphonam, Gregorius *præſul;* qua finita, ſtatim cantor incipit: *Ad te levavi &c.*“ Et antiquum rituale S. Martini *Turonenſis:* „poſt proceſſionem presbyteri, qui cantaverunt primum ℟. matutinarum, cantant ad ianuas ante formam ſubdecani Gregorius, in cappis ſericis, & oſtendunt graduale vertentes ſe ad præcentorem quando dicunt, *compoſuit hunc librum.*“

b) „Priores reſponſorii ex perſona familiarum DEI cantati ſunt, hoc eſt, ex perſona eccleſiaſticorum, (ait de reſponſoriis primæ hebdomadæ.) At (pergit de reſp. *Hieruſalem cito veniet*) in præſenti hebdomada loquitur aut eccleſiaſticus chorus aut propheticus aliquis ſermo internuncius ad *Hieruſalem.*“ Agit capite ſequenti de reſponſoriis *Gaudete Domino &c.* ut hodieque obtinet ordo, quem dicit ſe ex *Romano* transtuliſſe, & poſtea de reſponſoriis *Canite tuba in Sion*, uti etiamnum habetur dominica quarta Adventus. „In hac hebdomada (pergit c. 11.) continentur mixtim in *Romanis* voluminibus reſponſorii, quos ſolemus cantare in dominica, quæ habet primum reſponſorium, *Canite tuba*, & illi, quos per ſequentes noctes infra hebdomadam diſtincte canimus &c.“

„ Adventus Domini a duobus clericis cappis indutis primitus celeberrime „ cantabitur.“ Mutationem hanc inde eſſe puto, quod olim quinque paſſim dominicæ Adventus fuerint numeratæ, ut in liturgia *Alemannica* dicemus. Celebris ſemper fuit proxima hebdomada ante nativitatem Domini, cum feſto *Conceptionis* alio, quam agitur nunc octavo *Decembris:* illud adhuc eſt ſolemne in *Hiſpania*, & alibi feſtum *exſpectationis partus* nominatur. In eccleſia *Mediolanenſi* peculiare aliquot ante nativitatem diebus fit officium *de exceptato.* Ubi per tres dies aguntur litaniæ poſt Tertiam, quibus prima die præmittitur oratio cum antiphonis decem, eaque finita, ſubiicitur oratio cum antiphonis undecim, & aliquoties *Agnus Dei.* Secunda die litaniæ præmittitur oratio cum antiphonis novem, eique ſubiicitur oratio cum antiphonis octo &c. Huc pertinent ſolemnes antiphonæ O. per hebdomadam continuatæ. Quo etiam referri poteſt, quod in antiquiſſimo breviario *Romano* monaſticis congregationibus accommodato habetur: *Una autem hebdomada ante natale Domini & ex conceptione beatæ* MARIÆ *incipiunt celebrare.* Certe antiphonæ illæ huc quadrant, hincque ab AMALARIO recte potius ad *Magnificat*, quam ad *Benedictus* dici aſſeruntur, ſecus
De ord. Antiph. c. 13. ac *Romæ* aliquando factum fuit. Sed audiendus eſt AMALARIUS: *O interiectio eſt admirantis, Per illud O voluit cantor intimare verba ſequentia pertinere ad aliquam mirabilem viſionem, quæ plus pertinent ad mentis ruminationem, quam ad concionatoris narrationem. Et quoniam per conceptionem & partum Sanctæ* MARIÆ, *facta eſt hæc admiratio, amplius congruunt memoratæ antiphonæ hymno Sanctæ* MARIÆ, *quam* ZACHARIÆ. *Et ſi quis voluerit octavam addere propter ſummam perfectionis &c.* In antiphon. ſeu
T. III. p. 740. reſponſali, quo uſi ſunt PP. *San-Maurenſes* in editione S. GREGORII octo ponuntur cum nona *Orietur &c.* ſub eodem tit. antiphonarum maiorum *in evangelio*, cantici nimirum evangelici, quod hic deſignari *Benedictus Dominus Deus Iſrael &c.* contextus vult. In quodam MS. *Auguſtanæ* cathedr. eccl. bibl. ſæc. XIV. vel XV. ita de his antiphonis notatum reperi: „ Nam „ quidam decepti canunt duodecim antiphonas, alii novem; cum ſolum„ modo ſeptem ſint a beato GREGORIO inſtitutæ, quæ per ſeptem dies ante „ vigiliam debent ſolemniter cantari.“ In reſponſoriali & antiphonali eccleſiæ *Romanæ* a THOMASIO edito ſeptem tantum notantur antiphonæ ad *Benedictus* dicendæ a feſto quidem S. NICOLAI incipiendæ, ſed in feſto S. LUCIÆ finiendæ. Aliter vero in ordine *Romano* ſeu libro *Politico* BENE-
T. II. Muſ. Ital. p. 124. DICTI canonici apud MABILLONIUM: „ A feſtivitate S. NICOLAI uſque ad feriam ante natalem Domini cantantur hæ antiphonæ ad matutinum *O ſapientia*, ad *Benedictus*, & cæteræ omnes in quatuor temporibus.“ Colligitur hinc alias antiphonas in quatuor temporibus fuiſſe cantatas. Unde

tamen


tamen numerus dierum neutiquam completur, etiamſi *Romæ* duodecim eiusmodi antiphonæ fuiſſent in uſu, ut alicubi uſuvenit. *Quædam*, ait Durandus, *etiam eccleſiæ cantant duodecim, quæ exprimunt duodecim prophetas &c.* Et Honorius *Auguſtodunenſis: Si,* inquit, *duodecim O cantantur,* *L. VI. c. 11.* *ſignificant, quod gratia ſanctæ Trinitatis a quatuor mundi plagis deſideretur: ter enim quatuor ſunt duodecim.* Non rationem, ſed rem ſpectamus, ac uſum, qui variavit, aliis ſeptem, vel octo, ut iam ex Amalario intelleximus, aliis novem canentibus (fuit & decima: *O Thoma Didyme* in eccleſia *Leodienſi* olim uſitata) quamvis communiter ſeptem fuerint. Earum *T. IV. Anecd.* ſuavem melodiæ dulcedinem extollit Reinerius *Leodienſis* commentario in *P. III. p. 59.* antiphonas has apud Pezium (qualis etiam expoſitio a Martenio edita *L. IV. c. 4. p.* eſt ex MS. *Beccenſi* a): unde interpretandum eſt, quod poſtea p. 61. dicit de eo, *30. &c. Ed. n. Ven. de ritib.* quod binæ ſemper ſibi reſpondeant antiphonæ. „Nam (ſubdit) quemadmo- *eccl. T. III* „dum in diapaſon maxima ſymphoniarum, quæ dupla dicitur, iuxta ob- a „ſervantiam proportionum ei voci, quam in auctis ediderit, non diſſimi„lem a gravibus ſuccinit: ſic nimirum pari concordia ſenſuum ad ſcita „quaque interdum cognatione verborum antiphonarum ſingulæ ſingulis gra„tiarum quaſi ſuccinunt conſone.“ Forte etiam alludit ad harmoniam illam, quam tunc tantopere mirabantur virilis & puerilis vocis in diapaſon, quæ potuit hic fuiſſe ad celebriorem cantum adhibita, quem initio ſtatim operis deprædicat b). Aurelianus c. XI. diſciplinæ muſicæ agens de b tono plagali Proti, qui noſter ſecundus eſt tonus, ad eundem refert primam harum antiphonarum: *O ſapientia. Quamquam*, ſubdit, *a palatinis ob excelſiorem vocis modulationem de primo imponatur tono.* Quod nunc ſolemne eſt in omnibus illis antiphonis, atque contra morem ritus ferialis duplicantur, & olim, ut ex ordinario *Turonenſi* obſervat Martenius, *trium-* *De ant. eccl. diſcipl. c. 18.* *phabantur.* Solebantque a dignioribus in choro imponi, ut idem ex aliis or-

a) „Aſſumus itaque frequentes (inquit) hora veſpertinæ laudis cum pſalmis & hymnis, & venturæ ſolemnitatis nova quadam præimus lætitia, regique proceſſuro congruo ſervitutis occurrimus obſequio. Nam proceſſurus eſt, ut exortu novo exſpectantes ſe lætificet. Qualis putamus proceſſurus eſt? Nimirum pulcher & decorus, ſuavis & delicioſus, omnibusque omnium gratiarum unguentis delibutus. Earum profecto gratiarum plenitudinem novæ illæ exprimunt antiphonæ ſplendida verborum pulchritudine, ſuavique melodiæ dulcedine decenter accurateque compoſitæ, quas in laudem regis eiusdem, matrisque reginæ cum cantico ipſius affectuoſa & vocali enuntiatione celebriter effert chorus eccleſiæ.“ Prius dixerat p. 45. „Antiphonas multiplex quidem votum, ſed parilem concentum habere.“


b) „Siquidem (inquit p. 57.) diebus aliquot novo gratiæ præconio veſpertina laus celebriori peragitur officio iucunda ſcilicet antiphonarum quarumdam decantatione, quæ tam verborum quam pneumatum omnimoda florentes pulchritudine, devotionis ac lætitiæ plurimum ſacro excitent conventu eccleſiæ. Sunt porro dies non amplius novem talis obſervantiæ, & eiusdem numeri antiphonæ cum evangelii cantico ſingulæ diebus ſingulis decantandæ.“

a ordinariis oſtendit a). In ordine Benedicti Canonici in officio nocturno vigiliæ Nat. D. 5. lectiones & totidem reſponſoria notantur: „Poſt quar„tam lectionem cantentur Sibyllini verſus: *Iudicii ſignum tellus ſudore madeſcit &c.*“ Nota ex laudato Martenio p. 78. & 86. in officio nocturno vigiliæ Nat. Domini, alias in ipſo Natali Domini, poſt lectiones cani ſolitos verſus illos (uti cum notis muſicis ex MS. biblioth. regiæ *Pariſiis* deſcriptos infra refero) iuxta ordinarium *Narbonenſe a melioribus vocibus clericorum*, & ipſis cantatis reſumi lectionem ab eo, qui primo illam inceperat. In eccleſia vero *Rotomagenſi* olim biduo ante vigiliam Natalis ad nocturnos legebatur ſermo quidam ſub nomine S. Augustini, in quo eiusdem ſybillæ oracula recitabantur, Erithrææ nimirum, cuiusmodi habentur apud Eusebium, in oratione Constantini M. ad Sanctorum cœtum cap. 18. Apud eundem Martenium videri poſſunt ſolemnia Incarnationis dominicæ in ipſo Natali Domini cum duplici etiam officio nocturnali, de quo in ord. *Rom.*
p. 83. Benedicti canonici: „Finitis iſto (modo) matutinis laudibus cum oratione „incipit pontifex matutinum. Schola dicit invitatorium, & eo ordine fit „matutinum, ſicut vigiliæ fuerunt.“ Et ne dubium ſit ob matutini nomen,
De ord. antiph. c. 15. „Reperi (inquit Amalarius) in *Romano* antiphonario duo officia no„cturnalia in una eademque nocte poſita.“ Fuit etiam ſolemnis initii ſancti evangelii ſecundum Matthæum *Liber generationis &c.* in Natali Domini, & ſecundum Lucam in Epiphania decantatio. Specimen ex MS. bibl. *S. Blaſ.*
b an. 400. damus: b) Præterea in feſtis S. Stephani, diaconorum, S. Ioannis, pres-

a) Ex *Nannetenſi:* „Nota, quod in Adventu cantantur ſeptem antiphonæ ſolemniter ad veſperas, quarum prima eſt: *O ſapientia*, quam incipit epiſcopus in die Lazari; ſecunda eſt: *O Adonai*, quam incipit archidiaconus *Namnetenſis:* tertia eſt: *O radix Ieſſe*, quam incipit archidiaconus mediæ: quarta eſt: *O clavis* David, quam incipit cantor: quinta: *O oriens*, quam incipit theſaurarius: Sexta eſt: *O rex gentium*, quam incipit ſcholaſticus: ſeptima: *O Emanuel.* ... Sunt etiam aliæ duæ additæ, quæ cantantur cum aliis:“ Et ordinarium *Cabilonenſe:* „Primum debet cantor: *O ſapientia.* Secundum vicedominus montis: *O Adonai.* Tertium vicedominus gemmularum: *O radix Ieſſe.* quartum epiſcopus pro theſaurario: *O clavis* David. Quintum vicedominus S. Isidori: *O oriens*, ſextum archidiaconus: *O rex gentium.* ſeptimum decanus procellario: *O Emanuel.* Octavum epiſcopus: *O virgo virginum.* Similiter apud *Gaſtinenſes* canonicos regulares: *O ſapientia* inchoat D. abbas, ſi vero abſens, prior: ceteris diebus ceteri, ſicut præcedunt in ordine hinc & hinc.“

b) 

presbyterorum, SS. Innocentum, puerorum officia propria erant: qui chorum regebant, etiam pueri cum proprio cantore, imo epiſcopo, ut vocabant, qui benedictiones & collectas legeret; alii antiphonas & reſponſoria cantabant. In Concilio *Gradenſi* an. 1297. c. 7. ſtatuitur, „ut epiſtolæ & evangelia „ &



„ & præfationes in Miſſis, exceptis : *Liber generationis*, & *Factum eſt autem*, & primis evangeliis diaconorum cum melodiis, præter epiſcopi licentiam nullatenus decantentur." In ipſo natali ſolemne fuit paſtorum officium, de quo aliquid ſupra de tropis agentes diximus a). De aliis eiusmodi ludis *Guil.* DURANDUS narrat in ration. div. off. ipſo natalis Domini die proxime a veſperis diaconos ſaltare ſolitos in eccleſiis, canentes antiphonam in honorem S. STEPHANI. Idemque præſtare ſacerdotes ante diem S. IOANNIS evangeliſtæ in obſequium huius apoſtoli : pueros chori, ſive

a *Rat. div. off. L. VII.* c.42.



a) In ordinario *Nannetenſi* apud MARTENIUM ſic præſcribitur : „ Ut poſt canticum *Benedicite* pueri ludentes cum baculis ſtent ante altare, & dicat cantor : *Paſtores dicite*, pueri reſpondeant, *Infantem vidimus*, & tunc incipiat aliquis antiphonam : *Parvulus filius &c.* In ordinario B. M. *Remenſis :* Poſtquam *Laudate Dominum de cœlis*, fuerit deductum uſque ad *Laudate Dominum in Sanctis eius*, cum *Gloria Patri &c.* ſubſiſtitur, & antiphona *Parvulus filius*, cum qua fuerat inchoatus pſalmus, finitur : tunc aliquis ſacerdotum, cui a præcentore fuerat iniunctum, incipiat antiphonam *Paſtores dicite*, & cantat totam rem ; alter

ſive clericos minores pro ſanctis Innocentibus; ſubdiaconos tandem ipſo Circumciſionis die. Beletus feſtum hypodiaconorum a quibusdam perfici dicit in Circumciſione, a quibusdam vero in Epiphania, vel in eius octava, quod vocari teſtatur feſtum ſtultorum: notat autem *eadem quatuor tripudia poſt nativitatem Domini in eccleſia, levitarum ſcilicet, ſacerdotum, puerorum id eſt minorum ætate & ordine, & hypodiaconorum.* c. 72. Solemnia natalitia Domini noſtri quadantenus interrumpebantur die octava ob paganicas ſuperſtitiones, a prima eccleſiæ ætate ieiunio dicata ac litaniis, omiſſis etiam lætitiæ cantibus. In Conc. *Turon.* II. ſtatutum fuerat can. 33. *in Kalendis Ianuarii fieri litanias, ut in eccleſia pſallatur, & hora octava in ipſis Kalendis circumciſionis Miſſa DEO propitio celebretur.* Et Conc. *Toletan.* IV. c. 2. decrevit: „Kalendis *Ianuarii,* quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino *Alleluia* non decantabitur: in quibus præter piſcem & olus ſicut in aliis quadraginta diebus a cæteris carnibus abſtinetur, & a quibusdam nec vinum bibitur.“ Plura reperies in liturgia mea veteri *Alemannica.* Vide etiam laudatum Martenium de ſolemni Invitatorii decantatione in natali Domini, illius econtra in feſto epiphaniæ intermiſſione, cuius rei rationes Amalarius, Durandus & alii dant. Notanda demum ſunt eiusdem Amalarii verba de feſto ὑπάντης, ſeu ὑπαπάντης, quod Purificationem B. M. V. dicimus: „Hanc (inquit) luſtrandi conſuetudinem bene mutavit chriſtiana religio, cum in menſe eodem die S. Mariæ plebs univerſa cum ſacerdotibus ac miniſtris hymnis modulatæ vocis per eccleſias, perque congrua urbis loca procedit.“ Quæ totidem verbis apud Bedam de tempor. ratione c. 10. leguntur. Vid. quæ de hac re in liturgia *Alemannica* diſſeruimus.

Explic. div. off.

L. III. de off. c. 43.

II. Poſt hilarem & ſolemnem Incarnationis, ac generationis dominicæ concelebrationem, aliud a ſeptuageſima commemorandum inchoandumque eccleſia ſuſcipit luctus tempus a). *Ciſtercienſes* inceſſit Abaelardus, quod *Alleluia* a ſeptuageſima uſque ad caput quadrageſimæ cantent. Quod fit ad litteram regulæ S. Benedicti, ut tamen etiam more quorundam medii ævi ſeptuageſimæ, vel ſexageſimæ reſpondere poſſit, ut in liturgia *Alemannica*

In Septuageſima, vel Quadrageſima *Alleluia* omiſſum in Occidente.

chorus reſpondet *Infantem vidimus.* Item primus chorus *Laudate Dominum in Sanctis,* ſecundus chorus *Paſtores dicite.* Primus chorus *Infantem vidimus.* Secundus chorus *Laudate eum in virtutibus eius,* & ſic reciproca cantilena pſalmo decurſo cum *Gloria Patri, & Filio &c.* eadem antiphona *Paſtores dicite,* &, *Infantem vidimus* ex integro cantatur, & tonus finitur.“ *De ant. Eccl. diſc. c. 12. n. 30.*

a) „Scilicet (inquit Amalarius de ord. antiph. c. 30.) Chriſti generatio, & ſanctorum prædicatorum liberalitas celebrata eſt a Nativitate Chriſti uſque in Septuageſimam, & a Septuageſima generatio eorum, qui de captivitate emergi deſiderant, & de anguſtiis præſentis peregrinationis, uſquedum iterum renaſcatur Chriſti generatio circa paſchalia Sacramenta.“

mannica explicamus. De conſueta iubili *Alleluia* depoſitione paſſim auctores, ac citatus etiam Amalarius: „Uſque (inter alia ait) ad noctem „ ſeptuageſimam videbatur nobis illam (generationem) habere præſentem, „ quia illam frequentabamus cum *Alleluia* per plura officia a nativitate Do„mini uſque ad illud tempus. Primus reſponſorius *Alleluia*, nomen bonum, „ ſic præponitur, quaſi ſignum aliquod in monte poſitum, ad quod viato„ res oportet intendere. Tota intentio eſt in iſta nocte cantorum, ut ma„ gnificent nomen *Alleluia*.“ Loquitur de ipſa nocte ac vigiliis ſeptuageſimæ, & per ſingula reſponſoria reſonantia commemorat *Alleluia* (quod Berno improbat *de varia pſalmorum atque cantuum modulatione*) pro vario tunc
a ecclefiarum more, de quo Durandus a). Ad illud pertinet frequens illius olim, antequam dimitteretur, geminatio, atque hodierna etiam dupli-
b catio in veſperis b). Magna quondam erat circa hoc varietas, ut idem
c. 16. in antiqua diſciplina eccleſiaſtica varia affert exempla. Nec ſolum, ut ex Amalario vidimus, ad vigilias ſæpe repetebatur magna cantorum contentione, verum etiam ulterius in Laudibus ad ſingulas antiphonas ſumma cum animi iubilatione concinebatur, præſertim in pſalmo *Laudate Dominum*, qualem iam uſum commemoravimus, meminitque Martenius eccleſiæ *Cabilonenſis*, & *Turonenſis* S. Martini, ubi in antiphonario præſcribitur: ut in Laudibus ad primam antiphonam dicantur decem *Alleluia*, totidem ad ſecundam &c. Alias ſilemus veteres conſuetudines, hodieque alicubi conſervatas. In reſponſali MS. *Vatic.* bibl. ſæc. X. in ſeptuageſima ad veſper. *Alleluia* ter ad ſingulos pſalmos aſſignatur pro antiph. ad Mag. *Alleluia. Mane apud nos alleluia.* In libro reſponſali ſive antiph. in nova S. Gregorii M. editione T. III. p. 757. 758. videre licet ingentem ſolemnitatem & multiplicationem *alleluia* demum cum laudibus finientem. Sequenti libro ex MS. Ordine operis DEI, qui adhuc ſæculo decimo ſexto in hoc monaſterio S. Blasii obtinuit, exemplum afferam maximæ in hac re ſolemnitatis. Solum hic hymnum annectam, quem in MS. diurnali ſæc. XIII. Monaſterii *Senonenſis* in *Lotharingia* cum notis muſicis inveni ſabbato in

ſe-

a) „Quidam autem (inquit L. VI. c. 23.) ipſo ſabbato dimittunt *alleluia* ad Sextam, quidam ad Nonam, quidam ad Veſperas, quidam vero ad Nocturnam huius dominicæ, & quidam ad Primam dominicam huius diei: quæ varietas provenit ex diverſitate inceptionis diei: de qua in prooemio ſeptimæ partis dicetur. Rectius tamen dimittitur in veſperis: quia tunc dies incipit quoad diurna officia: *quia nox præceſſit, dies autem appropinquavit:* & hoc etiam ſtatuit Alexander Papa II. ut eius geminatio ad fidem præcedentis temporis pœnitentiæ, quam laus ſequitur evangelica, referatur: & eius depoſitio luctui ſequentis temporis aſſignetur. Unde & quædam eccleſiæ deponunt *alleluia* cum gaudio magno; aliæ vero cum gemitu & ſuſpirio.

b) „Nota (inquit idem n. 18.) quod in ſabbato præcedenti ſæpe & fere per omnia cantuum officia *alleluia* iteratur: pro eo, quod illud diligimus, & in theſauro cordis recondimus: ſicut amicum iter longinquum profecturum ſæpe amplectimur, & eius os, faciem, & cætera oſculamur. Rurſus ideo in ſabbato ad veſperas geminatur.“

ſeptuageſima aſſignatum a). In officio *Mozarabico* nulla fit ſeptuageſimæ, ſexageſimæ, quinquageſimæ mentio, quamvis illic habeatur peculiare officium dominicæ, quæ præcedit quadrageſimam. Iuxta antiquiſſimum codicem *Veronenſem* liturgiæ *Mozarabicæ* in dominica *ad carnes tollendas*, a qua eo ritu quadrageſimale ieiunium inchoatur, *laudes* id eſt *alleluia* ad veſperas tolluntur, hac rubrica appoſita: „Item completuria poſt explicitas laudes, quas pſallendo vadunt uſque ad *Sancta Ieruſalem*, quæ „ in ſancto Fructuoso dicenda eſt." Laudes intelligi *alleluia* alibi obſervavimus, ac manifeſtum eſt ex ipſo officio illo tum iuxta vetuſtiſſimum codicem *Veronenſem*, cum recentiores eiusdem ritus, ut videre eſt apud *Ioſ.* Blanchinium annotationibus in libellum orat. antiquiſſimi ritus *Gothico-Hiſpani*, ubi poſt *alleluia* frequentatum adhuc in matutinis laudibus eius dominicæ additum eſt: *Hic clauditur alleluia.* Nihilominus in miſſali *Mozarabico* hæc legitur rubrica: *In dominico Quadrageſimæ Miſſam inchoet: Ecce nunc tempus acceptabile alleluia &c.* Forte, uti ritu *Romano* in ſeptuageſima, ita *Mozarabico* in dominica quadrageſimæ eodem præciſe tempore fuit depoſitum *alleluia* modo poſt laudes, modo poſt veſperas, ſubſiſtente ſemper ratione, ut a diebus ieiunii quadrageſimalis excluderetur, quod non in ipſa dominica exordiebatur. S. Isidorus *Hiſpalenſis* lib. I. de eccleſ. off. c. 13. „Apud nos (inquit) ſecundum antiquam *Hiſpaniarum* traditionem, „ præter dies ieiuniorum vel quadrageſimæ, omni tempore canitur *alleluia.*" Notabilis eſt eam in rem canon. 10. Conc. IV. *Toletani*, de quo ſupra C. IV. p. 404. Attamen, ut notat Goar, in officiis quadrageſimalibus canticum *alleluia* frequentant ſæpius & iterant *Græci*, eique decantando facilius indulgent, quo tempore illud diuturniores laudes requirere agnoſcunt. Atque ita non ſicut *Latinis* lætitiæ, ſed potius mœroris, compunctionis, devotionisque apud eos eſt argumentum. Quam vane autem ob illam vocem officia ſua iactet Michael. *Cpolit.* legendus Baronius an. 1057. num. 29. Hæc Goar.


[Margin: a — *T. I. opp. V. Thomaſil p. CXXX.* — *Euchol. p. 167.*]

III. Revertimur ad officium quadrageſimale *Mozarabicum*, ubi rubrica antiquiſſimi codicis *Veronenſis* a nobis allata, atque orationum completoriarum verba & inſcriptiones, obſervante Blanchinio, triduanas illas proceſſiones ſeu litanias indicare videntur, præſcriptas iam in Concilio *Bracarenſi* II. an. 572. *In cuius* (Quadrageſimæ) *principio convenientes in unum* *vi-*

[Margin: De officio quadrageſimali.]

a) „ *Alleluia* dulce carmen vox perhempnis gaudii. *Alleluia* laus ſuavis eſt choris cœleſtibus, quod canunt Dei manentes in domo per ſæcula. *Alleluia* leta mater cecinit *Iheruſalem. Alleluia* vox tuorum civium gaudentium, exules nos flere cogunt *Babylonis* flumina. *Alleluia* non meremur nunc perhempne pſallere. *Alleluia* nos reatus cogit intermittere, tempus inſtat, quo peracta lugeamus crimina, unde laudando precamur te beata Trinitas, ut tuum nobis videre paſchadeſ ethera, quo tibi leti canamus *alleluia* perpetim. *Amen.*"

vicinæ eccleſiæ per triduum cum pſalmis per ſanctorum baſilicas ambulantes celebrent litanias. Paſſim in monumentis liturgicis eccleſiæ occidentalis huius medii ævi præſcriptas inveni litanias in officio quadrageſimali ab eius exordio *Feria IV. capite ieiunii*, ut in veteri proceſſionali *Barberino* n. 1867. ſcripto litteris *Longobardicis* cum notis muſicis, „finito ℟. ſe- „ quitur letania tribus vicibus dicenda. *Chriſte audi nos. Pater de cœlis Deus. Miſerere nobis &c.*“ Et in miſſali *Ambroſiano Palatinæ bibl.* in *Vatic.* n. 506. letania dominicæ primæ quadrageſimæ hoc modo.



Canitur hæc letania etiamnum ritu *Ambroſ.* quo ieiunium quadrageſimale poſt dominicam primam quadrageſimæ exordium ſumit, fruſtra omnem lapidem movente S. Carolo *Borromæo*, ut aboleret morem, initium quadrageſimæ ſumendi a dominica, uti etiam ritu *Mozarabico* fit. Ac *Græci* etiam officium

cium quadrageſimale incipiunt ſabbato τῆς ἀποκρέω *carnisprivii*, quod nuper C. Quirinus edidit ex antiquiſſimo codice *Barberino*, nec ultra dominicam tertiam ieiunii progreditur, prout ob longitudinem divini officii, copiamque odarum plures eiusmodi ſunt libri, quandoque integri pro unico feſto. Præter officium magni canonis Andreæ *Cretenſis*, quod canitur fer. V. hebd. V. Quadrageſ. celebris imprimis eſt apud *Græcos* ἀκάθιστος ὕμνος in laudem B. Virg. ob urbem a *Perſarum Barbarorum*que furore illius ope ter ſervatam, conditus, ut paſſim narratur a). Idem poſtea ſub a
Constantino *Pogonato*, & tertium ſub Leone *Iſauro*, infeſtantibus *Agarenis*, factum, feſtumque inſtitutum, ac hymnus ſabbato quintæ hebdomadis Quadrageſimæ in perpetuum decantandus ἀκάθιστος, *quaſi ſeſſione carens, dictus*, inquit *Triodium hac die: quod totus populus tota nocte ſtando hymnum Deiparæ concinuerit, quodque cum in omnibus aliis ædibus ex more ſedere liceat, in iſtis divinæ matris erecti omnes ſtantes auſcultamus.* Narrat Codinus, ex quatuor vigiliis, quæ quotannis in palatio celebrari ſolebant, ſecundam fuiſſe τῆς ἀκαθίστου. Extat hoc officium in horologio ſæpe edito, & in cod. Bibl. *Vindob.* theol. 231. Hymni huius originem deſcribit anonymus apud Combefis. Auctar. T. II. p. 805. b) Reſpondet ſabbato in palmis b
ſabbatum hebdomadæ quintæ, qua in Occidente officium eccleſiaſticum magis compoſitum eſt ad triſtitiam ex memoria paſſionis dominicæ. Ritu *Mozarabico* id iam dominica quarta inchoatur, quam vocant viceſimam, de qua in cod. *Veronenſi*: „ Incipiunt orationes de reſponſoriis, ſive de antiphonis pſalmographis de traditione, quæ cantantur quotidie extra dies dominicos a ſecunda feria poſt viceſimam uſque in ſabbato de ramos palmarum.“ Ritu *Romano* dominica quinta, quæ de paſſione dicta eſt, peculiaris incipit memoria dominicæ paſſionis, olim *mediana* dicta, computo producto uſque in octavas paſchæ, ut habet titulus in ordine *Romano* primo. „ A quo die (ut ibidem habetur) uſque in vigiliam ſanctæ dominicæ reſurrectionis in nullo reſponſorio decantatur, *Gloria*, nec in *Venite*, a Cœna vero Domini nec in pſalmis, nec in ullo loco decantatur *Gloria* uſque in paſcha.“ Quod hactenus ſervatur, ut in ordine XI. Bened. canonici explicatius legitur: „ Ab iſto die uſque in ſabbato ſancto in nullo reſponſo-

De offic. Cpol. c. XII. §. 10. p. 71.

p. 17. 18.

„ rio

a) „ Obſeſſa urbe regia imperante Heraclio ex una parte a numeroſo exercitu ſub Sarbaro Chosroæ regis *Perſarum* duce, ex altera a Chagano *Scytha*, Sergius patriarcha imaginem Deiparæ Virginis non manufactam ulnis ſuis geſtans cum toto populo ſupplicationes inceſſanter fecit; quo facto Heraclius mox inſignem de hoſtibus victoriam reportavit. Unde populus totam noctem absque ulla intermiſſione hymnum pro gratiarum actione Deiparæ decantavit.“

b) Vid. Gretseri & Goari obſervat. in *Georg.* Codini l. c. *Pachymerem* c. 3.


„ rio, & in nullo *Venite*, & Introitu cantatur *Gloria Patri.*" Quod
De div. offic. L. V. c. 2. tempore RUPERTI *Tuitienſis* necdum ubique receptum fuit: „ Nam (inquit)
„ de reſponſoriis *Gloria Patri* ſubtrahimus, & apud quosdam ad Miſſas quoque
„ cum Introitu officii non dicitur. Siquidem brevis licet verſiculus, quia ſanctæ
„ Trinitatis magis expreſſa, magisque propria laus eſt, bene capitis noſtri
„ ſolitudinem atque ſilentium non palam ambulantis, dum non dicitur, ſi-
„ gnificat. „ Cantum etiam humilem & ſubmiſſiorem in ſignum doloris &
De ant. eccl. diſc. c. 19. triſtitiæ uſque ad paſcha præſcribit ordinarium *Uticenſe* apud MARTENIUM.
Idemque in Itin. liturg. D. de MOLEON p. 67. notatur de eccleſia S. IOANNIS
Lugd. a dominica paſſionis uſque ad ſabbatum S. excepta dominica palma-
rum, qua lætiori cantu eccleſia ingreſſum triumphalem Salvatoris noſtri in
Ieruſalem celebrat. „ De quo (inquit S. ADHELMUS lib. de *Virginit.*)
„ lactentes evangelici conſona vocis harmonia pſallentes concorditer cecine-
„ runt: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Cuius rei regulam noſtra
„ quoque mediocritas (authentica veterum auctoritate ſubnixi) in ſacroſancta
„ palmarum ſolemnitate binis claſſibus canora voce concrepans, & geminis
„ concentibus *Oſanna* perſultans cum iucunda iubilationis melodia concele-
„ brat. „ Auctor de div. offic. ſub nomine ALCUINI c. 14. proceſſionem
huius diei deſcribens, verſuum ſeu hymni meminit, qui tribuuntur paſſim
THEODULPHO *Aurelianenſi* ſub LUDOVICO demum *Pio*, anonymus vero
Ap. Menard. n. 234. in Sacr. S. Greg. (qui vixit tempore PHILIPPI *Aug. Franc.* Regis) REINALDO *Lingonenſi*,
„ qui (ut ait) fecit hymnum, & modulatis vocibus decantavit cum pueris in ra-
„ mis palmarum, ſcilicet *Gloria Laus.*" Quod alios vero huius luctuoſi tempo-
ris cantus attinet, ut tempori congruerent, hos auctorem antiphonarii ſtudio
De ord. antiphon. c. 43. confectatum fuiſſe, AMALARIUS meminit: „In duabus (inquit) hebdomadibus
„ ante paſcha Domini undecunque potuit colligere compoſitor antiphonarii
„ ſermones convenientes paſſioni Domini, ſuper eos fecit ſonum cantus ha-
„ bilem ad id tempus, id eſt, lugubrem iuxta numerum neceſſariorum re-
„ ſponſoriorum, & antiphonarum.

De Triduo ante Paſcha. *L. V. de off. div. c. 27.* a


IV. Multo id magis uſuvenit ipſis poſtremis paſſionis dominicæ diebus.
„ Pleriſque (inquit RUPERTUS *Tuitienſis*) moris eſt, ut extinctis luminari-
„ bus in ipſis tenebris lugubres toni, præcinentibus cantoribus, & choro reſpon-
dente, flebili modulatione decantentur incipientibus a *Kyrie eleiſon.*" Agit de
verſibus illis, in tribus noctibus ante paſcha ad finem Laudum cantari ſolitis. a)
Et poſtea quæſtionem attingit, cur horæ minores his diebus etiam omnino
ſine

a) „ IESU Chriſte qui paſſurus adveniſti propter nos. *Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.* Domine miſerere nobis. Qui expanſis in cruce manibus traxiſti omnia ad te ſæcula. *Kyrie eleyſon.* Qui prophetice promiſiſti: *Ero mors tua o mors. Kyrie el.* Vita in ligno moritur, infernus & morſu diſpoliatur. *Kyrie el.* Chriſtus Dominus factus eſt obediens uſque ad mortem. " Ut leguntur in cod. *San - Emeran.* ſæc. X. cum notis muſicis.

p. 531.



Tab V. pag 588.



ſine cantu recitentur: „ Quod (inquit) non ſolum campanarum clan- c. 32.
„ gor ſileſcit, ſed regularium quoque concentum horarum noſter omni-
„ no chorus abſcondit, illud ſignificat, quod apoſtoli Chriſti non ſolum
„ prædicare ceſſaverunt, ut ſoliti fuerant circuire per caſtella evangelizantes &
„ curantes ubique, ſed & nocte hac, poſtquam hymno dicto exierunt cum
„ illo in montem olivarum, diffugientes & oppreſſi triſtitia cuncti a laude
„ communi conticuerunt. Idcirco autem a completorio profundum hoc
„ incipitur ſilentium, quia circa hanc horam cum dixiſſet diſcipulis: *Ecce*
„ *appropinquavit, qui me tradet*, ipſi graves eſſe cœperunt &c. " Nec im-
merito quærit poſtea: „ Cur cum diurnas horas triſte ſilentium operiat, no- c. 33.
„ cturnas vigilias vel laudes intecta melodia depromat? " Ex GUIDONIS *Farf.*
diſc. L. I. c. 3. & BERNARDI Ordine *Cluniac.* conſtat, monachos *Farfenſes* &
Cluniacenſes Primam diſcalceatos, reliquas horas, ſicut & Veſperas & Com- P. II. c. 16.
pletorium ſub ſilentio unumquemque per ſe recitaſſe. Apud THOMASIUM T. IV.
opp. *Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam uſque ad paſcha ſecreto di-
cimus, ſimiliter veſperum Paraſceven.* De veſpera Paraſceves ſic præſcribitur
in miſſali *Barberino* ſæc. XIII. vel XIV. „ ſic univerſis expletis poſt paululum
„ unusquisque veſperam dicat privatim ſine antiphona: ſed in fine *Chriſtus*
„ *factus &c.* ſecrete dicatur. " Nihilominus iuxta IOANN. *Abrincenſem* de
offic. p. 53. „ In die Cœnæ pſalmi in omnibus horis abſque completorio alta
„ voce, & cum tono cantentur. " In cod. *San-Emeranenſi* ſæc. X. reperiun-
tur etiam cum notis muſicis verſus, in cœna Domini ad refectorium canendi:
„ *Tellus ac æthera iubilant in magni cœna principis &c.* " Multa luctus ſigna,
ac ſingulares antiquiſſimi ritus ad hodiernum uſque diem ſunt conſervati, uti
iam in ordine *Romano* I. præſcribuntur: „ More ſolito *Deus in adiutorium* N. 29.
„ *meum* non dicant, nec *Gloriam*, nec Invitatorium: ſed cantor incipit
„ in pſalmis antiphonam, ſicut in antiphonario continetur. Nec presbyter
„ complet in fine orationem (id eſt, non canit more ſolito *Qui tecum &c.*)
„ ſed tacite ſurgendum eſt, & lector benedictionem non petat; & quando
„ finit, non dicat *Tu autem;* ſed ex verbis lectionis iubetur facere finem. "
ABAELARDUS inter alia id vitio vertit *Ciſtercienſibus*, quod tribus his diebus
Invitatorium, ac doxologiam præter morem cantent. Curatum ſingulariter
eſt, ut his diebus conformitas cum ritu *Romano* ſervaretur ab illis etiam cœ-
tibus, qui alias peculiare habebant officium, veluti *Benedictini.* Ex GUI-
DONIS diſciplina *Farfenſi*, & BERNARDI ordine *Cluniac.* apud P. HERRGOTT L. I. c. 3.
noſcitur, officium *Romanum* illo triduo peragendo, ad horas tamen hymnum, P. II. c. 15.
ut quadrageſimæ reliquo tempore, & pſalmos regulares retinuiſſe *Farfenſes*, 16.
& *Cluniacenſes.* Quin fuerunt, qui omnino officium *Romanum* illis diebus
poſthaberent, uti ex Mſc. commentario HILDEMARI, ſub LUDOVICO *Pio*

 ſcri-

a Præf. de ant. monaſt. diſc. p. XXXVII.

ſcripto, in regulam S. Benedicti refert P. Herrgott. a) Quodſi Concilii *Aquisgranenſis* citatio in Hildemaro genuina eſt, aliud nihil ſtatuitur, quam ut monachi cantum *Romanum* pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragerent. Debuit ergo aliunde iſta divini officii cum *Romano* conformatio eſſe; quæ ſatis aperte non colligitur ex antiquiſſimo breviario *Romano*, monaſticis congregationibus accommodato, niſi quod ibi præſcribatur: „ Et in ipſa nocte in vigilia Paraſceven, hoc eſt feria ſexta, non „ canuntur *Gloria* nec *Kyrie eleiſon* nec ſignum non pulſaverit in ſabbato ſancto „ ad vigilias. " Vel inde tamen, quod tam pauca de his vigiliis ſolemnibus memorentur, quis forte colligat hanc conformitatem, cum de vigiliis quadrageſimalibus multo plura occurrant, & expreſſe ſtatuatur: „ Et ſequitur „ ordo matutinorum, ſicut & reliquis dominicis diebus: tantum antiphonas „ tam de prophetis quam de evangelio canuntur, & a quinto decimo die „ ante paſcha lectiones vel reſponſoria & antiphonas cum verſibus de paſſione „ Domini incipiunt celebrare. Quinta vero feria ante paſcha, id eſt Cœna „ Domini, ad Miſſas antiphonæ ad Introitum non canuntur, apoſtolus & „ evangelium non legitur, nec reſponſorium cantatur. Nec ſalutat presby„ ter, id eſt, non dicit *Dominus vobiscum*, nec pacem faciunt uſque in ſab„ bato ſancto, ſed cum ſilentio ad Miſſas ingrediuntur. " Patet hinc, in Cœna Domini Miſſas, uti fere nunc in Paraſceve, fuiſſe celebratas; at de officio diurno vel nocturno nullum verbum. Obſervat Menardus, nosque in Liturg. *Alem.* oſtendemus, feria V. veſperas includi ſolitas in Miſſa, uti Sabbato S. ut ſex pſalmi cum totidem antiphonis, & ad *Magnificat* tres dicerentur. „ Pulſantur ſigna, veſpertinæ canuntur. Et cantor incipit an„ tiphonam: *Calicem.* Pſ. *Credidi &c.*" Ita apud Menardum cod. Ratoldi, in quo hæc ſequuntur: „ Et ſtat unusquisque ad menſam. Deinde poſt „ refectionem prandii lavantur pedes. Et dum hæc aguntur, canantur hæ „ antiphonæ reciprocis pſalmis *Mandatum novum*, Pſ. *Beati immaculati &c.* „ *&c.* Hymnus de paſſione Domini. " Quem cum notis antiquis ponit. b) Nota etiam ex Ioanne *Abrincenſi* de Offic. p. 56. *Poſt prandium autem iterum ad eccleſiam omnes conveniant, nudantes altaria, cantantes aliquod reſponſorium.* In ord. *Rom.* Cencii, qui cancellarius fuit ſub Coeletsino III.

Murat. T. II. lit. p. 401.

Ibid.

Not. 279. in lib. ſacr.

b

a) „ Sciendum eſt (inquit) quod Cœna Domini, & Paraſceve, & Sabbatum ſanctum, atque Paſcha ad ſolemnitates Chriſti attinent. De his quatuor diebus definitum eſt in Concilio (*Aquisgranenſi* a Carolo M. coacto, c. 80.) ut ſecundum *Romanam* eccleſiam cantetur pleniter, & non ſecundum regulam a monachis. Verum ſunt ſtudioſiores monachi, qui in his IV. diebus nolunt ſecundum *Romanam* traditionem agere, ſed ſecundum regulam pleniter, dicentes: quia in aliis diebus non transgredimur regulam in officiis canendis, nec etiam in iſtis quatuor diebus volumus transgredi. Nam, ſicut mihi videtur, melius eſt, ut in iſtis IV. diebus regulare officium canatur, quam ſecundum *Romanos*: eoquod, ſicut S. Gregorius dicit, nihil nocent in fide catholica, & in bonis moribus conſuetudines diverſæ. "

b) Vid. Libr. reſponſal. T. III. opp. S. Greg. M. p. 877.

III. de officio Cœnæ Domini notatur : *Ipſa vero die ſchola cum cæteris omne divinum ſine organo canit officium.* Sic apud THOMASIUM in vigilia Cœnæ Domini Ant. *Chriſtus factus. Hanc antiphonam cantamus ſimpliciter tantum, & ſine organo.* In cod. S. ELIGII a MENARDO edito, idem fere ordo, ac hodie tenetur in Paraſceve, præſcribitur: „ Subdiaconus aſcendit ad *legen-* „ *dum.* Et poſt hæc cantatur canticum : *Domine audivi.* Deinde ſequitur „ altera lectio, poſt quam ſequitur tractus. *Deus laudem meam.* Quo finito, „ legitur paſſio Domini.“ Ad adorationem Crucis præſcribitur : „Canitur „ ſemper antiphona : *Ecce lignum Crucis.* Dicitur pſalmus 118.“ De paſſione Domini legenda hæc habet IOANNES *Abrincenſis* p. 59. *More autem lectionis paſſio legatur, excepta voce Domini, quæ in aliis dicatur.* Locum hunc PREVOTIUS in nota p. 136. ſic exponit ex ordinario, & duobus libris officialibus MSS. ad uſum eccleſiæ *Rotomagenſis*, in quibus legitur : *Diaconus in alba ante altare legat paſſionem more lectionis, excepta voce Domini, quæ more evangelii legatur.* Sic in *Barberino* codice N. 1853. ſcripto litteris *Longobardicis*, in paſſione Domini notas muſicas ſolum ſuper verba Chriſti inveni. In MS. autem biblioth. *San-Blaſ.* ann. 800. in quo notæ ſuperſcriptæ ſunt, hæ copioſiores apparent, quam in aliis evangeliis ſuper paſſionem Domini ſecundum MATHÆUM *in dom. indulgentiæ* ſeu palmarum, maxime autem in verbis *Heli Heli lama Sabacthani* cum ſyrmate ſeu neuma tum in ipſo contextu, cum etiam recentiori manu ad oram. Id non raro in codidicibus antiquis inveni in verbis illis *Eli Eli &c.* veluti in ſacramentario ſæc. X. *Vallicellanæ* bibl. *Romæ*, ubi præterea nullæ notæ comparent, niſi in parte extrema, quæ cani ſolent in tono evangelii. *Græci* hac feria ſexta ex omnibus quatuor evangeliſtis, quod antiquiſſimis temporibus etiam in Occidente uſitatum fuit, paſſionem dominicam canunt, præeuntibus unicuique evangelio tropariis & lectione una ex veteri teſtamento, altera ex apoſtolo, ut aſſignantur omnia in antiquiſſimo codice *Chiſiano* Evangeliario *Græco*, de quo capite ſequenti plura dicemus. Patres Conc. *Tolet.* IV. c. 7. redarguunt, *quod per nonnullas eccleſias in die ſextæ feriæ paſſionis Domini clauſis baſilicarum foribus, nec celebratur officium, nec Paſſio Domini populis prædicatur.* In antiq. cod. *Veron.* p. 99. *Feria VI. in Paraſceve caret matutinis laudibus, horis diurnis, & veſperis.* Habet tamen prolixum officium *pro indulgentia*, ut in laudato canone præſcribitur, *indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare.* Quoad diem Paraſceves unum adhuc ex RUPERTO *Tuitienſi* notabo ex lib. VI. de divinis officiis cap. 19. cuius hæc eſt inſcriptio : „Cur ab his, qui „ crucem apportant, cantatur *Popule meus*, & aliæ antiphonæ : & ad ſingulas reſpondetur græce ἅγιος, & latine *Sanctus Deus ?* Tres iſtæ antipho- „ næ, pergit, *Populo meus*, *Quia eduxi te*, *Quid ultra debui*, quæ appor-

T. IV. opp. p. 72.

„ tando crucem decantantur, ſenſibus parum aut nihil differentes, verbis „ quoque ac modulatione conſimiles triplicem ſignificant ſcripturam tituli, ſenſumque eius conſonant, qui ſuper caput Domini hebraice, græce ac latine ſcriptus eſt: IESUS NAZARENUS REX IUDÆORUM &c." Paulo poſt cap. 24. De noctis paſchalis ſolemni officio: „ Quapropter (inquit) quotquot „ ſacerdotalis aut levitici ſumus ordinis, iure pro tanti regis victoria tuba intonamus ſalutari, iuxta illud in pſalmo: *Buccinate in neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Quis enim dies nocte hac inſignior? Quæ ſolemnitas hac victoria præſtantior? Quæ alia noſtra eſt neomenia, niſi illa, „ quæ hac nocte in Chriſto per baptiſmum renaſcitur nova eccleſia? Iure ergo nunc angelica turba cœlorum exultat, tuba ſalutari inſonat, gaudet tellus, mater eccleſia lætatur, & omnis aula divini nominis magnis reſultat „ populorum vocibus." Pertinent hæc ad celebrem imprimis cerei paſchalis benedictionem, *quæ*, ut habet BERNARDUS in ord. *Cluniac.* apud P. HERRGOTT p. 316. *cum dulci modulatione canitur*, quamve omnium frequentiſſime cum notis muſicis inveni, ſolis illis quandoque exceptis verbis: *O felix culpa. O certe neceſſarium Adæ peccatum*; eoquod paſſim omitterentur. In MS. *Barberino* ſæc. XIII. vel XIV. poſt verba: *Apis mater eduxit*, hæc legitur rubrica: *In modum lectionis* Apes cæteris quæ ſubiectæ ſunt &c. In priori ſono. *O vere beata nox &c.* In bibl. *Vaticana*, *Barberina*, *Caſanatenſi* vidi rotulos, picturis ornatos, ex quibus canebat diaconus ex ambone, prout depictum cernere licet in fragmento eiusmodi rotuli noſtræ *San-Blaſ.* bibliothe-
L.IX. ep. 28. cæ, quod alibi exhibebimus. Ex S. GREGORIO M. ad MARINIANUM epiſc. colligimus, ab epiſcopo cantari ſolitam cerei benedictionem. Ritu veteri *Mozarabico* canebatur a pluribus diaconis præmiſſa etiam lucernæ benedictione: „ Cum venerit epiſcopus cum presbyteris & clero pſallendo ad altare, ponitur lucerna a diacono in ſtillo, dicanturque a clero hi verſus, *Populus,* „ *qui ſedebat*, ſtantes in locum, ubi ſolent ſacrificium canere, cui ſuſcipitur a clero, qui in choro ſiniſtro iuxta veſtibulum adſtant: *Lumen verum.* Qua expleta caput ſupradictæ antiphonæ replicatur: *Lumen verum.* „ Et ſtatim egrediuntur clerici, & pſallendo veniunt in chorum &c." Ut in miſſali *Mozarabico* legitur. Ritu *Mozarabico*, pariter ac *Romano* antiquiſſimo uſu, lectiones cum ſolemnibus canticis poſtea celebrantur. *Romæ* conſtanter lectiones illæ non ſolum, ſed etiam ipſa cantica, quæ interponuntur, *Cantemus Domino &c. Sicut cervus*, græce primum, deinde latine canuntur, ut videre eſt in antiquiſſimo ord. *R.* apud MABILL. p. 25. Nonnullæ etiam lectiones peculiari cantu diſtinctæ aliquando reperiuntur in antiquis monumen-
N. 1854. tis. Sic in miſſali plenario ſæc. X. vel XI. *Barber.* reperi cum notis muſicis lectionem IONÆ prophetæ, eademque in medio poſt verba, *ut adleviaretur*

ab

Tab IV. p 534.



Johann Haas Sculp

ab eis, rubricam incipit cantare. „ *Et* IONAS *deſcendit ad interiora navis* . . . „ IONAM *in arida*. Hic mutat ſonum, quaſi lectio: *Et factum eſt verbum* „ *Domini ad* IONAM *prophetam ſecundo* . . . *& miſertus eſt Deus ſuper mali-* „ *tia, quam locutus fuerit, ut faceret eis, & non fecit*. Incipit cantare. *Et* „ *afflictus eſt* IONA *&c.*“ Poſt alias lectiones: „ *Lectio* DANIELIS *prophetæ.* „ *In diebus illis* NABUCHODONOSOR *rex* . . . *in medio ignis dixerunt*: *Benedi-* „ *ctus es Dne Deus patrum noſtrorum*. . . . *& ſciant, quia tu es glorioſus ſuper* „ *orbem terrarum*. Et incipit legere in tono priore. *Et non ceſſabant, qui miſe-* „ *rant eos* . . *nec quidquam moleſtiæ intulit*. Hic canere incipit clerus cum or- Organa. „ ganis. *Tunc hi tres quaſi uno ore laudabant & glorificabant & benedicebant* „ *Dnum in fornace. Benedictus es Domine Deus patrum &c. Benedicite o-* „ *mnia opera &c.* Et reſpondent omnes in choro *Amen. Benedicite ſpiritus &c.* „ Poſt iſtam benedictionem incipit legere in priori ſono. *Tunc* NABUCHO- „ DONOSOR *rex obſtupuit &c.*“ De fontis conſecratione cum cantu *ſicut præfatio*, iam ex ſacramentario ſuperius notavimus. Intermiſcebatur autem litania primum ſeptena, deinde quina, ac demum terna, de quibus plura mox dicemus. Hic vero adſcribam ordinem harumce litaniarum a) ex celebri cod. a

fæc.

a) „ Sequitur ordo, qualiter Sabbato ſancto ad vigilias ingrediuntur ſtatio ad lateranis. Primum ora octava diei mediante procedunt omnes ad eccleſiam, & ingrediuntur in ſacrario, & induunt ſe veſtimentis ſicut mos eſt, & incipit cleros letania hoc modo. *Xpe audi nos* ſeptem vices iſta leñias dicantur. *Sancta Maria or. Sce archangele Michael or. Sce Gabriel or. Sce Raphaael or. Sce Iohes Baptiſta or. S. Petre or. S. Paule or. S. Andrea or. S. Iohs evangeliſta or. S. Iacobe or. S. Thoma or. S. Iacobe or. S. Stephane or. S. Laurenti or. S. Vincenti or. S. Benigne or. Oñs Sci orate pro nobis. Propitius eſto. Parce nobis Dne. Propitius eſto. Lib. Ab omni malo. Libera. Ab ira tua. Lib. A peſte & fame. Lib. Per crucem tuam. Lib. Per reſurrectionem tuam. Lib. Peccatores. Te rogamus audi nos. Ut pacem nobis dones. Te rog. Ut celi ſerenitatem nobis dones. Te r. Ut cunctum populum chriſtianum conſervare digneris. Te r. Ut veniam nobis dones. Te r. Ut miſericordiam nobis dones. Te r. Ut fructum terræ nobis dones. Te r. Fili Dei. T. audi. Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona nobis veniam. Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona indulgentiam. Agnus Dei q. tollis peccata mundi dona nobis pacem. Chriſte audi nos. Kyrie eleiſon VII.* Hæc autem letaniæ ſepties pronuncietur, ſeptiesque reſpondeatur. Qua canente procedunt ſacerdotes de ſacrario cum ſacris ordinibus, veniunt ante altare ſtantes inclinato capite, uſque dum dicit. *Agnus Dei.* Deinde dicit ſurgens ſacerdos vadit retro altare, ſedens in ſede ſua. Deinde veniens archidiaconus ante altare, accipiens de lumine, quod V. feria abſconditum fuit, faciens crucem ſuper cereum. Et illuminans cum ac benedicens dicente ipſo diac. tribus vicibus. *Lum̃ Xpi.* Reſpondentes omnes *Deo gratias.* Et completa ab ipſo benedictio cerei. Dicit ſacerdos or. hanc *Deus qui divitias.* Qua prædicta incipiunt prima. lect. *In principio &c.* Expleta orat. deſcendunt cum accenſis lampadibus ſeu cum turribulis ad fontes letanias canentes. Hæc letanie quinquies pronuncietur. & quinquies reſpondeatur *Xpe audi nos. Sancta Maria &c. Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Dona indulgentiam. Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Dona nobis veniam. Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis. Xpe audi nos. Kyrie eleiſon.* Omnia quinque vices dicantur. *Expleta autem ipſas letanias &c.* Tunc revertit pontifex in ſacrario cum omnibus ordinibus ſuis. Et poſt paululum incip. clerus letonia ter pronuntietur, terque ab omnibus reſpondeatur. Quouſque ſtella in celo apparuerit. Viſa ſtella ingreditur ad Miſſa. Finis vero iſtius letaniæ ſic finiatur ſicut ad

ſæc. IX. bibliothecæ *Angelicæ Romæ*, in quibus initio & fine numerus additur, ad finem autem poſtremæ tantum, id eſt ternæ in *Kyrie*, *Chriſte*, *Kyrie* notæ muſicæ comparent. In cod. *S. Emeran.* ſæc. X. notatur *Letania* ad baptiſmum in ſabb. S. *Rex ſanctorum angelorum. Totum mundum adiuva &c.* Sequitur trina letania *Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Chriſte audi nos. Salvator mundi. Adiuva nos.* In cod. *Vindobonenſi* ſæc. X. „ Finitis lectionibus deſcen„dendum eſt ad fontes cum S. chriſmate & cereis, in magna reverentia decan„tando letaniam. Poſt aſcenſum vero fontis ingrediendum eſt ad Miſſam publi„cam ad S. Ioan. Imprimis autem fiunt litaniæ ter repetendo. Et cum dixerint „ *Agnus Dei*, dicat cantor excelſa voce *Accendite.*" Nonnunquam vocem illam cum notis muſicis reperi. Et quidem in MS. ſæc. XIV. circiter: *In Vigilia paſchæ diaconus ante Kyrie eleiſon hoc præmittit*



Kyrie eleiſon eſt finis litaniæ trinæ, quæ Miſſam ſolemnem ordiebatur. Unde in Sacrament. S. Gregorii apud Menardum ita præſcribitur: „Leta„nia expleta dicit pontifex *Gloria in excelſis.* Quo finito dicit *Pax vo„biſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* Et dat orationem: *Deus qui hanc ſacra„tiſſimam noctem &c.* Deinde legitur apoſtolus, & canitur *Alleluia*: Quod „primum pontifex inchoat: *Confitemini Domino.* Tractus: *Laudate Do„minum omnes gentes.* Sequitur evangelium. Non cantent Offertorium, „neque *Agnus Dei*, neque Communionem." De veſperis dicemus mox: quæ Communioni huius diei ſunt implicitæ. In cod. *Vatic.* 4770. ſæc. IX. vel X. legi: Ad communicandum cantate: *Veſpere autem &c. Laudate Dominum &c. Veſpere autem.*

A Paſchate uſque Pentecoſten. *Acta O. S. B. ſæc. V. p. 429.*

V. Ipſius reſurrectionis dominicæ ſolemne auſpicium qua ratione medio hoc ævo fuerit celebratum, peculialiter a S. Udalrico in noſtra *Alemannia*, Gerardus in ſancti præſulis vita narrat a). Ordo *Romanus* per paſchale

Miſſam in die dominico. *Xpe audi nos III. Sancta Maria ora &c. Fili Dei te rog. Xpe audi nos III. Kyrie eleiſon II. Chriſte eleiſon II. Kyrie eleiſon I. Kyrie eleiſon.*"

a) Deſideratiſſimo atque ſanctiſſimo paſchali die adveniente poſt Primam intravit eccleſiam S. Ambrosii, ubi die Paraſceve Corpus Chriſti ſuperpoſito lapide collocavit, ibique cum paucis clericis Miſſam de ſancta Trinitate explevit. Expleta autem Miſſa clerum interim congregatum in ſcena (porticu) iuxta eamdem eccleſiam ſitam ſolemniſſimis veſtibus indutum anteceſſit, ſecum portato Corpore Chriſti, & evangelio & cereis, & incenſo, & cum congrua ſalutatione verſuum a pueris decantata per atrium perrexit ad eccleſiam S. Ioannis Baptiſtæ, ibique Tertiam decantavit, indeque cum antiphonis ad honorem diei congruentiſſime compoſitis ad

paſchale feſtum, ſicut in poſterioribus diebus maioris hebdomadæ in officio divino ac horis canonicis etiam ab illis, qui peculiarem habent curſum, ſervabatur, uti ex antiquioribus etiam conſtitutionibus *Cluniacenſibus*, ubi tamen poſtea, item ex *Cluniac.* S. ULRICI conſuetudinibus, notavi, monaſticus ordo divini officii in vigiliis ipſa nocte reſurrectionis dominicæ præſcribitur, qui hactenus apud nos ſervatur. a) Videbimus libro III. etiam monachos *Benedictinos*, relicto conſueto ordine officii divini, ſaltem in hac ſacratiſſima nocte ordinem *Romanum* ſecutos eſſe, prout apud GRATIANUM de conſecr. a GREGORIO VII. in concilio generali, forte 1078. ſtatutum legitur. „ In die reſurrectionis uſque in ſabbatum in albis, & in die Pentecoſtes uſque „ in ſabbatum eiusdem tres pſalmos tantum ad nocturnos, tresque lectiones „ antiquo more cantamus, & legimus. " Forte ita conſtitutum, ut promiſcue fideles ſine tædio ac moleſtia adeſſe potuerint, feriata integra illa hebdomada. Sic ſæc. VI. in conc. *Matiſconenſi* II. de ſex poſt Paſcha diebus ſtatuitur c. 2. „ Nullus ſervile opus audeat facere, ſed omnes ſimul coadunati, „ hymnis paſchalibus indulgentes perſeverationis noſtræ præſentiam quotidianis „ ſacrificiis oſtendamus, laudantes creatorem & regeneratorem noſtrum ve- „ ſpere, mane & meridie." Eadem eſt ratio hebdomadæ Pentecoſtes. Decretum GREGORII VII. antea retulimus, cum de vigiliis nocturnis ageremus. Quod vigilias Paſchæ & Pentecoſtes attinet, puto primam brevitatis cauſam ac originem eſſe ab officio ſabbati Paſchæ & Pentecoſtes longiſſimo per ipſam noctem protracto. Atque dominica etiam reſurrectio poſt mediam noctem ſingulari ritu fuit celebrata medio hoc ævo inter ipſum nocturnum officium ſolemni proceſſione. b) Huiusmodi ſolemnes ritus compenſabant, quod præter morem breviabatur in nocturno officio etiam apud monaſticos cœtus, ut tamen ubique poſtea iterum ad præſcriptum regulæ S. BEN. redierint, ſecundum conſtitutiones *Cluniacenſes*. Ubi etiam notabile eſt, quod præſcribitur cap. ſequenti decimo ſexto: „ De ſecunda feria & diebus maioris ſeptimanæ, (ita ibi vocatur heb- „ domada

a Dacher. T. I. ſpicil. f. 653. diſt. V. c. 15.

b Apud DACHERIUM T. I. ſpicil. p. 653.

Tuomum (eccleſiam cathedralem) formoſiſſima proceſſione binis & binis ſecundum ordinem ſimul ambulantibus, Miſſam celebraturus pervenerat ... Tempore autem ſtatuto ſymphoniaci venerunt, quorum tam copioſa multitudo fuit, ut pene intercapedinem aulæ ſecundum ordinem ſtando impleviſſent, & tres modos ſymphonizando perfecerunt. "

a) „ In ipſa nocte dominicæ reſurrectionis ſatis novi, quia vobiscum in nocturnis non concordamus agendis: nam & pſalmi, & lectiones, & reſponſoria pariter ad duodenarium pertingunt, quamquam in antiphonarum numero nonniſi tres antiphonæ habeantur, quarum prima cantatur ſuper primos ſex pſalmos; ſecunda ſuper alios ſex; tertia ſuper cantica."

b) Deſcribam ordinem ex MS. *San-Emeran.* ſæc. X. ut cum notis muſicis habetur. „ Ad ſepulchrum: Interrogatio presbyteri: *Quis revolvet nobis lapidem?* Diac. ℣. *Quem quæritis in ſepulchro chriſticolæ?* Reſponſ. presbyteri. *IESUM Nazarenum Crucifixum o cælicolæ.* Diac. *Non eſt hic, ſurrexit ſicut prædixerat. Ite annuntiate, quia ſurrexit, dicentes.* Ant. *Surrexit Dominus de ſepulchro. Te Deum laudamus &c.* "

„ domada paſchalis :) Et quidem feria ſecunda, ſicut in aliis diebus tres tan-„ tum lectiones cum duodecim pſalmis, ſicut ſunt per ferias ordinati aſſignan-„ tur. Puer unus cantat invitatorium. (Quoad antiphonas vero, cæteris „ ſe rite habentibus ad laudes & horas) Ad ſolos nocturnos, & veſperos ſu-„ per pſalmos non niſi *alleluia* cantatur, ad melodiam antiphonarum formatum: „ & primo in feria ſecunda *alleluia*, *ut poſtulavi &c.* “ Diximus de hac re ſuperius, quod proprie eſt *alleluiatice* canere ; quomodo etiam præſcribi videtur infra ipſas octavas Pentecoſtes in GUIDONIS diſciplina *Farfenſi* apud P. HERRGOTT : „ In laudibus & horis canatur alleluiatice de reſurrectione, atque „ aſcenſione, nec non de ipſa celebratione iam facta. “ Nimirum, ut *alleluia* ſuper melodiam earum antiphonarum canatur. Ita, ut ad conſtitutiones *Cluniacenſes* revertamur, in ipſis veſperis, quas modo Miſſæ ſabbati ſancti annectimus, habetur : „ Ad veſperos, ſicut & ſigna ſequentia bina pulſan-„ tur, ad quos conſueti pſalmi cantantur, primus *Confiteantur* cum *alleluia* „ ſecundum melodiam, antiphona *Crucifixus*, Reſp. *Angelus Domini*; hy-„ mnus *ad Cœnam.* Ad canticum evangelii poſt antiphonam, quamvis ter re-„ cantetur, tamen adhuc & ipſius antiphonæ melodia cantatur cum *alleluia.*“ Quidquid ſit de *alleluia.*„ ad pſalmos, ubi forte legendum *alleluia* ſecundum melodiam antiphonæ *Crucifixus*, probe notandum, quod de antiphona ad *Magnificat*, ſeu cantico evangelii dicitur, *licet ter recantetur*, id eſt triumphetur *tamen adhuc & ipſius antiphonæ melodia* cantanda cum *alleluia* præſcribitur, id eſt repetenda melodia antiphonæ cum ſolo *alleluia.* In antiquo antiphonario *Luxovienſi* ſæc. circiter XIII. in vigilia Paſchæ ad veſperas ſuper pſalmos ſexies *Alleluia* pſ. *Confiteantur tibi Domine &c.* In alio recentiori breviario pergameno idem reperi, ſed triplex tantum *Alleluia.* De his veſperis habetur in vulgato ordine *Romano* apud CASSANDRUM & HITTORPIUM: „ In hac nocte de veſpertinali ſynaxi apud *Romanos* nihil agitur, neque ante „ Miſſam, neque poſt Miſſam. Apud nos autem unus de ſchola, cui iuſſum „ fuerit, pro antiphona incipit *alleluia* ad veſperum. Et dum communica-„ verint, cantatur pro veſpera feſtinanter pſalmus *Laudate Dominum omnes gentes.* “ Recte hunc locum interpolatum iudicavit MABILLONIUS commentario in ordinem *Romanum.* Nam in appendice ad ordinem primum, quem ipſe & noviſſime MURATORIUS vulgavit, nihil horum invenitur, ſed mox poſt officium Miſſæ ſabbati ſancti ſequens per octavam Paſchæ præſcribitur officium &c. a) In MS. ordinario *Argent.* apud MARTENIUM de ant. eccleſ. diſc. p. 507.

De vet. diſc. monaſt. p. 56.

p. XCIX.

a p. 36.

a) „ A Paſcha uſque in octavas Domini ad omnes curſus non cantatur reſponſorium, nec lectio recitatur; ſed pro verſu & reſponſorio cantatur Gradale, *Hæc dies quam fecit Dominus* tantum ſemel. In dominicum Paſchæ ſuper *Venite* dicitur *alleluia* ante *Præoccupemus faciem eius*, & per omnes pſalmos cantatur *alleluia.* In ſecunda feria ad *Venite* & per totam he-

p. 507. de veſperis Paſchæ: „ Ad veſperas non cantatur in organis, & cantor „ præparatus, ut in Miſſa primo imponat *Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon.* Anti- „ phona *alleluia, alleluia, alleluia.* Pſ. *Dixit Dominus.* Pſ. *Confitebor.* Pſ. „ *Beatus vir.* Graduale *Hæc dies &c.* " In mox laudato ordine *Rom.* conſequenter deſcribitur officium paſchale per ſingulos dies uſque ad ſequens ſabbatum cum *alleluia*, mutatis tamen antiphonis poſt pſalmum CXI. uſque ad CXIII. ut pateat eosdem ſemper pſalmos dominicales fuiſſe repetitos; ſecus ac videtur præſcribi in breviario *Romano* antiquiſſimo ſæpe laudato monaſticis congregationibus accommodato. a) In reſponſali libro inter opera S. Gregorii poſt dominicam in albis, „ Ab octava Paſchæ per totam reſurrect. „ ſuper Pſal. in evangelium & verſoria & in ſanctorum *Alleluia* dicendæ ſunt, „ item antiph. de reſurrectione Domini, ubicumque volueris. „ Congruit ex parte hoc regulæ S. Benedicti & *Magiſtri*, ubi idem etiam a Natali Domini uſque ad Epiphaniam ſtatuitur c. 45. „ A Paſcha uſque ad Pentecoſten „ omnes antiphonæ & reſponſoria die noctuque cum *alleluia* pſallantur, & „ genua non flectantur. In Natali vero Domini uſque Epiphaniam omnes an- „ tiphonæ vel reſponſoria die noctuque cum *alleluia* pſallantur, & genua „ ipſis diebus non flectantur, neque ieiunetur, nec abſtineatur. " Laudatum vero breviarium adhuc ſingillatim officia in Aſcenſione Domini, & Pentecoſte proſequitur; „ Aſcenſione vero Domini cum omni officio divino de „ ipſa die pertinentem ſicut reliquis diebus dominicis celebrantur. Reſponſo- „ ria vel antiphonas uſque in ſabbato Pentecoſten, die Aſcenſione Domini „ canuntur. " Tunc poſtquam ſabbatum Pentecoſtes eodem modo, ac ſabbatum Paſchæ, diemque ſanctum Pentecoſten ordine ſimili, ut diem ſanctum Paſchæ cum octava celebrandum conſtituiſſet, ſic finit: „ Poſt hos vero dies „ anni circulus uſque ad Adventum Domini præter natalitia Sanctorum, vel „ quod commemoravimus tam pſalmi quam reſponſoria vel antiphonæ, ma- „ tutinis & veſpertinis laudibus de quotidianis diebus canuntur. "

a *T. III.* 787.

De rogationibus, litaniis, proceſſionibus.

VI. Mentio hic aliqua iniicienda litaniarum: ac earum primum, quas a S. Gregorio M. adhuc diacono, *Romæ* ſæviente peſte, inſtitutas Gregorius *Turon.*

lib. X. hiſt. c. 2.

bdomadam dicunt antiphonam *Surrexit Dominus vere alleluia.* Ad veſperas diei Paſchæ ſancti conveniente ſchola temperius cum epiſcopis & diaconibus in eccleſia maiore ad locum Crucifixi incipiunt *Kyrie eleiſon*, & veniunt uſque altare. Aſcendentibus diaconibus in pogium, epiſcopi & presbyteri ſtatuuntur in locis ſuis, & ſchola ante altare. Finito *Kyrie eleiſon* annuit archidiaconus primo ſcholæ: & ille inclinans ſe illi incipit *alleluia* cum pſalmo *Dixit Dominus Domino meo &c.* "

a) „ Et in ipſis ſeptem diebus Paſchæ, & in omni officio divino ita agetur, ſicut & diem ſanctum Paſchæ præter tantum pſalmus de unamquamque die pſalluntur ſemper cum *alleluia.* Et uſque quinquageſimo die a Paſcha, quod eſt Pentecoſten, tam pſalmi, quam reſponſoria cum verſibus & antiphonis omnes cum *alleluia* ſunt canendi. "

Turon. his verbis commemorat: „ Congregatis clericorum catervis pſallere iuſ-
„ ſit per triduum ac deprecari Domini miſericordiam. De hora quoque tertia
„ veniebant omnes chori pſallentium ad eccleſiam clamantes per plateas urbis:
„ *Kyrie eleiſon.* “ Conveniebant ita quadam ratione cum triduo rogationum,
hac media ætate etiam in eccleſia *Romana* ſolemniore ritu, præter litanias
maiores in feſto S. Marci, inductarum a Leone III. teſte Anastasio biblio-
thecario in eius vita: „ Conſtituit, ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ
„ letaniæ celebrarentur. Scilicet Feria II. egrediente pontifice cum omni cle-
„ ro & cuncto populo cum hymnis & canticis ſpiritualibus &c. “ Teſte
Lib. I. mirac. c. 21. Herberto *Turritano* archiepiſcopo in *Normannia* „ in diebus rogationum
„ cum clerus & populus proceſſionem longius procedendo extenderent, con-
„ ſuetudo erat, ut pauſantibus interdum clericis mulieres viciſſim modu-
„ lando ſuccederent. „ Ex Conc. *Aurel.* inter alia de iisdem ſtatutum refert
Lib. XIII. decret. c. 7. Burchardus: „ Nequaquam mulierculæ choros ducant: ſed omnes in com-
„ mune *Kyrie eleiſon* decantent. “ Eſt quidem Conc. *Aurel.* I. can. 27. &
28. de rogationibus, ſed omnino diverſus ab eo, quem Burchardus citat.
Laudatus Anastasius ab Honorio I. decretum refert: *Ut per omnem hebdo-
madam ſabbato die exeat litania a B.* Apollinare, *& ad S.* Petrum *Apoſto-
lum cum hymnis & canticis populus omnis occurrere debeat.* Notantur apud
P. Herrgott ſingularia quædam proceſſionum genera, hoc medio ævo paſſim
a frequentata, cum cantu ac letania quæ hic commemoraſſe iuvat. a) Ea in
p. 6. feſtis paſchalibus peragebantur incipiendo a ſabbato ſancto, ubi iuxta ritum
Romanum triplex proceſſio ſeu litania occurrit. Quod optime explicatur in
b vulgato ordine *Romano.* b) Erantque litaniæ ternæ, quinæ, ſeptenæ. Scho-
la autem cantorum faciebat litanias iuſſa, ut alios cantus: veluti habetur in
p. 26. ordine *Romano* I. „ Deinde ſchola deſcendit ad fontes ad letoniam facien-
dam.

a) „ Exeuntes vero cum letania procedunt ad S. Petrum. Finita ibidem ipſa letania, dicta oratione procedunt inde ad S. Benedictum cum alia letania: & illa ibidem finita, ſimiliter dicta oratione incipient aliam, & cum ipſa procedunt ad Miſſam maiorem. Poſt Miſſam, peracta Veſpera vadunt cum pſallentio in refectorio. Item dominica die vadunt cum antiphona & aqua ſancta per ſingulas manſiones. Finita omnia & completa procedunt in refectorium cum pſallentio. Secunda feria eunt cum cruce & patrocinia & aqua ſancta per ſingulos labores, redeuntes agunt Miſſam in S. Petro. Tertia vero feria procedent iuſo (deorſum) iungentes ſe invicem & ſalutantes ſe mutuo ad S. Petrum in civitate: incipientes letaniam intrant in eccleſiam, legunt lectionem actus apoſtolorum, Gradalem, *alleluia*, ſequitur evangelium. Dicta oratione incipientes antiphonam procedunt in cellam ad ſancto Salvatore. Peracta autem Miſſarum ſolemnia incipientes antiphonam eunt in refectorio.“

b) „ Interim ſchola iuſſa facit litaniam ad fontem ante altare primo ſeptenam, & ſpacio facto, faciunt alteram quinam. Ita enim inchoatur. Stat primicerius unus in dextro choro, & dicit cum ipſo *Kyrie eleiſon:* & reſpondet ſecundicerius cum ſiniſtro choro, *Kyrie eleiſon* uſque ter. Deinde *Chriſte eleiſon* uſque ter. Hæc fiunt ſeptem vices repetitæ: unde & ſeptenæ dicuntur. Poſt hæc *Chriſte audi nos* uſque ſepties, & ſic per ordinem. Hoc ordine, intervallo facto, ſequuntur, ut prædictum eſt, litaniæ quinæ, id eſt, quinquies repetitæ.“

„ dam.„ Et poſtea : „ Interim vero ſchola iuſſa facit letoniam ante altare : pri- p. 27.
„ mam ſeptenam , & ſpacio facto faciunt alteram quinam : & iterum ſpacio „ facto faciunt ternas , & dum dicitur *Agnus Dei*, magiſter ſcholæ dicit *Ac-* „ *cendite.* " Idem ibi in appendice repetitur. Paulo ante de officio ſabbati S. p. 36.
dedi totum ordinem harum litaniarum ex celebri cod. bibl. Angel. *Romæ.* Interim nota rubricam cod. *Vindobon.* ſæc. X. circ. „ Iuſſi faciunt lætaniam „ ſeptenam , vel quinam vel ternam. Et ut ventum fuerit ad *Agnus Dei* ſem- „ per illud cantant uſque dum pontifex annuat eis , ut ſileant. „ Legimus repetitum fuiſſe aliquando usque centies *Kyrie* & *Chriſte eleiſon* : ut in veteri rituali *Romanæ* eccleſiæ ex codice *Caſinenſi* apud MABILLONIUM , ubi de Comment. in ord. Romanum p. XXXIV.
aſſumtione beatiſſimæ Virginis ſupplicatio præſcribitur *cum ter centena repetione litaniæ noſtræ initialis* , ut ait MABILLONIUS , transſcribitque verba ex codice illo. a) SERGIUS III. ad ILDEBRANDUM *ſylvæ candidæ* epiſcopum ſcribens petit : „ ut quotidianis diebus ſacerdotes & clerici ipſius eccleſiæ pro „ remedio animæ noſtræ clament in eadem eccleſia centum *Kyrie eleiſon*, & „ centum *Chriſte eleiſon.*" RUPERTUS *Tuitienſis* in vita S. HEREBERTI *Colonienſis* epiſc. de litaniis ob ſiccitatem inſtitutis narrat, quomodo „ ex omni „ genere utriusque ſexus , lingua quidem diverſa , ſed una intentione & eo- „ dem ſenſu concrepando *Kyrie eleiſon* altitudo cœli pulſabatur. " In monaſteriis frequentes admodum ac quotidianæ fuerunt litaniæ. Apud DACHERIUM in chr. *Andrenſis* monaſt. ſic legitur : " Ut faſtidium de medio tolle- T. II. ſpicil. p. 809.
„ retur , & mens uniuscuiusque in horis canonicis devotius accenderetur , „ auctoritate Domini PETRI abbatis multiplex pſalmodia ſyncopata potius, „ quam eatenus in uſu habita fuit intermiſſa , ſolam quoque letaniam cantari „ fecit, & illam , quæ maiorem Miſſam præceſſit, extra quadrageſimam in- „ termitti præcepit. " Habentur etiam ſingulares litaniæ metris quandoque aut rythmis compoſitæ : qualis eſt HARTMANNI *San-Gallenſis* ad proceſſionem diebus dominicis, *Quas litanias canonizavit etiam* NICOLAUS III. *Pontif. max. & noſtri in rogationibus diebus publice canunt,* inquit *Iod.* MEZLERUS T. XXVII. p. 509. &c.
in appendice bibliothecæ *Lugdunenſis*, ubi refertur cum hoc exordio, uti etiam in cod. *San-Emeran.* reperi inſcriptam : *Dominicales letaniæ,*

Humili

a) „ In Aſſumtione ſanctæ MARIÆ , in ipſa veſpera vigiliarum præparatur quoddam portatorium in ſancto LAURENTIO apud Lateranos : ſuppoſitaque tabula , imagine Chriſti Domini noſtri inſignita , a medio noctis concurrente populo exeunt cum letania ad ſanctam MARIAM minorem, mundatis per viam plateis, & ſuſpenſis per domos lucernis : ibique in gradibus ſanctæ MARIÆ depoſita aliquamdiu icona, omnis chorus virorum ac mulierum, genibus humiliter ante eam flexis, pugnis etiam pectora cædentes , una voce per numerum dicunt centies *Kyrie eleiſon*, centies *Chriſte eleiſon*, idem centies *Kyrie eleiſon* ; fuſisque lacrymis & precibus, per ſanctum ADRIANUM recta via vadunt ad ſanctam MARIAM maiorem, auditaque Miſſarum celebritate , ad palatium revertuntur."

Humili prece & & ſincera devotione
Ad te clamantes ſemper exaudi nos.
Summus & omnipotens genitor qui cuncta creaſti,
Æternus Chriſtus filius atque Deus &c.

Sequitur alia carmine ſapphico. Et deinde aliud genus illud, de quo ſupra, etiam inter Miſſarum ſolemnia cani ſolitum, ubi reſpondebatur *Chriſtus vincit:* vel *multos annos*, aut ſimilia pro celebrante potiſſimum pontifice vel epiſcopo aut etiam tunc regnantibus principibus, ut paſſim notantur in ordinibus *Romanis* apud MABILLONIUM. In cod. *Vindob.* theol. 685. ſub OTTONE M. ſcripto, eædem litaniæ metricæ cum notis muſicis habentur *Ardua ſpes mundi &c. Humili prece &c. Salve feſta dies &c.* Sequitur alia litania cum notis, in qua: „ ut OTTONEM regem & eius exercitum Dominus „ conſervet &c. Preces ante altare prima dic. letania, dicamus omnes *Dne* „ *miſerere &c.* Lætania Gallica, *Pater de cœlis Deus: Miſerere nobis &c.* „ ut noſtræ, cum notis. Lætania Gallica, *Agnus Dei qui tollis peccata mun-* „ *di. Miſerere nobis.* ℟. *Agnus. Suſcipe deprecationem noſtram, qui ſedes* „ *ad dexteram Patris.* ℟. *Agnus. Gloria* uſque *ſæculorum amen.* ℟. *Agnus.* „ *Sancte ſanctorum Deus miſerere nobis.* Et ita porro ut in noſtris litaniis ſe- „ quitur Miſſa in die. *Exaudivit &c.* Secunda oratio de S. MARCO.“ Deſcripſit THOMASIUS ex codice *Vaticano* antiquis notis muſicis inſtructo varias antiphonas ad proceſſiones, aut alias, dici ſolitas: *Antiphona ad proceſſionem in purificatione Sanctæ* MARIÆ *& S.* SIMEONIS. *Dominica palmarum. In litania maiore &c. Antiphona in domo. Antiphona ſuper menſa. Item de dominicis & feſtis præcipuis* Tale etiam apud nos aſſervatur Mſc. ſexcentorum circiter annorum cum notis muſicis ſuper antiphonas in iisdem fere feſtis purificationis, in capite ieiunii, die palmarum &c. AURELIANUS de diſciplina muſica cap. 18. meminit antiphonarum prolixarum in litaniis & rogationibus a). In chronico abbatiæ S. TRUDONIS lib. VIII. prolixe laudatur RADULPHUS abbas ob graduale, quod *propria manu formavit, purgavit, punxit, ſulcavit, ſcripſit, illuminavit, muſiceque notavit ſyllabatim... Conſummavit autem uno anno opus illud propria, ut dixi, manu de omnibus parvis & magnis, quæ pertinere videntur ad graduale cum antiphonis Rogationum &c.* Litanias tamen cum Sanctorum invocationibus antiquiſſimas eſſe iam circa medium ſæc. VIII. pervulgatas ex ſynodo *Cloveshovienſi* intelligimus: ſtatuitur

T. II. P. II. opp. p. 486. & in ſupplem. Thomaſiano apud I. Blanchium p. 487.

a *Apud Dacher. T. II. fol. 687.*

a) „ Prolixas (inquit) antiphonas litaniarum atque rogationum, cæteraque huiusmodi non operæ pretium arbitratus fui huic inſerere operi. Præſertim cum minime ignorem, in his omnibus tonos poſſe reperiri, & non intromittantur per tenores ceu Introitui, & reliqua iſtiusmodi. Quin potiſſimum cenſui omittendum, quia nec uſus in ſeſe ſanctæ retinet eccleſiæ.“

tur quippe, *ut nomen eiusdem B. Patris ac Doctoris noſtri* AUGUSTINI *in letaniæ decantatione poſt S.* GREGORII *vocationem ſemper dicatur.*

VII. *Maxime* (utor verbis anonymi in vita S. THEODULPHI abb. *Remenſis*, quem ex cod. Mſc. perantiquo edidit MABILLONIUS ſæc. I. Act. ord. S. BEN. p. 346.). *tunc fidelibus lætitia exultationis renovatur, cum revoluto temporum curriculo annua dies Sanctorum debito honore celebratur: ſit ibi concurſus fidelium chriſtianorum, reſonant alternantibus choris laudes pſalmorum, recitantur eorundem virtutum merita &c.* De vigiliis feſtisque Sanctorum in antiquiſſimo breviario ſæpe laudato præſcribuntur *pſalmi cum eorum paſſionibus vel geſtis cum reſponſoriis vel antiphonis de illis pertinentibus.* a) Maxima medio hoc ævo fuit copia eiusmodi cantuum etiam propriorum de SS. tum in reſponſoriis,ac antiphonis, cum etiam hymnis proſaicis magna copia hoc tempore in Sanctorum feſta compoſitis, aut etiam metricis. Quales notis muſicis inſtructos vidi in antiquiſſimo libro homiliarum *Luxovii*, in quo id eſt ſingulare, quod *proprium*, ſeu feſta Sanctorum ſeparatim a feſtis Domini habeantur, cum aliis in libris huius medii ævi promiſcue fere poni conſueverint, creſcente identidem numero feſtorum, neque accurata ſemper criſi genuinis eorum actis diſcretis, unde hymni, antiphonæ, & reſponſoria etiam plerumque deſumebantur. b) In particularibus potiſſimum eccleſiis peculiares Sancti ac Patroni ita accipiebant officia propria ex eorum vitis. Sic apud STEPHANUM *Leodienſem* de S. LAMBERTO legitur in epiſt. dedicat. hoc fine vitam iterum concinnatam, adiunctaque *antiphonis reſponſoria nova. Quia haud quaquam delicato eloquio edita legebatur præfati patris vita & paſſio, atque*

De feſtis Sanctorum.

a) „In vigiliis omnium apoſtolorum & cæterorum Sanctorum pluralium omnes ieiunium faciunt. Et hora nona natale eorum prævenientes abſque *Gloria in excelſis Deo & alleluia* Miſſarum ſolemnia celebrantur, & ipſa nocte ad vigilias paſſiones eorum vel geſta leguntur. Quodſi in Dominica natalitia venerint tam in adventu Domini quam & omni tempore pſalmi cum eorum paſſionibus vel geſtis cum reſponſoriis vel antefonis de illis pertinentibus canuntur. Si autem geſta eorum minor fuit, quod IX. lectionibus ſufficere non poſſit, in tribus tantum poſterioribus lectionibus leguntur, & octavæ eorum cum reſponſoriis vel antefonis ſuis Miſſarum ſolemnia, ſicut & in die primo feſtivitates eorum ita celebrantur. Quodſi in eorum octavas natale Sanctorum venerit, præcedente die octavas eorum celebrantur per auctoritatem ſanctæ regulæ.“

b) Rogatus S. ODO *Cluniac.* officium de S. MARTINO compoſuit, ut in eius vita habetur ſæc. V. act. ord. S. BENED. p. 153. 154. „Nunc vero, quia præſto es, alias nobis antiphonas de vita beati MARTINI Domini tui precamur inſtitue, quarum prolixitas digne a nobis harum breviſſimarum faſtidium tollat.“ *Ille quidem excuſans primum, tandem in ſe recepit.* „Tres vero hymnos in eius laude compoſuit, e quibus unius tantum exemplar inſerere huic operi adiudicavi. *Rex Chriſte* MARTINI *decus; Hic laus tua illius: Tu nos in hunc te colere, quin ipſum in te tribue.* Similiter duodecim antiphonas ternas per ſingulas habentes differentias, quarum verba & vocum conſonantia adeo ſibi invicem concordant, ut nihil in ſenſum plus minusve, nihil in ſymphoniæ modulationibus reperiri dulcius poſſe videatur. Retinentur hactenus *Beneventi.*“ Antiphonæ hodieque ſunt in uſu.

que nulla propria officiorum cantabatur modulatio. Sed hi ipſi cænoſi haud raro fontes, ac minus authentica monumenta in cauſa haud dubie fuerunt, ut ſucceſſu temporum multa huiusmodi, utpote non ſatis probata, merito ex officiis horisque canonicis, præſertim nocturnis, expungerentur: „In legen-
Prop. 22. „dis & cantandis (inquit RADULPHUS *Tungrenſis*) *Lateranenſes*, & aliæ „*Romanæ* eccleſiæ habent ſermones & homilias integras, paſſionesque San- „ctorum, & huiusmodi in copioſa multitudine. Item in antiphonariis an- „tiquis *Romanis* habetur cantus de ſanctis NICOLAO, SEBASTIANO, MAU- „RITIO.“ Propoſitione XVII. & XXII. agit, quo ritu Sanctorum feſta cum novem aut tribus lectionibus, aut ſolum etiam memoria ſeu commemoratione tranſigi debeant. Et propoſitione XVIII. de pſalmis, antiphonis, ac reſponſoriis id potiſſimum urget, ut ordo quotidiani curſus magis ſerve-
a tur, ac primo quidem, quæ de feſtis novem lectionum habet, a) conveniunt in plerisque cum feſtis ſimplicibus trium lectionum noſtra ætate celebrari ſoli-
b tis; quorum ritum idem poſtea deſcribit. b) Erat etiam hoc potiſſimum medio ævo cantus, qui vocatur *de communi Sanctorum*, rite ordinatus pro officio canonico. De nocturnis vigiliis eiusmodi exemplum HARTMANNUS in vita S. WIBORADÆ n. 36. iuſſu abbatis ſtatutum refert *ſuper venturæ noctis vigilias cum pſalmodia & dulci hymnorum modulatione, ſicut antiquorum Patrum ordinatione de virginibus conſcriptum habemus.* In ritu *Græcorum* quoad feſta Sanctorum hoc potiſſimum eſt diſcrimen, quod odis abundet eorum officium arte compoſitis, præſertim de beata MARIA Virgine, quodcunque officium etiam de aliis Sanctis agatur, ubi ſemper Θεοτόκιον ſeu *Mariale* canti-

a) „Feſtivitates igitur (inquit) aguntur dominicali more cum utrisque veſperis: in quibus & ad laudes quandoque antiphonæ ſuper pſalmos ſunt cantandæ ſemper & ubique, ubi haberi poſſint, ut ſupra propoſ. X. Ad priores veſperas pſalmi feriales cum antiphonis ferialibus, niſi propriæ habeantur. In reſponſorio veſpertino uſus multorum exiſtit, ut in officio duplici reſponſorium ad veſperas utrasque cantetur. Et ſi feſtivitas a populo celebretur, ad veſperam primam ſervetur, ſuffragia ut in dominica dicantur, & in ſolemnitatibus abbrevientur. Invitatorium autem ſit ſolemne & hymnus utique ad nocturnos cantetur: in quibus ſuper novem pſalmos novem antiphonæ omitti non debent. Lectiones & reſponſoria ſint authenticæ: Reſponſoria novem cantentur. *Te Deum*, *Gloria in excelſis*, & *Ite miſſa eſt*, dicentur, quando in dominica dici poſſint. Sin autem, ſervus ſuper Dominum non exiſtat, niſi ex diſpoſitione Domini ſpeciali. Miſſa communiter de ipſa feſtivitate celebrari conſuevit. Ad ſecundas veſperas omnes antiphonæ de laudibus pſalmos feriales repetuntur: niſi feſtivitas habeat ſpeciales, ſicuti de Apoſtolis, & ſecundum multorum uſum de aliquibus aliis quidam ſervant.“

b) „Ad primam veſperam, quando locum habet, antiphonæ & pſalmi feriales dicuntur: capitulum, hymnus, verſus antiphonæ ad *Magnificat* cum collecta de ipſo Sancto, ſuffragia ut in feriali officio. Completorium & Prima per totum & cum pſalmo *Miſerere* ſicuti in officio feriali. Invitatorium autem canitur in tono feriali. Et cantato hymno de Sancto, pſallitur nocturnus ferialis, ut probatur propoſitione decima. Lectiones de ſacra ſcriptura legantur ſecundum omnes doctores, reſponſoria, verſiculi, & verſus antiphonæ ad laudes & cætera ſerventur de ipſo Sancto.

canticum miſcent; de Sanctis vero *Idiomela* ſeu cantica feſto propria habent, quibus interceſſionem potiſſimum implorant aliorum etiam Sanctorum, quorum præſertim ſingulari patrocinio fruuntur. Habent etiam canones ſuos ſeu novem odarum cantica, qualis eſt T. IV. Bibliothecæ PP. *Pariſienſis* canon ſupplex, qui de ſuperis poteſtatibus, angelicisque, & omnibus Sanctis canitur; & alterum de ſanctiſſima Virgine Domini. p. 100.

VIII. Dum nobis de cantu in laudem Sanctorum res eſt, aliquid peculialiter dicendum de hymnodia in condendis, transferendisque eorum reliquiis, qualis memoratur ab Isone cænobita S. Galli de ſublevatione corporis S. Othmari abbatis, ubi Hartmotus decanus *membra ſanctitate plena inſpiciens monachos letaniam cantare, precibusque devotis hortatur inſiſtere.* Dum vero levatum transferretur: *Tunc vero omnis illa monachorum congregatio albis continuo veſtibus induta, dulci modulatione in Dei laudibus prorumpens, beati viri corpus lætabunda proſequitur.* Et poſtea dum iterum in novam transferretur baſilicam: *Tum vero omnes nos laudes ac melodias canendo comitante numeroſa populorum multitudine debita cum veneratione corpus cari patris proſequimur.* Apud Canisium in *revelat.* S. Lamberti M. narratur, quomodo a S. Hugberto *Leodium* fuerit eius corpus translatum inter pſallentium choros *cum cymbalis canoris organisque ſuaviſſima modulatione ſonantibus* a). Adnotat Basnagius, cum narrent hiſtorici *Francorum* organa in *Gallias* primum allata ſub Pipino an. 757. ab imperatore Constantino miſſa, non fuiſſe ergo in uſu apud *Trajectenſes* tempore translationis S. Lamberti. *Organa igitur*, inquit, *illa fuerunt fiſtulæ, vel omne inſtrumentum muſicum, eo enim ſenſu accipiebantur apud veteres.* In vita S. Corbiniani, cum eius reliquiæ ad locum, ubi primo conditæ fuerant, reportarentur, legimus: *Occurrit omnis cœtus pontificum & eccleſiaſticorum turba immenſa unacum* Thasilone *principe, cum omni eccleſiaſtico obſequio, cum hymnis & canticis ſpiritualibus, cum multa omnium laude & prædicatione.* In vita S. Burchardi epiſc. *Herbipolenſis* apud Canis. perhibetur de elevatione SS. Kiliani & Socc. *hymnis perventum eſſe ad locum, ubi Sanctorum*

De cantu in translationibus Sanctorum.

Act. O. S. B. ſæc. III. P. II. p. 165.

p. 172.

T. II. P. I. p. 145.

a

T. III. P. I. p. 7.

a) „Acceſſit (S. Hugbertus) cum multis ſacerdotibus & levitis, & ceteris clericis pſallentibus, & cum magna præterea Chriſtianorum multitudine, quæ circa beati martyris corpus pſalmos, & hymnos, & cantica ſecundum divinæ religionis ritum pia devotione decantabat. . . . Hinc inde fratrum fideliter pſallentium chori cum cymbalis canoris, organisque ſuaviſſima modulatione ſonantibus concinebant. Et hinc angelorum agmina in excelſis pſallentium, & omnipotentem Dominum de triumpho martyrii Lamberti laudantium ab idoneis teſtibus viſa & audita ſunt. Porro omnis plebs vario concentu & intermixto gemitu, antiphonarum quoque ſonitu concinens, & præ magnitudine triſtitiæ vix hæc verba ſequentia explicare potuit: *O paſtor bone &c.*“

ctorum corpora condenda erant, quæ diligenter recondita uſque in præſentem diem hymnis & orationibus frequentantur. In *Italia*, ubi *Græcus* cum *Latino* haud infrequenter obtinuit ritus & lingua, fidelis populus utraque eiusmodi ſolemnitates condecorare geſtiebat. In translat. S. ATHANASII epiſc. (T. IV. Iul. p. 86.) *Neapolitani* in eam urbem, *Confluebant autem*, ut apud BOLLAND. refertur, *uterque ſexus, & ætas diverſa, & qualiter poterant pſalmodiæ cantus utriusque linguarum græce & latine ſuavi modulatione reſonabant.* In addendis ad (T. I. Ian. p. 1101.) diem VIII. *Ianuarii* de translatione S. SEVERINI *Neapolim* ſimiliter narrat IOANNES diaconus, uti pontifex, clerus, dux, & optimates, paſſimque populus univerſæ conditionis & ætatis occurrentes, *& certatim ſupplices, exhibentes venerationem, alternantibus choris latinis, & græcis ad monaſterium* deduxerint. Qua vero celebritate nox præcedens ſit traducta, iam explicaverat: „ Celebratis (inquit) prius matutinalibus hymnis, cœperunt DAVIDIS cantica modulari BASILIUS & PETRUS œconomi SS. SPERATI & „ OSTERNI, donec alii acciti cominus adſunt. Mox albis indumentis ami„ cti, pariter ad ſacrati corporis antrum deſcenderunt, & in præparato locu„ lo pignora diligentius condunt; & inchoante abbate *Gloria hæc eſt omni„ bus Sanctis eius*, omnes voce ſonora tonabant. Sic lætantibus cunctis in „ ipſa eccleſia a diluculo aduſque ſero melodiis indeficientibus eſt vigilatum.“ In vita *Rhabani* MAURI, qui imprimis ſtudioſus fuit in Sanctorum reliquiis (Act. SS. O. S. B. ſæc. IV. P. II. p. 11.) *Roma* comparandis, idem paſſim notatur a RUDOLPHO ſcholaſtico eius diſcipulo, qui ipſe aderat a). *I.* GRETSERUS multa eiusmodi exempla lib. I. de ſacris proceſſionibus c. 12. ex SURIO collegit. Veluti de reliquiis S. LIBORII *Cenomanenſis* epiſcopi, *Paderbornam* translatis b). Sic S. CELSI conf. reliquiæ translatæ referuntur ab EGBERTO epiſc. *Trevirenſi* c). Cum ſimili

pompa

a) „ Nos vero (inquit) completis matutinorum Laudibus, Miſſarumque ſolemniis rite peractis, cum populis divinas laudes concinentibus iter ingreſſi &c. “ Et alia ſimili occaſione, p. 15. „ Fratres vero ſuſceptas Sanctorum reliquias cum hymnis & laudibus in eccleſiam beati BONIFACII intulerunt. “

b) Cum primum CARNUTUM deveniret, ubi tunc ſynodus congregata eſſet, epiſcopus „ſtatim cum omni illo ſacro ſacerdotum collegio, totoque clero ſuo & populo proceſſit in eius occurſum, atque cum hymnis & canticis ſpiritualibus illud devotiſſime extra urbem progreſſus excepit. “ Et iisdem reliquiis *Paderbornam* propinquantibus: „ Cum clerus in hymnis & confeſſionibus Deum benediceret, & ſpiritualium carminum melodiam, Sanctorum laudi propriam concineret, populus vero *Kyrie eleiſon* ingeminaret cum ineffabili iubilo erectis ad Deum mentibus ſingulorum, nihil eius laude dulcius fuit. . . . Itaque cum ſenſim magis ac magis in altum ſublatæ populi voces attollerentur, etiam circumquaque gaudentium, pſallentium, Deo gratias agentium, & iubilantium illi in voce exultationis per totam viciniam ſonitus intonaret, cum tali honore ſacratiſſimum corpus in eccleſiam delatum, & in loco, quo hactenus requieſcit, collocatum eſt.“

c) „ Toto interim collegio altiſſimis vocibus Deum collaudante. . . . audiebantur autem etiam commixtim vulgi voces hoc ſolum crebro iterantis: *Kyrie eleiſon*, & *Gloria tibi Domine*. . . ubi autem ad monaſterium illud ventum eſt, ipſe reverendiſſimus præſul EGBERTUS alta voce inchoavit canticum *Te Deum laudamus* cæteris ad finem uſque cum illo id proſequentibus.“

pompa ſub PIPINO duce *Francorum* reliquiæ S. GERMANI epiſc. *Pariſios* relatæ in hiſtoria illius translationis perhibentur a). a

IX. Cum mentio frequens facta ſit hymni *Te Deum laudamus* decantati, morem hic memorare iuvat, qui etiamnum ſolemnis eſſe ſolet, eundem poſt transactas ſynodos cantandi, de quo ordo Mſc. *qualiter agatur concilium provinciæ*, inter monumenta *Liturg. Aleman.* „Completa vero „ Miſſa ſignis conſonantibus in laudem Dei cantor alta voce *Te Deum lauda-* „ *mus*, imponat. Et cum ea laude decantetur *Kyrie el.* a populo. Finita „ ea laude dicat cantor antiph. excelſa voce : *In viam pacis. Benedictus* „ *Dnus Ds.* Antiphona finita diaconus ſtolam in humero habens dicat alta „ voce : *Humiliate vos ad benedictionem.* ℟. *Deo gratias.* Sequitur bene- „ dictio *Xps filius Dei &c.* " FILESACUS putat, id primum factum fuiſſe in ſynodo *Triburienſi* an. 822. ubi his refertur verbis apud BALUZIUM : „ Et „ eccleſiaſticus ordo Deo, & principibus laudes referentes, hymnum *Te Deum* „ *laudamus* decantabant. Et ſic ſoluta eſt ſynodus. " Vetuſtus Annalium *Francorum* auctor apud LAMBEC. narrat, cum CAROLUS M. LEONEM III. calumniis liberatum, in ſedem priſtinam reſtituiſſet, „ ipſo ſacramento expleto „ incipiebant illi ſancti epiſcopi cum univerſo clero ſeu ipſo principe CAROLO „ cum devoto chriſtiano populo hymnum *Te Deum laudamus*, *Te Dominum* „ *confitemur &c.* " In effuſſæ lætitiæ vel gratiarum actionis argumentum decantatus legitur hymnus *Te Deum* in libro de unctione regum *Francorum.* In coronatione CAROLI *Calvi*, quam capitulis eius a SIRMONDO adiunctam legimus, eius hymni fit mentio; ſimiliter in actis LUDOVICI *Pii*, recepto *Remis* STEPHANO P. & in reſtitutione EBBONIS *Remenſis.* F. *Bernardinus* FERRARIUS in opere de veterum acclamationibus contendit, canoras omnino fuiſſe, & ad muſicos pronunciatas modos ſynodicas olim acclamationes, alternis eas factitatas, quibus terminabantur ſynodi ac dimittebantur. BARONIUS ad an. DXVIII. eam in rem produxerat CASSIODORI locum ex epiſt. 31. lib. I. in quo de canoris theatri clamoribus ita eſt ſcriptum : *Soletis aera ipſa mellifluis implere clamoribus & uno ſono dicere,* *quod*

In ſynodis, acclamationibus, exceptionibus &c.

L. II. ſelectorum p. 213. *Baluz. T. I. Capitul. p.* 630.

L. II. Bibl. Vindob. p. 581.

L. V. c. 16.

a) „ Monachis cum laudibus & hymnis ad proprium referentibus locum .... Clerici magna cum voce Deum laudantes ſingultu interdum quatiente pſallebant. Populi autem nunc præ immenſo gaudio lacrimas fundentes, nunc vero præ cordis iubilo exultantes innumeras Deo gratias referebant. Nec uberior mœſtitiæ fletus in transmigratione, quam lætitiæ extitit in reverſione. Præfatus itaque antiſtes, aliique ad hoc delecti ſacerdotes, nobilesque viri ſanctiſſimum eius corpus propriis humeris viciſſim geſtantes reliquis omnibus ante & poſt feretrum cum laudibus & hymnis tripudiantibus, baiulantiumque veſtes attingere feſtinantibus ad propriam deportarunt eccleſiam. Cumque ad primam monaſterii portam perveniſſent, cœperunt hymnum *Te Deum laudamus*, *Te Dominum confitemur*, cœlo reſonante ante ipſum decantare."

quod ipſas quoque belluas delectet audire : profertis voces organo dulciores, & ita ſub quadam harmonia citharæ concavum theatrum per vos reſonat, ut tonos poſſit quilibet credere potius, quam clamores. Quo loco producto, appoſite, iudice Ferrario, ſic infert Baronius : *Si ergo acclamationes in theatro tales eſſe ſolebant, qualesnam, quamque modeſtiores & magis harmonicæ eſſe in eccleſia debuerunt ?* Hanc Baronii illationem ex eo credit Ferrarius poſſe reddi probabiliorem, *quod quæ nunc fiunt in ſynodis acclamationes, eæ ad rhythmum omnes muſicumque modum pronuntiari conſueverunt. Stultum eſt autem credere conſuetudinem iſtam hodie primum exortam. Nimirum eam primi introduxerunt veteris eccleſiæ Patres, introductam exceperunt poſteri, & nos exceptam conſtanter adhuc retinemus.* Qua de re quidquid ſit, univerſimque de veterum acclamationibus ad rhythmum muſicosque
L. I. c. 17. & 18. modos alternis etiam fieri ſolitis, quod Ferrarius probat; id factum omnino dubitandum non eſt, quando a peritis cantoribus fiebant uſu frequentiſſimo apud chriſtianos imperatores in Oriente. Luitprandus in Legatione ſua *Cpolitana* illudit acclamationibus eiusmodi, *Nicephoro* Phocæ factis, in proceſſione ex palatio ad S. Sophiam : „ Clamabant (inquit) adulatores Pſal- „ tæ : *Ecce venit ſtella matutina, ſurgit Eous, reverberat obtutus ſolis radios ;* „ pallida *Saracenorum* mors Nicephorus μέδων, id eſt, princeps. Unde „ & cantabatur : μέδοντι, id eſt principi Nicephoro, πολλὰ ἔτη, id eſt, plures „ anni ſint. *Gentes hunc adorate, hunc colite, huic tanto colla ſubdite.* „ Quanto tunc verius canerent : *Carbo extincte veni ; μέλε, anus incede &c.*“
De offic. aulæ Cpolit. c. 17. Codinus de coronatione imperatoris agens continuatum poſteriore etiam ævo uſum explicatius ediſſerit a). Singulare poſtea canticum notat : οἱ ψάλται
a ᾄδουσι τὸ ἀνετείλατε „ cantores cantant illud : *Exoriamini.*“ Et antea inter
b unctionem imperatoris & coronationem quid caneretur exponit b). Neque ſolum

a) „ Protopſaltæ (inquit) domeſtici, & lectores, quos veteri more in huiusmodi panegyricis feſtis & initiationibus clamatores vocant, qui canunt cantica quædam huc facientia & accommodata ; qui utraque ex parte tenent tres haſtas, circulis ligneis inſignitas, ex quibus in orbem panni ſerici coccinei & candidi dependent, quaſi duarum ſpithalmarum, quæ (haſtæ) peracta liturgia imperatorem antecedunt, iis, qui ipſas portant, præeuntibus & cantantibus uſque ad magnum palatium. Quo autem modo hoc fiat, ratio quæritur. Quando igitur in magno introitu inchoatur hymnus, accedentes ex honoratioribus eccleſiæ diaconis advocant imperatorem.“

b) „ Patriacha (inquit) crucis in formam caput imperatoris divino unguento inungit accinens elata voce illud : *Sanctus.* Omnes porro, qui cum Patriarcha ſunt in ambone, excipientes vocem canunt & ipſi tertio illud *Sanctus.* Quos ſimiliter reliqua populi multitudo ſubſequitur, ter illud *Sanctus* admodulantes. . . . Si igitur, ut antea dictum, adeſt imperator & pater eius, ipſe & patriarcha acceptum ſtemma imponunt novi imperatoris capiti, patriarcha illud accinente *Dignus.* Si pater non adſit, aut etiam non ſuperſit, ſolus patriarcha hoc facit. Quemadmodum vero antea in imperatoris unctione illi, qui in ambone ſtabant, & tota reliqua concio illud, *Sanctus* ter inſonabant, ita & nunc ter recinunt illud : *Dignus.*“

ſolum in hoc ſolemni actu coronationis, verum etiam in quibusvis ſolemnibus aulæ ſacris frequentatum fuit celebre polychronion, reſonantibus etiam inſtrumentis muſicis. Sic Codinus ſolemnia Natalis Domini deſcribens: „ Ergo ſimul (inquit) ac ianuæ panduntur, & imperator isque ſolus con- c. 7.
„ ſpicitur, ſtatim cantores cantant illud: *Diuturnum faciat regnum tuum*
„ *&c.* reſonantibus organis, quæ varia ſunt, ut antea dictum eſt. Canto-
„ res igitur poſt multorum annorum apprecationem conticeſcunt. At orga-
„ na ſatis multo tempore perſtrepunt. Deinde imperatore ſenſim mantile
„ ſuum movente ceſſant & ipſa, & rurſus incipiunt cantores accommodatos
„ feſto verſus decantare; & paulo poſt illud: *Chriſtus natus eſt, qui te im-*
„ *peratorem coronavit:* & poſt hoc ſtichos, ſeu verſus: & rurſus idem ſat
„ longo tempore. Deinde nomina imperatorum & deſpotarum bonis pre-
„ cationibus afficiuntur. Quo peracto cantores iterum multos annos con-
„ cinunt. Quibus adhuc canentibus clauduntur fores imperatoris. Organis
„ denuo ad modicum tempus reſonantibus exeunt flammula ſeu vexilla." Imperatore autem in luctu verſante. „ Tunc (inquit idem c. 11.) flammulæ,
„ organorum concentus, & veſtium ſplendor omittuntur ob luctum impe-
„ ratoris." Idem ſæpius adhuc repetiti polychronici meminit. De qua re etiam multis canit Corripius lib. I. de Laudibus Iustini: a) Conſuetudo etiam, ſed longe moderatior & opportuna, ex *Græcorum* moribus ad nos propagata eſt, ut laudes principibus accinerentur etiam chriſtiano ritu in eccleſia. Sic Phocæ, tempore S. Gregorii, *acclamatum eſt in lateranis in baſilica* Iulii *ab omni clero vel ſenatu:* ut Ioannes diaconus memorat. *L. IV. de vita S. Greg. c. 20.* Sic Carolus M. *Romæ* exceptus, inque *aulam B.* Petri *principis apoſtolorum* ſolemniter deductus, univerſo interim eccleſiaſtico ordine acclamante: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ut Anastasius in Adriano I. P. tradit. Viciſſim in vita S. Henrici Imp. de Benedicto V. P. *Bambergam* adventante, narratur apud Canisium: „ Ut autem in adven- *T. III. P. II. p. 30.*
„ tu tam inſoliti, tamque exoptati hoſpitis, Deo noſtro iocunda decoraque
„ exhiberetur laudatio: imperator prudentiſſimus in occurſum eius quatuor
„ choros pſallentium decenter ordinavit, primum in ulteriori ripa fluminis,
„ ſecundum in citeriori, tertium ante portam civitatis, quartum in atrio
„ eccleſiæ, ubi primus omnium ipſe rex data manu papam in domum Do-
„ mini introduxit, atque divinis hinc inde hymnis canora ſuavitate reſo-
„ nantibus in epiſcopali cathedra collocavit. Leo *Marſicanus* in chronico *Caſin.* Henrici V. ſolemnem urbis *Romæ* ingreſſum deſcribens. „ Ante portam *L. IV. c. 37.*

a) *Mille canunt laudes, vocum diſcrimina mille*
Iustinum, Sophiam*que pares duo lumina mundi*
Eſſe ferunt. Et poſtea:
Diſponunt cantus modulos & cantica addunt.

„ tam (inquit) a *Iudæis*, in porta a *Græcis* cantando exceptus eſt. Illic o-„ mnis *Romanæ* urbis clerus ex pontificis præcepto convenerat, & eum „ ex equo deſcendentem uſque ad Sancti Petri gradus cum laudibus dedu-„ xerunt, cum vero ad ſuperiora graduum aſcendiſſet, illic domnus papa „ cum epiſcopis pluribus, cum cardinalibus, presbyteris, & diaconibus, „ cum ſubdiaconibus, & cæteris ſcholæ cantorum miniſtris affuit." Antiquiſſimus mos eſt excipiendi, deducendique cum canticis ſacris præſertim epiſcopos ac etiam abbates, uti Walafridus commemorat, *San-Gallenſes* „ abbatem ex *Augia*, fratresque ex *Campidona* cum laudibus & cantilena „ extra monaſterium proſequentes." Apud Eckehardum iuniorem de caſibus monaſterii *S. Galli* c. 1. narratur de Salomone *Conſtantienſi* epiſcopo pro „ portis conſpecto, clamativo illum cantu ſalutant *heil herro*, *heil liebo*, & „ cætera." Vix relatu dignum eſt exemplum apud eundem de ſuſceptione Hartperti epiſcopi *Curienſis* ad *S. Gallum* a). Obiter hic etiam referam, quod apud anonymum *San-Gall.* de geſtis Caroli M. refertur, de Ludovico filio *Aquisgrani* excepto „ quando & pauperes pannoſi iucundiſſime dealbati „ *Kyrie eleiſon* Ludovico beato per latiſſimam curtem, vel curticulas aqua-„ rum grani, quas *Latini* uſitatius porticulum vocant, uſque ad cœlum „ voces efferrent." Paſſim in chronicis eiusmodi acclamationum fit mentio. Vocantur in *Laureſam. Laudes regales.* Italis *Laudi* dicuntur, de quibus Fontanini, & in notis *Apoſtolus* Zeno. Gothicum *Leud*, noſtrumque *Lied* non abludunt. Apud *Venantium* Fortunatum huc pertinent verſus:

Sæc. III. SS. O.S.B. P. II. p. 172.

Gold. T. I. rer. Alem. p. 18.

a *Ib. p. 37.*

L. II. c. 31.

Ap. Caniſ. T. II. P. III. p. 84.

Ad an. 816.

T. II. bibl. dell' Eloq. Ital. p. 92.

L. VI. poem. 7.

Hos tibi verſiculos dent barbara carmina Leudi
Sic variante tropo Laus *ſonet una viro.*

In benedictionibus abbatum, abbatiſſarum &c.

X. Non abs re erit hic referre, quod in veteri MS. ſæc. XII. de ordinatione abbatis inter monum. liturg. *Alem.* legitur. Peracta benedictione ſe-„ quitur *Te Deum laudamus.* Populo acclamante *Kyrie eleiſon.*" Et in ordinat. abbatiſſæ canonicam regulam profitentis: „ Quodſi ordinatio in domo „ ſua facta fuerit, imponatur *Te Deum laudamus.* Populo acclamante *Kyrie* „ *eleiſon &c.* Item ſi alibi conſecrata fuerit, regreſſæ ad monaſterium o-„ mnis chorus virginum honorifice procedat ei obviam cum crucibus & a-„ qua benedicta, incenſo, & evangelio, & in ipſo eccleſiæ introitu impo-„ nant *Te Deum laudamus.* Turba acclamante *Kyrie eleiſon.* Et presbytero pro-

a) „ Suſcipitur epiſcopus, Victor evangelium obtulit ipſi, quod ubi ille oſculatur, Victor revertitur. At epiſcopus currax poſt illum veniens a capillo hominem capiens regyravit. At ipſe evangelium in epiſcopum reiiciens, furibundus abſceſſit. Sed ipſe codice ſuſcepto abbati porrigit, quem abbas oſculatum ſuſcipiens per ſeipſum uſque ad altare geſtavit. Victor autem (ſonoræ enim vocis erat) reſponſorium *Deus qui ſedes levat:* quod fratres cæteri, quoniam ipſe inter eos magni momenti erat, lugubriter percantantes clauſtrum ſpretis illis introeunt."

„ proſequente orationem, ut ſupra.“ Quæ eadem mutatis mutandis ibidem repetuntur in ordinatione abbatiſſæ monaſticam regulam profitentis. In ordine *Cluniacenſi* BERNARDI P. I. c. 1. de electione abbatis ſolemnis ea cærimonia pluribus deſcribitur. Benedictiones eiusmodi ac conſecrationes etiam ſacratarum virginum, viduarum, diaconiſſarum, monachorum, & abbatum in ſolemni Miſſæ officio fiebant cum vario cantu: qualis in regula Magiſtri c. 93. de ordinatione novi abbatis notatur: „Poſtquam ſacerdos „ pro eo orationem effuderit, ſtatim vadat novus abbas ad altare, & ponat „ ſuper illud regulam: & dum eam ponit, quam accepit, dicat retro o- „ mnis congregatio unacum ipſo hunc verſum: *Confirma hoc Deus*, *quod o-* „ *peratus es in nobis*, cum *Gloria*, & *cantilena.*“ Haud minus ſolemnes eiusmodi ritus *Græcis* uſitatos apud MORINUM de ſacris ordinat. GOAR. in euchologio videre eſt: veluti ordo obſervari ſolitus in ordinatione, id eſt, promotione etiam præfecti eccleſiæ, ſive œconomi monaſterii, aut cellarii κελλαρίτȣ; tum abbatis, ſeu ſuperioris ἡγȣμένȣ pontifice hic in ornatu pontificio omni celebrante: „dataque benedictione dicit Ter ſanctum hymnum: „ modulum Sancti, cuius eſt eccleſia, vel monaſterium: *Gloria. Et nunc* „ *&c.*“ In ſuſceptione habitus magni & angelici imprimis ſolemne eſt officium, perficiturque duabus partibus, una in matutino peculiari canone muſico; altera in Miſſa poſt evangelium antiphonis eo pertinentibus, & ad finem idiomelo. In ſuſceptione item parvi habitus, dum cantatis antiphonis poſt ingreſſum minorem ſcilicet in Miſſa, poſt contacium etiam diei *Gloria &c.* cantatur ſingulare troparium, ſeu modulus, tum ad tonſionem, cum ad ſuſceptionem ſacri habitus. Unde locus NICETÆ de ALEXIO *Comneno* in monaſterium, monaſticamque vitam detruſo, explicatur: „Invitus „ Chriſti lacernam τριβώνιον inducit, nec ſummis auribus decantato attendens „ officio excomato ſolum & intonſo ad cutem raſus, ATHANASII nomine „ accepit.“ De monialibus perinde ſe res habet, atque de diaconiſſis, multo ſolemniori ritu, quam apud *Latinos*, etiam cum impoſitione manus, adhibito.

XI. Dum vero in eo iam ſumus, ut de funeris celebratione aliquid dicamus, non aliunde melius ordimur, quam ab illis, qui vitam cum peculiaris ſanctitatis celebritate traducentes, certiore, de beata ſorte, perſuaſione, gaudium magis quam luctum expreſſerunt ex canentium vocibus, etiam cœleſtibus ſubinde auditis concentibus, uti de S. HERMENEGILDO M. S. GREGORIUS eo firmius dat teſtimonium, quod a ſua ſit haud remotum ætate. „ Nam (inquit) cœpit in nocturno ſilentio pſalmodiæ cantus ad cor- „ pus eiusdem regis & martyris audiri.“ De S. LAMBERTO in eius vita

In agone, & funere chriſtiano.

L. III. dial. c. 31.

idem

idem narrat vitæ ſcriptor Godescalcus, proximus eiusdem S. Martyris æta-
a ti a). Quod *Walafr.* Strabo de miraculis S. Galli refert, ad eius tumulum,
Act. O. S. B. ſæc II. pag. 252. dum nempe *eccleſiæ campanum inſonuit*, *& auditi ſunt duo chori incredibili alternantium perſonarum dulcedine perſtrepentes.* Libens prætereo exempla plura, illud præcipue, quod de campana divinitus reſonante dicitur. De S. Bonifacio M. in vita S. Pirminii eiusmodi habemus: cum longius ad lo-
b cum ſepulturæ deferrent eius familiares *hymnidicis concentibus canori* . . . b). Moris erat, ut pſalmorum cantus etiam apud luctantes cum extremo mor-
In append. de pœnit. p. 27. bo tranſigeretur, prout apud Morinum præſcribitur: in ſacramentario S. Eligii, & aliis monumentis liturgicis a nobis etiam in Liturgia *Alemannica* relatis. „Debent etiam ex miniſtris ſanctæ Dei eccleſiæ cum ſumma reve„rentia infirmis decantare per ſingulos dies veſpertinales, & matutinales lau„des cum antiphonis & reſponſoriis, ſive lectionibus & orationibus ad hoc „pertinentibus." Erat præterea peculiaris morientium cantus, ſeu officium: *Cum anima*, ut habetur in cod. Ratoldi apud Menardum, *in agone ſui exitus diſſolutione corporis viſa fuerit laborare*, *convenire ſtudebunt fratres*, *vel cæteri fideles*, *& canendi ſunt ſeptem pœnitentiæ pſalmi.* Videri etiam poſſunt S. Wilhelmi conſtitut. *Hirſaug.* quid tam apud agonizantes,
Surius 13. *Sept.* quam mortuos & ſepeliendos cantari debeat. In vita Amati abbatis, ſancti montis in *Vogaſo*, ineunte ſæc. VII. legitur: *Interim vero congregati fratres & ſorores*, *non ſine multo luctu ſuſtinebant eius exceſſum e vita*, *legentes evangelia*, *pſalmosque & hymnos apud lectulum eius decantantes.* In vita
T.III. P. I. p. 188. S. Guntheri eremitæ apud Canisium refertur *canentibus*, *qui aderant*, *& flentibus inter orationis verba*, *immaculatum Deo ſpiritum reddidiſſe.* Accidit autem, ut Spiritu Dei animati homines ipſi ſimul hoc ultimum proſe-
L. VIII. n. 52. querentur officium, ut de S. Columbano *iuniore* in annal. *Benedict.* narratur

a) „Angeli autem Dei (inquit) cuſtodientes monumentum, diebus ac noctibus in ipſa baſilica pſallentes, ad inſtar vocis beatiſſimi Lamberti, modulatione dulciſſima reſonabant; quos multi ex loci illius habitatoribus audiebant, & mirantes introire baſilicam cupiebant; ſed nullo modo auſi erant. Et cum ad locum ſanctum, ut certius audita intelligerent, appropinquabant, mox voces pſallentium paulatim reſiliebant. Cumque longius regreſſi eſſent, dulciter cantus reſonabat." *Ap. Caniſ. T. II. P. I. p.* 144.

b) „Cumque itineris tantum exegiſſent, ut per diei unius intervallum eo venire facultas eſſet, quo Dei ancilla Beala beato viro accommodabat hoſpitium; ecce tintinnabulum, quod habebat, deſponſum, nulla re, quæ videri poſſet, impellente, ultro ſe cœpit agitare, plectrique ſui pulſu monita ſolitam ſonitus dulcedinem propinare; nec ante (mirum dictu) reboare quievit, quam beatæ reliquiæ in ipſum deportatæ ſunt oratorium, in cuius cacumine fuerat appenſum. Vere Deus omnipotens angelica id agitari iuſſit adminiſtratione, ut perſpicue intelligere daret, quam ſuavibus anima illa in cœlo frueretur melodiarum cantibus, cuius in terra defuncto corpori animatæ materiæ agaulizaret ſonus. Pro tanti ergo ſigni beneficio laudibus Deo celebratis, oſſa venerandi præſulis *Moguntiam* deportabant, ad ſuæ videlicet diœceſis ſedem. Ibi adunato copioſo cleri plebisque cœtu, ad *Wedam* uſque cum omni honore tranſtulerunt: ubi ſicut ipſe corpore vivens iuſſerat, eum cum hymnis & pſalmodiis collocaverunt." *Act. O. S. B. ſæc. III. P. II. p.* 150.

tur poſt extrema oſcula *totum morientium cantum & officium* impleviſſe. De WETINO monacho *Augienſis* monaſterii in eius viſione refertur: *ad extremum vitæ convocatis fratribus pſalmodiæ eos inſiſtere omnimodis poſtulavit, antiphonas omnes & pſalmorum initia quaſi præcentor ordiens pro ſe fecit decantari.* In PETRI diaconi diſc. *Caſin.* apud P. HERRGOTT p. 3. ſic legitur: *Cum frater ad exitum propinquaverit, omnis congregatio ante eum pſalmos decantet; illoque ſepulto, poſt veſperum ſeptem pſalmos cum litaniis corpore in terram proſtrato decantent.* Solebat totum etiam uſque ad ſepulturæ tempus pſalmodia tranſigi: uti in vita S. WUNEBALDI præſcribitur: poſtquam *ſanctum exhalavit ſpiritum. Tunc illi tollentes eum lavaverunt & portaverunt ad eccleſiam, & illic totam noctem cum hymnis & canticis Dominum laudabant, & divinis munerum oblationibus illum de mundo tranſiturum comitabantur, & Domino commendabant.* Apud GOAR in euchol. not. 2. officium exequiarum NILI iunioris *Tuſculi* defuncti funus deſcribens BARTHOLOMÆUS eius diſcipulus *Totam*, ait, *noctem illam in pſalmis & funereis hymnis cantandis peregimus: mane vero cum cereis & incenſo & cantibus, lectulo ſublato corpus extulimus.* De pſalterio a tempore depoſitionis in eccleſia, uſque ad ſepulturam continenter decantato cum Miſſa appono ordinem ex cod. Bibl. *Vallicellano Romæ* ſæc. XI. circ. a) De funebri autem celebritate exempla infinita ſunt, etiam dum longius deportaretur, veluti WALAFRIDUS in vita S. GALLI narrat: *accepta ergo cruce & candelis pſalmos & melodias concinentes iter agere cœperunt.* Eam in rem nihil feſtivius quam ex laudata vita S. WUNEBALDI afferre poſſumus. b) Quomodo religioſe curandum eſſet

Apud Caniſ. T. II. P. I. p. 131.

a

b

p. 133.

a) „Depoſito igitur corpore in eccleſia ſedeant omnes circa corpus, & cantent pſalterium. Igitur hoc modo fiat ordo pſalmodiæ. Si prima hora diei migraverit, portato corpore in eccleſia & ſtantes vel ſedentes fratres omnes circa corpus cantant pſalterium. Quia ſi prima hora diei migraverit, debet ſtare corpus in eccleſia uſque horam ſextam, dicta hora ſepeliatur. Si ad veſperum tranſierit, ſive ad nonam, ſive poſt completorium, poſito in eccleſia corpore ſtent fratres, & cantent pſalterium, uſque dum nox fiat. Facta autem nocte prior ordinet, qui celebrent vigilias canendo pſalterium: ſcilicet totam noctem tribus vigiliis fratres partiendo, & per unamquamque vigiliam totum pſalterium cantent. Igitur facto die hora prima dicta canatur ei Miſſa ſonantibus omnibus ſignis. Et tribus converſis reveſtitis, ſtet unus infans cum cappa in choro, ſicut mos eſt, & cæteris reveſtitis in albis ſtent in ſummis gradibus, & levita quando incenſat, incenſet & corpus. Finita Miſſa maneat corpus in eccleſia uſque ſextam. Verbi gratia, quando comedunt ad ſextam, ſepeliatur ante horam primam; quando ad nonam, poſt dictam horam.“

b) „Cumque illi pſallentes cœleſtia modulantes portabant eum ad ſepulchrum, omnis plebs comitantes *Kyrie*eleizabant, qui conſonantes canentium vocibus; qui iucundis iuvenum iubilationibus, qui ſuavis Sanctorum ſempiternis modulationibus garrule concinendo crepitabant eleganter clangentes, clamabant multis vocibus, quaſi uno ore pſallentes glorificabant Deum. Tunc omnis plebs cum magno honore ambulantes portabant S. WUNEBALDUM, & poſuerunt eum in monumento novo, in illo portico, de quo ſupra diximus, & ſtatim poſtea Miſſam cantavit epiſcopus ad ſuum caput.“

T. I. Capitul. p. 957. eſſet funus Chriſtianorum adverſus paganicas ſuperſtitiones, quarum ſupra meminimus, in capitulis HERARDI prout apud ANSEGISUM, REGINONEM & BURCHARDUM legitur: „ Admoneantur fideles, ut ad ſuos mortuos non agant „ ea, quæ de paganorum ritu remanſerunt. Sed unusquisque devota mente „ & cum compunctione cordis, pro eius anima Dei miſericordiam imploret. „ Et quando eos ad ſepulturam portaverint, illum ululatum excelſum non „ faciant, ſed, ſicut ſupra diximus, devota mente & compunctione cordis, „ in quantum ſenſum habuerint, pro eius anima implorare Dei miſericordiam „ faciant. Et illi qui pſalmos non tenent excelſa voce *Kyrie eleiſon*, *Chriſte* „ *eleiſon*, viris inchoantibus, mulieribusque reſpondentibus, alta voce ca- „ nere ſtudeant pro eius anima. Et ſuper eorum tumulos nec manducare „ nec bibere præſumant. Quodſi fecerint, canonicam ſententiam accipiant.“ Quinam hi exceſſus fuerint, ex canone apud REGINONEM & BURCHARDUM

a elucefcit a). Inter interrogationes poſtea in viſitatione epiſcopi hæc et-

T. II. Conc. Germ. p. 500. iam occurrit: *Siquis ſuper mortuum nocturnis horis carmina diabolica cantat, & bibit, & manducat, & quaſi de eius morte gratulatur, & ſi alibi mortui in vigiliis nocturnis, niſi in eccleſia cuſtodiuntur.* Ex ſynodica

Ib. p. 515. RATHERII *Vernonenſis* adhuc ſæc. X. a vulgo hic peccatum intelligimus: *Carmina diabolica, quæ ſuper mortuos nocturnis horis vulgus cantare ſolet, & cachinnos, quos exercent ſub conteſtatione Dei omnipotentis, vetate.* Edidit

T. VII. coll. ampl. p. 1. &c. MARTENIUS ex duobus codd. ann. 500. ſub nomine commonitorii cuiusque epiſcopi ad ſacerdotes ſubditos ſibi, cæterosque miniſtros cuiuscunque ordinis eccleſiaſtici.

De Officio defunctorum. XII. Tomo IV. Biblioth. PP. *Pariſienſis* edit. habentur moduli, qui pro mortuis canuntur ex horologio *Græcorum*. Ubi excedunt vulgari errore, pœnarum inferni aliquando finem fore, atque interceſſione Sanctorum, fideliumque precibus iuvari damnatos etiam in inferno, ducti auctoritate ſpuria S. IOANNIS *Damaſceni*, atque fictitia MACARII hiſtoria, uti ex LEONE

b ALLATIO videre licet b). Hiſtoriam TRAIANI, ac THEOPHILI etiam impera-

pera-

a) „ Ne ſuper mortuorum cadaveribus carmina diabolica nocturnis horis cantentur.“ Ut inſcribitur, ſic vero ſonat canon: „ Laici, qui excubias funeris obſervant, cum timore & tremore, & reverentia hæc faciant. Nullus ibi præſumat diabolica carmina cantare, non ioca & ſaltationes facere, quæ pagani diabolo docente adinvenerunt. Quis enim neſciat, diabolicum eſſe, & non ſolum a religione chriſtiana alienum, ſed etiam humanæ naturæ eſſe contrarium, ibi cantari, lætari, inebriari, & cachinnis ora diſſolvi: & omni pietate & affectu caritatis poſtpoſito, quaſi de fraterna morte exultare, ubi luctus & planctus flebilibus vocibus debuerat reſonare pro amiſſione chari fratris? . . . Et ideo talis inepta lætitia, & peſtifera cantica ex auctoritate Dei penitus interdicenda ſunt. Si quis autem cantare deſiderat, *Kyrie eleiſon* cantet. Sin aliter, omnino taceat.“

b) „ *Græci* (inquit Diſſert. II. de libris *Græc.* liturg.) apertis velis, & ſine ulla ſui dicti emollitione, quin etiam factum aliorum exem-

peratorum ſynaxario intulerunt, uti apud laudatum ALLATIUM refertur, ac ſimul publicarum precum formulas, quibus fideles monentur, Chriſtum exorare, ut animas fidelium mortuorum ab igne ſempiterno liberet. Et infra: *Ab æterna pœna libera.* Et rurſus: *A verme indeſinenter puniente.* In antiquo ſacramentario GRIMOLDI habetur Miſſa: *Pro cuius anima dubitatur.* Ubi eædem orationes habentur, ac in MS. ſacramentario noſtro ſæculi IX. vel X. cum hoc titulo: *Miſſa, pro cuius anima deſperatur.* In Miſſa quotidiana canitur hodieque: *Libera Domine animas fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurum &c.* Quæ ad pœnas purgatorii pertinent, quemadmodum etiam, quæ inferni mentio aliquoties in officio defunctorum habetur: officium hoc ſe collegiſſe, ordinaſſeque, AMALARIUS dicit. Memorantur tamen vigiliæ mortuorum cum reſponſoriis, & antiphonis in antiquiſſimo breviario *Romano*, monaſticis congregationibus accommodato, quod in codicibus a 1000. annis perſcriptis iam invenitur, cum hoc titulo: „Agenda mortuorum: ad vigilias pſalmi quo„que, & lectiones, cum reſponſoriis, vel antiphonis, in matutinis laudi„bus de ipſis eſt canendum. Ad Miſſas eorum *Gloria in excelſis*, nec *al„leluia* non canentur.“ In cod. *Remenſi* apud MENARDUM n. 680. ita præſcribitur officium hoc: „Incipit officium pro defunctis. Imprimis cantatur „pſalmus: *In exitu Iſrael*, cum antiphona, vel *alleluia.* Deinde has o„rationes cantat presbyter: *Piæ recordationis &c.*“ quod ad exequias pertinet. Notat ibidem, apud *Græcos* in liturgia εἰς κοιμηθέντας, id eſt: *De his, qui dormierunt*, cani *alleluia.* Ac id quidem admodum frequentant, ut ex libris eorum liturgicis palam eſt, veluti etiam in quadrageſima, ſive τεσσαρακοστῇ, quando omitti ſolitum in Occidente. Id quod vitio datum eſt nobis a *Mich.* CÆRULARIO, quem HUMBERTUS, & alii confutarunt. Eamque litem reſpicit BALSAMON in ſupplemento ad can. 106. *Carthagin.* Conc. latine ſolum editum, & ad operum eius calcem adiectum a). Frequentatur

p. 84. 85.

p. 10. b. c. 2. m.

Pamel. T. II. liturg. p. 457.

De ord. antiph. c. 79.

Murat. T. II. lit. Rom. p. 404.

plis comprobantes in eam iverunt ſententiam, animas æternis pœnis condemnatas, ſi Sanctorum preces intercedant, ſalvari poſſe, & Sanctorum precibus detrahere, qui id negaret, quaſi ipſæ nullius eſſent roboris apud Deum. Ideoque neque cauſas ſententiæ ſuæ quærunt, ſed admiratione perciti, omnia in miſericordiam Dei, & orationis vim deferunt.“ Ita vero IOANNES *Damaſcenus* dicto loco: „Mirabilis es Domine, & mirabilia ſunt opera tua: miſericordiam tuam ineffabilem recte glorificamus: undecunque enim ad miſericordiam propenſus es, ſervisque tuis varias occaſiones ſalutis, fraternæ dilectionis, ſolidæque ſpei, ac fidei erga te præbes, docens per famulos tuos, nos invicem mutuis beneficiis debere proſequi: qualia ſunt propitiationes, & holocauſta, hymni, pſalmorum cantus, & preces.“

a) „Qui autem (inquit) per pia cantica, naturæ vim non afferentia, & *alleluiaria*, artificioſam vocis dulcedinem præſeferentia, hæc faciunt, immerito ſegregationis pœnæ ſubiacent. Non enim luctuoſe, ſed feſtive, ac panegyrice hodie exequias celebramus, Deo gratias agentes,

tur maxime pſalmus ἄμωμος, id eſt, *Beati immaculati in via.* Ex quo *Græci* officium defunctorum componunt, variis additionibus adaptatum. Pſalmus hic ἄμωμος aliter cantatur εἰς κοιμηθέντας λαϊκὰς, *pro ſæcularibus*; & aliter εἰς τεθνηκότας μοναχὰς, *pro monachis*, ut paſſim notatur in codd. muſicis *græcis*. Quoad officium defunctorum occidentalis eccleſiæ in concilio *Aquisgranenſi* habetur canon, qui ex parte tantum hodie obſervatur: „ut „ pſalmus invitatorius, & *Gloria*, pro defunctis non cantetur:" In capitulis monachorum ad *Augiam* directis, apud Baluzium univerſum officium ordinatur a). Iuxta Guidonis diſciplinam *Farfenſem*, apud P. Herrgott: *Mox, ut nocturnale obſequium expletum habuerint, officium mortuorum eſt agendum, deinde matutinæ ipſorum.* Antiquis pſalteriis nonnunquam officium defunctorum, ac miſſalibus Miſſam, ut hodieque canitur, cum notis muſicis, paſſim reperi ſubnexam. Ex laudata mox Guidonis diſciplina *Farfenſi* adiungam, quæ de cœpta, hoc medio ævo, ſolemni commemoratione defunctorum ab Odone *Cluniac.* (iuxta Sigebertum ad an. 998.) leguntur ad rem præſentem c. 44. hoc titulo: Odilo, *noſtrorum monachorum doctor, & abbas.* „ Ipſa etiam die, poſt veſpertinalem ſy„naxim, pulſatis omnibus ſignis, canant veſperam pro defunctis: ſimili„ter & in craſtino, pulſatis denuo ſignis, agatur officium pro defunctis. „ Miſſa etiam matutinalis agatur ſolemniter pro defunctis. Tractum can„tent duo fratres &c." Odilonis hac de re conſtitutio in bibliotheca *Cluniacenſi* edita eſt, & T. I. ſæculi VI. *Benedictini.*

An. 817. c. 66.

Capit. p. 1382. a

De vet. diſc. monaſt. p. 82.

Alia exercitia, preces, & pſalmodiæ.

XIII. Erant medio hoc ævo, a ſæculo præſertim decimo, varia etiam alia additamenta in divino officio (de quibus agit P. *Marquardus* Herrgott ſæpe laudatus, chariſſimus, dum viveret, ſodalis meus, in præfatione *veteris diſciplinæ monaſticæ* §. IV.) in cantu & precibus, quæ plerumque aut ex armarii, ſeu cantoris, voluntate & arbitrio pendebant; aut ſtati erant,

cui placuit, ut is, qui defunctus eſt; cum fide orthodoxa migraret, & qui efficere dignatus ſit, ut aperte, & cum omni libertate eos, qui ex noſtris excedunt, ſepeliamus: & non, ut prius, in angulis abiicimus, ut quando hæretici quidem vigebant; noſtra autem abiecta & afflicta erant: quemadmodum dicit etiam Gregorius Magnus in ſuis in Iulianum invectivis orationibus. Et ideo ſuffitibus, & cereis, & magnificis congregationibus defunctum excipimus, ut qui ſit per baptiſmum ſanctificatus. Pſallimus autem & in ipſo τὸν ἄμωμον, pſalmum 118. &c. Nota præſentem canonem, propter antiſtites, qui dicunt inſuetas preces in exequiis, & de *alleluiariis*, quæ cantant ſuper mortuos." Hæc Balsamon a Goaro not. 19. in offic. exeq. relata.

a) „ Undecimo, ut defunctorum vigilia hoc modo ab eis celebretur. Veſpera ſolito finita, ſtatim veſperam cum antiphonis celebrant pro defunctis, & poſt completorium, vigiliam cum antiphonis, vel reſponſoriis pleniſſime, atque ſuaviſſime canunt, & poſt nocturnos intervallo, matutinos pro mortuis faciunt. Facto autem primo mane, poſtquam ſe paraverint, Miſſam celebrant pro defunctis publicam. Omnes ibidem pariter ſacram offerunt oblationem pro peccatis mortuorum."

rant, præſertim apud *Cluniacenſes*, præter longas preces poſt Primam, pſalmi, orationes, antiphonæ &c. poſt completorium, poſt ſingulas horas, in æſtate quatuor pſalmi, quos tanta religione decantabant, ut, ſi forte ante finem cuiusque pſalmi verſus unicus fuiſſet prætermiſſus, continuo pſalmum a capite repeterent. Alii vero ad horas erant *pſalmi ſpeciales*, ſeu *familiares*, *pro tribulatione*, *proſtrati.* Vulgavit MABILLONIUS inter vetera analecta fragm. hiſtoricum de Conc. *Aquisgr.* ſæc. IX. in quo legitur, ſtatuiſſe epiſcopos, *concordante Domino papa, ut monachi, a graviore opere, & labore, propter honeſtatem ſacerdotii ceſſent, & loco laboris, ad horas pſalmos quosdam nominatos pro vivis & defunctis cantent, cum orationibus ordinatis.* In Capit. *Aquisgran.* ſtatuitur: *Ut prætermiſſis partitionibus pſalterii, pſalmi ſpeciales pro eleemoſynariis, & defunctis cantentur* a). a


Curſus, & antiphonæ de B. V. de S. Cruce, omnibus Sanctis &c.

XIV. P. HERRGOTT, de curſu B. V. agens, eius inſtitutionem ad ſæculum X. revocat factam a piis quibusdam, cum monachis, tum clericis, qui diverſo quidem modo, certum pſalmorum numerum indiës in honorem Deiparæ legebant. Dein dicit, PETRI *Damiani* tempore pervulgari cœpiſſe, qui edidit ipſe eiusmodi officium, quod extat T. IV. eius operum; hincque beatæ MARIÆ cultum, & officium, variæ a diverſis inſtitutum, brevique temporis ſpatio privatam hanc devotionem a monachis cultam fuiſſe, atque in omnibus fere monaſteriis receptam. Ex conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* refert: *In die nativitatis Domini, & in eius octava, & in feſtivitate omnium Sanctorum, curſus cottidianus de S.* MARIA *recitandus eſt, & ſemper uno, eodemque modo canendus, niſi in adventu Domini,*

a) „ Sed (addit P. HERRGOTT Præf. n. XCIII.) quis enarrare valeat, quoties, & quot pſalmi a monachis *Cluniacenſibus*, & *Hirſaugienſibus* decantati ſint? Vix enim ullum tempus die noctuque erat; vix locus ullus, ubi pſalmodiam intermitterent. Sic, cum fratrum quispiam ægrum inviſere vellet, certas preces, & pſalmos eundo decantare tenebatur. Dum fratres ſibi invicem barbas tondebant, pſalmos recitabant. Coqui in coquina, fratres in piſtrino, cum hoſtias faciebant; priusquam venam inſecari curarent, in agro ad laborem, in æſtate poſt nonam, ad opera manuum, & alibi paſſim, pſalmos, preces, vel horas ad ritum *Romanum*, vel denique pſalterium ex integro, ut in die Paraſceves, perſolvebant. Imo vel hoc parum fuit, certis etiam anni temporibus pſalmorum numerum in ipſo divino officio augebant, ut in quadrageſima, *Duo*, inquit BERNARDUS (Ord. *Cluniac.* P. II. c. 13.) *pſalmi poſt ſingulas horas a proſtratis dicuntur, unus de XV. canticis graduum, & unus de ſeptem pſalmis.* Et alibi P. I. c. 49: *Duo de VII. pſalmis.* Præterea feſtis diebus, in quadrageſima occurrentibus, poſt Miſſam matutinalem, quæ de feria erat, omnem pſalmodiam propter officium feſti, ex integro repetebant. Inde eſt, quod hodieque illis diebus duplex Miſſa uno die, publice cantari ſoleat; quin quandoque apud *Hirſaugienſes*, teſtante S. WILHELMO, Conſtit. *Hirſaug.* L. II. c. 72. una die tres Miſſæ ſolemniter decantatæ fuerunt: Porro ex GUIDONE (Diſcipl. *Farf.* L. I. c. 8. p. 51.) reſcimus, non ſolum Miſſas multiplicatas eſſe, ſed etiam alia divina officia, ut *in Rogationibus . . . veniant in alium chorum, cantentque ibi matutinas omnium Sanctorum, atque mortuorum:* idem fiebat infra octavam S. IOANNIS, in feſto S. PAULI &c.“ Vid. quæ paulo ante de variis mutationibus, & additionibus in officio canonico, diximus.

Domini, & *infra nativitatem ipſius.* Apud *Cluniacenſes* etiam ægroti ad hoc adſtringebantur, & apud *Hirſaugienſes* iter agens debebat *etiam ex uſu cantare* curſum S. Mariæ. De Petro abbate *Andreenſis* monaſterii ſæc. *T. II. fol. 809.* XII. in chronico eius monaſterii apud Dacherium narratur: *Finitimis monaſteriis, pro honore patroni ſui in quinta feria, & pro honore beatæ* Mariæ *in omni ſabbato feriali feſtivantibus, & tam feriales hymnos a ſanctis Patribus inſtitutos, quam cantica matutina, quæ prædicat S.* Benedicti *regula, propria auctoritate intermittentibus, nunquam domnus* Petrus *voluit acquieſcere &c.* Unde intelligis uſum officii de B. V. in ſabbato ſæc. XII. Ex hac devotione adverſus beatam Virginem, ſolemnes illæ antiphonæ in eccleſiaſticum, ſeu regulare officium illatæ ſunt, quæ pro temporis differentia in fine horarum adduntur. Celebris vergente hoc ævo erat, & deinceps, harum antiphonarum, imprimis *Salve Regina* cantus, ad cuius normam, ut obſervavit le Beuf, alii componi ſolebant: In MS. bibliothecæ noſtræ, annorum 400. circ. inveni verſus ſuper *Salve Regina*, & ſuper *Ave Regina cœlorum* per biſcantum etiam: motetos item ſuper *Salve Regina*, & *Alma Redemtoris mater*, ita ut *tenor* in contrapuncto ſupponatur melodia harum antiphonarum, quin ipſa melodia ponatur, unde patet, eam familiarem admodum fuiſſe. Specimen hic damus:





Curſum autem cantari ſolitum, non cônſtat, licet vox *cantandi* in nonnullis laudatis teſtimoniis occurrat, ſemel de *iter agentibus*, a quibus id commode fieri aliter non potuit, iamque non ſemel notavimus, *cantandi* vocem etiam de privata recitatione frequenter hoc ævo ſumtam eſſe. Eiusmodi haud dubie fuit, quod ibidem P. Herrgott habet de S. Udalrici, ac multorum monaſteriorum more, præter divinum officium quotidianum tria alia, quos curſus dicebant, ſcilicet de B. M. V. de S. Cruce, & de omnibus Sanctis, perſolvendi. Accedebant porro complura ſuffragia in veſperis & laudibus (quæ prætermiſiſſe, Abaelardus *Ciſtercienſibus* culpæ dat) etiam haud raro ſummis feſtis decantata. Supra laudatus Petrus abb. *in Sanctorum ſuffragiis antiphonas, quas breviores ſciebat, iuſſit decantari, audiens, longiores, a dicentibus eas, turpiter ſyncopari.* Apud mox citatum Herrgottum legimus, in monaſterio S. Michaelis in agro *Virdunenſi*, geminatum diu, noctuque officium, canonici ſcilicet ordinis, & monaſtici, quod etiam utrumque perſolvebant *Anianenſes* in diurnis horis. Sed an utrumque decantatum ſit officium, non liquet. Saltem conſtat ex antiquis antiphonariis, nocturnum officium fuiſſe perſæpe integrum cantatum. Id inde coniicere licet, quod notis antiphonæ & reſponſoria ſint expreſſa. At fieri id ægrius potuit in tanta vigiliarum prolixitate, qualis apud laudatum P. Herrgott deſcribitur a). Deinceps curſus B. M. V. ſicuti officium defuncto-

Chron. Andreenſis monaſt. T. II. ſpicil. f. 809.

a

rum,

a) „Nam ſigno ad vigilias dato, primo ternæ orationes fiebant; tum triginta pſalmi a centeſimo decimo nono uſque ad finem pſalterii communiter recitabantur: quorum primi pro defunctis, medii pro familiaribus, extremi pro omnibus generatim erant. Brevioribus æſtivis noctibus, & feſtis diebus, quindecim tantum cantica graduum, terna oratione diſtincta. Lectiones hyemalibus vigiliis ita producebantur, ut prophetis, quorum lectio a Kalendis *Novembris* incipit, per duas fere hebdomadas totis expenſis, aut denuo hi repeterentur, aut alia

rum, etiam ad canonicos pervenit, quæ obligatoria eſſe, & ab omnibus obſervanda, ſingulari propoſitione vigeſima RADULPHUS *Tungrenſis* contendit, & ſequenti vigeſima prima agit, ut oſtendat, laudabili multorum uſu ſervari etiam certis temporibus particularia officia, ut pſalmorum pœnitentialium, & gradualium, & in quadrageſima totius pſalterii, & quæ ſunt plura alia. Quare etiam voluit fieri paucas feſtivitates, ut pſalterium, ſacra ſcriptura, officium mortuorum, ſeptem pſalmi pœnitentiales, quindecim pſalmi graduales, & huiusmodi ſerventur iuſto ordine. Et poſtea carpit fratres minores, qui ſeptem pſalmos, & cætera ferialia, raro ſervent, ſacramque ſcripturam omnimode in officio negligant, ac defunctis ſimiliter in officio eorum continuum præiudicium faciant.

Prop. XVII. *Prop. XXII.*

Cantus in vulgaribus probationibus, per ignem, aquam &c.

XV. Peculiaris huic medio ævo fuit ritus in ſolemnibus probationibus per ferrum candens, ignitos vomeres, aquam calidam aut frigidam, panem, caſeum, crucem, duellum, ad innocentiam prodendam, aut culpam, litesque & controverſias dirimendas, etiam perſonas inter eccleſiaſticas, epiſcopos &c. Quæ ſacro, ſolemnique ritu ſunt transacta ad cantum, ac ſonum etiam inſtrumentorum, ſub regno præſertim *Francico*, iuxta AIMONII teſtimonium in hiſtoria de geſtis *Francorum*, quam uſque ad annum 1165. perduxit. Teſtatur vero D. FAUCHET in ſuis antiquitatibus, uſum iſtum uſque ad ſæculum decimum tertium perduraſſe. Qua de re plura nos in diſquiſit. de liturgia *Alemannica.* Non ſolum autem in eorum laudem, qui ſe ita purgabant, teſtatamque reddebant innocentiam, ſalvi ab igne, aqua, ferro, cantica reſonabant, verum etiam ritus ipſe cum cantu pompa pontificali fiebat, ut auctor *Gallicus* hiſtoriæ muſicæ inter alia exemplum profert, quod huc imprimis facit, de eo, quod accidit ſub ALPHONSO V. rege *Hiſpaniarum*, ac GREGORIO VII. circa mutationem officii *Toletani*, pro quo clerus ſtabat, vincebatque ſingulari certamine, reſonantibus canticis, inſignique muſica victori applaudentibus, ac gaudium conteſtantibus cunctis. Quæ ſaltem paucis attingenda fuerunt: veluti etiam, quæ de ſuburbiorum *Carcaſſonæ* expugnatione facta canente clero, in annal. eccleſ. apud RAYNALDUM T. XIII. leguntur ad an. 1209. n. 23. de territis ſacerdotum cantu hæreticis, ad an. 1211. n. 15. iisdemque propulſatis, ad an. 1212. n. 12. in dictis annalibus. Opportune etiam addimus cantum, & muſicam tempore interdicti, ſeu ceſſationis a divinis vetitam, ut in epiſtola S. THOMÆ *Cantuarienſis* cavetur, *excepto baptiſmo parvulorum, & pœnitentia,*

T. I. p. 185. 200. 202.


L. III. ep. 72. *T. X. opp. Chriſt. Lupi p.* 281. *a.*

quædam adderentur: adeo ut idem lector ſub una lectione DANIELEM totum expleviſſe memoretur. Inſuper poſt nocturnas vigilias ad crepuſculum, quo matutinæ laudes canebantur, a pluribus plerumque pſalterium ſigillatim ex integro dicebatur."

tia, & viatico, quod clauſis ianuis, & laicis perſonis excluſis, confici licet ſine campanarum pulſatione, & ſolemnitate cantus & lætitiæ, quam in diebus iucundis conſuevit eccleſia exercere.

XVI. Celebris medio ævo fuit antiphona *Media vita*, imprecandi etiam cauſa quibusdam in caſibus fieri ſolita. Veluti contra *Stedingos*, hoſtes eccleſiæ, factum legimus ſæc. XIII. apud ALBERTUM *Studenſem: Statim comes de* CLIVO *cum ſuis a latere irruens ſuper illos, ipſorum aciem diſſipavit. Clericus, qui eminus aſtans rei exitum exſpectabat,* Media vita, *& alia miſerationis carmina, cum mœrore cecinit, & pro crucis victoria ſupplicavit.* Eodem ſæc. an. 1263. monachi S. MATHIÆ *Trevirenſis* monaſterii, obſiſtentes WILHELMO, in abbatiam per archiepiſcopum intruſo, *communiter cum pueris intrantes chorum lacrymabiliter, & cum magna voce cœperunt clamare ad Deum, & cantantes antiphonam* Media vita *proiecerunt ſe proni in terram, dicentes orationes ad hoc debitas, & conſuetas.* Inde cum abigerentur metu, *venientes ad maiorem eccleſiam, a prælatis & canonicis ipſius eccleſiæ conſilium, & auxilium, ſuper eorum miſerabili exilio petierunt. Qui benigne & laudabiliter ab eis recepti, ipſique, ut dignum fuit, condolentes, in ipſa maiori eccleſia autiphonam* Media vita *cum debitis orationibus, & campanis pulſatis, unacum eis ob vindictam fideliter decantabant*, ut illuſt. HONTHEIM ex MARTENIO refert. In Concilio *Colon.* an. 1316. c. 21. prohibetur: *ne in aliqua eccleſiarum nobis ſubiectarum imprecationes fiant, nec decantetur* Media vita *contra aliquas perſonas, niſi de noſtra licentia ſpeciali, cum noſtra interſit diſcutere, quando ſint talia facienda.* Vid. DU CANGIUS.

Antiphona MEDIA VITA. *T. III. Conc. Germ. p.* 552. *T. I. Hiſtor. Trevirenſ.*



CAPUT VII.

De libris ad officium, cantumque ſacrum medio ævo pertinentibus.

I.

Varii libri liturgici, ad cantum etiam eccleſiaſticum pertinentes.

Librorum apparatus, ac copia hoc medio ævo ad cantum eccleſiaſticum, uſumque liturgicum ſat ampla fuit. Agobardus tres diſtinguit: librum myſteriorum ad celebranda Miſſarum ſolemnia, librum lectionum, ac officialem, id eſt, antiphonarium, quo etiam reſponſoria, & alia omnia ad officium, cantumque eccleſiaſticum pertinentia, refert. In capitulari Ahytonis epiſcopi *Baſileenſis* hæc eadem primo loco, inter alios libros, ſacerdoti cuique neceſſarios, recenſentur, *Quæ ipſis ſacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum: id eſt, ſacramentarium, lectionarium, antiphonarium, baptiſterium, computus, canon pœnitentialis, pſalterium, homiliæ per anni circulum dominicis diebus, & ſingulis feſtivitatibus aptæ: ex quibus omnibus ſi unum defuerit, ſacerdotis nomen vix in eo conſtabit.* In capitulari Caroli M. ad huiusmodi libros conſcribendos, ne corrumperentur, perfectæ ætatis homines adſtringi iubentur: „Et pueros veſtros non ſinatis, eos vel legendo, vel ſcribendo corrumpere, & ſi opus eſt, evangelium & pſalterium, „& miſſale ſcribere, perfectæ ætatis homines ſcribant cum omni diligentia.“ Hinc eſt, quod hac ex ætate adhuc ſuperſtites tanta concinnitate, tantoque ornatu & apparatu conſcripti ſint libri, tantumque ſtudium & opera adhibita ſit, in iisdem colligendis, atque ad poſteritatem tranſcribendis, eorumque diligentia commendanda, qui in hoc elaborabant. Quemadmodum, exempli cauſa, in chronico *Fontanellenſis* monaſterii c. 15. ubi de ſchola eius monaſterii agitur, laudatur imprimis Harduinus presbyter, qui alios in artibus plurimos alumnos imbuerit, ac arte ſcriptoria erudierit, in ea non mediocriter doctus, eiusmodi reliquerit codices a): Sic apud Mabil-

De correct. antiph. circa finem.

T. I. Spicil. inf. p. 554.

L. I. num. 62.

a

LO-

a) „Volumen quatuor evangeliorum *Romana* littera ſcriptum, epiſtolarum beati Pauli apoſtoli volumen unum, ſacramentaria volumina tria, lectionarium volumen unum: item lectionum evangelii volumen unum, homiliarum quadraginta Gregorii P. volumen unum .... Pſalterium cum canticis, ac hymnis *Ambroſianis*, & terminis paſchalibus .... antiphonarum *Romanæ* eccleſiæ volumen unum.“

LONIUM in *itinere germanico,* WALTRAMMUS laudatur: „ An. MCXXXVIII.
„ venerabilis presbyter WALTRAMMUS, *Petrishuſenſis* monachus, in patrem
„ & abbatem electus eſt, atque conſecratus ab UDALRICO, *Conſtantienſi* epi-
„ ſcopo ſecundo, ad locum *Augiæ ſanctæ Mariæ Fiskine* (*Fiſchingen*) di-
„ ctum ... libros vero miſſalem, evangeliarium, lectionarium, officialem,
„ benedictionalem, antiphonarium, pſalterium, regulam &c. patravit.“ In
antiquo catalogo *Murenſis* monaſterii in *Helvetia*, huiusmodi etiam muſice
notati, recenſentur libri a). Paulo poſt afferemus locum de *graduali* inſi- a
gni, quod ſæc. XII. RADULPHUS, abbas *S. Trudonis, propria manu forma-
vit, purgavit, punxit, ſulcavit, ſcripſit, illuminavit, muſiceque notavit
ſyllabatim.* ADEMARI locum in vita CAROLI M. ſupra retulimus, ubi hæc
leguntur: „ Antiphonarios S. GREGORII, quos ipſe notaverat nota *Romana.*“
S. ANSELMUS lib. I. epiſt. 21. *Suis vos precibus ad notandum antiphonarium
adhortare deſiderat.* Liber adverſariorum baſilicæ *Vatic.* f. 144. *Item unum
breviarium pulchrum, notatum in duobus voluminibus. Item unum graduale
notatum parvi voluminis* b). In cod. *Vatic.* n. 1981. ſæc. X. circ. inter alios li- b
bros ſequentes liturgici notantur: „ Libri Sacramentorum IIII. Proſarii IIII.
„ Evangel. IIII. Lib. Communis isque in paſcha, alius a paſcha uſque S. AN-
„ DREÆ. Gradales II. Antiphonarii II. Proceſſionales II. Collectarium I.“
Fratres PEZII in *itinere ſuo litterario*, quod T. I. *Theſ. Anecd.* præmittitur
pag. XXIV. in antiquo catalogo plusquam 700. annorum, monaſterii *Wei-
chenſteffenenſis* in *Bavaria*, ſequentes notatos invenerunt libros: „ Imprimis
„ quæ pertinent ad divinum ſervitium: unus miſſalis cum graduali, & ſequen-
„ tionario ad capellam abbatis. Duo miſſales cum graduali, & ſequentiis,
„ & epiſtolis, & evangeliis adſcriptis. Item unus miſſalis, IV. lectionarii,
„ unus officialis, unus epiſtolaris, unum evangelium, duo nocturnales abs-
„ que cantu: unus ab adventu Domini uſque ad exitum pentecoſtes, abhinc
„ uſque ad adventum Domini. Item nocturnalis cum pſalterio & ymnario,
„ & officiali. Item dimidius nocturnalis. Duo antiphonaria cum ymnario...
„ Duo pſalteria in choro cum gradali. Ymnarius unus. Unus gradalis ad
„ ſcholas. Unum baptiſterium.“ In monaſterio *S. Michaelis Bambergæ*, in-

ter

a) „ Sunt & hic miſſales libri quinque, ex iis tres pleniter ſcripti ſunt, quartus vero habet graduale cum orationibus, quintus tantum orationes habet: & duo lectionarii, unus cum lectionibus habet & evangelia. Eſt & evangelicus liber, & quatuor gradualia, ex his unus muſicen vocatum eſt, & duo libri cum verſibus offertorium, ex his unus muſice notatus eſt, & decem ſequentiarii. Et tredecim pſalteria, duo ex his habent hymnos. Sunt & hic quinque nocturnales libri, quorum primus habet tantum lectiones ab adventu Domini uſque ad paſcha, ſecundus autem a paſcha uſque ad adventum Domini, tertius vero habet tantum lectiones de Sanctis per circulum anni, alii duo pleniter ſcripti ſunt. Sunt & duo curſinarii, & tres benedictionales libri. Ex his unus habet obſequium mortuorum, & unus breviarius.“

b) Vid. DU CANG. v. *Notare.*

ter alios libros, *quos* Ruotgerus *in librario invenit*, *ſub* Wolframo *abbate*, qui an. 1112. abbas electus eſt, uti videre eſt apud Schanatum in
pag. 50. *Vindem.* litterar. hi ad rem præſentem notantur libri: *Miſſale I. Graduale I. Sequentiarium I. Pſalterium græcum I.* Iam memini ſubinde rotulorum, qui ex pluribus membranis oblongis ſolebant compingi, quales adhuc ſervantur in bibliotheca *Vaticana*, & *Barberina Romæ*, atque in theatro baſilicæ *Piſanæ*, edito a *Ioſepho* Martinio eiusdem baſilicæ canonico, tabulis æneis expreſſæ habentur, nosque etiam fragmentum, ſeu primam rotuli
Tab. IV. membranam damus ex noſtra D. Blasii bibliotheca, quæ repræſentat unam E. litteram vocis *Exultet*, initium nempe benedictionis cerei paſchalis, cum imagine Salvatoris ſedentis duos inter angelos, ac diaconi in ambone rotulum in manu tenentis, alteriusque miniſtri cereum paſchalem accendentis. Et ita textui, cum notis muſicis, eiusmodi ſemper picturæ interponuntur, quæ tenenti diacono volumen obverſæ ſunt, rectæ autem aſpicientibus, dum paulatim evolvitur: unde patet, factas eſſe picturas ad ſpectaculum. Cum eiusmodi picturis inſigne eſt pontificale bibl. *Caſanatenſis Romæ* ex membranis etiam oblongis in unum compactis, ritum baptiſmi ſolemnis, ac collationis ſacrorum ordinum continens, præter benedictionem cerei paſchalis cum notis muſicis. In fine legitur *Landulphi ſum*, ut creditur, *Capuani* epiſcopi ſæc. IX. Hæc pauca, exempli cauſa, recenſere libuit, catalogum enim texere, infinitum foret, omnium eiusmodi librorum, qui paſſim adhuc in monaſteriis inter cimelia aſſervantur, magno plerumque ornatu conſcripti, in pergameno etiam purpura tincto, litteris aureis vel argenteis: cuiusmodi antiphonarii, ſcripti iuſſu Ansegisi, in chron. *Fontan.* mentio fit. Rivetus ac Martenius meminere antiphonarii, litteris aureis deſcripti, quo Gontbertus monaſterium S. Bertini ditavit. Scriptum fuit propria Gontberti manu, uti & alia duo minori ornatu, quorum alterum S. Audomaro, alterum S. Winoco donaſſe, apud eundem Martenium perhibetur. Unum hic adhuc teſtem voco, *Stanislaum* Sczygielski, bibliothecarium monaſterii *Tinecenſis* in *Polonia*, veterum monachorum in conſcribendis libris eiusmodi choralibus ſtudia deprædicantem a). Sed quam ſæpe imperita &

Rivet. hiſt. litt. T. IV. p. 282. Marten. theſ. anecd. T. III. p. 508.

a ingrata

a) „Atque ut libros chorales vaſtiſſimæ figuræ & modi, nec non ponderis, ab uno viro valido vix unius exemplaris ferendi ſuppare, in ſpatioſis, & latis membranis, litteris trabealibus *Lombardicis* olim deſcriptos, & iucunda initialium litterarum admodum lati palmi, vel potius ſesqui pedalium, deauratione venuſtos prætercam: quos fere libros elephantinos a magnitudine operum, eleganti ſcriptione, & auri pictura admirandos, & vix reperiundos alibi exiſtimaverim ſimiles, qui etiam a frequentibus domi noſtræ hoſpitibus, videndæ antiquitatis percupidis, dum reverenter volvuntur, laudantur copioſe; hoc addito, non facile in aliis librariis ſimilia opera repertum iri, quæ vetuſtas temporum ætati noſtræ transmiſiſſet. Hæc volumina, quamquam præſenti tempore apud nos iam non habeantur ad uſum, cum aliorum

ingrata poſteritas, maiorum ſuorum labores hosce diſciſſos, compacturæ librorum, aut aliis vilioribus adhuc uſibus deſtinavit, libros olim ad divinum officium, imprimis ſacratiſſimum altaris ſacrificium, conſecratos! Alias tamen gemmis, auro & argento, a fronte præſertim ornata, intus picturis, purpura, laminis, & litteris aureis, in theſauro inter ſacra vaſa, ac pretioſam ſuppellectilem cuſtodiebantur. Inventarium theſauri monaſterii *Abdinghoff*, ſub quarto abbate GUMBERTO, in itinere ſuo litterario PP. MARTENIUS & DURANDUS deſcripſerunt, ubi inter alia notantur *duo choralia, offertoria II. plenaria IV. & tria evangelia, miſſalis liber plenus, item alius, tres alii cum collectis, tres lectionarii, & quartus cum evangelio.* Miſſale *plenarium* id erat, quod non ſolum Collectas, ſed alia etiam ad hoc officium & cantum pertinentia, complectebatur, cum alias conſueſſent hæc ſeparatim conſcribi, uti eſt ſacramentarium *Romanum*, lectionarium pro epiſtolis, aut evangeliis in Miſſa. LEO IV. in homilia de Cura paſtorali, *Miſſale plenarium*, inquit, *& lectionarium, & antiphonarium unaquæque eccleſia habeat.* In plerisque antiquis catalogis librorum, paulo ante citatis, plenaria ſeorſim etiam recenſentur ab aliis eiusmodi libris. Veluti in catalogo S. MICHAELIS *Bamberg. Plenaria II.* In catalogo *Murenſi*, inter ſacræ ſcripturæ libros, poſt vetus teſtamentum: *Deinde de novo teſtamento ſunt hic duo plenaria, unum ab invicem eſt diviſum.* Ubi per *plenarium* nihil aliud, quam totum novum teſtamentum, vel IV. evangelia continenter ſcripta, debent intelligi. Alias, ut ad nos redeamus, *collectanei* vocabantur libri, in quibus collectæ, *epiſtolarii*, in quibus epiſtolæ ad Miſſam legendæ, *textus*, ubi contextus evangeliorum ad eundem finem continebatur, quorum librorum curam armario BERNARDUS in ordine *Cluniac.* apud P. HERRGOTT, committit: *Debent etiam armario adeo noti eſſe omnes libri miniſterio eccleſiæ neceſſarii, collectani videlicet, epiſtolarii, textus, cæterique huiusmodi, quatenus ſi quisque eorum, quibus ipſi neceſſarii fuerint, in eis deviatus perdiderit ſignum, aut non potuerit reperire locum, quem debuerit, ipſe ſine qualibet mora inveniat ei.* De hoc ſigno mentio fit in ord. *Rom.* III. apud MABILLONIUM: *Subdiaconus . . . a diacono accipiat librum evangeliorum, ut per ipſum aperiatur diacono locus, in quo ſignum lectionis fuerit poſitum.* Alia ſunt ſigna, de quibus in conſtitutionibus *Hirſaugienſibus*, apud eundem P. HERRGOTT a). Cum magna librorum ſerie potiſſimam

[Margin: *P. II. p.* 141. — *De ant. eccl. diſc. p.* 162. — *T. II. Muſ. Ital. p.* 56. — *p.* 396. — a]

mam

librorum modernæ neceſſitati, & ſacris ritibus ſervientium in promtu copiam habeamus, nihilominus ſolius honeſtæ oblectationis ergo asſervanda cuncti iudicant, ex quorum inſpectione antiquorum monachorum memoranda ſtudia, & honeſtiſſimorum laborum occupationes elauſtrales facile perſpiciuntur." *Ap. P. Ziegelbaur hiſt. litt. O. S. B. P. II. c. V. ſect.* 3.

a) „Pro generali ſigno librorum extende manum, & move, ſicut folium libri moveri ſolet.

mam partem ſacræ eccleſiæ, cantusque eccleſiaſtici, ac divini officii uſui deſtinatorum, cuius cura & directio erat penes armarium: erantque huiusmodi ſigna, ut unico nutu, etiam procul, omnia rite diſponere poſſet quoad cantum, & lectionem, quibus conſtat officium divinum. Quo etiam adhuc revocari poſſunt ſequentium librorum ſigna, conſuetudinum, pergameni, rotulæ, brevis, martyrologii &c. Libros vero potiſſimum huc
a *L. VI. c.* 1. ſpectantes, ad octo revocat Durandus a). De præcipuis dicemus ſingillatim, de aliis ſubinde memoria recurrit: velut de *verſariis*, ubi agimus de cantu reſponſorio; de *tropariis*, ubi de tropis &c.

II.

Pro ſigno libri miſſalis, generali ſigno præmiſſo adde, ut manum dextram extentam inter medium pollicis & indicis alterius manus, quaſi ferrum limando, trahas: hoc etiam cuiusque rei eſt, quam in frequentia habemus. Pro ſigno textus evangelii, præmiſſo generali ſigno, hoc adde, ut ſignum crucis facias in fronte. Pro ſigno libri, in quo legendum eſt ad nocturnos, præmiſſo generali ſigno & libri & lectionis, hoc adde, ut manum ad maxillam ponas. Pro ſigno antiphonarii, generali præmiſſo libri ſigno, hoc adde, ut omnes digitos manus dextræ inflectas, propter neumas in eo inflexas; poſtea pollicem in medio indicis articulo proſilire facias. Pro ſigno libri gradualis eodem modo, quo prædictum eſt, omnes digitos incurves. Pro ſigno regulæ, generali præmiſſo, hoc adde, ut capillum ſuper aurem pendentem cum duobus digitis apprehendas, propter duo nomina, quibus abbas vocatur, & domnus, quia & S. Benedictus auctor regulæ huius erat, & officii. Pro ſigno hymnarii, generali præmiſſo, adde, ut pollicem & indicem dextræ manus proferens, ſummitates eorum coniungas, quæ præſens tempus, vel quod primum eſt, ſignificatur, & hoc ſigno ad hymnarium propter hoc ſolum inventum eſt, id eſt, *Primo dierum.* Pro ſigno pſalterii, generali præmiſſo, hoc adde, ut ſummitates digitorum dextræ cava manu in caput ponas, propter ſimilitudinem coronæ, quam rex ſolet portare; quia David, auctor pſalmorum, rex erat. Pro ſigno libri prophetarum, generali præmiſſo, hoc adde, ut manum directam trahas per capillos contra aurem dextram, quod ſenectutem ſignificat. Pro ſigno bibliothecæ, generali præmiſſo, hoc adde, ut proferas omnes digitos manus utriusque. Pro ſigno epiſtolarum Pauli, præmiſſo generali, adde ſignum calvi. Pro ſigno librorum Iob, generali præmiſſo, mentum cum dextra tene, deinde eandem dextram expanſam ſuper pectus ponas, quod eſt ſignum infirmitatis. Pro ſigno gloſſarii, generali præmiſſo, adde ſignum lectionis, poſtea omnes digitos dextræ in unum coniunge, quod omnes fratres ſignificat conveniſſe. Pro ſigno libri ſequentiarum, generali præmiſſo, ſignum adde martyris. Pro ſigno libri breviarii, generali præmiſſo, indicem per obliquum ſuper nares trahe, obtruncatam rem ſimilans &c."

a) „Circa libros eccleſiaſtici officii (inquit) ſciendum eſt, quod ipſum officium conſiſtit in cantu, & lectione: de cantu tres ſunt libri: de lectione ſex. Sunt etiam quidam alii libri eccleſiaſtici: prout in ſecunda parte, in fine tractatus de ſacerdote, dictum eſt. Sane tres libri de cantu ſunt, antiphonarius, graduarius, & trophonarius. Antiphonarius, a digniori, videlicet ab antiphonis nomen ſumſit, quas B. Ignatius patriarcha audivit, per angelos decantari: cum tamen ibi ſint reſponſoria, atque verſus. In plerisque tamen locis liber iſte reſponſonarium a reſponſoriis, quæ ibidem continentur, appellatur. Graduarius dictus eſt a gradualibus, quæ in eo continentur, qui a pluribus officiarius nuncupatur ab officiis, ſeu introitibus, qui ibidem continentur, appellatur. Graduale dictum eſt a gradibus . . . Trophonarius eſt liber, continens τρόπȣς, id eſt, cantus, qui cum introitu Miſſæ dicuntur, præſertim a monachis. Vocantur etiam τρόποι, ſequentiæ, ſive proſæ κύριε ἐλέησον, & neumæ . . . quidam etiam hunc librum proſarum a proſis appellant . . . Cæterum libri lectionum ſunt iſti. Primus eſt bibliotheca. Secundus homiliarius. Tertius paſſionarius. Quartus legendarius. Quintus lectionarius. Sextus ſermologus."

Lectionarii varii etiam cum cantu.

II. De omnibus deinceps appellationis cauſas & diſcrimina affert, pariter ac Belethus (quem Durandus in recenſione horumce, ad officium divinum ſpectantium librorum ſecutus eſt) in explicatione divini officii c. 58. & 59. ne quis fallatur generali, aut æquivoca appellatione *bibliothecæ*, e. g. qua hic deſignatur volumen ſacræ ſcripturæ *ex omnibus libris veteris, & novi teſtamenti, a* Hieronymo *compoſitum*, ut ait, *librum*, qui vulgo *Comes* appellatur, indigitans a). Huic alter mox iungitur. *Homiliarius, continens Sanctorum homilias*, ut ait Durandus, *& legitur in dominicis, & in natali, & in feſtis Sanctorum, propria evangelia habentium &c.* qualem iuſſu Caroli M. digeſſit Paulus diaconus, aſſervaturque in bibliotheca *Augienſi* duobus voluminibus, quibus continentur ſermones, & homiliæ Ambrosii, Augustini, Hieronymi, & aliorum, in dominicis diebus & ſolemnitatibus, ac præcipuis Sanctorum feſtivitatibus, uſque ad quadrageſimam. In pluribus MSS. eiusdem, ac aliorum paſſim monaſteriorum habentur paſſiones, & vitæ Sanctorum, præter lectiones & homilias de Sanctis, & feſtis Domini. Reſpondent hi paſſionario, & legendario Durandi, quorum hoc diſcrimen facit, quod ille paſſiones martyrum, hic vitas confeſſorum contineat, in eorum feſtis *legendas*, quo etiam nomine ſæpe venit, atque a *lectionario* diſtinguitur: *in quo*, ut ait, *lectiones epiſtolarum* Pauli, *& aliæ leguntur.* Unde etiam, ut iam notavi, *epiſtolarius* quandoque dicitur, cum nimirum ſolas epiſtolas continet, qualis antiquiſſimus inter monumenta Liturg. *Aleman.* edetur, atque alius a *Ioſ.* Cari, ſeu Thomasio, editus eſt inter libros miſſales eccleſiæ *Romanæ*, poſt lectionarium, ſeu *comitem*, ab Albino, ut titulus habet, ex præcepto Caroli imperatoris emendatum; continetque epiſtolarum tantum lectiones apud Thomasium, apud Pamelium vero & Baluzium etiam evangelii lectiones. De quo debet intelligi præceptum Caroli in libro I. Capitularium, ut presbyteri lectionarium habeant bene emendatum. Breviarium autem lectionum evangel. evangelicas tantum lectiones continet. In monumentis noſtris Liturg. *Aleman.* habetur

a L. c. n. 27.

a) Editus eſt a Pamelio, *Ioſ.* Cari, ſeu Thomasio, & Baluzio T. II. Capitul. p. 1309. qui illum ex vetuſtiſſimo codice MS. eccleſiæ *Bellovacenſis* dedit multo ampliorem, quam ſint vulgo cuſa exemplaria, auctum a Theotincho presbytero, ut habet apud laudatum Baluzium titulus, qui etiam veterem lectionem retinuit, ſecus ac in codice *Bellovacenſi* corruptus eſt poſtea hic liber, & interpolatus a quodam recentiore, ut ait, quod ſolet fieri in eiusmodi libris. Nec ſatis conſtat, an aliquid, aut quantum S. Hieronymo tribuendum ſit in eo libro: cuius nomine epiſtolam edidit *Lucas* Dacherius T. XIII. Spicilegii, ad Constantium, ubi ita de iſto inſtituto habetur: *Quid brevius, quid utilius cenſui, quam ut ex tanta divinorum librorum copia, ſingulis feſtivitatibus quod aptum ex his, vel competens eſſet, excerperem, & quodammodo diſtinctiſſime collocarem? Incipiens itaque a nativitate Chriſti, quod eſt VIII. Kal.* Ianuarias, *in vigiliis ad nonam per ordinem, quem aſſidue in eccleſia didiceram, lectiones utriusque teſtamenti ſimplicibus miniſtravi.* Convenit hoc cum *bibliotheca* Durandi, & Belethi.

habetur *capitulare evangeliorum de anni circulo*, quale in vetuſtiſſimo codice *Vaticano* n. 43. notatur: in altero vero n. 44. *In nomine Domini: Incipiunt capitula lectionum evangelii anni circuli ad Miſſas.* Et iterum in alio eiusdem bibliothecæ n. 5729. *Incipiunt capitula lection. evangelicarum de anni circulo, ſecundum catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ ordinem.* Notandum vero, quod in ordine *Romano* I. n. 28. *capitulare* etiam vocetur liber, ubi lectiones aliæ, quam evangelicæ, continentur: *Dicit ſchola antiphonam ad introitum, & pontifex dat orationem, legitur lectio una, ſicut in capitulare continetur.* Ubi notat Mabillonius: *Capitulare appellant indicem epiſtolarum & evangeliorum ad Miſſas, quæ in fine librorum ſacrorum antiquitus primis ac poſtremis verbis deſignari ſolebant.* Alias paſſim diſtributæ ſunt, ac ordinatæ in codicibus lectiones, evangeliorum & epiſtolarum, in officio eccleſiaſtico per annum cantari ſolitæ. In bibliothecæ noſtræ codicibus ſæc. X. & XI. quorum alteri collectæ totius anni decurſu recitandæ adduntur, notæ muſicæ lectionibus evangelicis ſuperpoſitæ ſunt. Codices evangeliorum etiamnum pretioſis in reconditoriis alicubi ſolent præferri in proceſſionibus, ac *textus* nominantur, cuiusmodi apud nos ſæc. X. codex habetur, & apud *Rinaugienſes* 700. annorum *plenarium*, ubi adhuc ſtylus, & virgula lignea ſunt, quæ ad dirigendum lectorem quondam ſerviebant. Sic etiam ornabantur dicti codices, ut maiori pompa ſub cantu gradualis deferrentur ad ſolemnem cantum a). Ex tali codice etiamnum in monaſterio S. Dionysii evangelium a diacono ſolemniter ex ambone decantatum audivi: quod in præcipuis feſtis græce etiam fit ex laudato codice. Specimen codicis græci evangeliorum cum notis muſicis exhibet Montfauconius b). Meminit eiusdem P. le Long p. 176. bibliothecæ ſacræ, notatque, præter

a) De quorum pretioſis ornamentis videri poteſt Wilthelmius in comment. ad diptychon *Leodienſe* in appendice, quem citat auctor chronici *Gottwicenſis*, notatque ſimiles codices evangeliorum *San-Emmeranenſem*, *San-Gallenſem*, *Herbipolenſis* eccleſiæ IV. tomos evangeliorum. Quibus addi poſſunt in noſtra Germania *Corbeienſis*, *Tuitienſis*, *Prumienſis*, S. Maximini apud *Treviros*, ibidem collegialis eccleſiæ S. Simeonis, *Abdinghofenſis*, & alii. Paſſim etiam tales vidi in *Galliis*, in monaſterio *Senonenſi*, *Luxovienſi*, *Pariſiis* apud S. Martinum, S. Germanum, prope *Pariſios* apud S. Dionysium &c. ubi præeuntibus canonibus evangelicis, ſequuntur evangelia ex ordine, ad calcem index evangeliorum pro circulo anni apponi ſolet in eiusmodi codicibus.

b) Quem illuſtriſſimus abbas de Camps (lib. III. Palæogr. p. 260.) Ludovico XIV. obtulit, charactere quidem ſæculum nonum, ex eius ſententia, præferente: quod tamen ſcribendi genus in libris, ad chori, liturgiæ, & officii divini uſum deſtinatis, etiam ſæculo decimo, & undecimo uſurpatum, in plerisque *Italiæ* bibliothecis obſervavit. Iſtum autem librum ad uſum eccleſiæ deſcriptum fuiſſe, ex notis interlinearibus minio depictis, quæ ad cantum, & inflexiones vocum depingi ſolebant, deprehendit. Idemque colligitur ex præmiſſa diſtributione evangeliorum per annum. Cum variæ item lectiones prima, ut videtur, manu exaratæ uno ductu, & continuatis litteris deſcriptæ decimi ſæculi notam præferant, petendam hinc exiſtimat codicis ætatem.

præter diſtributionem evangeliorum per annum præmitti Eusebii monitum, ac canones evangelicos, ut paſſim in latinis etiam fit. Specimen exhibet *Ioſ.* Blanchinius Evangeliarii quadrupl. *Tab. V.* cum aliis antiquioribus adhuc ex codd. *Vatic.* ſæc. X. IX. & VIII. circiter, litteris quadratis, quales duo etiam reperiuntur codices in bibliotheca *Medicea Florentina*, cum notis muſicis. Huiusmodi nos infra dabimus in palæographia notarum muſicarum, ex antiquiſſimo etiam codice bibliothecæ civicæ ad S. Annam *Auguſtæ Vindelicorum*, cuius character ſimillimus eſt antiquiſſimo *Vaticano* n. 1067. vel 1522. qui item geminum prorſus habet *Ghiſianum* gr. n. 16. ut iam eſt a *Leone* Allatio annotatum a). Continet primum evangelia, prima ieiuniorum hebdomade recitanda, in pervigilio & pernoctatione fer. II. III. IV. V. VI. Et poſtea evangelium recitandum *fer. II. magnæ hebdomadis.* Item, *inter Miſſarum ſolemnia.* Sic *fer. III. & IV. mane, & inter Miſſarum ſolemnia.* Tum *in lavatione pedum lectio & evangelium. Fer. V. inter Miſſarum ſolemnia.* Officium paſſionis dominicæ: poſt indicata principia tropariorum, & verſiculos, ſequitur *lectio ex Zacharia propheta: Ex Paulo apoſtolo ad Galatas. Evangelium Matthæi.* Item poſt indicata troparia, & verſiculos, ſequitur *ſecunda lectio ex Eſaia. Ex Pauli epiſtola ad Romanos. Evangelium Marci.* Sequitur *lectio tertia*, poſt troparia, & verſiculos, *ex Eſaia. Ex epiſtola Pauli ad Hebræos. Evangelium Lucæ.* Poſt verſiculos, & troparia ſequitur *lectio quarta ex Ieremia. Ex epiſtola Pauli ad Hebræos. Evangelium Ioannis. Feria VI. evangelium in Miſſa ex Matthæo. Sabbato ſancto*

a) „Codicem eſſe antiquiſſimum & rarum, uti qui ante mille annos, ex charactere ipſo, textuque litterarum tum maiorum, tum minorum, quæ eo ipſo in tempore erant in uſu, tranſcriptus eſſe, palam videtur, & ex atramento ipſo non ſuborio, ſed ex pilis combuſtis, nondum tamen in cinerem converſis. Et quod magis eſt, codex hic cum alio evangeliorum codice *Vaticano*, qui antiquiſſimus inter alios exiſtimatur, & a nonnullis, an vere, mihi nondum compertum eſt, vulgatum aliquando fuit, eum eſſe manu S. Ioannis *Chryſoſtomi* ſcriptum. Utcunque ſit, codex *Vaticanus*, & hic *Ghiſianus* ita ſibi conſimiles ſint, ut ovum ovo, & lac lacti, & aqua aquæ non tam ſimilia ſint. Et mater ipſa ſua, ut concludam cum Plauto: quæ illos peperit, internoſſe non poſſet. Diceremque ipſe, ex eadem matre, genio aſſumentis, licet gemellos fœtus, unum tamen codicem, etſi non integrum. Erat ſiquidem diſpartitus in tria volumina: quorum alterum continebat evangelia a dominica paſchatis ad dominicam primam quadrageſimæ: alterum a dicta dominica ad dominicam palmarum: tertium a dominica palmarum ad dominicam paſchatis. Primum continet codex *Vaticanus*, tertium *Ghiſianus*, ſecundum, quod quadrageſimalia continebat, & quod iam deſideratur, aut malis hominum artibus deperditum, aut latebroſe ſeſe occultat. Utinam aliquando ſecundis ventis in lucem prodeat. “ Hæc *Leo* Allatius annotavit de *Ghiſiano* codice. In quo p. 1. recentiori manu hæc leguntur: *Ego* Leodegarius *archidiaconus Cpolitanus dono librum iſtum eccleſiæ S. Franciſci, & mitto eum per manum F.* Iacobi; *rogans & ſupplicans pro Dei miſericordia, ut me peccatorem in orationibus fratrum dignemini ſociare.* Et pag. poſtrema: *Liber iſte eſt de libraria S. Franciſci de colle paradiſi.*

ſancto mane lectio ex epiſtola prima Pauli ad Corinthios. Evangelium Matthæi. In Miſſa ex epiſtola Pauli ad Romanos lectio. Evangelium Matthæi. Duodecim evangelia, quæ leguntur inter officia eadem hebdomade de Paſſione Domini. His accenſeo omnium vetuſtiſſimum evangeliarium, (quod fuit in uſu *Maronitarum*) bibl. *Laurentianæ Florentiæ* Pl. I. c. 56. ſcriptum *Syriace* an. 586. additusque eſt recentiori manu in foliis bombycinis index lectionum evangelicarum in eccleſia *Syrorum* per anni circulum. Solent autem tria evangelia aſſignari e. g. in feſto Encæniorum *in primis veſperis Matth.* 40. *ad matutinum Ioan.* 27. *In Miſſa Marci* 22. Aliæ in corpore ſunt, & à citatis diverſæ, eiusdem cum ipſo codice antiquitatis ſectiones, quæ lectionum ordinem, & tempus deſignant, & cum illis, quæ in polyglottis exhibentur, non ſemper conveniunt. Eodem modo ſe habent evangeliaria apud *Græcos* non continuata ſerie, *ſed in certas partes, & ſectiones diviſa*, ut ait ALLATIUS, quas illi τμήματα, μέρη, περικοπὰς, ἀναγνώσεις, Latini *lectiones* vocant, ad uſum ſingulorum dierum, & feſtivitatum; non ita tamen, ut ſeriem evangelicam prorſus interrumpant: exceptis enim ſolemnitatibus, quæ peculiare ſibi poſcunt evangelium, in reliquis anni diebus ita diſpertiuntur, ut unius prius evangeliſtæ textum in *tmemata*, ſeu ſectiones, dividant, & diebus applicent, donec finiat, poſtmodum ulterius continuent, donec omnia ad exitum perduxerint. Refert ibi carmen ex codd. *Barberino* & aliis, in evangelium hoc ordine ad uſum eccleſiaſticum digeſtum, ita, a *Ioanne* ARYOLO in latinum converſum; ordiens:

Diſs. I. de lib. eccleſ. Græcorum.

Verbum ſequentium hic ſacer quaternio
Fundet perennis cœlitus fluens melos.
Movens movetque ſaxa blandiens ſono.
Fallax ſile ergo vatis OEAGRII *lyra,*
IOANNIS *ipſa verba poſſunt ſaxea*
Mollire chordis namque cordis intima.

Quæ in codice contineantur, ſic deſcribitur: *Evangeliſtarium continens evangeliſtarum continuationem, unde incipiant, & unde finiant. Præterea canones triginta quinque, in quibus ſemper invenitur dominicarum totius anni evangelium, ſimiliter matutinum, & quis tonus canitur ſingulis Dominicis, & alia neceſſaria &c.* Liber aliquis apud eosdem vocatur ἀπόστολος ex actibus apoſtorum, epiſtolis PAULI, & canonicis, nec non apocalypſi compoſitus, ut idem ait ALLATIUS; textus in plures partes eſt diviſus, & diebus ſingulis, ac feſtis accommodatus, ita, ut completo libro ea quoque omnia terminentur. Subſequitur liber alius, non multum diſſimilis, eum

Ibid.

ἀνα-

ἀναγνώσεις ſeu ἀναγνώσματα vocant, *lectiones*: quem ALLATIUS ineditum dicit. De *Ambroſiano* eiusmodi libro epiſtolarum & evangeliorum, præter ſacramentarium & antiphonarium, iam ſuperius aliqua diximus ex epiſtola *Ratisbonenſium* ad *Ambroſianum* theſaurarium, apud MABILLONIUM. *Muſ. Ital. P. II. p.* 97. *&c.*

III. Solebant lectionaria dici breviaria, quando præſertim, ut hodieque fit, alia eis etiam, quæ ad cantum pertinent, iungebantur: quale breviarium, ſeu lectionarium, cum notis muſicis ſæc. XI. habetur in bibliotheca regia *Pariſienſi*: alterius item eiusdem ſæculi breviarii pars hyemalis, ad uſum olim monaſterii S. MARTIALIS, pars itidem hyemalis eiusmodi lectionarii & antiphonarii ſæc. XII. In monaſterio *Ciſtercienſi* adhuc hodie cernitur pſalterium, a S. ROBERTO illuc allatum, cum his in fronte verbis: „ Inter alia attullit præſens pſalterium: quod per compoſitionem poſtmodum, „ auctoritate apoſtolica inter *Ciſtercienſes* & *Moliſmenſes* factam, remanſit „ apud *Ciſtercium*, ſuper quo totius religionis pſalteria transſumi & in litera, & accentu, ac punctatione debent. Sed ordo non acceptavit præ- „ cedens calendarium, nec ſequentem litaniam. " Frequens erat in eiusmodi libris a fronte calendarium: litanias vero etiam habet codex antiquiſſimus monaſterii *Gottwicenſis* ſæc. IX. ubi poſtea ſequitur titulus: *Origo prophetiæ David regis, pſalmorum numero centum L.* quæ introductio ad pſalterium eſſe videtur reverendiſſimo auctori chronici *Gottwicenſis*: poſt epiſtolas, DAMASO & S. HIERONYMO adſcriptas, verſus leguntur: *Pſalteria.* *T. I. p.* 44.

Pſallere qui docuit dulci modulamine Sanctis &c.

Conſequenter: *In Chriſto nomine incipit pſalterium de translatione LXX. interpretum emendatum a ſancto* HIERONYMO *presbytero in novo.* Congruit hoc cum eo, quod *Walafridus* STRABO dicit: „ Pſalmos autem cum ſecun- „ dum LXX. interpretes *Romani* adhuc habeant, *Galli* & *Germanorum* ali- „ qui ſecundum emendationem, quam HIERONYMUS pater de LXX. editio- „ ne compoſuit, pſalterium cantant. Quam GREGORIUS *Turonenſis* epiſco- „ pus, a partibus *Romanis* mutuatam, in *Galliarum* dicitur eccleſias trans- „ tuliſſe. " Ad idem, quo laudatum pſalterium *Gottwicenſe* ſcriptum, tempus referendum eſt pſalterium OTFRIDI *Wiſſenburgenſis* cœnobitæ Ord. S. BEN. cum paraphraſi *theotiſca* proſaica etiam in cantica veteris & novi teſtamenti, cuiusmodi opus rhythmicum in evangelia edidit. Agit de eo LAMBECIUS in commentario de bibliotheca cæſarea, ubi MSS. alia recenſet eius generis pſalteria, cum canticis etiam ac muſica eccleſiaſtica ſingulis pſalmis præfixa. Apud *Græcos* pariter pſalteria comparent, iunctaque cantica veteris & novi teſtamenti, ut pluribus exemplis apud eundem auctorem videre licet, *De rebus eccl. c.* 25. *L. II. c.* 5. *&* 8. *p.* 461. 757. 762. *&c.*

cet, ex manuſcriptis bibliothecæ cæſareæ *Vindobonenſis*, quæ abundat eiusmodi libris, ſpectantibus ad officium divinum eccleſiæ *Græcæ* & *Latinæ*, cum notis antiquis muſicis paſſim: unde præſens argumentum plurimum illuſtrari queat ex liturgia *Græca* & *Latina*, hoc præſertim medio ævo, quando floridior muſica eccleſiaſtica effecta in liturgicis libris ſimul notari ſolet. Secus cum fiat in pſalmorum modulatione, notis muſicis carent antiqui codices tam *Latini*, quam *Græci*. Hi pſalterium antiquiſſima conſuetudine in viginti *καθίσματα* ſeu *ſeſſiones* dividunt: quale Lambecius recenſet lib. III. p. 30. bibliothecæ *Vindobonenſis*, cum ſubiunctis per *καθίσματα* quibusdam lectionibus & precibus. Meminit huius diviſionis pſalterii *Theodorus* Balsamon in explicatione 17. canonis conc. *Laodic. Cum pſalmi*, inquit, *ex antiqua traditione, uno continuo filo recitarentur, & populus hanc ob rem moleſtia afficeretur, & defeſſus nullam eius curam amplius gereret, ſed eccleſia egrederetur, ſtatuerunt Patres, non eſſe pſalmos in ſacris congregationibus connexive recitandos, ſed intermedie etiam lectiones eſſe faciendas, ut populus quieſceret aliquantulum, & deinde rurſus caneret. Propterea enim & in ſeſſiones diverſas ſacrum diviſum eſt pſalterium. Gratiæ igitur ſanctis illis Patribus etiam pro hac eorum cura agendæ ſunt.* Quantum autem pſalmorum numerum unumquodque *κάθισμα* comprehendat, cum ex hoc ipſo antiquo codice MS. pſalterii videre eſt, tum ex *Ioan.* Meursii gloſſario *Græco* barbaro, ubi accuratam exhibet diviſionem, & ex eo Lambecius l. c. Zonaras, qui ſeptuaginta circiter annis ante Balsamonem claruit, in annotationibus ad eundem canonem teſtatur, ſtatutum illud Patrum concilii *Laodiceni*, per introductionem novi ordinis rerum eccleſiaſticarum, ſua iam ætate fuiſſe immutatum. *Leo* Allatius, de libris *Græcorum* eccleſ. p. 55. aliam notat diviſionem ipſorum *καθισμάτων*: „Catiſmata ſingula (inquit) in tres partes ſubdividunt, quas hymno illo *Gloria Patri &c.* terminant, aliter ac fit in eccleſia *Latina*, quæ dictum hymnum poſt omnes „pſalmos recitat.“ Preces in pſalterio illo *Vindobonenſi* præclaros ſubinde ac antiquiſſimos præferunt auctores,
a antiquiſſimos præferunt auctores, a) SS. videlicet Basilium, & eius ſororem Macrinam, Gregorium *Nazianzenum*, qui *Græcis* vocatur Theologus, Ephrem, *Ioan.* Damascenum, Auxentium, Leontium, & Niconem. Neque illud hic præterierim, Ioannem de *Monte Corvino*, a Nicolao

a) Fol. 27. Εὐχὴ ὑμερινὴ τȣ̃ ἁγίȣ Νίκωνος. Fol. 29. Εὐχὴ τȣ̃ ἁγίȣ Βασιλείȣ. Fol. 52. 53. Εὐχὴ ἡμερινὴ τȣ̃ ὁσίȣ πατρὸς ὑμῶν Αὐξεντίȣ. Fol. 95. 96. Εὐχὴ νυκτερινὴ τȣ̃ ἁγίȣ Γρηγορίȣ τȣ̃ Θεολόγȣ. Fol. 104. Εὐχὴ νυκτερινὴ τῆς ἁγίας Μακρίνης ἀδελφῆς τȣ̃ ἁγίȣ Βασιλείȣ. Fol. 152. Εὐχὴ τȣ̃ ἁγίȣ Ἰωάννȣ τȣ̃ Δαμασκηνȣ̃. Fol. 168. 169. Εὐχὴ ἡμερινὴ Λέοντος τȣ̃ Δεσπότȣ εἰς τὴν ὑπεραγίαν. Fol. 170. Εὐχὴ τȣ̃ ὁσίȣ Ἐφραίμ.

LAO III. ſæc. XIII. ad COBLAIUM imperatorem *Tartaricæ* gentis legatum, ut religionis chriſtianæ propagandæ negotium acceleraret, DAVIDIS pſalmos, unacum novi teſtamenti libris, in *Tartarorum* linguam convertiſſe, teſte MOSHEMIO in hiſt. *Tartar.* eccleſ. p. 94. & hiſt. eccl. P. I. ſæc. XIII. p. 492.

Sacramentaria, gradualia, antiphonaria, reſponſalia &c.

IV. Iam ſæpe memini, orationes, ſeu collectas, quæ initio, medio, & fine Miſſæ dici ſolent cum præfationibus ac canone, olim peculiari libro fuiſſe contentas, qui liber proprie ad ſacerdotem celebrantem ſpectabat; ſicut lectionarius ad miniſtros, diaconum & ſubdiaconum, antiphonarius ad cantores a). HONORIUS *Auguſtodunenſis* duos diſtinguit, de adventu Domini agens, qui ambo olim ad Miſſam pertinebant: *antiphonarius, & miſſalis habent quatuor officia &c.* Hinc *Miſſæ, quæ cum nota canuntur*, aut contra *Miſſa ſine nota*, librum ſacramentorum, ſeu ſacramentarium, unacum antiphonario, S. GREGORIO attribuunt auctores medii ævi: „Notandum (inquit „BERNO) ut ſicut ſanctum GREGORIUM, quicunque has vel illas cantilenas „compoſuiſſet, libri ſacramentorum & antiphonarum, ita & B. HIERONY„MUM credimus ordinatorem Lectionarii.“ Et Micrologus c. 31. „Nam „& S. HIERONYMUS in libro comitis ita ordinavit, cuius libri ordinem & S. „GREGORIUS diligentiſſime obſervavit, ſive dum lectionibus & evangeliis „miſſales orationes in ſacramentario adaptaret, ſive dum antiphonas, ex eisdem evangeliis, quam plurimis diebus in antiphonario articularet.“ Antiphonæ vel ex ſcripturis, vel ex Sanctorum Actis compoſitæ vocari ſolebant *hiſtoria*: atque ad rem eſt, quod DU CANGIUS *voc. nota* ex vitis abbatum S. ALBANI refert: *cantator compoſuit hiſtoriam, & ei notam melicam adaptavit.* Antiphonarius frequenter dicitur, qui ad officium horarum canonicarum pertinet. Ad diſtinctionem huius libri antiphonarii, eum, qui cantum Miſſæ continet, frequenter gradualem eſſe vocatum, iam notavimus, conſtatque ex laudato Micrologo c. 42. & 43. notis ad feſtum S. PAULI, & ad officium Mar-

a C. 90. p. 332.

De Miſſ. c. 1.

a) Sacramentarium, ſeu liber Sacramentorum vocabatur, quam appellationem magis probat PAMELIUS Proleg. in Tom. II. Liturg. „Sacramenta olim nuncupabantur (inquit) non modo ipſum Miſſæ ſacrificium, ſed peculiariter etiam orationes Miſſarum: quas, eoquod collecto populo celebrari ſoleant, Collectas dicimus. Hinc librum illum, quem ex *Gelaſiano* codice (uti teſtimoniis IOAN. diaconi, WALAFRIDI, ac BERNONIS Tom. I. comprobavimus) compilavit D. GREGORIUS, Sacramentorum librum inſcripſit: ita enim meo iudicio rectius MSS. exemplaria, quam alii, qui ſacramentarium vocant.“ Uſus eſt ſacramentarii nomine in libri ſui inſcriptione HONORIUS *Auguſtodunenſis* T. II. PEZ. anecd. P. I. p. 249. atque utrumque vocabulum in prooemio adhibet, & explicat: *Hunc libellum de Sacramentis collegi ex Sanctorum ſcriptis; ut quibus deeſt librorum copia, per hoc compendium illorum ſublevetur inopia. Huius nomen ſacramentarium ſcribatur, eoquod per illum omne Sacramentum divini officii ignaris aperiatur.* Ubi vides, idem nomen ad omne divini officii genus ab eo referri, quippe qui in eo opere agit non ſolum de liturgia Miſſæ, ſed etiam horarum canonicarum.

Martyrum & Confeſſorum ſummorum Pontificum & S. Apollinaris: atque ita etiam diſtingui ſolebat a graduali libro antiphonarius, & ſacramentarius. Amalarius in prologo de ordine antiphonarii, id genus tria volumina ſe inveniſſe teſtatur de nocturnali officio, & quartum, quod ſolummodo continebat diurnale. Paſſim in antiquis eiusmodi MSS. ita diſtincta reperi volumina, pro rerum copia in nocturnali officio. Antiphonariorum duo exempla idem Amalarius ibidem diſtinguit, *Metenſe* ſeu *Corbeienſe Gallicum*, alterum *Romanum*, quod dicit ab Adriano P. ordinatum *Metenſi* poſterius; ita ut utrumque fuerit *Romanæ* eccleſiæ, etſi tempore diverſo editum, ut iam Thomasius obſervavit paſſim in ſcholiis ad antiphon. antiq. notatque, *Vaticanum* ad illud propius accedere, quod *Romanum* appellat Amalarius, *San-Gallenſe* vero ad *Metenſe*. *Vaticanum* antiphonarium cum notis muſicis recenſet diarium *Venetum* erud. It. T. XIX. p. 7. Antiphonarium *Compendienſe* S. Cornelii, quo in nova editione operum S. Gregorii uſi ſunt PP. *San-Maurenſes*, mire depictum, & litteris purpureis ac aureis regia munificentia ornatum, multa habet notis muſicis ſuperſcriptis ad cantum comparata, Miſſæ ſcilicet. Scriptura convenit ſæculo nono. Paſſim ab eo uſque ſæculo reperimus plerumque cum ipſis ſacramentariis ſcripta, appoſitis notis muſicis perpetuis, eiusmodi antiphonaria ſeu gradalia, diſtincta ab illis antiphonariis, quæ alias reſponſalia etiam vocabantur, uti etiam editores S. Gregorii indigitant. Alia adhuc nomina, & eorum diſcrimen apud *Romanos* notat Amalarius in prologo de ordine antiphonarii: „ Notandum eſt (inquit) volumen, quod nos vocamus antiphonarium, tria habere nomina apud *Romanos*. Quod dicimus gradale, illi „ vocant cantatorium: qui adhuc iuxta morem antiquum apud illos, in aliquibus eccleſiis, in uno volumine, continentur. Sequentem partem di„ vidunt in duobus nominibus: pars, quæ continet reſponſorios, vocatur „ reſponſoriale, & pars, quæ continet antiphonas, vocatur antiphonarius.“ Obiter hic nota, apud P. Zieglbaur in bibliotheca *Andaginenſi* S. Huberti *cantatorium* vocari eius monaſterii hiſtoriam, circa annum 1108. accurate conſcriptam. Cantatorium, ſeu cantarium quod ſpectat *Romanum*, de eo in vita Notkeri *Balbuli*, apud Bollandum, ſingularis eſt locus. „ Erat *Romæ* inſtrumentum quoddam & theca, ad repoſituram antiphona„ rii authentici, & publicam omnibus adventantibus inſpectionem, quod a „ cantu dicebatur cantarium. Tale itaque ipſe (*Romanus* apud *S. Gallenſes*) „ apud nos, ad inſtar illius, circa aram apoſtolorum cum authentico, quem „ ipſe attulit, exemplato antiphonario locari fecit, in quo uſque hodie, ſi „ quid diſſentitur in cantu, quaſi in ſpeculo, error eiusmodi univerſus per„ videtur, atque corrigitur.“ In ſacramentario ex bibliotheca cubiculi deſcribendo,

T. IV. Bibl. PP. p. 1033. D.

Hiſt. rei litt. O. S. B. P. I. p. 482.

ſcribendo , licet magna adhiberetur religio, variæ tamen mutationes, addi-
tionesque fuerunt factæ, etiam *ſcriptorum vitio depravante* , ut habetur in
præfatione Sacramentorum libri ſecundi GRIMOLDI abbatis apud PAMELIUM, *T. II. Liturg.*
atque in antiquiſſimo MS. *Auguſtodunenſi*, *Ottoboniano* apud MURATORIUM *p.* 388.
in lit. *Rom.* *Monacenſi* in noſtra Lit. *Alem.* ubi ſacramentarium *Gregor.* diſtin-
guitur , præfatione interpoſita a). Mutationes in libro Sacramentorum factæ a
neceſſario easdem in antiphonarium inferebant, ut videre eſt apud *Ioſ.* CARI,
in editione antiq. libr. Miſſarum *Rom.* eccleſiæ, cui copia plurium MSS. ſuppe-
tebat etiam ex monaſterio S. GALLI, ubi vidimus, maiore religione aſſervatum
antiphonarium. Apud *Ioſephum* CARI , ſeu Ven. THOMASIUM charactere
minore exprimuntur, quæ poſt octavum plane ſæculum addita exiſtimantur.
Nec pauca inde colliguntur antiquioris etiam S. GREGORIO *Gelaſiani* b) ritus, b
ope antiphonarii angelicæ bibliothecæ , quod *Romæ* luſtravi , atque in ſuo
itinere *Italico* laudat MABILLONIUS , qui in muſæo *Italico* plura huius cenſus *p.* 91.
edidit , in variis antiquiſſimis ordinibus *Romanis* , quibus ritus in officio
divino explicantur antiquiores etiam S. GREGORIO, primo ſaltem ordine, qui
ex mente MABILLONII antiquior eſt, cum contra ONUPHRIUS ſecundum
vetuſtiorem cenſuerit, atque *Gelaſianum* eſſe iudicaverit. Hunc etiam pri-
mo loco CASSANDER & HITTORPIUS ediderunt, auctum vero ſecundo loco
MABILLONIUS & MURATORIUS. Ex his aliisque paſſim illuſtravimus præ-
ſens de cantu , & muſica eccleſiaſtica, argumentum. Multa quoad rem
præſentem obſervare licet ex iis , quæ lib. VIII. chron. abbatiæ S. TRUDO-

NIS

a) „Quia (inquit auctor illius præfationis) ſunt & alia quædam , quibus neceſſario ſancta utitur eccleſia , quæ idem pater, ab aliis iam edita eſſe inſpiciens, prætermiſit ; idcirco operæ pretium duximus , ea velut flores pratorum vernantes carpere, & in unum congerere , atque correcta & emendata , ſuisque capitulis prænotata , in huius corpore codicis ſeorſim ponere, ut in hoc opere cuncta inveniret lectoris induſtria , quæcunque noſtris temporibus neceſſaria eſſe perſpeximus , quamquam plura etiam in aliis Sacramentorum libellis inveniſſemus inſerta. Hac vero diſcretionis gratia præfatiunculam in medio collocavimus , ut alterius finis, alterius quoque exordium eſſet libelli ; ita videlicet , ut hinc inde formaliter eisdem poſitis libellis noverit quisque, quæ a B. GREGORIO, quæve ſint ab aliis edita Patribus , & quoniam excludendos tantarum quæſitores , diverſarumque inſtitutionum ſanctarum , nequaquam dignum vel paſſibile eſſe cenſuimus , ſaltim eorum omnium condignis deſideriis in evidenti huius operis copia ſatisfaceremus.“

b) Quoad antiphonarium *Gregorianum* id adhuc notandum , *Modoetæ* in ſacrario baſilicæ S. IOANNIS *Baptiſtæ* , a THEODELINDA *Longobardorum* regina fundatæ, inter eiusdem reginæ donaria, ſervari codicem ex membranis purpureis , quadratis litteris aureis exaratum, cum operculis ex ebore , quæ ex una parte præferunt effigiem DAVIDIS regis , ex alia S. GREGORII , cum hoc diſticho :

GREGORIUS *præſul, meritis & nomine dignus,*
Quo genus hunc duxit, ſummum conſcendit honorem.

Attamen vel hinc colligitur, falſum eſſe PAPEBROCHIUM, dum putat (T. VII. *Maii Paralip.* p. 54) hunc codicem non ſolum iudicari poſſe, vivente etiamnum S. GREGORIO *Romæ* ſcriptum , ſed etiam ab eodem dono miſſum reginæ. Perluſtranti illud *Modoetæ* nullum veſtigium notarum muſicarum occurrit.

T. II. Spicil. fol. 687. NIS apud DACHERIUM narratur de graduali, quod RADULPHUS ſæc. XII. *propria manu formavit, purgavit, punxit, ſulcavit, ſcripſit, illuminavit, muſiceque notavit ſillabatim, atque pueri & iuvenes magiſterium eius & libri exemplar ſequentes, non ſolum artem illam cæperunt addiſcere, verum emendatius & accuratius libros ſuos poſt illum notare.* Quod vero *ſulcaſſe* dicitur, de lineis a GUIDONE inventis intelligi poteſt; paulo ante enim memoratum fuerat: *Inſtruxit etiam eos arte muſica ſecundum* GUIDONEM, *& primus illam in clauſtrum noſtrum introduxit; ſtupentibusque ſenioribus faciebat illos ſolo viſu ſubito cantare, tacita arte magiſtra, quod nunquam auditu didicerant* a). Uti vero graduale uſu reſpondet ſacramentario ſeu miſſali, ita antiphonarium ſeu reſponſale breviario ſequiori tandem ævo. Quod nomen proprio ſuo ſignificatu adhibetur in brevi divinorum officiorum deſignatione, quæ in codd. antiquiſſimis legitur „ qualiter in cœnobiis fide- „ liter Domino ſervientes, tam iuxta auctoritatem catholicæ atque apoſto- „ licæ *Romanæ* eccleſiæ, quam iuxta diſpoſitionem regulæ ſancti BENEDI- „ CTI, Miſſarum ſolemniis, vel natalitiæ Sanctorum, ſive officiis divinis „ anni circuli die noctuque, auxiliante Domino, debeant celebrari, ſicut „ in

a) En locum integrum: „ Ipſe autem nocte & die aſſiduus erat in omnibus horis in choro, & de pſalmis tractim cantandis, & cantu dulce æque modulando indefeſſa illi ſollicitudo. Sed cum neſciret ſecundum uſum clauſtri cantare (uſus enim cantandi, neſcimus unde hoc acciderit, nulli comprovincialium noſtrorum convenit) erubeſceretque vehementiſſime, quaſi ſtipem inutilem inter cantandum in choro ſtare: miro quidem, & indicibili labore, & graviſſima capitis ſui infirmitate graduale unum propria manu formavit, purgavit, punxit, ſulcavit, ſcripſit, illuminavit, muſiceque notavit ſyllabatim, ut ita dicam, totum uſum prius à ſenioribus ſecundum antiqua eorum gradualia diſcutiens. Sed cum uſus eorum per quam plurima loca, propter vitioſam abuſionem & corruptionem cantus, nullo modo ad certam regulam poſſet trahere, & ſecundum artem non poſſet cantare, niſi quod regulari & variſona conſtaret ratione, ipſe autem ab uſu eccleſiæ non facile vellet diſſonare, miro, ut dixi, indicibilique labore in hoc tantum ſe fruſtra afflixit, quod ex toto uſum mendacem regulà vera tenere non potuit; ſed in hoc profecit, quod quidquid alicubi in monochordo cantare potuit de uſu eccleſiæ, non prætermiſit ſe præterire. Multa tamen propter negligentiorem ſuam perficiendi operis velocitatem, quæ per graviores litteras notari debuerant, per acutas, ſive per ſuperacutas notavit, & quæ per acutas ſive per ſuperacutas, per graviores, quod incorrectum reliquit, alia ſollicitudine intercurrente. Conſummavit autem uno anno opus illud, propria, ut dixi, manu de omnibus parvis & magnis, quæ pertinere videntur ad graduale, cum antiphonis rogationum, & benedictione cerei in paſcha. Statimque pueri & iuvenes magiſterium eius & libri exemplar ſequentes, non ſolum artem illam cœperunt addiſcere, verum emendatius & accuratius libros ſuos poſt illum notare. Quod poſtquam vidit, petebat, ut ſuus tolleretur de medio, ne propter eius emendationem, & feſtinantis manus incuratam ſcripturam & notam, eſſet ei impoſterum confuſio. Sed pueri & iuvenes, qui ex illo introducti fuerant, magiſtri amore monimentum illius leviter deperire non ſinebant. Scripſit igitur in poſteriore parte voluminis inter duas aſellas ita: *Graduale non tam regulare, quam uſuale, poſtremo neque uſuale, neque regulare,* ut oſtenderet, quia licet ita notaſſet, non tamen ignoraret, quid erroris haberet, cum regulam propter uſum, & uſum propter regulam tenere ibi non poſſet, & cum propter feſtinationem interdum de regula præteriſſet, ubi eam tenere attentus potuiſſet “

„ in ſancta ac *Romana* eccleſia a ſapientibus ac venerabilibus Patribus traditum „ fuit. „ Eſtque a MARTENIO T. V. Anecdotorum, & a MURATORIO T. II. liturgiæ *Romanæ*, a nobis etiam inter monumenta lit. *Alem.* ex MS. *San-Blaſ.* edendum, ſicque finit: *Explicit Breviarium eccleſiæ ordinis Rominſæ &c.*. Sed qualis deinceps invaluit huius nominis uſus, eius originem eſſe putat RADULPHUS *Tungrenſis* a breviariis ſeu abbreviationibus officii divini, in eccleſia *Lateranenſi* per fratres minores ſequiori demum ævo factis. Locum RADULPHI ſupra deſcripſimus, de variis mutationibus in officio canonico ritus ac ordinis *Romani* agentes. Frequentius olim quam hodie ſolebant eiusmodi breviaria notis muſicis inſtrui, uti etiam miſſalia. Huc ſpectat, quod apud CARPENTIER in ſupplem. h. v. ex charta an. 1353. notatur: *Cum quodam calice, uno miſſali, ac breviariis notatis &c.* Eodemque ſenſu Breve ibi nominatur: *unum miſſale, duo gradualia, tria pſalteria. unum breve.*

V. Nomenclatura poſterioris ævi utitur *Garſias* LOAISA, quando dicit, In concilio *Toletano* IV. hoc munus S. ISIDORO *Hiſpalenſi* traditum eſſe, „ ut miſſale & breviarium (quæ ſunt *Garſiæ* LOAISÆ verba,) „ reformatum „ ex more *Gothico*, omnibus eccleſiis utendum conficeret, quod nunc dici- „ tur *Mozarabe*; eoquod hanc ſacrorum formam poſtea Chriſtiani inter „ *Arabes* in captivitate miſerabili preſſi, religioſe ſervaverint: ipſi *Mixtara-* „ *bi*, officium eccleſiaſticum *Mixtarabum* appellatum. " Teſte vero ipſo ISIDORO, S. LEANDER in toto pſalterio duplici editione orationes conſcripſit. Sic, ut B. ILDEPHONSUS refert de CONANTIO epiſcopo *Polentino*, *orationum libellum de omnium decenter ſcripſit proprietate pſalmorum.* Orationes & antiphonæ reſpondent ſibi mutuo ac pſalmi, ut obſervavit V. THOMASIUS præf. in pſalterium cum canticis &c. „ Quia (inquit) hæ tantum nunc „ extant eo in breviario (*Mozarabico*) orationes ex pſalmis, quæ antiphonis „ ibidem poſitis reſpondeant: quare ubi nulla in illo occurrit antiphona ex „ aliquo pſalmo decerpta, ex eodem confecta oratio locum habere non pot- „ eſt. Cum contra unus quandoque pſalmus complures habeat orationes; quia „ pluries in diverſis officiis ex eo antiphona cantatur: " Eſt hoc ad normam officii antiquiſſimi *Gallicani* pariter ac *Gothico-Hiſpani*, qualis in antiquiſſimo codice *Veronenſi* habetur, cuius illuſtriſſimus MAFFEIUS inter opuſc. eccleſ. ſpecimen adducit, atque ex ipſo ſcripturæ genere colligit, antiquius eſſe *Saracenorum* in *Hiſpanias* invaſione ineunte ſæculo octavo facta, quod adeo immerito vocetur breviarium *Mozarabicum.* Rem adhuc luculentius diſtinguit *Caj.* CENNI T I. de antiquitate eccleſiæ *Hiſpanæ* p. 29. ubi codici *Veronenſi* alterum iungit fragmentum codicis antiquiſſimi a FRANC. de *Piſa* an. 1593. præter ter-

Ritu Mozarabico.

Not. in conc. IV. Tolet.

Tab. IV. n. 18.

tium codicem, quem adhibuerunt editores breviarii *Mozarabici.* „ Primum „ nempe (inquit) & alterum præiviſſe *Mauricam* invaſionem, eaque propter „ ad ſeptimum ſeculum pertinere, quum eccleſia *Hiſpana* florentiſſima erat, omni „ procul dubio affirmabimus; tertium vero non eſſe antiquius decimo eccleſiæ „ ſæculo, apertum erit. Ex primo antiquiori aliis, & ex altero hymnos certos in „ laudem Dei, apoſtolorum & martyrum decantari conſueviſſe, argumentis „ valde apertis coniicitur; tertium vero hymnis etiam Confeſſorum maxime „ abundans, infelicitate metri, atque ſtyli barbarie, nedum ſerie rerum „ clam nemini eſſe patitur longo ſe intervallo proximum eſſe feliciſſimo illi „ ævo *Mauricam* invaſionem præeunti, quo de agendum mihi erit. Porro „ hoc tertium breviarii exemplum ex prioribus coaluiſſe, conſtat liquido, „ ut mox oſtendam. Hinc autem non ex veteribus illis *Alphonſus* Ortizius, „ treſque eius collegæ iuſſu Ximenii Cardinalis evulgarunt breviarium, quod „ apud imperitos *Iſidorianum* audit, novis factis acceſſionibus, iuxta eum ri- „ tum, quem invenerunt." Qui plura deſiderat, videre poteſt *Ioſ.* Thomasii opus de liturgia & pſalmodia *Hiſpanica.* Unde patet, pſalmis & antiphonis frequentes hymnos miſceri & orationes.

In officio Ambroſiano.

VI. Ad *Ambroſianum* officium quinam medio hæc ævo potiſſimum libri liturgici inſervierint, diſcere potes ex epiſtolis Domini Pauli ſacerdotis, & Gebehardi religioſorum virorum ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ *Ratisbonenſis* ad presbyterum Martinum, theſaurorum ſancti Ambrosii cuſtodem datis pro officio *Ambroſiano*, ubi transſcribi rogant *Sacramentarium* ſancti Ambrosii cum antiphonario eius. In MS. reg. *Pariſienſi*, ubi cum collectis ea ſimul continentur, quæ ad cantum ſpectant, hanc inſcriptionem notavi: „ In nomine S. & ind. Tr. amen, incipit liber Miſſarum totius anni ſecundum mo- „ rem *Ambroſianæ* eccleſiæ. In vigilia ſancti Martini epiſc. ad Miſſam in- „ greſſa *Vir iſte cuſtodit*, ℞. In communi. Oratio ſuper populum *Omnipo-* „ *tens &c.* Epiſtola ad Thimotheum Ka. *Gratias ago Deo* ℞. de communi. „ canticum *Levavi oculos meos ad montes &c.* Evangelium ſecundum Mat- „ thæum *Vigilate &c.* Oratio ſuper ſindonem *Da quæſumus.* Oratio ſuper „ oblata *Suſcipe quæſumus.* Præfatio *Æterne Deus*, *qui ut infidelitatis tene-* „ *bras &c.* Confract. *Qui me confeſſus fuit.* Tranſitor. *Fidelis ſervus &* „ *prudens.* Et omnia require in communi. Oratio ſuper communionem „ *Deus qui nos &c.* In feſto ad Miſſam ingreſſa &c." Vides hic totum Miſſæ ordinem, orationes, lectiones cum cantu, quæ plerumque de communi citantur: e. g. „ Eadem die baptiſmi Sčti Ambrosii, cantus de uno Con- „ feſſore. In S. Nicolai epiſcopi cantus, epiſtola, & evangelium requi- „ ratur de uno confeſſore." Quæ præter cantum ſunt, *oratio ſuper popu-*

Muſ. Ital. P. II. p. 95.

lum, *ſuper ſyndonem*, *ſuper oblata*, *præfatio*, *poſtcommunio*, appellant *Ra-*
tisbonenſes mox citati veteri more *Sacramentarium cum ſolis orationibus*, *&*
præfationibus Ambroſianis, ut aiunt epiſtola tertia, ubi præterea notant ſingu- *p.* 97.
larem ritum eccleſiæ *Ambroſianæ* etiam apud ſe *Ratisbonæ* in Germania tunc
frequentatum de geſtis Sanctorum in Miſſa legendis. *Nam geſtis Sanctorum*,
quæ Miſſarum celebrationibus apud vos interponi ſolent, *non indigemus*, *quoniam*
his abundamus. De aliis vero lectionibus ad Miſſam petunt epiſtola I. *ut nobis*
initia & fines veſtræ eccleſiæ ad Miſſas legendarum in breviario comprehendas.
Id eſt, in compendio, initia tantum, non per expanſum. Patet autem ex
epiſtola tertia, obſcurum fuiſſe Sacramentarii nomen MARTINO theſaurario,
unde ſic inſcribitur epiſtola III. *Pro dubitatione Sacramentarii.* Et in ipſa
epiſtola res explicatur: *Quod autem ambiguitatem removeri poſtulas ab ap-*
pellatione ſacramentarii; *nos nullum appellamus ſacramentarium*, *niſi librum*
miſſalium orationum absque lectionibus evangelicis, *apoſtolicis & propheticis*,
quarum fines & principia ſecundum Ambroſianam exceptionem petentibus nobis
annotare pollicitus es. *Nam illum titulum*, *quem tu ita ponis*, incipit liber
Sacramentorum, *nos non habemus*, *ſed & ſex Ambroſianos libros de Sacra-*
mentis lectitare ſolemus. *Verum quod interrogas*, *utrum antiphonarium cum*
notulis, *vel ſine notulis habere velimus*; *nihil Ambroſianæ integritatis deeſſe*
nobis volumus. Et ſequenti epiſtola: *Nobis quoque*, *ſicut ſæpius poſtulatum*
& laudatum eſt, *duplicem Ambroſianæ auctoritatis antiphonarium*, *diur-*
num videlicet ac nocturnum, *ſine mora transmittere comparandum a præſen-*
tium latore, *exceptis orationibus*, *quas iam miſiſti*, *& hymnis*, *quorum non*
minor copia nobis eſt, *quam tibi &c*. De cantu ad Miſſam nihil peculiari-
ter petunt, quod is aut libro miſſalium, aut antiphonario contineretur.
Cuiusmodi unum ex antiquioribus codicibus *antiphonarium de univerſis feſti-*
vitatibus anni circuli Mediolanenſis eccleſiæ aſſervari in bibliotheca *Ambroſia-*
na, teſtis nobis eſt laudatus MABILLONIUS, quod incipit a feſto S. MARTINI, *p.* 107.
cuius officium tam ad Miſſam, quam ad reliquas horas, in eo codice con-
tinetur. Subſequuntur in eodem officia de Sanctis, & de tempore. In hi-
ſtoria iam laudata, dum ſub HADRIANO I. *omnes libros Ambroſiano titulo*
ſigillatos ad abolendum eius officium inquireret ſynodus, ut narrat LAN-
DULPHUS apud memoratum MABILLONIUM, dumque poſtea *Ambroſiani* ri-
tus libros recolligeret S. EUGENIUS, nihil præter miſſale recuperare potuiſſe
dicit, quod pius quidam ſacerdos furtim ſubduxerat. Manuale autem poſt-
ea, curante EUGENIO, nonnulli ſacerdotum & clericorum, qui multa me-
moriter retinebant, Deo opitulante reſtituerunt. Debuit (ſi vera eſt hi-
ſtoria) fuiſſe libellus ad frequentem & quotidianum uſum, unde memoriter
retinerent ſacerdotes illi, ut ex integro reſtitui potuerit.

In Anglia, Hybernia, Germania. p. 96.

VII. Patet ex altera epiſtola laudatorum *Ratisbonenſium* Pauli & Gebehardi, Martinum theſaurarium *Mediolanenſem* pro officio *Ambroſiano* admiratum fuiſſe, *Cur nos*, aiunt, *qui habemus ordinem Romanum, ſimul habere geſtiamus Ambroſianum.* Et ſane inſolitum erat in *Germania*, a primis rudimentis fidei chriſtianæ innutrita ritibus *Romanis*, ſive ex ipſa *Roma*, ſive ex *Anglia* & *Hybernia*, unde cum inſtituto monaſtico fidei etiam potiſſimum lumen inclaruit in *Germania.* Illic autem in *Angliam* ſub S. Gregorio ab Augustino, & ſociis *Romanis* monachis, ut iam diximus, *Romani* ut plurimum ritus unacum libris ad ſacra peragenda fuerunt inducti, quos ſecum portare ſolebant apoſtoli eiusmodi. Aſſervantur adhuc hodie codices evangeliorum S. Bonifacii *Moguntiæ*, S. Kiliani ac ſociorum *Herbipoli*, de quo vetus traditio eſt, uſum eo fuiſſe, dum ſacra perageret: in cuius etiam rei memoriam ſingulis annis in eius feſtivitate, dum divina celebrantur, in altari maiori ſummæ ædis exponitur. Indicat huiusmodi codices etiam Hikesius in præfat. ad theſaurum linguarum ſeptentr. celebres imprimis *Ruſworthianum* & *Ottonianum*, cum verſionibus interlinearibus *Dano-Saxonicis*, nosque paulo ante illum Otfridi mona-

p. 24.

chi laudavimus, unacum pſalterio & paraphraſi theotiſca, atque aliis eiusmodi libris ad divinum officium ſpectantibus, qui ſollicite conſcribi, & auro, argento, ac gemmis ornari conſueverunt, uti Ratbertus mon. de caſibus S. Galli memorat apud Goldastum de Hartmanno abbate, quos codices ille ad communem monaſterii utilitatem *patravit: lectiones evangelii,*

T. I. Rer. Alem. c. 11.

quem librum auro & argento, ac lapidibus pretioſis ornavit: lectionarium elephanto & auro paratum. De cura eorundem monachorum *S. Galli* iam diximus in aſſervando antiphonario S. Gregorii ſeu cantario, ut ſi forte aliqua in cantu dubietas eſſet, ad eum recurreretur, omnique novitati iretur obviam. Ad hunc cenſum ipſi etiam lectionarii pertinent: cuiusmodi antiquiſſimus eſt *Bremenſis*, cum perpetuo ſuperſcriptis notis muſicis antiquioris ævi, nempe ſæculi octavi & noni, antequam ſæculo XI. a Guidone *Aretino* mutatio ad faciliorem cantum eſſet introducta: tales notæ ſunt

Struv. Intr. ad not. rei litter. c. IV. p. 166.

in ſacramentario noſtro ſæc. IX. vel X. ad præfationes, in præcipuis tantum feſtis. Eſt hoc ipſum ſacramentarium S. Gregorii, ex authentico bibliothecæ cubiculi deſcriptum, ut in fronte habet, pariter ac *Petershuſanum* in medio voluminis, in membrana purpurei coloris, litteris maioribus, & aureis: *In nomine Domini incipit liber Sacramentorum de circulo anni, expoſitus a S.* Gregorio *papa, ex authentico libro biblioth. cubiculi ſcriptus, qualiter Miſſa Romæ celebratur. Hoc eſt Introitus &c.* pertinetque ad antiphonarium, ſeu gradale. Qualia cum notis muſicis paſſim in codd. *Ale-*

mannicis

mannicis a ſæc. IX. reperimus. In codice autem *Rinaugienſi* antiquiſſimo notantur, quæ ad Miſſam cantari ſolebant, cum hoc titulo: „ Incipiunt „ dominicales anni circuli, Dominica V. ante Natalem Domini. Antiphona „ *Dixit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis*, *& non afflictionis &c.* Pſal- „ mus: *Deus venerunt.* Reſp. *Timebunt gentes nomen tuum.* Verſ. *Quam ele-* „ *vata eſt magnificentia. Allel. memento noſtri Domine.* Offertorium. *De pro-* „ *fundis clamavi.* Offert. *Audi Iſrael.* Ad Communionem. *Amen dico vo-* „ *bis: quidquid orantes petitis.*" Varietates plures non ſolum in antiphonario, ſed etiam ſacramentario occurrunt. Quod operæ pretium eſt ex inſtituto diſquirere, ut, poſtquam *Romanæ*, *Gallicæ*, *Hiſpaniæ*que res liturgicæ ſunt a viris doctiſſimis illuſtratæ, id pro modulo meo, ſubſidiisque ad hoc ſuppetentibus, in noſtra quoque præſtetur *Alemannia.* Ut enim taceam ordines operis Dei, ſeu rituales libros, ſecundum quos officium divinum celebrari præſcriptum, quales peculiares in ſingulis fere alicuius nominis eccleſiis & monaſteriis reperiuntur inter vetera monumenta, Berno *Augienſis* in libello *de quibusdam rebus ad Miſſam ſpectantibus* teſtis nobis eſt, ut in *Hiſpaniis*, ac *Galliis*, ita etiam in *Alemannia* diverſum fuiſſe ritum a). a
Demum ex eodem Bernone *De varia pſalmorum atque cantuum modulatione*, ut primum ex MS. edimus, obſerva, eum veſtigiis Agobardi *Lugdun.* quod mox videbimus, inſiſtentem, nihil in eccleſiaſtico cantu, niſi ex ſcripturæ auctoritate, admiſiſſe b). Deinde ad officia horarum canonica- b
rum progrediens, eadem etiam, quæ Agobardus de correctione antiphonarii, vituperat.

In Galliis.

VIII. Debemus ſtudio ac indefeſſæ diligentiæ Mabillonii pleroſque ad officium antiquum *Gallicanum* ſpectantes libros liturgicos, qui poſt Thoma-

SIUM

a) „ Poteſt aliquis dicere (inquit c. 2.) tunc temporis (ſæculo VII.) *Gallos*, & *Hiſpanos* in Miſſarum ſuarum celebritate nondum habuiſſe uſum ſanctæ *Rom.* eccleſiæ. Quod & nos non negamus. Teſtatur hoc abbas Hilduinus, vir in divina lege apprime eruditus, in ea epiſtola, quam ad Ludovicum imperatorem direxit, pro paſſione ſanctorum martyrum Dionysii & ſociorum eius. Ubi inter alia, quæ ſuæ narrationi videbantur congrua, hæc adiecit: cui adſtipulari videntur antiquiſſimi, & nimia vetuſtate pene conſumti miſſales libri, continentes Miſſæ ordinem more *Gallico*, qui ab initio receptæ fidei uſus in hac occidentali plaga eſt habitus, uſquequo tenorem, quo nunc utitur, *Romanum* ſuſcepit. In noſtri quoque monaſterii archivo habetur miſſalis longe aliter ordinatus, quam *Romanæ* eccleſiæ ſe habeat uſus."

b) „ Nunc igitur (inquit) libet animo, notare quosdam cantus, qui in ſancta eccleſia absque ſacræ ſcripturæ auctoritate videntur compoſiti, vel humano uſu iuxta libitus carnalium extraordinarie compilati, non attendentes, qui talia concinebant, quod Dominus præcipiendo per prophetam clamat: *Pſallite ſapienter &c.*" Res autem ei fuit primum de eo „ quid in antiphonis, reſponſoriis, gradalibus, offerendis, communionibus modulando pſallamus, quid „ in eccleſiis diſtinctim proferendo dicamus."

SIUM miſſale *Gothicum*, *Francorum*, & *Gallicanum* vetus edidit, præterea ſacramentarium *Gallicanum* in muſæi *Italici* tomo primo, ac lectionarium *Gallicanum* in opere peculiari de liturgia *Gallicana*: ubi præmiſſis libro primo iis, quæ ad liturgiam *Gallicanam* univerſim ſpectant, libro II. cum notis & obſervationibus primum lectionarium, deinde libro III. tria a THOMASIO edita iterum recudi fecit miſſalia, erudita de curſu veteri *Gallicano* opus claudens diſquiſitione. Quo etiam referri debet antiquiſſimum pſalterium *Gallicanum* in codice MS. reginæ *Sueciæ*, nunc biblioth. *Vatic.* ſub n. 9. quod ad initium ſæculi V. referunt auctores novi operis diplomatici ex congr. S. MAURI: aliud item græco-latinum bibl. S. GERMANI *de Pratis*, ſi tamen ad ſacrum uſum pertinuit, quod minimum ſæculi VI. iidem exiſtimant. Cum, quæ ſerius adhuc ſcripta ſuperſunt liturgica, ad ordinem *Romanum* exacta ſint: cuiusmodi eſt ſacramentarium ad finem ſæc. VIII. *Remenſe* ſcriptum a LAMBERTO, *Gellonenſe* item, quod modo eſt bibliothecæ S. GERMANI *de Pratis*, quemadmodum etiam celeberrimum *Corbeienſe* S. ELIGII, notis muſicis inſtructum, pariter ac illud ſæculi IX. S. DIONYSII prope *Pariſios*. In cod. *Theodericenſi* ſæc. VIII. deſinentis, ut notavit MENARDUS præfat. in ſacramentarium S. GREGORII, quod in aliis non paucis obſervavi, ad marginem deſignantur, quæ ſingulis in Miſſis cani debeant, ut in antiphonario præſcribitur: e. g. pro prima natalis Domini Miſſa aſſignatur antiph. *Dominus dixit ad me.* Pſalm. *Quare fremuerunt &c.* In alio *S. Germanenſi* ſæculi X. iam ſimul etiam antiphonarium, ſeu ea, quæ pertinent ad cantum Miſſæ, innectuntur. Quod vero pertineat ad veterem ritum *Gallicanum*, hactenus nullum comparuit antiphonarium, ſeu gradale. Cuiusmodi *Turonenſe* recenſetur inter libros, quos medio ſæculo octavo WIDO abbas *Fontanellenſi* monaſterio largitus eſt, ut habetur apud MABILLONIUM: cum primum PAULUS P. qui cathedram S. PETRI conſcendit an. 752. PIPINO in *Gallias* direxiſſe ſe ſcribat antiphonale & reſponſale: illud nimirum ad cantum Miſſæ, hoc ad cantum horarum canonicarum: quamvis non ſtatim univerſas *Gallias* pervaſerit, aut ſaltem cantus iterum depravatus ſit uſque ad tempora CAROLI M. qui ADRIANO duos induſtrios clericos reliquiſſe a IOANNE diacono perhibetur, quibus tandem ſatis eleganter inſtructis, *Metenſem* metropolim ad ſuavitatem modulationis priſtinæ revocavit, & ſic totam *Galliam* ſuam correxit. An purum putum antiphonarium *Rom. Metis* primum adoptatum in *Galliis* obtinuerit, non conſtat; certe diu ita non perſtitit, pluresque diverſitates obſervantur apud *Ioſ.* CARI in collat. antiph. MS. plus 800. annorum eccleſiæ *Carnutenſis* cum antiphonario, quod editum eſt in liturgicis PAMELII. AMALARIUM *Metenſem* inceſſit AGOBARDUS, quod etiam

T. III. ſect. IV. c. 2. a. 3. p. 91. Ib. p. 249.

n. 163.

n. 169.

De curſ. Gall. §. V. n. 54. Ep. 25. cod. Carolini.

Vita S. Greg. M. L. II. c. 9.

Ant. lib. Miſſ. Rom. eccl. p. 267.

etiam in *Romano* quædam atro notarit carbone: *Non eſt veritus, in ipſa Romana eccleſia quædam in ſacris officiis & miniſteriis reprehenſibilia, etiam ſub anathematis damnatione reſecare, ſicut eius decreta palam oſtendunt*, ut loquitur Agobardus in libello de divina pſalmodia, qui prologi inſtar galeati haberi poteſt ad ſequentem de correctione antiphonarii librum, cum *T. XIV. bibl. PP. p. 321.*
eccleſia *Lugdunenſis* peteretur, quaſi a *Germano* cantandi ritu deviaret a). Id a
autem volebat eccleſia *Lugdunenſis*, quemadmodum paulo poſt idem dicit, *ut, ſi vere absque oſtendiculo vel hæſitatione divinas laudes cupimus celebrare, totos nos divinis ſermonibus, in quibus nullus eſt error, nulla ambiguitas, coaptemus.* Et ibidem: *ſicut in diebus ad Miſſas nonniſi divina generaliter eloquia decantantur, ita & in noctibus ad ſacras Deo vigilias exhibendas eadem procul dubio lex debeat obſervari.* Poſtea libros liturgicos diſtinguit p.
324 b). Agobardus itaque antiphonarium correxit, & *de correctione an-* b
tiphonarii rationes reddit contra varias depravationes & corruptelas, quas,
pro concepta ſententia, omnia ex divinis ſcripturis eſſe repetenda, notat c). c
Adhuc in monaſterio *Talorienſi* antiquum ſervatur antiphonarium, ut ex
Martenii & Durandi It. litter. diſcimus, cum opuſculo Agobardi, in- *P. I. p. 244.*
ſcripto cantoribus eccleſiæ *Lugdunenſis*, ex quo modo locum deſcripſimus,
poſt

a) „Quia nuper (auſpicatur laudatum de divina pſalmodia libellum Agobardus) ſtultus & improbus, ipſaque ſtultitia & improbitate ſua omnibus notus calumniator erupit, qui ſanctam eccleſiam noſtram (*Lugdunenſem*) non ſolum verbo, ſed etiam ſcriptis lacerare non ceſſat, quaſi non recte, nec more paterno ſive uſu, divinæ decantationis ſolemnia peragentem, neceſſe fuit, omnem ſacrorum officiorum ſeriem, quæ ſolito cantorum miniſterio per totum anni circulum in eccleſiaſticis conventibus exhibetur, ſicut in eadem eccleſia favente Dei gratia cuſtoditur, diligentius & plenius in libello, quem uſitato vocabulo *antiphonarium* nuncupant, colligere atque digerere.“

b) „Sicut (inquit) ad celebranda Miſſarum ſolemnia habet eccleſia librum myſteriorum, fide puriſſima, & concinna brevitate digeſtum; habet & librum lectionum, ex divinis libris congrua ratione collectum: ita etiam & hunc tertium officialem libellum, id eſt antiphonarium, habeamus, omnibus humanis figmentis & mendaciis expurgatum, & per totum anni circulum ex puriſſimis ſanctæ ſcripturæ verbis ſufficientiſſime ordinatum; quatenus in ſacris officiis peragendis iuxta probatiſſimam fidei regulam, & paternæ auctoritatis venerabilem diſciplinam, una a nobis atque eadem cuſtodiatur forma orationum, forma lectionum, & forma eccleſiaſticarum modulationum.“

c) „Hac de cauſa (inquit de Correctione antiph. n. 3.) & antiphonarium pro viribus noſtris magna ex parte correximus, amputatis his, quæ vel ſuperflua, vel levia, vel mendacia, aut blaſphema videbantur. Et vos frequenter admonuimus, & tenorem admonitionis noſtræ, propter aliquorum præſentes ſeu futuras querimonias, in fronte eiusdem libelli ponere neceſſarium duximus, non generale aliquid ſtatuentes, ſed iuxta mediocritatem ſenſus noſtri, in domo Dei, cuius nobis cura commiſſa eſt, quod poſſumus, offerentes, nec de ſenſu noſtro aliquid præſumentes; ſed ſcripturæ ſanctæ auctoritatem, & ſacrorum canonum ſanctionem, catholicorumque Patrum inſtituta & exempla ſectantes. De quibus antequam aliquid proferamus, congruum videtur, exempli gratia nonnullas ineptias, quæ fato continebantur libello, notare breviter, ac leviter redarguere, ut ex his perpauciſſimis evidentius agnoſcatur, quam neceſſario, quæ in ſequentibus dicturi ſumus, a Patribus conſtituta ſint, quantoque timore ac ſollicitudine eorum ſcita nobis expediat obſervare.“

poſt quem quædam ad examen revocantur, e. g. in vigilia nativ. Dni: *Dum ortus fuerit ſol de cœlo, videbitis regem regum, procedentem a Patre tanquam ſponſum de thalamo ſuo*, quæ etiamnum canuntur, ſenſusque ſaltem in ſcri-
Ioan. II. ptura habetur. Quæ vero poſtea habet: *Deſcendit de cœlis miſſus ab arce Patris, introivit per aurem virginis in regionem noſtram, indutus ſtola purpurea, & exivit per auream portam lux & decus univerſæ fabricæ mundi*, non ita hodie habentur quoad abſurdum *per aurem* virginis ingreſſum. Quæ vero deinceps carpit, ſunt etiam in ipſis ſcripturis contenta. Nec tamen potui in libro Amalarii *Metenſis* de ordine antiphonarii, quæ modo attuli, deprehendere, nec etiam, quæ adeo reprehendat in officiis *Romanis* Amalarius: tantum in prologo aliqua rationabiliora in ſuis voluminibus, id eſt, antiphonariis *Metenſibus* quam in *Romanis*, agnoſcit, &, quem modum in
a ordinando antiphonario tenuerit, exponit: a) Et hoc ſemper agit, conferendo antiquum, quod in monaſterio *Corbeienſi* invenerat, cum *Romano* & *Metenſi*. Quodam ſaltem loco videtur aliquid peculiare in *Galliis* notare, de
c. 11. reſponſorio quinto dominicæ quartæ adventus: „Notandum (inquit) quod „iſte reſponſorius canebatur in *Galliis* octava decima die decimi menſis. Pro „quo inveni ſcriptum in *Romano*, viceſima quarta die menſis: nec non de ipſo „interrogavi apoſtolicum Gregorium. Qui reſpondit: Non cantamus o- „ctava decima die decimi menſis, ſed viceſima quarta die.“ Et ad huiusmodi mutationes obſervationesque ſæpe ſatis minutas redit Amalarii opus, in quo ſe minime alienum ab eccleſia *Romana* declarat, multaque ex antiphonario *Romano* aſſumſit, etiam feſta, additis paucis peculiaribus ſanctis
b regionariis, raro autem aliquid de ſuo addit b). Quandoque etiam duplices
c poſuit antiphonas, ut mox ſequenti capite de ὑπαπάντῃ c). An hoc cor-
rectum

a) „Quæ (inquit T. XIV. Bibl. PP. p. 1032. G.) memorata volumina contuli cum noſtris antiphonariis, invenique, ea diſcrepare a noſtris non ſolum in ordine, verum etiam in verbis, & multitudine reſponſoriorum & antiphonarum, quas nos non cantamus. Nam in multis rationabilius ſtatuta reperi noſtra volumina, quam eſſent illa. Mirabar, quomodo factum ſit, quod mater & filia tantum a ſe diſcreparent. Inveni in uno volumine memoratorum antiphonariorum ex his, quæ infra continebantur, eſſe illud ordinatum priſco tempore ab Adriano apoſtolico, cognovi noſtra volumina antiquiora eſſe aliquanto tempore, volumine illo *Romanæ* urbis. In quibus tamen alicubi cognovi, corrigi poſſe noſtra ab illis, & in aliquibus hoſtra eſſe rationabilius & ſatius ſtatuta, ut prætuli; arripui medium inter utraque, ut a noſtris, ubi melius erant ordinata, non diſcederem: & ſi poterant corrigi a voluminibus urbis, non negligerem, ſeu in ordine, ſeu in verbis.“

b) „Multa (dicit c. 28.) officia Sanctorum indidi in noſtro antiphonario ex *Romano*, quæ non habet *Metenſis* antiphonarius. Cogitavi, cur ea omitterem, cum eadem auctoritate fulciantur, qua & illa, quæ ſcripta invenimus in *Metenſi* antiphonario, ſcilicet ſanctæ matris noſtræ *Romanæ* eccleſiæ. Addidimus etiam pauca, quæ noſtra regio ſola continet, ut ſunt antiphonæ de ſancto Medardo, & de ſancto Mauritio. Utraque enim deſignantur ex ſignis præſcriptis in prologo antiphonarii.“

c) „Olim (inquit) quando ſolus antiphonarius *Metenſis* erat mihi notus, in quo reperi antiphonas ſuper pſalmos nocturnales de communi-

rectum ab Amalario antiphonarium deinceps fuerit adoptatum in eccleſia *Metenſi*, ignoro. Certe notum fuit *Metenſe* antiphonarium, ſtudioſe etiam a S. Bernardo requiſitum; ſed quia *Romanum* non eſſe compertum eſt, & vitioſum omni ex parte, correctum eſt a S. Bernardo. a) a

IX. Apud *Græcos* multo amplior eſt copia eiusmodi librorum ad officium divinum ſpectantium, quod, ſicut apud nos, cantu, & magis adhuc diverſis cantionum generibus compoſitum eſt, quibus ſingulis ſua nomina indiderunt. Ac quidem præter Euchologium & Typicum, quibus ordo divinorum officiorum apud eos præſcribitur, probe etiam a typico typica ſunt diſtinguenda, ut Quirinus diatriba de eccleſiaſticorum officiorum apud *Græcos* antiquitate animadvertit ex Allatio, qui copioſe de libris eccleſiaſticis *Græcorum* egit. Horum typicorum duo ſunt genera, alterum, quod in matutinis precibus, dum vigiliæ peraguntur, recitari aut cani ſolet; vigiliæ autem nonniſi ἐν ταῖς δεσποτικαῖς ἑορταῖς, feſtis nempe Chriſto Domino, & Beatæ Virgini dicatis, fiunt. In his celebritatibus typica dicuntur, verſuum ex pſalmis hinc inde congeſtorum, & ad ſolemnitatis arcana exponenda aptiorum ecloga. Alterum typicorum genus eſt, quæ inter Miſſarum ſolemnia diebus etſi non omnibus dicuntur, & ſunt πρῶτα ϗ δεύτερα prima & ſecunda, videlicet pſalmus CII. & CXLV. Pſalterium apud eos, ut apud nos, una cantica, ſeu ᾠδὰς veteris & novi Teſtamenti complectitur. Inter *Syros* Philoxenus pſalmos ſyriace reddidit, ut ex bibliotheca orientali Vatic. *Ioh. Simonis* Assemanni diſcimus. Pſalterio *Leo* Allatius proxime iungit ὀκτόηχον, ſeu *Octoechum*. Tales ſunt

Ac in Oriente.

bus virginibus, quæ non videbantur mihi congruere feſtivitati Præſentationis Domini in templo, cœpi inquirere antiphonas de diverſis locis, quæ congruerent memoratæ feſtivitati, atque eas cœpi canere cum meis fratribus in choro. Poſtea reperi in *Romano* antiphonario proprias, quas utrasque poſui in noſtro antiphonario. Si quis tenet *Romanas*, cantet illas: ſi quis eas non tenuerit, videat, an poſſint aptari in ſuis locis, quas ſcripſi. "

a) Inter cætera, orditur S. Bernardus epiſtolam inſcriptam omnibus transſcripturis antiphonarium, ſive cantaturis in illo, quæ optime æmulati ſunt patres noſtri, *Ciſtercienſis* videlicet Ordinis inchoatores, hoc quoque ſtudioſſime & religioſſime curaverunt, ut in divinis laudibus id cantarent, quod magis authenticum inveniretur. Miſſis denique, qui *Metenſis* eccleſiæ antiphonarium (nam id *Gregorianum* eſſe dicebatur) transſcriberent, & afferent; longe aliter rem eſſe, quam audierant, invenerunt. Itaque examinatum diſplicuit, eo quod & cantu & littera inventum ſit vitioſum, & incompoſitum nimis, ac pene per omnia contemtibile. Quia tamen ſemel cœperant; & uſi ſunt eo, & uſque ad noſtra tempora retinuerunt. Tandem aliquando, non ſuſtinentibus iam fratribus noſtris Abbatibus ordinis, cum mutari & corrigi placuiſſet, curæ noſtræ id operis iniunxerunt. Ego vero accitis ex ipſis fratribus noſtris, qui in arte & uſu canendi inſtructiores atque peritiores inventi ſunt, de multis & diverſis novum tandem antiphonarium in ſubiectum volumen collegimus, & cantu, ſicut credimus, & littera irreprehenſibile.

ſunt in bibliotheca *Vindob.* cod. 306. & 307. novo ordine, cum notis muſicis. Quorum titulus eſt & *principium* ἀρχὴ σὺν Θεῷ ἁγίῳ τῆς ὀκτοήχου σὺν τοῖς κεκραγαρίοις καὶ τοῖς ἑωθινοῖς αὐτῶν κ. τ. λ. In editione *Billiana* ex octo illis tonis, quos octoechus continet, tantum duo extant, nec niſi latine: in codice *Vindobonenſi* extat cum ampliſſimo commentario *Io.* Zo-
a NARÆ. Octoechum diceres, iuxta ALLATIUM, a) octotonum, ſive octo tonos continentem librum. Cum enim *Græcorum* muſica proprios tonos, ipſi vocant ἤχους *ſonos*, quatuor habeat, & totidem obliquos, ut poſtea videbimus; canones omnes, ſive troparia, & quæcunque aliæ cantiones in hoc libro contentæ, ita diſpoſitæ ſunt, ut quæ primo tono concinuntur, omnia ſibi primum locum occupent: & ſic de ſingulis, donec ad obliquum quarti perveniatur, qui inter tonos ultimus ultimum quoque ſibi vendicat locum, & cantiones eo modulatæ, ac commenſuratæ ultimo quoque loco reponuntur. Continet tantum troparia & canones, qui a primis veſperis dominicæ ad finem uſque Miſſæ canuntur, & octo dominicis pro tonorun numero finitur. Singuli toni tres habent canones: primum σταυροαναστάσιμον, qui in crucis & reſurrectionis dominicæ; ſecundum ἀναστάσιμον, qui in reſurrectionis; tertium θεοτόκιον, qui in MARIÆ Virginis laudibus celebrandis verſantur: quibus modo additur μεσονυκτικὸς, canon ſcilicet mediæ noctis officio proprius, τριαδικὸς etiam dictus, quia de Trinitate tractat. Octoecho ſubiungit ALLATIUS παρακλητικὸν, ſeu conſolatorium, aut etiam imploratorium. Differt ab aliis *Græcorum* libris eccleſiaſticis, dum omnibus diebus in eo aliquid invenitur, quod ſive in Miſſa, ſive in aliis officiis divinis recitatur, ex quo tanquam ex communi ſupplentur, quæ in cæteris officiis propria deſiderantur. Dividitur item in octo partes, quas *Græci* ἤχους appellant: uno nempe ἤχῳ officia unius hebdomadis implentur, altero ſubſequentis, & ſic de ſingulis, quibus finitis denuo ab initio exordiuntur. In aliis certa ſunt certis diebus decreta officia, canones, troparia, quæ recitari ſolent, quibus finitis reponuntur, donec eadem tempora remeent, cum rurſum ad recitandum ſuſcipiuntur, ut *Triodion*, quod iam diximus ita appellari, quia tribus odis perficitur, ſicut *Diodium* duobus & *Tetraodium* quatuor. Illo genere Quadrageſimæ præcipue officia ſunt diſtributa. Pentecoſtarion continet officia a die reſurrectionis ad Pentecoſten. In codice bibliothecæ Marchionis *Durlacenſis* poſt ψαλτικὴν τέχνην ſequuntur, integrumque fere complent libellum, ſubnexa tantum liturgia SS. *Io.* CHRYSOSTOMI, BASILII & præſanctificatorum, κατήχων per octo tonos, Κεκραγάρια μετὰ τῶν στιχηρῶν ἀναστασιμῶν. Sunt etiam apud *Græcos* ἑβδομαστικαὶ ἀκολουθίαι, officia

a) De Libris *Græc.* Diſſert. I. n. 7. p. 47.

cia per hebdomadam diſtributa. Huiusmodi vidi codicem *Florentiæ* in
Bibliotheca *Benedictinorum*, in quo habentur primum μακαρισμοὶ ſeu
hymni in commemorationem beatitudinis Sanctorum, plurimi ſatis pro-
lixi, & regulæ earum canendarum per quamlibet hebdomadam. Sequun-
tur προκείμενα ſeu propoſita totius hebdomadæ, quæ canuntur poſt μακα-
ρισμοὺς. In fine legitur τέλος τῆς ἑβδομαστικῆς ἀκολουθίας, finis officii hebdo-
madarii. Sunt & Menæa, officia ſingulorum menſium, anthologium totius
anni, veluti florilegium pro ſingulis menſibus ea continentia, quæ in Do-
mini noſtri Iesu Chriſti, Beatæ Virginis, & reliquorum celebrium Sancto-
rum ſolemnitate decantantur, magna copia, qualia nonnulla in bibliothe-
ca Cæſarea notat Lambecius. a) Non pauca vero Hymnologia in eadem a
bibliotheca ſervantur, per annum integrum digeſta. Talis eſt codex 303.
ut nunc ſunt ordinati libri, pervetuſtus, & optimæ notæ in fol. ex quo
poſtea ſpecimen notarum ſæc. XI. dabimus. Continet hymnos in omnia
feſta totius anni, cum antiquis notis muſicis, menæi inſtar in duodecim
menſes partitus, ab initio menſis *Sept.* usque ad finem menſis *Auguſti.* Eius-
dem generis ſunt duo ſequentes codd. 304. 305. a f. 173. uſque 223. in
primo autem & ſecundo a f. 185. uſque 325. præterea ſunt στιχηρὰ cum anti-
quis notis muſicis, a Dominica publicani & *Phariſæi* uſque ad feſtum om-
nium SS. & alia. In primo item Sophronii Archiep. *Hieroſol.* Σύναξις
τῶν ὡρῶν, ſeu horologium magnæ Paraſceves, cum antiquis notis muſicis.
Eiusmodi eſt ἀκολουθία τῶν ὡρῶν feſti Nativitatis Domini cod. 184. Bibl.
Vindob. & *Florentinus* bibl. *Laurentianæ* ſub titulo ὡραὶ θεῖαι, cum notis
muſicis. Continet autem horologium horarum diurnarum officia. De
ſynaxariis, panegyricis &c. nil dicam, quæ cantum non habent. Ad li-
bros *Græcorum* muſicos maxime pertinet *Hirmologium,* quod omnes octo-
echi εἱρμοὺς, ſeu cantus initiales Chriſti & Deiparæ feſtivitatum, totiusque
anni continet. Eiusmodi hirmologium totius anni vidi in bibliotheca
*Barbarina Romæ, quemadmodum in monte ſancto cani conſuevit, a Ioſa-
phato* Cucuzele *notis muſicis adornatum.* Allatius b) loquitur his b
verbis: *Hirmos eiusmodi, ſeu cantus initiales notis etiam muſicis a Ioſa-
phato* Cucuzele *digeſtos habes in bibliotheca Barberina ſub hoc titulo*:
Εἱρμολόγιον τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ κ. τ. λ. Diſtinguendus hic eſt a *Ioanne* Cucu-
zele, de quo plura poſtea: cuius apud Lambecium c) recenſetur ſeries c
ordinationis univerſi officii eccleſiaſtici conſtructa, & antiquis notis muſi-
cis adornata a *Ioanne* Cucuzele: fueruntque eiusdem generis duo codi-
ces

a) Lib. V. p. 274. &c.
b) De libris *Græc.* eccleſ. p. 99. 100.
c) Lib. V. Bibl. Cæſar. p. 273.

a ces ex bibliotheca *Monacenſi.* a) „*Hirmus* autem appellatur iuxta ZONA-
b „RAM, b) quod ſeriem quandam, & connexionem, & ordinem cantus
„& conſonantiæ tribuat conſequentibus poſt ſe tropariis. Nam & ad can-
„tum hirmorum conformantur, & attemperantur etiam troparia, & decan-
„tantur, non ſine relatione ad hirmos, quorum itidem melodiam & ſo-
„num imitantur. Vel inde hirmus nomen habet, quod contrahat, & con-
„nectat ſibi in melodia & cantu troparium.“ Hunc locum citant GRET-
c d e f SERUS, c) *Leo* ALLATIUS, d) RAYÆUS, T. II. *Iunii,* e) QUIRINUS, f) atque
in eo quidem conveniunt, quod ſit cantus & melodiæ modus, ſed in il-
lius quoad troparia uſu non omnino conſpirant: quæ res explicanda ex
ſequentibus ZONARÆ verbis: „Troparia dicuntur, quod ad hirmos ver-
„tantur, cantuque eosdem referant, & imitentur: vertunt enim vocem
„cantorum ad melodiam & concentum hirmorum. Niſi enim ſonus eo-
„rum, qui troparia decantant, dirigatur ad hirmos, cantus non erit con-
„ſonus, recteque modulatus, nec melodia dici poterit, ſed abſonus qui-
„dam, inconcinnus, & ineptus clamor.“ Eſt etiam apud *Latinos* liber no-
g ſtri argumenti iuxta GOARUM g) troparium, quod generalem in canticis *Græ-
cis* ſonum ac cantum, hirmus vero certum illius modum deſignat, vari-
isque applicat ſtrophis, quomodo in noſtris hymnis accidit, apud *Græcos*
vero in canonibus triodiis &c. Cum enim, ut iam ſupra ex GOARO
notavi, ac ipſe non ſemel meis oculis vidi, libros notis muſicis exara-
tos inter cantandum rariſſime conſpiciant, vel etiam habeant *Græci*;
communes ideo & verbis & cantu memoriæ tenaciter infigunt hymnos,
ad quorum normam alios pari ſyllabarum numero conſtantes cantando in-
flectunt: quorum ideo primordia canticis aliis inſcribunt, ut ad eorum
regulam ſequentes indicent eſſe decantandos. Hi vocantur εἵρμοι ſive tra-
ctus, ut qui ſequentes modulos ad ſuam muſicam inflexionem trahant:
eosque ſecundum octo tonorum varietatem collectos liber eccleſiæ, εἱρμο-
λόγιον

Tab. V. a) Alter maior inſcriptus ἀκολουθίαι συντεθημέναι παρὰ τοῦ μαΐστορος κυροῦ Ἰωάννου τοῦ κουκουζέλη ἀπ' ἀρχῆς τοῦ μεγάλου ἑσπερινοῦ μέχρι, καὶ τῆς συμπληρώσεως τῆς Θείας λειτουργίας. Alter minor cui titulus: ἀκολουθίαι συντεθεῖσαι παρὰ κυροῦ Ἰωάννου μαΐστορος τοῦ Κουκουζέλη. Prioris codicis frontem æri inciſam ſervandamque exhibemus.

b) Procœm. in can. ANASTASIM. *Damaſc.*

c) Lib. V. de cruce.

d) Diſſ. I. n. 19.

e) Apud BOLLAND. p. XVII.

f) Diatriba I. p. 43.

g) p. 435. Add. MEURSIUS in Gloſſar. p. 733. SUICERUS Theſaur. *Græco-lat.* h. v. „Troponarius, corrupte trophonarius, eſt liber Proſarum, ſeu ſequentiarum ad *cantum* vel melodiam *Alleluia* aliarumque neumarum potiſſimum in Miſſa medio ævo, nomenclatura ad nos a *Græcis* derivata, qui illis miram antiquitatem tribuunt. Qua de re videri poteſt Exercitatio liturgica de tropariis eccleſiæ *Græcæ* ſub præſidio *Chriſtoph.* SONNTAGII *Altorffii* an. 1698. edita.„

λόγιον dictus, continet. Redit in hunc ſenſum, quod de εἱρμῷ ſeu tractu ſcribit ARCUDIUS: *Tractus dicitur, quod ordine quodam & compoſitione, ſuavique cantu continuatus, contextus, atque concinnatus, non autem temere, procedat.* Vel inde iuxta GOARUM nomen habet tractus, quod contrahat, atque connectat ſibi in melodia modulum (τροπάριον) qui, quia ad eius modum & cantum vertitur, ὅτι τρέπεται, ſive πρὸς αὐτȣ̃ τρόπον ἐςὶ, vocatur τροπάριον, ob vocem in cantando varie verſam & inflexam; vel quod cantorum voces ad ſonum numerumque tractuum modificant: niſi enim ad eorum normam modulantium vox dirigatur, nusquam erit conſonus cantus, aut ſuavis harmonia, neque melodia vere vocabitur. Hæc GOAR, ad mentem ZONARÆ in hymnorum expoſitione p. 351. ubi omnia articulatim explicat: *Principio quidem quid ſit canon, quid canticum, cur novem ſint cantica &c. Canon dicitur,* inquit, *ex eo, quod habeant certos præfinitosque modulos*, τροπάρια, *& numeros, utputa novem canticis incluſos.* Vel iuxta ARCUDIUM *canon* muſicis *Græcis* præfinitam, præſcriptam ac determinatam menſuram hymnorum ſignificat, propterea & canonem vocant, quod modulationes eam menſuram non excedunt. „Canticum „vero, iuxta ZONARAM, id dicitur, quod DEO non per inſtrumenta canitur, ſed viva voce modulando cantatur: nihil enim aliud eſt, quam „hymnus gratiis agendis, & laudando DEO accommodatus. Sunt autem „cantica novem in unoquoque canone, quia cœleſtis hierarchiæ ac hymnodiæ imaginem præſeferunt &c.“ Canones ſunt hymni, qui poſt pſalmos *Davidicos*, aliasque preces, & troparia, antequam finiantur, divina officia canuntur. A materia, de qua agunt, varia ſortiuntur nomina, ἀναςάσιμοι, ςαυρώσιμοι κ. τ. λ. Celeberrimus eſt μέγας κανὼν ANDREÆ *Cretenſis.* Vocatur autem *Magnus*, quia cum reliqui triginta, & paullo plura, troparia habeant, hic ad 250. progrediatur. Canones vero in odas dividuntur, ſeu cantica, hæc in troparia. Magnus ille canon in TRIODIO, & alibi, invenitur. Cod. 150. novi ordinis Bibliothecæ *Vindob.* f. 168. canon eiusmodi in honorem Sanctorum totius anni habetur, quorum memoria ibi nominatim celebratur, ſecundum ordinem duodecim menſium, ab initio *Septembris*, uſque in finem *Auguſti.* In principio autem deeſt unum folium, ideoque & nomen auctoris iſtus canonis, & nomina Sanctorum a die primo *Septembris* uſque ad diem quartum eiusdem menſis deficiunt. Cod. 25. 45. 59. expoſitiones, ſcholia, & explicatio difficiliorum vocabulorum & phraſium in canonibus ſeu canticis habentur. Hinc eſt canonarcha & ὁ πρωτοκανόναρχος apud CODINUM & CITRIUM qui canones præibant. Pertinet huc etiam νομικός. Vid. GRETS. in CODINUM T. XV. opp. p. 94. Mentio etiam aliqua facienda eſt *Contaciorum*, quæ ſunt breves hymni, a voce κοντὸς *parvus*,

vus, quod paucas laudes alicuius ſancti vel feſti complectantur. Meurſio in Gloſſar. p. 329. eſt Breviarium aliquod ἀδέσποτον, quod res ſacras contineat. Quod eſt nimis genericum. *Ingrediuntur pſaltæ*, inquit Codinus, a) *& multos annos cantando precantur, pſallentes poſtea contacion illud:* Virgo hodie ſuperſubſtantialem parit, *iterumque canticum longævitatis repetunt.* Notatur apud eundem Codinum ὁ ἄρχων τῶν κοντακίων, quod interpretatus *Præfectum canticis* Lunius, vapulat Gretsero Comment. in Codinum T. XV. opp. p. 86. & 93. quod canticum generale ſit nomen ad omnia, quæ cani aut ſolent, aut poſſunt; contacium autem peculiare quoddam ſeu breve canticum, ac etiam liber, ut ex Balsamone oſtendit. Et iuxta Goar n. 192. liber miſſalis, ſolam Basilii, Chrysostomi, & Præſanctificatorum liturgiam complectens, tanquam κοδίκιον *brevis codex*, vel, ut cenſet Arcudius, ceu tenuis admodum membrana brevi rotundo ligno, quaſi iaculi fragmento (κοντῷ) circumvolvi ab antiquis ſolita, κοντάκιον presbyteris græcis appellatur. Montfaucon pag. 211. Diarii *Italici* memorat κοντάκιον officii eccleſiaſtici X. ſæc. Bibl. *Barberinæ*: „Eſt (inquit) contacium breviſ„ſimus baculus, cui hæret obvoluta miræ magnitudinis charta mem„branea, ex multis foliis conſequenter agglutinatis confecta, ubi deſcri„ptæ orationes, & officia Sacerdotibus obeunda, cum Sacra adminiſtrant. „Simile habetur in bibliotheca regia. Eſt autem illud elegantibus apici„bus & litteris exaratum.“ Ab his contaciis *ſtichera*, στιχηρά, diſtinguuntur, ſeu verſus ab hymnographo eccleſiaſtico, licet prolixiori ſententia, ad longiuſculárum etiam periodorum normam compoſiti, ut ait Goar. b) Προσόμοια vero στιχηρὰ vocantur huiusmodi longiores verſus, dum æquali, ſeu quaſi æquali ſyllabarum numero conſtant, ut eodem tono decantentur, ut ait Quirinus: c) at ἰδιόμελα, quæ propriam modulationem habent. Frequentiſſimum eſt in ſticheris lemma illud ὅμοιον, quod indicat, verſum ſequentem eadem ratione cantandum, qua erat cantatus præcedens. Proſequitur deinde ſticherorum genera ex materiæ diverſitate: cuiusmodi varia ſunt apud *Græcos* nomina, a nobis iam ſuperius indicata, & paſſim etiam occurrentia. De quibus plura apud laudatos auctores.

a) De offic. Aulæ *Conſtantinopol.* c. VII. n. 13. p. 56.
b) pag. 206.
c) Diatr. II. p. 162.

FINIS TOMI PRIMI.